

7
2 M
6



ALTESERRA

IN

DECRETALES

INNOCENTII III.

INNOCENTIVS III.
PONTIFEX MAXIMVS,
SEV
COMMENTARIVS
PERPETVVS
IN SINGVLAS DECRETALES
HVIVSCE PONTIFICIS
quæ per libros v. Decretalium ſparſæ ſunt.

Auctore ANTONIO DADINO ALTESERRA
Antecessore Toloſano.



LVTETIÆ PARISIORVM
Sumptibus LVDOVICI BILLAINE, in maiori Palatij aula, ad inſigne Magni Cæſaris.
M. DC. LXVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO VIRO

PETRO SEGVIERIO FRANCIÆ CANCELLARIO.

CAncellarie Illvstrissime, *Commentarium in Decretales Innocentij III. P. M. editurus, haudquaquam deliberaui, cuinam operam dicarem; propensior in te confestim sese conuertit animus, nec alium tulit studiorum auspicem, quàm quem ha-*

buit auctorem. Nimirum tu idem es qui Canonicas hasce, & Aquitanicas lucubrationes parturisti, & cultus tui desiderio flagrantem, vtrasque vt tentaret prouocasti. Qualescumque studiorum successus, meritò tibi acceptos est quod referam, si quid enim profeci te incentore profeci dum tibi probari & placere his artibus cupio, quibus dignitatis culmen illustras. Tuis auspiciis Innocentius noster glossularum situ & squalore detersus prodire lætatur. Tot sæculis à suis spretus, à Gallis secum meliùs actum fatetur, iam olim viros clarissimos Paul. Dumay Regium Senatorem, & Franc. Bosquetium Episcopum Monspeliensem sui nominis studiosos nactus, nec enim hac in re

quidquam mihi tribuo, qui me tantis viris longè imparem ſentio. Gaudet Innocentius in Galliam redire, non inſcius Romanorum Pontificum eam eſſe patronam & adiutricem. Meminit vir diuinus ſe olim Pariſienſis Academiæ alumnum, ac penè infulas tibi ſubmittit, tuo foro & tribunali ſe non ſolutum ratus, melioris vitæ cunabulis natus in Gallia. Nec inuidioſum Pontificios tibi tradi commentarios, qui munus ciuile, vt ſacerdotium geris. Eccleſiam eodem ſpiritu quo Rempub. tueris, & ius Pontificium æquè ac ciuile quaſi mancipio poſſides. Tibi debetur quicquid Religio ſacrum facit, qui virtutis dotibus ſacerdotem te præſtas, & proprios lares vitæ pietate, & ſan-

ctiſsimæ coniugis meritis conſecras. Accipe igitur, VIR ILLVSTRISSIME, *Innocentium noſtrum, & ſi quid momenti vacat à Republ. id maximo Pontifici & Iuris perito, quæſo, ne deneges, eiúſque interpretem tui tutela numinis foueas.*

CELSITVDINIS VESTRÆ,

Deuotiſſimus ANT. DADINVS ALTESERRA Anteceſſor Toloſanus.

Lutetiæ Pariſiorum 1. Iulij 1659.

TESTIMONIA VETERUM
DE
INNOCENTIO III.

RIGORD. de gest. Philip. A. *Post hæc tempora Innocentius Papa celebrauit Romæ Concilium, vir clari ingenij, magnæ probitatis & sapientiæ, cui nullus secundus tempore suo: fecit enim mirabilia in vita sua.*

MATTHÆUS Paris in Ioanne ad annum 1199. *Hoc anno decisa est causa vetustissima inter Ecclesias Turonensem & Dolensem Romæ à Papa Innocentio per sententiam diffinitiuam, Archiepiscopo Turonensi ab Episcopo Dolensi subiectionem exigente, & Episcopo Dolensi contradicente.* & paulò pòst: *Vnde Papa memoratus in pronuntiatione sententiæ diffinitiuæ, vt qui in scientia erat magnus, audax simul Iurisperitus, ita exorsus ait, &c.*

PAUL. LANGIUS in Chron. Citizensi ad ann. 1198. *Eodem anno Celestinus Papa obiit, & Innocentius III. natione Campanus successit, fuitque vir sapiens, & in diuinis scripturis apprimè eruditus, plures decretales fecit, statuitque quòd communicantes peccata priùs confiterentur quotannis ad minus Paschæ. Composuit libellum vtilissimum de miseria humanæ conditionis, item sermones, & complura alia lectione dignissima.*

ANONYM. de gestis Innocent. III. editus per I. V. Fr. Bosquetium hodie Episcopum Monspeliensem. *Innocentius III. Papa ex patre Trasimundo de Comitibus Signiæ, matre verò Clarina de nobilibus viris, fuit vir perspicacis ingenij, tenacis memoriæ, in diuinis & humanis literis eruditus, sermone tam vulgari quàm literali disertus, exerci-*

tatus in cantilena & psalmodia, statura mediocri, & decorus aspectu, medius inter prodigalitatem & auaritiam. Hic primùm in vrbe, deinde Parisius, tandem Honouiæ scholasticis studiis insudauit, & super coætaneos suos tam in Philosophica, quàm Theologica disciplina profecit, sicut eius opuscula manifestant, quæ diuersis temporibus edidit, & dictauit: fecit enim ante Pontificatum libros de miseria conditionis humanæ, de Missarum mysteriis, & de quadripartita specie nuptiarum: post Pontificatum autem libros sermonum, epistolarum registrorum, & Decretalium, quæ manifestè declarant, quantum fuerit tam in humano quàm diuino iure peritus.

ONVFR. PANVIN. in vit. Innocent. III. *Vir eruditiss. & doctiss. in Parisiensi Gymnasio multos annos studiis vacauit, deinde Doctoratus vt vocant insignibus susceptis Romam venit, &c.*

GESNERVS in Biblioth. lit. I. *Quisquis iuris Canonici quinque libros Decretalium vel semel perlegerit, facilè comperiet plura ibi esse rescripta vnius huius Innocentij, quàm omnium aliorum Pontificum simul in vnum, & ea quidem tam cautè, doctè, ac luculenter posita, vt omnium Iurisconsultorum iudicio nihil possit decerni, vel iuri & æquitati conformius, vel rectæ rationi & honestati magis consentaneum.*



INDEX

INDEX TITVLORVM.

EX LIBRO PRIMO DECRETALIVM.

TITVLVS I. De summa Trinitate & fide Catholica. a
II. De Constitutionibus. 6
III. De Rescriptis. 18
IV. De Consuetudine. 40
V. De Postulatione Prælatorum. 50
VI. De electione & electi potestate. 61
VII. De Translatione Episcopi. 106
VIII. De auctoritate & vsu Pallij. 113
IX. De Renunciatione. 116
X. De supplenda negligentia Prælatorum. 125
XI. De temporibus ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 128
XII. De scrutinio in Ordine faciendo. 131
XIV. De ætate & qualitate & ordine præficiendorum. 132
XVII. De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non. 143
XVIII. De seruis non ordinandis, & eorum manumissione. 144
XX. De corpore vitiatis ordinandis, vel non. 146
XXI. De digamis non ordinandis. 147
XXII. De Clericis peregrinis. 150
XXIII. De officio Archidiaconi. 152
XXVIII. De officio Vicarij. 155
XXIX. De officio & potestate iudicis delegati. 155
XXX. De officio legati. 177
XXXIII. De maioritate & obedientia. 192
XXXV. De Pactis. 200
XXXVII. De postulando. *ibid.*
XXXVIII. De Procuratoribus. 201
XL. De his quæ vi metusve causa. 205
XLI. De in integrum restitutione. 207
XLIII. De Arbitris. 214

EX LIBRO SECVNDO DECRETALIVM.

TITVLVS I. De iudiciis. 219
II. De foro competenti. 227
III. De libelli oblatione. 232
VI. Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam. 233
VII. De iuramento calumniæ. 240
X. De ordine cognationum. 241
XII. De causa possessionis & proprietatis. 243
XIII. De restitutione spoliatorum. 248
XIV. De dolo & contumacia. 256
XV. De eo qui mittitur in possessionem causâ rei seruandæ. 262
XVI. Vt lite pendente nihil innouetur. 263
XVII. De sequestratione possessionum & fructuum. 264
XVIII. De confessis. 266
XIX. De probationibus. 266
XX. De testibus & attestationibus. 273
XXI. De testibus cogendis, vel non. 292
XXII. De fide instrumentorum. *ibid.*
XXIII. De præsumptionibus. 301
XXIV. De iureiurando. 304
XXV. De exceptionibus. 318
XXVI. De præscriptionibus. 323
XXVII. De sententia & re iudicata. 334
XXVIII. De adpellationibus, recusationibus, & relationibus. 348
XXX. De confirmatione vtili, vel inutili. 369

EX LIBRO TERTIO DECRETALIVM.

TITVLVS I. De vita & honestate Clericorum. 372
II. De cohabitatione Clericorum & mulierum. 377
III. De Clericis coniugatis. 378
IV. De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Præbenda. 380
V. De Præbendis & dignitatibus. 383
VI. De Clerico ægrotante vel debilitato. 397
VII. De institutionibus. 398
VIII. De concessione Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis. 401
IX. Ne sede vacante aliquid innouetur. 410
X. De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli. 411
XI. De his quæ fiunt à maiore parte Capituli. 414
XII. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. 415
XIII. De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. 418
XVII. De emptione & venditione. 419
XVIII. De locato & conducto. 421
XIX. De rerum permutatione. *ibid.*
XX. De feudis. 422
XXI. De pignoribus & aliis cautionibus. 424
XXII. De fideiussoribus. 427
XXIV. De donationibus. 428
XXVI. De testamentis & vltimis voluntatibus. 432
XXVII. De successionibus ab intestato. 437
XXVIII. De sepulturis. 438
XXX. De decimis, primitiis & oblationibus. 440
XXXI. De Regularibus & trans-

euntibus ad Religionem. 448
xxxii. De conuersione coniugatorum. 450
xxxiv. De voto & voti redemptione. 453
xxxv. De statu Monach. & Canonic. Regul. 459
xxxvi. De Religiosis domibus, vt Episcopo sint subiectæ. 464
xxxvii. De Capellis Monach. & aliorum Religiosorũ. 468
xxxviii. De iure Patronatus. 465
xxxix. De censibus, exactionibus, & procurationibus. 472
xl. De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris. 481
xli. De celebrat. Miss. & Sacram. Euchar ist. & diuinis Officiis. 484
xlii. De Baptismo & eius effectu. 490
xliii. De Presbytero non baptizato. 494
xliv. De custodia Euch. Chrismatis, & aliorum Sacram. 495
xlv. De reliquiis & veneratione Sanctorum. 496
xlvi. De obseruatione ieiuniorum. 498
xlvii. De purificatione post partum. 499
xlix. De immunitate Eccles. cœmit. & rer. ad eas pertinentium. 500
l. Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant. 502

EX LIBRO QVARTO DECRETALIVM.

TITVLVS I. De sponsalibus & matrimoniis. 504
II. De desponsatione impuberum. 508
III. De clandestina desponsatione. 509
IV. De sponsa duorum. 511
V. De conditionibus adpositis in desponsatione, vel in aliis contractibus. *ibid.*
VII. Qui Clerici vel vouentes matrim. contrahere possunt. 512
VIII. De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. 513
IX. De coniugio seruorum 514
XI. De cognatione spirituali. 515
XIII De eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ. *ibid.*
XIV. De consanguinitate & adfinitate. 518
XV. De frigidis & maleficiatis, & impotentia coëundi. 520
XVII Qui filij sint legitimi. 522
XVIII. Qui matrimon. accusare possunt, vel contra illud testificari. 526
XIX. De diuortiis. 527
XX. De donationibus inter virum & vxorem. 529
XXI. De secundis nuptiis. 531

EX LIBRO QVINTO DECRETALIVM.

TITVLVS I. De accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus. 532
III. De Simonia, & ne aliquid pro spirit. exig. vel promittatur. 542
V. De Magist. & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 552
VI. De Iudæis, Sarracenis, & eorum seruis. 553
VII. De Hæreticis. 556
VIII. De Schismaticis, & ordinatis ab eis. 562
IX. De Apostatis & reïterantibus Baptisma. 563
XII. De homicidio voluntario, vel casuali. 564
XV. De sagittariis. 569
XVI. De adulteriis & stupro. 570
XVII. De raptoribus, incendiariis, & violat. Eccles. 571
XIX. De vsuris. *ibid.*
XX. De crimine fals. 574
XXVII. De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. 577
XXIX. De Clerico per saltum promoto. 580
XXXI. De excessibus Prælatorum, & subditorum. 581
XXXII. De noui operis nuntiatione. 584
XXXIII. De priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum. 585
XXXIV. De purgatione canonica. 598
XXXV. De purgatione vulgari. 603
XXXVII. De pœnis. 604
XXXVIII. De pœnitentiis & remissionibus. 607
XXXIX. De sententia excommunicationis. 613
XL. De verborum significatione. 627



INNO-



INNOCENTIVS III. PONTIFEX MAXIMVS: SEV COMMENTARIVS PERPETVVS IN SINGVLAS DECRETALES HVIVSCE PONTIFICIS,

quæ per libros v. Decretalium sparsæ sunt.

PRÆFATIO.



AM *plures annos in Iure Ciuili versatus, opportunum duxi ad Ius Canonicum operam stylúmque conuertere, & Innocentium III. Pontificem interpretandum suscipere; id est singulas Decretales huiusce Pontificis, quotquot sparsim libris quinque Decretalium continentur, perenni commentario donare. Arduum opus, & longè vires exuperans. Viam non tritam ingredior. Sed animum viréſque, vt spero, fouebit sanctissimus Genius auctoris, & velut proprium sydus rectò me tramite deducet. Vt id laboris inirem, mouit me dignitas & præstantia Pontificis, quem Iurisconsultorum Pontificem, & Pontificum Iurisconsultissimum appellare fas est. Quàm in Iure peritus fuerit, satis ostenditur luculentis de eo veterum iudiciis, quæ ad ipsius commendationem nobis sufficient. Consentiente suffragio hic à nostris Lucerna Iuris dictus est. Meritò audacem Iurisperitum nuncupauit Mattheus Paris, audaciùs enim is vetera iura expunxit, & noua excogitauit. Vnum certè, idque gratissimum mihi laboris præmium erit, si is Dei optimi maximi, & Ecclesiæ honori cultuique, & Lectoris studiis proficiat.*

EX LIBRO I. DECRETALIVM.

TIT. I. *De summa Trinitate, & fide Catholica.*

CAPITVLVM I.

FIRMITER credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, æternus, immensus, & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino: Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque: absque initio, semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens: consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: vnum vniuersorum principium: creator omnium visibilium & inuisibilium, spiritualium & corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim & alij dæmones à Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. Homo verò diaboli suggestione peccauit. Hæc sancta Trinitas secundùm communem essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta: primò per Mosen & sanctos Prophetas, aliósque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestiùs demonstrauit. Qui cùm secundùm diuinitatem sit immortalis & impassibilis, idem ipse secundùm humanitatem factus est mortalis & passibilis. Qui etiam pro salute humani generis in ligno crucis passus & mortuus, descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, & ascendit in cælum: sed descendit in anima, & resurrexit in carne: ascendítque pariter in vtroque: venturus in fine sæculi, iudicaturus viuos & mortuos: & redditurus singulis secundùm opera sua, tam reprobis, quàm electis: qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundùm opera sua, siue bona fuerint siue mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.

Vna verò est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in san-

guinem, potestate diuina: vt ad perficiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundùm claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorúmque successoribus Iesus Christus. Sacramentum verò baptismi (quod ad Dei inuocationem & indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris & Filij & Spiritus sancti, consecratur in aqua) tam paruulis, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque rite collatum proficit ad salutem. Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, post veram potest semper pœnitentiam reparari. Non solùm autem virgines & continentes, verùm etiam coniugati, per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.



EXEMPLO Iustinianei Codicis, vulgata collectio Decretalium incipit à titulo de summa Trinitate, & fide Catholica: idem enim titulus abest à collectione I. II. & III. quæ facta est à Bernardo Compostellano iubente Innocentio III. Hic verò titulus circumscribitur duobus capitibus Concilij generalis Lateranensis habiti anno MCCXV. quod præsidem & auctorem habuit Innocentium III. vnde eius Canones laudantur ex Innocent. III in Concilio generali.

In primo capite huius tit. proponitur solemnis confessio fidei, ex recepto vsu veterum Conciliorum, vt Nicæni, in quo edita est solemnis formula orthodoxæ fidei, ex Socrate *libr* I. *cap.* V. Theodorit. *lib.* I. *cap.* XII. quam cetera Concilia, quotquot secuta sunt, obnoxiè sibi colendam, tuendámque proposuerunt. Hanc vno & constanti spiritu professi sunt Patres, & vniuersa Ecclesia. Vnus è tot Ambros. *in epist.* XXXII. *ad Valentinian. Hoc scriptum est in Ariminensi Synodo, meritóque Concilium illud exhorreo, sequens tractatum Concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare: quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus Imperator, & sequitur & probauit. Hanc fidem Gallia tenent, hanc Hispaniæ, & cum pia diuini Spiritus confessione custodiunt.* A cunctis fidelibus Domino debetur professio fidei, velut census animæ. sic appellatur ab Ambrosio lib. I. in Lucam cap. II. *Professio ista fidei census animorum est.* A baptizandis requiritur professio fidei, *can. baptizandos, can. non liceat. de consecrat. dist* IV. Publicè fidem professus est Victorinus Rhetor antequam baptizaretur. Augustin. lib. VIII. Confess. cap. II. *Denique vt ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentísque memoriter, de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam; oblatam esse dicebat Victorino à presbyteris, vt secretiùs redderet, sicut nonnullis, qui verecundiâ trepidaturi videbantur, offerri mos erat. Illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.* Vnde baptizandis tradebatur symbolum fidei memoriter tenendum. Idem Augustin. de fid. & oper. *Cùm ergo baptizandis vel symbolum tradimus, reddendúmque reposcimus.* Et paruulis ipsis, qui sensu carent cùm baptizantur, prodest parentum fides & professio, *can. illud perscrutari, can. paruuli. de consecr. dist.* II. Etiam Reges & Imperatores ex solemni, & pridem recepto ritu tempore inaugurationis, vel sub initia noui Pontificatus solent publicam fidei professionem edere. Symmachus P. *in Apologet. aduers. Anastasium. Omnes Catholici Principes, siue cùm Imperij gubernacula susceperunt, siue cùm Apostolicæ Sedi nouos agnouerunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, vt se docerent eius esse consortes: itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem se ipsos profitentur alienos; quod chartis quoque suis, apud te etiam possumus adstruere, nisi te æmulum & reum, & inimicum vitaremus, & iudicem.* Anastasius ipse non priùs coronam suscepit ab Euphemio Patriarcha CP. quàm tradito chirographo iureiurando sancito de orthodoxa fide tuenda, quod custodiæ causâ depositum est apud Macedonium Cimeliarcham; testes Euagrius lib. III. cap. XXXII. & Zonar. in Anastasio. Idémque se habuit in

Michaële Rangabe auctore eodem Zonara. Infelici auspicio Imperium iniit Alexius Comnenus, quòd die inaugurationis solemnem fidei professionem tardiùs conscripsit literis purpureis, vt scripsit Nicetas in ipsius vita. Ab Episcopis & Clericis etiam cùm ordinantur exigitur professio fidei, ex Conc. Toler. XI. *can.* XX. *can. quamquam*, XXIII. *dist.* & *Nou. Iustin.* CXXXVII. *cap.* II. Prouisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, tenentur intra duos menses à die adeptæ possessionis, apud Episcopum, vel eius Vicarium generalem emittere publicam fidei professionem, ex Conc. Trident. *sess.* XXIV. *de reform. cap.* XII.

CAPITVLVM II.

DAMNAMVS ergo & reprobamus libellum seu tractatum, quem Abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de vnitate seu essentia Trinitatis, adpellans ipsum hæreticum & insanum, pro eo, quòd in suis dixit sententiis; quoniam quædam summa res est Pater & Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens: vnde adserit, quòd ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam, manifestè protestans, quòd nulla res est, quæ sit Pater & Filius & Spiritus sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamuis concedat, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vna essentia, vna substantia, vnáque natura, verùm vnitatem huiusmodi non veram & propriam, sed quasi collectiuam & similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna Ecclesia: iuxta illud, Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. &, Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum illo. Item, Ille qui plantat, & qui rigat, vnum sunt. &, Omnes vnum corpus sumus in Christo. rursus in libro Regum; Populus meus, & populus tuus, vnum sunt. Ad hanc autem suam sententiam adstruendam, illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Euangelio: Volo Pater vt sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus: vt sint consummati in vnum. Non enim (vt ait) fideles Christi sunt vnum, id est quædam vna res, quæ communis sit omnibus, sed hoc modo sunt vnum, id est vna Ecclesia, propter Catholicæ fidei vnitatem, & tandem vnum regnum, propter vnionem indissolubilis caritatis, quemadmodum in Canonica Ioannis Apostoli Epistola legitur: Quia tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater & Filius & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Statímque subiungitur, Et tres sunt, qui testimonium dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt, sicut in quibusdam codicibus inuenitur. Nos autem sacro adprobante Concilio, credimus & confitemur cum Petro Lombardo, quòd vna quædam summa res est, & incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus; tres simul personæ, ac sigillatim quælibet earumdem: & ideo in Deo solummodo trinitas est, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina: quæ sola est vniuersorum principium, præter quod aliud inueniri non potest: & illa res non est generans, neque genita, nec procedens,

sed est Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus sanctus, qui procedit: vt distinctiones sint in personis, & vnitas in natura. Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus: non tamen aliud: sed id, quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus idem omnino: vt secundùm orthodoxam & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit: iuxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi maius omnibus est. Ac dici non potest, quòd partem substantiæ suæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit: cùm substantia Patris indiuisibilis sit, vtpote simplex omnino. Sed nec dici potest, quòd Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam filio, quòd non retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo, quòd sine vlla deminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater & Filius, necnon & Spiritus sanctus ab vtroque procedens. Cùm ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem: Volo (inquiens) vt ipsi sint vnum in nobis, sicut & nos vnum sumus: hoc nomen, vnum, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnio caritatis in gratia: pro personis verò diuinis, vt attendatur identitatis vnitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est: ac si diceret manifestiùs, Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, vtraque videlicet suo modo: quia inter creatorem & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel adprobare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus euitetur. In nullo tamen propter hoc Florentino monasterio (cuius ipse Ioachim extitit institutor) volumus derogari: quoniam ibi & regularis est institutio, & obseruantia salutaris: maximè, cùm ipse Ioachim omnia scripta sua nobis adsignari mandauerit Apostolicæ Sedis iudicio adprobanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est & magistra. Reprobamus etiam & condemnamus peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tam hæretica, quàm insana sit censenda.

IN hoc capite II. Ioachimi Abbatis Florensis in Calabria libellus editus aduersus Petrum Lombardum de vnitate seu essentia Trinitatis post mortem ipsius Ioachimi damnatur. cuius rei meminere & Matthæus Paris in Henrico II. vbi laudat hanc ipsam decretalem, & Platina in Innocent. III. Nec id à iure absonum & abhorrens fuit, etiam hæreticos post mortem damnari, vt in crimine læsæ maiestatis leges permittunt, *l. 1v. C. de hæretic. l. 11. de Apostat.* Res quoque non caret exemplis, & auctoritate rei iudicatæ: ducentis annis post mortem hæresis damnatus Origenes teste Socrate *lib.* v1. *cap.* xv. Itidem Theodorus Mopsuestenus post mortem damnatus in Synodo generali V in qua cùm diutius agitata fuisset hæc quæstio, tandem definita est in causa Theodori, hæreticos posse damnari etiam

post mortem, ex gestis Concil. *collat.* v. & hac in Synodo re in quæstionem deducta, essetne mortuis denunciandum anathema, Euthycius hoc affirmauit exemplo Iosiæ Regis, quem pseudosacerdotes non modò superstites de medio sustulisse legitur, sed etiam defunctorum cineres effodisse, vt narrat Euagrius *lib.* IV. *cap.* XXXVII. Ratio dubitationis erat, quòd quibus viuis communicauimus, mortuis communicare possumus quòd qui in pace Ecclesiæ defuncti sunt, diuino sint iudicio relinquendi, *can. sane* XXIV. *qu.* II. Verumtamen hæreticos etiam post mortem damnari obtinuit, quòd pro perduellibus, reisve maiestatis cælestis habeantur, quod crimen morte non extinguitur. Ante Innocentium III. de Lombardi doctrina quæsitum in Concil. Romano quod Alexander III. habuit, qui & de quibusdam Lombardi propositionibus ad Guillelmum Senonensem Archiepiscopum rescripsit; durante hac controuersia Ioachimus Abbas libellum edidit aduersus Lombardum eiúsque opiniones de Trinitate, sed hic libellus damnatus est post mortem ipsius in Conc. Lateranensi habito sub Innocent. III. Haud tamen ipse damnatus, vt hæreticus sed eius liber, quia is se, & sua scripta iudicio Ecclesiæ Romanæ subiecit: non est quòd dicatur hæreticus, qui contumaciæ vitiô caret, quive sententiam suam vtcumque erroneam, & incautiùs prolatam censuræ Sedis Apostolicæ submittit, *can. hæc est fides* XXIV. *qu* I. *can. dixit Apostolus ead. cauſ. qu.* III. Sic Marcellus Ancyranus Episcopus pridem damnatus, sedi suæ restitutus, in Synodo Sardicensi, postquam dixit librum suum non rectè intellectum, ex Socrat *lib.* II. *cap* XVI Ob eam & Abbatis submissionem, institutioni Florensis Monasterij ab eodem factæ nullo pacto derogatum; quia quod rectum est non vitiatur lue, & contagio praui, vnde etsi quispiam author aliqua in parte lapsus sit, cetera eius scripta non reiiciuntur, sed & emendari, & expurgari oportet, *can. sancta* XV. *dist.* Sic Theophilus Alexandrinus reprehensus cur Origenis libros à se damnatos studiosè legerer, respondit eos similes esse prato spinis & floribus obsito, se flores legere inter spinas, refert Socrat. *lib.* VI. *cap.* XV. In eodem capite damnatur & peruersum dogma impii Almarici, cuius doctrina, non tam hæretica, quàm insana pronunciatur, quæ & qualis fuerit eius hæresis, & causa damnationis non enunciatur. Hæc fuit Ecclesiasticorum iudiciorum formula, vt plerumque in his causa damnationis, pudoris & verecundiæ causâ taceretur: sic Eustathius in Concil. Antiocheno gradu depositus non adiecta causa, ex more sacri fori. Hanc silentij causam reddit Socrat. *lib* I. *cap.* XVIII. τοῦτο δὲ ἐπὶ πάντων εἰώθασι τῶν καθαιρουμένων ποιεῖν οἱ ἐπίσκοποι, κατηγοροῦντες μὲν ὡς ἀσεβῆ λέγοντες. *Est enim hoc Episcopis in more positum. vt eos qui abdicantur impios pronuncient, causas tamen impietatis minimè adiungant.* Almarici errores non tacuêre huius ætatis scriptores. Rigordus *in vit. Philippi Augusti. ann* MCCIX. Robertus *in Chronica Altissiodorensi. ann.* MCCX. Cæsarius Heisterbachsensis *de Miracul. lib.* V. *cap.* XXII. Martinus Polonus, & Platina *in Innocent. III.*

TIT. II. *De Constitutionibus.*

CAPITVLVM VI.

CVM omnes. ·. ·. Ad audientiam nostram peruenit quòd Trecenses Canonici nouum fecerunt in Trecensi Ecclesia constitutum, vt eis tam in præsentia, quàm in absentia reditus suos ex integro perciperis, qui in eadem Ecclesia post illam constitutionem fuerunt, vel de cetero fuerint instituti, reditus in absentia non percipiant, sed tunc solùm, cùm fuerint residentes · cùm secundùm Trecensis Ecclesiæ consuetudinem omnes in hoc consueuerunt esse pares. Statuerunt etiam, vt (cùm singulis præbendis adnexæ sint vineæ) ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vineæ decedentium ad successores non transeant, sed prouentus earum inter singulos diuidantur,

Cùm igitur, quod quisque iuris in alterum statuit, ipse debeat vti eo: & sapientis dicat auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris: mandamus quatenus antiquos Canonicos iunioribus, & iuniores in perceptione fructuum, tam præbendarum, quàm vinearum coæquetis antiquis, secundùm priorem consuetudinem vsque ad tempus prædictæ constitutionis seruatam, vel secundùm rationabilem institutionem in posterum obseruandam.

CONSTITVTIONVM nomine veniunt in hoc tit. non modò constitutiones Principum, aut Pontificum, sed etiam statuta Ecclesiarum, Capitulorum, & aliarum vniuersitatum, quæ vim legum habent, dummodo facta non sint citra consensum Episcopi, & contra ius commune, ac vtilitatem publicam, vt in hoc capite quod integrum extat *in cap. 1. eod. tit. in* III. *collect.* & Innocent. III. *libro 1. epist.* CXCI. Huius species hæc est. Canonici Trecenses tale fecere statutum, vt ipsis qui tunc erant, tam absentibus, quàm præsentibus, integros præbendarum suarum fructus percipientibus, ceteri qui deinceps eadem in Ecclesiâ reciperentur, absentes omni commodo, & fructu carerent, & præsentes tantùm, fructus lucrifacerent, cùm ex consuetudine Trecensis Ecclesiæ, omnes pares efficerentur, in lucro & damno fructuum, itavt non residentes nihil lucrarentur. quæ consuetudo non discrepabat à iure communi. Iidem insuper statutum adiunxere, quia singulis præbendis adscriptæ erant vineæ, vt ipsis suas dum superessent vineas possidentibus, deficientium vineæ non transirent ad successorem, sed earum prouentus inter singulos diuiderentur. Re cognitâ fortè per querelam cuiusdam ex Canonicis, post huiusmodi statutum recepti, Pontifex statutum rescidit, mandauitque Archiepiscopo Senonensi, & Episcopo Trecensi, ipsius suffraganeo, vt Canonici tam seniores, quàm iuniores, in omnibus exæquarentur, in perceptione fructunm, tam præbendarum, quàm vinearum, secundùm priorem Ecclesiæ consuetudinem. Vsus argumento deducto à iure ciuili, *Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem vtatur*, & dicto sapientis quo innuitur Cato, *Patere legem quam tu ipse tuleris.* Rescinditur statutum, quia factum est in fraudem iuniorum, & contra consuetudinem Ecclesiæ, *cap. ex parte, infrà, hoc tit.* Item quia statutum non est commune omnibus, sed vergit in damnum iuniorum, & vtilitatem antiquiorum, lex verò debet esse honesta, iusta, nec debet inseruire priuatis commodis, sed publicæ vtilitati, *can. cui autem* XV. *dist.* quam ob causam ambitiosa decreta Decurionum, id est quæ fiunt per gratiam rescinduntur, *l.* IV. *ff. de decret. ab ordin. faciend.* & quodcumque fit gratiosè in perniciem reipublicæ nullius est momenti, *l. præses, C. de transact.* Præbendæ Canonicæ æquales esse debent, quia vnum & idem corpus non debet diuerso iure censeri, *can. cognouimus* XII. *qu.* II. *& cap. cùm in tua, infrà, de decim.* Certè non incongruum est in eadem Ecclesia alia esse maiora & pinguiora, alia minora beneficia, v. g. dignitates præbendis adnexæ, accessione aliorum redituum dotari solent, vt pares sint ferendo oneri dignitatis, & huiusmodi dignitatibus præter præbendas, & alia beneficia adnectuntur, *cap. extirpanda, §. qui verò, cap. exposuisti, infrà, de præbend.* & à primis Ecclesiæ cunabulis amplior presbyteris quàm inferioribus clericis portio distribui solita, iuxta illud Pauli I. *ad Corinth. cap.* V. *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ.* Clemens Romanus *lib.* II. *constit. Apostolicar. cap.* XXVIII. τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὡς αἱ χήρμιναι, περὶ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον διπλῆ, καὶ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα, εἰ δὲ καὶ ἀναγνώστης ἐστὶ, λαμβανέτω καὶ αὐτὸς μοῖραν μίαν, εἰς τιμὴν τῶν προφητῶν, ὡσαύτως καὶ ψάλτης, καὶ πυλωρός. *Presbyteris autem si assiduè in studio docendi verbum Dei laborauerint, seponatur dupla etiam portio: si autem & lector est, is partem vnam, in honorem Prophetarum accipiat: item cantor & ostiarius.* Et Cyprianus epist. XXXIV. *Ceterum presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Et huc spectat quod edicitur in *cap. statuimus, infrà, de maiorit. & obedient.* vt qui maior est ordine, sit potior in portione

percipienda. Sed hoc nihil derogat æqualitati præbendarum. Alia est ratio dignitatum & ordinum, alia præbendarum. Æqualis debet esse modus præbendarum, quarum vna & eadem est institutio, & officium. Non eadem, sed varia est dos dignitatum, pro modo dignitatis, & oneris. Alia & potissima fuit causa, cur rescinderetur statutum, nimirum quia defuit consensus Episcopi, vt rectè præter glossam adnotant Compostellanus, & Io. Andreas hoc loco. Capitulum quidem potest condere statuta, quia est senatus Ecclesiæ. Hieronym. ad Rusticum: *Ecclesia habet senatum cœtum presbyterorum*, *can. Ecclesia* XVI. *qu.* 1. idémque *in Isaiam*, *cap.* III. *Et nos habemus in Ecclesia senatum nostrum cœtum presbyterorum.* Et antè Clemens Romanus *loco modò laudato*, vbi edixit vt presbyteri duplam portionem ferant, mox subdit hanc causam, ὡς σύμβουλοι τῦ ἐπισκόπου, καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος, εἰσὶ γὰρ συνέδριον, καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας, *Tamquam consiliarij Episcopi & Ecclesiæ corona, sunt enim consilium & senatus Ecclesiæ.* Et Ignatius epist. ad Trallianos, τί δὲ πρεσβυτέριον ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι, καὶ συνεδρευταὶ τῦ ἐπισκόπου, *quid est presbyterium nisi sacer cœtus, consiliarij, & consessores Episcopi.* Necnon Capitulum condit statuta, quia habet iurisdictionem ex consuetudine, *cap. irrefragabili, infrà, de offic. ordinar.* & in eo vtitur iure ciuitatum, collegiorum, & aliarum vniuersitatum, quibus commune est ius leges, & statuta condendi, *l.* 1. §. 11. *ff. quod cuiuscumque vniuers. l. vlt. ff. de colleg.* Sed Capitulum non potest facere statuta, absque consensu Episcopi, *cap. cùm consuetudinis* IX. *infrà, de consuetud.* Imò & cùm statutum est contra ius commune, non sufficit consensus Episcopi, sed requiritur auctoritas Sedis Apostolicæ, *cap.* II. *de V. S. in* VI. Oldrad. *consil.* CCLIX. Federic Senens. *cons.* XVII. Non omittendum præbendis Ecclesiæ Trecensis vineas adiungi in hoc cap. eisdem adiunguntur & domus, *cap. dilecto, infrà, de prabend.* Ab initio omnes clerici in commune viuebant, vno in conclaui, sed labente disciplinâ, cùm cœpissent seorsim viuere, & portiones singulorum desiissent in beneficia, præbendis singulis adscriptæ sunt ædes circum Ecclesiam dispositæ, ad habitandum, quò paratiores essent ad diuinum officium; & ita etiam paganorum sacrificulis, iuxta templum erat propria domus. Vitruuius *lib.* II. *cap.* VIII. *Trallibus domum Regibus Attalicis factam, quæ ad habitandum semper datur ei, qui ciuitatis gerit sacerdotium.*

CAPITVLVM VII.

QVÆ in Ecclesiarum . . . Sanè peruenit ad audientiam nostram, quòd ciues Teruisini constituerunt, vt si quis se ad inopiam vergere probabiliter allegauerit, alienandi feudum, quod ab Ecclesia vel aliis tenet, liberam habeat facultatem: . . . Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, constitutionem huiusmodi, & venditiones feudorum Ecclesiasticorum factas sine legitimo Ecclesiasticarum personarum adsensu, vires decernimus non habere.

CIVITATES Italiæ legibus Romanis vsæ sunt, vsque ad Gothos, & Longobardos, qui leges suas obtruserunt. Verùm pulsis vtrisque, hæ ad legem auitam facilè, & lubenter redière. Tempore Lothatij Saxonis Irnerius ius Romanum penè extinctum, & sepultum restituit, teste Abbate Vrspergensi. Ex eo tempore Itali ius ciuile ita studiosè & cupienter amplexi sunt, vt aduersus nouam constitutionem à Friderico I. latam, de bannis, seu multis pecuniariis aduersus pacis violatores obmurmurarint, & maluerint damnum lui æstimatum iureiurando eius qui passus sit, iuxta legem Romanam, vt auctor est idem Vrspergensis *in Friderico I. Super quo contra nouas institutiones Imperatoris murmurare cœperunt Lombardi; non est enim eorum consuetudo banna soluere, sed vt secundùm leges Romanas, iniurias passis satisfaciant, secundùm quod iurauerint læsi, se talem velle pati iniuriam.* Postquam verò ciuitates Italicæ labente Imperio, in varias ditiones seu respublicas assurrexere, partim vsucapta, partim redempta, aut indulta libertate, ab eo tempore ius Romanum multis locis

locis neglectum, & à ciuitatibus quibusque condita statuta & propriæ leges, velut adeptæ libertatis insignia, de quibus mentio fit *in auth. cassa & irrita, C. de SS. Eccles. & auth. omnes, C. commun. de success.* quæ sunt constitutiones Friderici II. Nec id inuidiosum videri debet. Vigente enim Imperio etiam municipia suo iure & propriis legibus vtebantur. A. Gellius *lib.* XVI. *Noct. Atticar. cap.* XIII. *Municipes ergo sunt ciues Romani ex municipiis suo iure, & legibus suis vtentes.* Et hæ sunt quas nostri leges municipales vocant, *l. prohibere, §. planè, ff. quod vi aut clam, l. Prætor ait, § diuus, ff. de sepulcr. violat.* Hoc iure vsi ciues Treuisini. quæ est species huius cap. Statutum municipale fecerunt, vt si quispiam se ad inopiam vergere probauerit alienandi feudum, quod ab Ecclesia, vel aliis teneat, liberam habeat facultatem, nec emptor feudi teneatur priori domino, aliud præstare quàm sextam partem precij, vt legitur in antiqua Decretali. Recognità Pontifex huiusmodi statutum, & venditionem feudi Ecclesiastici, sine consensu Episcopi, vel Præpositi Ecclesiæ irritam pronunciauit. Vnicuique ciuitati liberæ licet proprias leges, & statuta condere; sed huiusmodi statuta non valent, in fraudem Ecclesiæ, vel priuatorum, vt *in hoc cap. vlt. infrà, de reb. Eccles. non alien.* Et statuta ciuitatum per totam Italiam, quæ pugnarent contra libertatem Ecclesiasticam rescissa sunt constitut. Friderici, *d. auth. cassa & irrita.* Hoc pacto statutum Treuisinum de permittenda alienatione feudi, etiam inuito domino, in casum inopiæ, rescinditur à Pontifice, quia erat contra ius commune, & leges feudorum. Moribus enim recepto iure feudorum, & constitut. Lotharij & Friderici feudi alienatio vetatur, inuito domino, 1. *feud. tit.* XIII. *&* II. *tit.* LI *&* LV. quod Pontifices secuti sunt, *d. cap. vlt. & cap. ex parte, infrà, de feud.* Vnde & feudum non potest dari in dotem, *cap. nuper, infrà, de donat. inter vir. & vxor.* Alia causa, ob quam rescinditur hoc statutum, est, quia pugnabat contra libertatem Ecclesiasticam, permissà alienatione feudi Ecclesiastici, obtentu inopiæ. Constitutiones enim laicorum non valent de rebus Ecclesiæ, quæ non sunt eorum fori & iurisdictionis; imò laici statuta condentes contra libertatem Ecclesiæ, excommunicantur, & feudis ipsis quæ tenent ab Ecclesia multantur, *cap. nouerit, cap. grauem, infrà, de sentent. excommunic.* Ferendum tamen videbatur statutum de alienandis feudis Ecclesiasticis ob inopiam, cùm etiam res Ecclesiæ possint distrahi ob alimoniam pauperum, *l. sancimus, C. de SS. Eccles.* Sed hoc se habet tantùm tempore famis, & egestatis publicæ, & in rebus mobilibus, quæ sunt minoris momenti, & quarum vilis & fœnea est possessio, vt eleganter dicitur *Nou. inst.* VII. *cap.* XCI. Nec inde rectè concludas feuda Ecclesiastica, quæ consistunt in prædiis, rebúsque immobilibus, quæ sunt longè pretiosiores, posse alienari ob inopiam possessoris: neque spectanda est ratio inopiæ priuati hominis, in quam fortè homines labuntur culpâ suâ, potiùs quàm casu aut ludibrio fortunæ. Quod dixi de non alienandis feudis inuito domino moribus nostris exoleuit: in Gallia feudorum ius moribus maximè adulteratum, & feuda multùm degenerarunt à sua natura, possúntque alienari impunè, etiam inconsulto domino, saluis eiusdem iuribus, quia feuda in hoc regno sunt merè patrimonialia. Io. Faber *in §. 1. inst. de rer. diuis. §. fin. de adsign. libert. & §. item Seruiana de act.*

CAPITVLVM VIII.

CVM accessissent ad Apost. Sedem Archi. Tullensis & G. Tullen. Capituli procurator: Arch. proposuit memoratus, quòd cùm olim quidam Tullens. Canonici nostris auribus intimassent, quòd Primiceriatus in Tullens. Ecclesia tanto tempore vacauisset, quòd ad manus nostras illius personatus esset donatio deuoluta: .·.·. Fuit insuper ex parte Capituli allegatum, quòd de communi adsensu Canonicorum Tullens. fuerit constitutum, ne Primiceriatus dignitas esset vlteriùs in Ecclesia memorata: inter Canonicos ipsos Primiceriatus prouentibus & possessionibus distributis: .·.·. Propter quod euidenter adparet, quòd Primice-

riatus ipſe tanto tempore non vacauerit, ſicut nobis fuerat falſa inſinuatione ſuggeſtum. Quocirca mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit Tullenſ. Canonicos, ne vlteriùs in Tullenſi Eccleſia Primiceriatus eſſer officium, communiter ſtatuiſſe, ac ſtatutum ipſum auctoritate Sedis Apoſtolicæ fuiſſe poſtmodum (ſicut dicitur) confirmatum, vos illud faciatis in ſuo robore permanere: niſi poſtea dicti Canonici contrauenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo.

CVM à nonnullis Canonicis Tullenſibus (Tullum eſt Leucorum oppidum in Belgica, *Toul en Lorraine*) ſuggeſtum eſſet Pontifici Primiceriatum Tullenſis Eccleſiæ, tanto tempore vacaſſe, vt eius donatio, id eſt collatio (collatio enim dicitur donatio, *cap. cum te, infrà, de reſcript. cap. propoſuit, cap. quia diuerſitatem, cap. pen. de conceſſ. præb. cap. inter dilectos, de exceſſ. Prælat.* quia debet eſſe pura & gratuita:) vt eius donatio, inquam, eſſet deuoluta ad Romanum Pontificem. Re auditâ Pontifex mandauit Abbatibus Altæ Syluæ, & Belli Prati, & Decano Columbani monaſterij, vt re cognitâ, ſi de allegatis conſtaret, idoneam perſonam eligerent in Primicerium. Procurator verò Capituli Tullenſis hac exceptione vſus eſt apud Pontificem, Primiceriatus dignitatem ſtatuto Capituli ab Alexandro III. confirmato extinctam & ſuppreſſam fuiſſe, & ſic demptum eſſe locum deuolutioni, cùm non vacaret beneficium ſemel extinctum. Quamobrem eiſdem mandauit quòd ſi de re eis conſtaret, ſtatutum Capituli ratum haberent, niſi ipſi Canonici vltro à ſtatuto receſſiſſent, aliquem videlicet in Primicerium eligendo. Summa huius cap. eſt, an Capitulum poſſit minuere numerum præbendarum, & ſupprimere dignitatem ſine conſenſu Summi Pontificis. Et gloſſa ita rem diſtinguit: vbi numerus præbendarum iureiurando firmatus eſt, & confirmatus à Sede Apoſtolica cum clauſula decreti decernentis irritum, & inane, quidquid fieret in contrarium, Capitulum non poteſt minuere numerum præbendarum, vel extinguere ſeu ſupprimere dignitatem ſine auctoritate Romani Pontificis, vt *in hoc cap. & cap. dilecto, infrà, de præbend.* arg. à contrario *cap. cùm veniſſent de iudic. cap. I. & II. de confirmat. vtil. cap. ex parte, de V. S.* Quia ſolus Pontifex, vt ſolus Princeps poteſt gratiam facere iuriſiurandi, *l. vlt. in pr. ff. ad municipal.* Tranquill. *in Tiberio, cap. XXXV. Equiti Romano iuriſiurandi gratiam fecit, vt vxorem in ſtupro generi compertam dimitteret, quam ſe numquam repudiaturum antè iurauerat.* Vbi verò numerus præbendarum eſt confirmatus à Sede Apoſtolica in forma communi dumtaxat, Capitulum ex iuſta cauſa poteſt minuere numerum præbendarum, vel ſupprimere dignitatem, inconſulto Pontifice, auctoritate Epiſcopi, quia confirmatio in forma communi, *confirmamus ſicut iuſtè poſſides*, modicum operatur, aut fere nihil, *d. cap. I. & II de confirm. vtil.* Vbi numerus præbendarum non eſt confirmatus à Summo Pontifice, tunc Capitulum etiam poteſt diminuere numerum præbendarum, & ſupprimere dignitatem, non ſine iuſta cauſa, puta diminutis facultatibus Eccleſiæ, quia alioquin diuini numinis cultus debet potiùs augeri, quàm minui, *cap. ex parte, infra, hoc tit.* & numerus clericorum debet inſtitui, pro modo facultatum, & dignitate Eccleſiæ, *cap. quoniam, infrà, de vit. & honeſtat. clericor. & cap. I. de inſtit.* Nec poteſt Capitulum minuere numerum præbendarum, vel ſupprimere dignitatem, ſine conſenſu patroni, à quo fundata, vel dotata eſt Eccleſia, *can. monaſterium XVI. qu.* VII. Capitulum etiam non poſſe diminuere numerum præbendarum, vel demedio tollere dignitatem, ſine conſenſu Pontificis, vbi certus numerus præbendarum, vel ſtatus dignitatum eſt confirmatus à Sede Apoſtolica, quòd Capitulum non poteſt creare nouam dignitatem, ſine conſenſu Pontificis, *cap. cùm olim, infrà, de conſuetud.* Et quod dicitur Eccleſiam Compoſtellanam, & Rauennatem habere Canonicos Cardinales, id eſt ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, vt rectè notant Compoſtellanus, & Io. Andreas, *in hoc cap.* Rectè igitur ſtatutum Tullenſe confirmauit, quo extincta, & ſuppreſſa erat dignitas Primiceriatus, quoniam id cauſâ cognitâ confirmatum eſſet à Sede Apoſtolica, nec erat locus collationi Pontificiæ, quaſi iure deuoluto, quia non datur deuolutio, vbi non eſt vacatio, & non dicitur

vacare beneficium semel extinctum & suppressum, *vt in hoc cap.* Non entis nullæ sunt qualitates, *l. eius qui in prouincia, ff. de rebus credit.* vt beneficium vnitum non potest resignati, quia beneficij vniti non datur vacatio, *Clem. vn. de supplend. neglig. Prælat.* Beneficium vnitum non est ampliùs beneficium, sed spectatur, vt prædium eius cui vnitur, Oldrad. *cons.* CCLVII. Vnus est casus in quo Pontifex sibi iure deuoluto teseruat collationem suppressi & extincti beneficij, nempe si Canonici ipsi à statuto semel recesserint, suppressum beneficium cuipiam conferendo, priuilegium vnico actu amittitur per directam contrauentionem, quasi per tacitam renunciationem, *cap. dilecto, de appellat. cap. pro illorum, de præbend. cap. cum aliquibus, de rescript. in* VI. *l. commissoriæ, C. de pact. inter empt. & vend. l.* II. *C. de iure dom. impetr.* Aliàs priuilegium non perimitur, nisi legitima præscriptione, *l.* 1. *ff. de nundin. cap. accedentibus, infrà, de priuileg.* Ceterum, quod velim subnotari, videtur Pontifex ipse sibi non constare *in hoc cap.* dum Primiceriatum Tullensis Ecclesiæ, modò dignitatem, modò personatum, modò officium appellitat. Hæc enim tria sunt diuersa in hoc iure, *cap. de multa, infrà, de præbend. cap.* 1. *& ibi gloss. singularis, de consuetud. in* VI. Dignitas est præeminentia quædam seu præfectura honotaria, cum administratione, vel iurisdictione coniuncta, *l. honor. ff. de munerib. & honor.* Vnde dignitas non intelligitur sine auctoritate. Augustin. *lib.* III. *de consens. Euangelistar. cap.* XXXI. *Gloria est frequens de aliquo fama, cum laude, dignitas alicuius honestatis, & cultu & honore, & verecundia digna auctoritas.* Personatus est quædam prærogatiua seu honor sine administratione: maiores clericos personas vocant, vnde manauit nomen personatus, *can. quæsitum* 1. *qu.* III. *cap. ad aures, infrà, de rescript.* Officium est nuda rerum Ecclesiasticarum administratio sine iurisdictione, vel præeminentia, *cap. consulere, infrà, de simon.* Sed hæc tria sæpius promiscuè accipiuntur, *vt in hoc cap.* Primiceriatus seu Cantoria, frequentiùs dicitur dignitas, *d. cap. ad aures, & cap. cum olim, infrà, de consuetud.* Neque id abs te, quia Primicerij officium in se continet dignitatem, Primicerius enim præest choro, non modò quoad modum & rationem psallendi, sed etiam quoad disciplinam, & ad eum spectat correctio delinquentium in choro, *can. perlectis* XXV. *dist. cap. vn. de offic. primicer.* Gloss. in pragmat. §. *vlt. quom. diu. off. sit celebr.* vnde magister chori dicitur. Eius est psaltis præesse, inire antiphonas seu responsoria, id est hymnos alternis concinendos: vnde Primicerius dicitur, quod est nomen dignitatis, *d. can. perlectis verb. ad Primicerium, & d. cap. vnic.* Gregor. Tur. *lib.* II. *Hist. Fr. cap.* XXXVII. *Dum sanctam ingrederentur basilicam, hanc antiphonam, ex improuiso Primicerius qui erat, incepit: Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, &c.* Idem Archicantor dicitur, vt in Ecclesia Romana. Beda *lib.* IV. *Hist. Ecclesiast. cap.* XVIII. *Intererat huic synodo, pariterque Catholicæ fidei decreta firmabat, vir venerabilis Ioannes Archicantor Ecclesiæ S. Petri, & Abbas monasterij beati Martini, qui nuper venerat à Roma per iussionem Papæ Agathonis.* In aliis Præcentor, vt *d. cap. ad aures, & cap. inter dilectos, infrà, de excess. Prælat.* sic dictus quòd præcinat choro psallentium. Augustin. in Psalm. LXXVII. *Proinde quemadmodum dicuntur in arte musica, sicut ea edocti homines Latinè dicere potuerunt, præcentor & succentor; præcentor scilicet qui vocem præmittit in cantu; succentor autem qui subsequenter canendo respondet.* Quod ipsis verbis repetiit Isidorus illaudato auctore in *can. cleros* XXI. *dist.* Græcis verò πρωτοψάλτης, vt Codino. Non leue dignitatis argumentum accedit, quòd Cantoris est penes se habere sigillum Capituli, vt in Ecclesia Argentinensi siue Strasburgensi, Albert. Argentinensis de Gest. Bertoldi Episcopi Argentinensis: *Spectat autem ad solum Cantorem Capituli conseruare sigillum.* Idémque rescripta Pontificia, siquando præsententur, legit in Capitulo, Io. Saresber. *in epist.* CCXCI. *ad Alexandrum* III. *P. Cùm verò in Capitulo fratrum ei* (loquitur de electo Abbate monasterij S. Augustini Cantuariensis) *vestra fuissent literæ præsentatæ, tandem præcepit vt eas Cantor aperiret & legeret.* Idem literas Episcopi de indicendis diebus ieiunij, Parochis per ostiarios dirigit; Basilicanos, id est minores clericos instituit; & matriculam disponit, id est tabulam in qua descriptus erat census clericorum, *d. can. perlectis.* Adde & illud quòd Præcentor habet sub se Succentorem, & Succentoriam confert, vt in Pictauiensi Ecclesia, *d. cap. inter dilectos*, vel Succentorem præsentat Capitulo, vt in Ecclesia Eduensi, Oldrado *consil.* CXLVI. Aliquando tamen Primiceriatus, seu Cantoria est

nudum officium. Et an sit dignitas, personatus, vel officium, hoc pendet ex consuetudine. quia in dignitatibus, & officiis Ecclesiasticis magis spectatur consuetudo, quàm ius commune, *d. cap. cùm olim*, vbi plura dicemus.

CAPITVLVM IX.

CVM Martinus Ferratiensis: .·.·. Dictus M. pro se ac quatuor sociis suis proposuit, quòd Ferrarienses Canonici, vt eo ampliùs suos reditus augmentarent, quo prouentus Ecclesiæ (qui diuidi consueuerant inter plures) in vsus cederent paucorum, quatuordecim præbendas tantùm, præter id, quod mensæ communiter deputárunt, in eadem Ecclesia contra antiquam consuetudinem statuerunt. Pòstmodum verò contra constitutionem ipsam voluntariè venientes dictos quinque in Canonicos receperunt, nullis præbendis adsignatis eisdem. Et licèt eorum reditus non modicum fuerint augmentati, nondum tamen eis voluerunt ex superexcrescentibus reditibus prouidere.

Verùm ex diuerso fuit propositum, quòd quatuordecim præbendarum numero in Ferrariensi Ecclesia instituto, & Apostolicæ protectionis præsidio roborato; cùm vna in eadem Ecclesia præbenda vacasset, ad quorumdam instantiam duos ad eam, & postmodum ad preces Episcopi dictum M. & quendam alium sine præiudicio dictæ constitutionis in Canonicos receperunt: ita quòd Canonici de Canonia nihil perciperent, donec primi duo essent præbendas integrè adsecuti. Cúmque per Canonicorum industriam fuerit procuratum, vt ex possessionibus, quas Ecclesia tempore longo possedit, plures eis reditus soluerentur: superexcrescentes communi mensæ, quæ minùs sufficiens fuerat, deputauerunt: quos dicti quinque sibi postmodum petierunt contra Capituli constitutionem in beneficium adsignari: .·.·. Mandamus quatenus cùm in constitutione prædicta, & confirmatione Sedis Apost. vel fuerit vel esse debuerit sicut consueuit expressum, nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates, quòd pluribus possent sufficere competenter: & iidem Canonici in derogationem suæ constitutionis, ad vacaturas præbendas quatuor receperunt vltra numerum constitutum: antiquis Canonicis præbendas cum integritate percipientibus consuetas, superexcrescentes reditus prædictis Canonicis facias adsignari: ita, quòd si ex eis pares potuerint cum aliis sortiri præbendas: quod superfuerit, in communes Canonicorum vsus (sicut priùs statuerant) siue aliter, prout melius videbitur, conuertatur: reuocatis in irritum quæcunque ab alterutra partium in præiudicium alterius post motam quæstionem coram Episcopo Ferrariensi circa præbendas vel possessiones fuerint innouata.

HVIVS cap. quod est famosissimum, integrúmque extat in *cap. v. eod. tit. in III. collect.* & apud ipsum Innocent. III. *lib. 1. epist.* XCVIII. species hæc est. Canonici Ferrarienses vt suos reditus augerent, quò prouentus Ecclesiæ, qui diuidi consueuerant inter plures, in vsus cederent pauciorum, ampliorem numerum præbendarum, ad quatuordecim reduxerunt contra antiquam consuetudinem, præter id quod communi mensæ deputarunt. Olim scilicet clerici solebant viuere in commune, *can. in omnibus, de consecr. dist. v. cap. quoniam, infrà, de vit. & honest. cleric.* sed

posterioribus sæculis soluta communione vitæ, vbi præbendæ distinctæ inter clericos, pars certa redituum in commune relicta, quæ communis mensæ dicta est, vt *in hoc cap.* ne deesset aliqua pristinæ vitæ communionis imago, & segniores prouocarentur ad actu seruiendum; his quæ erant mensæ communis impensis in distributiones quotidianas, quæ actu seruientibus tantùm præstitantur, gloss. *in cap. vn. de cleric. non resid. in* VI. Huiusce instituti insigne argumentum, quòd in transitu regij exercitus deuastatis segetibus in pago Ambianensi, cùm quidam Canonici Ambianenses, qui fructus præbendarum suarum percipiebant his locis, quibus damnum illatum erat, de damno conquesti fuissent apud Decanum & Capitulum, petentes vt fructus præbendarum de communi resarcirentur, & eis mandatum esset vt reliquias fructuum colligerent: itavt si quid solito minus esset, de communi à Capitulo suppleretur; collectis fructibus non sine miraculo centuplum inuentum fuisse narrat Rigord. *in gest. Philipp. A. ad ann.* MCLXXXIV. Postea iidem Canonici adauctis facultatibus Ecclesiæ contra statutum ipsi vltro venientes, cùm præbenda vna vacasset, M. & alios quatuor in Canonicos receperunt, nullis eisdem adscriptis præbendis. Recepti vltra numerum primum conuenere Capitulum coram Ordinario, id est Episcopo Ferrariensi, vt sibi prouideretur ex superexcrescentibus reditibus, quos non modicum auctos dicebant. Primùm disceptatum coram Ordinario apertè colligitur ex his verbis, quæ leguntur in fine huiusce capitis, *Post motam quæstionem coram Episcopo Ferrariensi.* Re verò delata ad Pontificem, Pontifex litis instruendæ causâ partibus dedit auditorem, coram quo M. & socij rem gestam proposuere, vt modò retuli: è contrà Capitulum excepit statutum de angustiori numero præbendarum, à Sede Apostolica confirmatum, ac receptionem Canonicorum vltra numerum, nullam & irritam fuisse. quòd cùm vnica præbenda vacasset, plures ad eandem recepti fuissent, idque ad instantiam quorumdam, & postmodum ad preces Episcopi, M. & alter sine præiudicio constitutionis in Canonicos recepti fuissent, itavt nihil de Canonia perciperent, donec priores duo essent præbendas integrè adsecuti: receptis vltra numerum par non esse, de superexcrescentibus reditibus præbendas constitui, quòd hi reditus parti essent industria Canonicorum, & in communem mensam collati, quòd ea minùs idonea, & sufficiens esset. His discussis cùm auditori dato satis non liqueret, & res adhuc pleniorem cognitionem desideraret, Clugiensi Episcopo mandauit, vt Canonicis receptis vltra numerum, nonobstante statuto etiam à Sede Apostolica confirmato prouideretur de superexcrescentibus reditibus, licèt aucti fuissent curâ & industriâ Capituli. Dubitationis non vna causa erat, & receptio Canonicorum vltra numerum nulla & irrita videbatur multis argumentis. I. Quòd cùm vna præbenda vacasset ad eam simul duo recepti fuissent contra Conc. Turonense, quod vetat sectionem præbendarum, *cap. maioribus, infrà, de præbend.* & vna præbenda vacante itidem plures recepti fuissent in Canonicos contra Conc. Lateranense, quod vetat collationem, vel promissionem beneficij nondum vacantis; *cap. nulla, infrà, de concess. præb.* II. Quòd Canonici vltra numerum recepti fuissent, ad instantiam quorumdam, & preces Episcopi, quippe collatio beneficij debet esse libera & spontanea, itavt etiam preces respuat, multo magis instantiam quæ enixiorem affectum, & sæpius repetitas preces indigeat, *cap. cùm inter R. infrà, de elect. & Cle: quamuis, de appellat.* vt & ordinationes nullæ sunt, non modò quæ interueniente pretio, sed etiam quæ fiunt prece vel obsequio, *can. ordinationes* 1. *qu.* 1. III. Quòd videbatur Capitulum non posse augere numerum præbendarum, semel reductum statuto à Sede Apostolica confirmato, propter auctoritatem confirmationis Sedis Apostolicæ, cuius effectus est, vt vim legis obtineat, *cap. cùm accessissent, suprà, hoc tit. cap. cùm olim, infrà, de consuetud.* Verùm licèt vna dumtaxat præbenda vacasset, nihil vetabat, plures recipi in Canonicos, nec vis, frausve fiebat Conc. Lateranensi, quia constat eos nequaquam fuisse receptos nominatim ad præbendas vacaturas, sed purè & simpliciter receptos in Canonicos; expressa nocent, non expressa non nocent, *l. nonnunquam, ff. de condit. & dem.* Nec pugnat contra ius, vt quis recipiatur in Canonicum, sine expressione præbendæ proximè vacaturæ, & receptus expectet præbendam, quia receptus in Canonicum diu non debet carere præbenda, *cap. relatum, cap. dilectus, infrà, de præbend.* Neque obstabat statutum Capituli, & confirmatio Sedis Apostolicæ, cùm ipsi Ca-

nonici vltro à sua lege recessissent, M. & socios in Canonicos eligendo. & hoc pacto censerentur tacitè renunciasse statuto in suum commodum facto, quippe potest quilibet renunciare iuri pro se introducto, *l. si quis in conscribendo, C. de pact. cap. ad Apostolicam. de regularib. cap. 1. de renunt. in* VI. Non habetur vlla ratio statuti de minori numero præbendarum ob auctiores reditus, in statuto enim de minuendo numero præbendarum, & confirmatione Sedis Apostolicæ semper clausula intelligitur, nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates vt pluribus possent sufficere, vt signanter dicitur *in hoc cap.* & *cap. vlt. infrà, de V. S.* quia cessante causa cessat effectus, *cap. cum cessante, de appellat.* Causa autem diminutionis præbendarum non alia fuit quàm diminutio facultatum, quibus restitutis restituendus est prior numerus præbendarum, licèt de eo nihil dictum sit: in rescriptis enim Pontificiis supplenda est clausula quæ apponi solet, si fortè omissa sit, vt in contractibus, *l. quod si nolit*, §. *quia assidua ff. de adil. edict.* Nihil motus est Pontifex quòd isti recepti essent in Canonicos vltra numerum statuto reductum, sub protestatione quòd reciperentur sine præiudicio constitutionis, id est saluo statuto, quia protestatio contraria facto nihil iuuat, vt *in hoc cap.* & *l. cùm in plures*, §. *locator. ff. locat.* & à statuto contrario facto recessum videtur. Nec spectatur etiam quòd reditus excreuerint solicitudine & industria Canonicorum, quia in profanis quidem non compellitur quis suæ industriæ frugis, & præmij alium participem facere, vt si fundus in solutum datus cura & industria accipientis, cultior meliorve factus sit, non ideo euincitur, quia non auditur qui id postulat, cuius contrarium non fuit postulaturus in contrarium euentum, *l. pen. C. de solut.* & qui sterilem agrum sua industria excoluit, non statim onus vectigalium subit, ne doleant diligentes operam suam agri impendisse culturæ, nec diligentiam suam sibi damnosam intelligant, *l. vlt. C. de alluuionib. l.* III. §. *Diui fratres, ff. de iure fisc.* Sed in rebus Ecclesiasticis meliorationes sumptu & diligentia sua factas nequaquam clerici possunt sibi vindicare inre dominij, sed hæ cedunt Ecclesiæ, vel Capitulo, quia clerici habent nudam procurationem rerum Ecclesiasticarum, *can. si priuatum* XII. *qu.* I. & his non vt propriis, sed vt commendatitiis vti debent, Conc. Cabilonens. II. *can.* VI. eorum est curare res Ecclesiasticas non lucri studio, sed cura regiminis, & caritatis affectu. Imò intendit Pontifex receptis in Canonicos vltra numerum de incrementis redituum parem ceteris præbendam constitui, si fieri possit sine damno & deminutione aliarum, vt additur *in hoc cap.* quia modus præbendarum æqualis esse debet, *cap. cùm omnes, suprà, h. tit.* Quandoque tamen præbendæ sunt inæquales, *can. clerici* 1. *qu.* II. *can. de reditibus* XII. *qu.* II. *cap. statuimus, infrà, de maior. & obedient. cap. si pluribus, de præbend. in* VI. & in his maximè spectatur consuetudo. Quòd si ex superexcrescentibus reditibus, recepti vltra numerum pares aliis nacti fuerint præbendas, vult Pontifex vt quod superfuerit mensæ communi inferatur, id est in communes Canonicorum vsus conuertatur, & hoc pacto Pontifex statutum pro parte rescindit, pro parte tuetur, ex æquitate canonica. Quò pertinent verba illa huiusce cap. *sicut priùs statuerunt*, & hoc discrepanter à iure ciuili, ex quo actus sunt indiuidui, itavt non possint ex parte comprobari, ex parte rescindi, *l. cùm quæritur, infrà, de administr. tut. l. si ita stipulatio, in fine, de oper. libert. l. nam absurdum, de bon. libert.* Et hæc est species huius cap.

CAPITVLVM X.

ECCLESIA sanctæ Mariæ.·.·. Nos attendentes quòd laïcis (etiam religiosis) super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit adprobatum. Vnde statutum Basilij de non alienandis prædiis rusticis vel vrbanis, ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum: illa reprobatum fuit potissima ratione, quòd auctoritate non fuit Romani

Pontificis roboratum. Quod à Senatore factum fuerat in præiudicium monasterij non conuenti nec confessi vel conuicti, in irritum reuocantes, easdem possessiones restituendas sibi sententialiter definimus.

HOC cap. integrum legitur in *cap.* v. *de foro compet.* & apud ipsum Innocent. *lib.* II. *Regist. ep.* CCXXVIII. Huius species hæc est. Ecclesia S. Mariæ Romæ, quæ est titulus Diaconi Cardinalis, actione in rem egit contra Io. de Atteia laïcum quemdam possessorem quorumdam prædiorum eiusdem Ecclesiæ, coram L. iudice, pendente lite, idem Io. iudicij mutandi causa, possessionem prædiorum transtulit in monasterium sancti Syluestri, L. iudex causa cognita, Ioannem absoluit, quâ de sententia appellatum ad Senatorem vrbis. Is erat Iuridicus vrbis Romæ, Senator causam appellationis delegauit primicerio iudicum, id est priori assessorum. Habebat enim assessores seu consiliarios à Sede Apostolica institutos, quos singulis in causis iudices dabat, vt testatur ipse Innocent. *in dicta epist. Vbi enim clerici sunt actor, & reus causas ciuiles prosequuntur in vrbe, coram iudicibus per Sedem Apostolicam institutis, ex delegatione Senatorum iurisdictionem habentium ab eadem Sede Apostolica.* Coram iudice dato appellationis causâ, Ioannes dicebat se perperam conuentum, quòd non possideret prædia de quibus lis erat, sed vtique monasterium sancti Syluestri. Verùm quia statuto Basilij res litigiosa non poterat alienari, itavt si quis pendente lite rem litigiosam transferret in alium, possessio dempta possessori transferretur in actorem, & constabat post litem contestatam possessionem prædiorum à Ioanne translatam in monasterium S. Syluestri. Senator possessionem prædiorum addixit Ecclesiæ S. Mariæ, post sententiam Ecclesia S. Mariæ per vim deiecta est de possessione. Quo casu permotus Celestin. III. qui tum Pontificiam Sedem tenebat, totius causæ cognitionem ad se reuocauit, vt patet *ex cap.* III. *&* IV. *infrà, vt lite pendente.* Sed eo de medio sublato, lite nondum finitâ, Innocent. III proximus ipsius successor, primùm quidem interlocutus est, possessionem, quæ per vim erepta erat Ecclesiæ S. Mariæ restituendam, cùm etiam prædo seu iniustus possessor spoliatus, sit restituendus; *cap.* v. *infrà, de restit. spoliat.* Sed rursus re in iudicium deductâ, Pontifex pendente lite prædiorum possessionem monasterio restituendam esse pronunciauit, & sententiam à Senatore vrbis latam rescidit, quòd edita esset secundùm statutum Basilij olim Præfecti Prætorio Italiæ, Rege Odoacto, & constitutiones laicorum vim legum non haberent in rebus Ecclesiæ, etiamsi ad commodum Ecclesiæ pertinerent, nisi à Summo Pontifice comprobarentur. Nec huius iuris auctorem habemus Innocent. III. iampridem enim hoc statutum Basilij de non alienandis rebus Ecclesiæ, & aliis capitibus; reiectum fuerat in Synodo Romæ habita sub Symmacho Papa, *can.* I. XCVI. *dist.* Nimirum hac ratione, quòd laïcis etiam religiosis, id est piis & fidelibus non licet quicquam decernere, de personis vel rebus Ecclesiasticis, quippe quos obsequendi manet necessitas; non auctoritas imperandi: quæ ratio repetitur ab Innocentio init. *huius cap.* Laïcos non posse statuere de rebus, vel personis Ecclesiasticis satis comprobatur hoc argumento, quòd iidem nequaquam possint ius dicere de rebus, vel personis Ecclesiasticis, *cap. etsi clerici, cap. clerici, cap. cùm non ab homine, de iudic. cap. nullus, de foro compet.* Dubitationem mouet, quòd statuta, & leges sæcularium Principum quatenus cum iure Canonico consentiunt vim legum obtinere, par & congruum videtur. Non dedignantur sacri Canones leges imitari, *cap.* I. *infrà, de nov. oper. nunt.* & leges Romanæ venerandæ dicuntur, ac per ora piorum Principum promulgatæ, *can. fin.* XVI. *qu.* III. Nec oppidò contemnendæ videntur tot constitutiones Imperatorum, & Capitula Regum, quæ in gratiam Ecclesiæ, & sacri ordinis promulgatæ sunt à piissimis Principibus tamquam patronis, & defensoribus Ecclesiæ. Ecclesiam enim esse in mundeburde regio gloriantur ipsi Patres Ecclesiæ. Conc. Confluentin. habitum A.C. DCCCLX. *Volumus vt Ecclesiæ, & casæ Dei, & Episcopi & Dei homines clerici, & monachi, & nonnæ, talem mundeburdem & honorem habeant, sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt.* Et Ecclesiam pertinere ad curam & solicitudinem Principum sæcularium non negandum, cùm Ecclesia sit in republica. Optat Mileuit. *lib.* III. *aduersus Donatistas. Non respublica est in Ec-*

clesia, sed Ecclesia in republica est, id est in Romano Imperio. Quinimò inuidiosum, ac durius videtur, regulam generalem duci ex eo, quod apertè constitutum ab Innocentio, in odium iudicis, à quo sententia dicta erat, ex statuto Basilij, nimirum Senatoris vrbis, cuius potestas grauior, & suspecta erat Pontifici. Iam à tempore Innocentij II. ciues Romani per seditionem Senatorum ordinem restituêre, qui reip. & iudiciis præesset, sublato Præfecto vrbi, & sub Lucio II. successu sceleris crescente audaciâ, Senatoribus Patricium adiecêre, & ad huius dignitatis fastigium Iordanem Petri Leonis filium subuexêre. Testes Otho Frisingens. *lib.* VII. *Chron. cap.* XXVII. *&* XXXI. & Abbas Vrspergens. & Panuinius *in not. ad Platin. in Clemente III.* Varius per tempora fuit huiusmodi Senatorum numerus, anno Christi MCXCIV. sex & quinquaginta Senatores electi, antè erat vnus Senator. Roger. Houedenus *in Richardo I. Eodem anno ciues Romani elegerunt* LVI. *Senatores, & constituerunt eos supra se. Priùs enim habebant vnum solum Senatorem, qui cognominatus erat Benedictus Carus homo, qui regnauit super eos duobus annis, & deinde habuerunt alium Senatorem qui vocatus est Ioannes Capuche, qui similiter regnauit super eos aliis duobus annis, in quorum temporibus meliùs regebatur Roma, quàm nunc temporibus* LVI. *Senatorum.* Temporibus Innocentij III. fuit vnus Senator, vt patet ex hoc cap. & postea anno Chr. MCCXXXVII. auctore Friderico II. creatus est alter Senator. Matth. Paris *in Henrico III. Eodémque anno procurante domino Imperatore Frederico creatus est alter Senator Romæ, vt duorum Senatorum prudentiâ & fortitudine duplicatâ Romanorum insolentia comprimeretur, & consiliis tutiùs pacificata vrbs, libertásque regeretur* Quàm molesti fuerint Pontifici isti Senatores, inde capere possumus, quòd eos omnia regalia inuasisse restatur Frisingensis, ac eosdem annuum censum exactitasse ab Ecclesia Romana tradit Matthæus Paris in eodem Henrico. *Sub annum* MCCXXXIV. *item potestates, & Senatores annuum tributum exigunt ab Ecclesia Romana, quod eis tam ex nouo, quàm ex antiquo iure Romani Pontifices persoluebant, de quo etiam semper vsque ad istius Papæ* (hic fuit Gregor. IX.) *tempora in possessione fuerunt.* His de causis Pontifices Senatorum potestatem coërcere, & velut festucam de oculo excutere, omni studio, & arte connisi sunt. Et Nicolaus III. huius consilij tenax, singulari constitutione vetuit, ne quispiam Princeps in Senatorem vrbis eligeretur, vel quilibet alius vltra annum, sine speciali consensu Summi Pontificis, *cap. fundamenta, de elect. in* VI. ac tandem hoc genus dignitatis extinctum. Sed etsi motus Pontificis in rescindenda sententia Senatoris, fuerit altè defixum Pontificis mente consilium, huiusce dignitatis fastigium eleuandi, tamen regulis Canonicis subnititur; & licèt studium sæcularium Principum in condendis Ecclesiæ in gratiam legibus laudetur, tamen leges huiusmodi hoc iure non censentur obstringere Ecclesiam, nisi à Summo Pontifice comprobentur, quòd laïci omnino expertes sint iurisdictionis & potestatis in Ecclesiam & clerum, nec vllus maior sit defectus quàm potestatis, *can.* I. XX. *dist.* Tum etiam laïcorum potestas suspecta est Ecclesiæ, vnde laïci testes non audiuntur aduersus Episcopos & clericos, quia oppidò eis infesti quidam existunt, *can. laicos, can. laïci* II. *qu.* VII. Igitur sententia Senatoris rescinditur *in hoc cap.* quòd lata sit de rebus Ecclesiasticis secundùm constitutionem laïci, cuius nullæ erant partes in rebus sacris. Subditur & alia ratio, nempe quòd ea lata sit monasterio non conuento, nec confesso, vel conuicto: vtroque iure nulla est sententia, quæ lata est parte non citata, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicat.* & processus litis sine citatione est nullus, *l. ea quæ, C. quomod. & quand. iudex, l. meminerint, C. vnde vi, cap. inter quatuor, infrà, de maior. & obed. cap.* I. *de caus. possess.*

CAPITVLVM XI.

EX literis vestræ deuotionis accepimus: . . . Licèt à vobis fide præstita fuerit constitutum, vt si quis magistrorum ordinationi vniuersitatis ipsorum duceret resistendum: & primò, secundò, tertióve commonitus, intra triduum vniuersitati parêre contemneret magistrorum, extunc beneficio societatis eorum in magistralibus priuaretur: & ob hoc magister G. fuit eorum communione priuatus. Quia tamen consti-

tutum

tutum non fuit, vt in perpetuum huiusmodi priuatio perduraret: cùm tam iuris Canonici, quàm nostri moris existat: vt is, qui propter contumaciam communione priuatur, cùm satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat: mandamus quatenus suprà dictum magistrum statutis vestris nunc humiliter parêre curantem, ad communionis vestræ consortium in magistralibus admittatis.

HOc cap. integrum extat in *cap.* XII. *de iureiurand. in* III. *collect.* Huius species hæc est. Vniuersitas Parisiensis statuta condidit seu vetiùs instaurauit, iureiurando firmata, & sanctione huiusmodi, vt si quis tertiò monitus, statutis non pareret, beneficio communionis Vniuersitatis in magistralibus priuaretur. Beneficia communionis, seu magistralia, sunt stipendia, quæ magistris dantur de publico, vel honoraria quæ accipiuntur pro concedendis gradibus: quæ merces est eximij laboris, *l. Aquilius, ff. de donat.* Ob eam causam vnus è magistris nomine Guillelmus fuit communione Vniuersitatis multatus. Idem postea mutato consilio, paratus satisfacere compromisit in quosdam è magistris Vniuersitatis, à quibus ex compromisso sententia dicta est, vt hic in eodem statu permaneret, donec à Sede Apostolica restitueretur. Statim hac super re Pontifex mandauit; vt magister quatenus paratus esset obsequi statutis, restitueretur, tum quia non fuerat remotus in perpetuum, tum quia fuerat damnatus ob leuem contumaciam, nimirum ob contradictionem scrupulosam, & religionem superstitiosam iurandi in statuta, ob contumaciam, inquam, quæ facilè purgatur. Damnatus enim ob contumaciam, tam iure Canonico, quàm vsu seu stylo curiæ, qui ius facit, vt *in hoc cap.* & *l. si fundus. ff de euict.* si idoneam exhibeat satisfactionem restituitur, vt ait Innocent. *in hoc cap.* Iudicibus compromissariis visum est, vt remotus ab Vniuersitate in eodem statu permaneret, donec à Sede Apostolica restitueretur: restitutio magistri relata est ad Summum Pontificem, quia Vniuersitas Parisiensis magis se Ecclesiasticam, quàm sæcularem profitebatur, & ideo in omnibus causis, non alium iudicem agnoscebat quàm Summum Pontificem, vt patet *ex hoc cap. & cap. quia in causis, de procur. cap. quod clerici, de foro compet & cap. super specula, de priuileg.* An collegium sit Ecclesiasticum, vel sæculare, spectatur ex numero clericorum, vel laicorum qui potior est, *l. quæritur, ff. de stat. homin.* Adeóque in pari numero pronius est, vt Ecclesiasticum censeatur, quia maius dignum trahit ad se minus dignum, *cap. quod in dubiis, de consecr. Eccles. vel altar.* Ideóque Vniuersitas Parisiensis dicitur Ecclesiastica, quia maiori ex parte constat clericis, hac occasione quòd ibi floret maximè studium Theologiæ, quæ est penes clericos. Temporibus ipsis Innocent. III. studiorum fama, & studiosorum frequentia valde claruit Vniuersitas Parisiensis, etiam in Iure Ciuili & Canonico, sed imprimis in Theologia. Rigordus *in gestis Philipp. A. In diebus illis studium literarum florebat Parisiis, nec legimus tantam aliquando fuisse scholarium frequentiam Athenis, vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta locum prædictum studendi gratiâ incolebat, quod non solùm fiebat propter loci illius admirabilem amœnitatem, & bonorum omnium superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem & specialem prærogatiuam defensionis, quam Philippus Rex & pater eius ante ipsum ipsis scholaribus impendebant. Cùm itaque in eadem nobilissima ciuitate, non modò de triuio, & quadriuio, verùm & de quæstionibus Iuris Canonici, & Ciuilis, & de ea facultate, quæ de sanandis corporibus, & sanitatibus conseruandis scripta est, plena & perfecta inueniretur doctrina, feruentiore tamen desiderio sacram paginam, & quæstiones Theologicas docebantur.* Vnde Vniuersitatem Parisiensem primariam scholam Ecclesiæ prædicat Matthæus Paris *ad ann.* MCCLVII. *Vniuersitas Parisiensis tot altrix, & magistra sanctorum Prælatorum, non mediocriter perturbatur, si similiter vno tempore perturbetur Oxoniensis Vniuersitas, cùm sit schola secunda Ecclesiæ, imò Ecclesiæ fundamentum, timendum est vehementer, ne Ecclesia tota ruinam patiatur.* Et Arnoldus Abbas Lubecensis *in supplem. Helmoldi lib.* II. *cap.* V. *Dani scientia quoque liberali non parum profecerunt, quia nobiliores terræ filios suos non solùm ad clerum promouendum, verùm etiam sæcularibus rebus instituendos Parisios mittunt, vbi literatura, & idiomate linguæ terræ illius imbuti, non solùm in artibus, sed etiam in Theologia multum inualuerunt,*

De vtroque Iure, forensi & Ecclesiastico, Academiam Parisiensem commendauit, & Conrad. de Fabaria *de casib. Monast. S. Galli*, *cap.* v. *apud Goldastum tom.* I. *rer. Allemanicar. de Vodalrico Abbate: Informatúmque Parisios, ac Bononiam transmittit, iurisque peritum, cum summa diligentia repatriatum omnibus bonis conformatum ad summa prouexit. In iure forensi & Ecclesiastico, quicquid excogitare poterat facto Minerua poculo cunctis audientibus propinabat.* Magis magísque in dies viguit Theologiæ studium in Vniuersitate Parisiensi, postquam Iuris Ciuilis studium inde explosum est constitutione Honorij III. quæ refertur in *d.cap. super specula.* Exploso Iure Ciuili, Ius Canonicum etiam non desiit florere in eadem Vniuersitate. Albertum Germanum post plurium annorum studium licentiæ in Decretis gradum ibi meruisse refert Albertus Argentinens. in *Chronic. Postea missus fuit Parisios vbi stetit pluribus annis, cum magnis sumptibus, & profecit in magnum clericum, & legebat iura ad tempus multis audientibus, postea Licentiatus fuit in Decretis, non causa dominy, sed causa veræ scientiæ.* Adeò reuerenter cum Summo Pontifice agebat Vniuersitas Parisiensis, vt non sustinuerit pœnam ex statuto irrogatam remittere, etiam satisfacere parato, sed ad Pontificem rem transtulerit, fortè Iuris Ciuilis tenax, quo iudex non potest remittere pœnam semel irrogatam, & remissio pœnæ seu condemnationis pertinet ad solum Principem, *l. moris est*, §. *iste ferè*, *ff. de pœnis*, & remotus à Senatu, vel ordine Decurionum potest restitui à solo Principe, *l.* I. §. *de qua autem. ff. de postuland. l. Imperatores, de Decurionib.* Tamen maluit Pontifex remorum ob contumaciam, qui paratus erat satisfacere restitui, quia non censebatur damnatus in perpetuum. Et statutum non continebat perpetuæ priuationis pœnam in dubio pœna censetur temporalis, non perpetua, vt *in l. fine præfinito, ff. de pœnis.* Sine præfinito tempore in metallum damnato, decennium præfinitum videtur. Quippe pœnæ molliendæ sunt, interpretatione, vnde pœna temporalis non prorogatur in perpetuam, *l. Imperator, ff. de postuland. l.* I. *&* II. *C. de his qui in exil. lib.* XI. Præterea sententia contra contumacem, ius non facit, *l. qui repudiantis*, §. *vlt. ff. de inoffic. testam. l. si ideo, de euict.* id est non habet vim sententiæ, sed potiùs est nuda comminatio. Ideóque absens damnatus per contumaciam, si copiam sui faciat, & paratus sit sese defendere restituitur, *l. vlt. ff. de requir. reis & absent. damnand.* & hoc iure excommunicatus ob contumaciam restituitur, si humiliter poscat se absolui, *cap. per tuas, infrà, de sentent. excomm.* Denique si absens damnatus sit per contumaciam, condemnatio extinguitur, & idem admittitur vt de integro causam agat, priùs refusis sumptibus, *l. properandum*, §. *etsi quidem*, *C. de iudic.* His addi potest, Vniuersitati quidem fuisse ius statuta condendi, quia habet iurisdictionem, *auth. habita, C. ne filius pro patre.* Chrysostom. in II. ad Timoth. Homil. IV. ἐν τέχναις ὁ διδάσκαλος τῷ μαθητῇ δικάζεται, *in artibus magister, discipulis ius dicit.* Sed valde dubitandum, licueritne infligere statuto pœnam perpetuam, quia non videtur habere potiorem iurisdictionem, quàm Capitulum, quod habet tantùm nudam correctionem, *cap. irrefragabili*, §. *excessus*, *infrà*, *de offic. ordin.* Nec idcirco potest imponere pœnam perpetuam, vel aliam grauiorem quæ excedat modum correctionis.

TIT. III. *De Rescriptis.*

CAPITVLVM XIV.

PASTORALIS officij: . . . Præterea quæsiuisti (quando de reuocatione literarum ambigitur) vtrum iudices priores, an posteriores cognoscere debeant, & vtrum per secundas sint primæ literæ reuocatæ. Ad quod tibi respondeo, quòd nisi posteriores prioribus, vel econuerso duxerint deferendum, simul vtrique cognoscant: & si fortè nequiuerint simul in vnam sententiam concordare (quamuis plures sint ex vna parte, quàm altera) per arbitros communiter electos à partibus huiusmodi concertatio sopiatur.

POSTERIVS rescriptum non derogat priori, nisi expressam de eo mentionem faciat, *cap. ceterum, cap. ex parte, suprà, hoc tit. cap. ex literis, infra, de off. delegat. cap. bonæ memoriæ, de confirm. vtil. cap. ex literis, de dol. & contumac. cap. si aliquando, de sent. excommunic.* Quandoque tamen dubitatur, an prius rescriptum sit reuocatum per posterius, etiamsi posterius mentionem faciat prioris, scilicet cùm obiicitur posterius rescriptum impetratum fuisse per falsi suggestionem, vel per veri suppressionem, vt *d. cap. ceterum, cap. coram, infrà, de off. deleg. & cap. inter monasterium, de sentent. & re iudicat.* Vbi verò dubitatur de reuocatione literarum, id est an prius rescriptum reuocatum sit per posterius, quæritur vtrum priores, an posteriores iudices, ea de re cognoscere debeant. Et Pontifex respondet, in dubio omnes simul cognoscere debere, de reuocatione prioris rescripti. Non solùm enim iudicis ordinarij est cognoscere an sua sit iurisdictio, vt in *l. si quis ex aliena, ff. de iudic. cap. cùm persona, de priuileg. in* VI. sed etiam iudicis delegati, vt *in hoc cap. & cap. super literis, infrà, eod. tit.* Igitur quoties ambigitur de reuocatione prioris rescripti, conueniens est iudices vtriusque simul cognoscere, de reuocatione literarum, nisi posteriores prioribus deferant, vel retro priores posterioribus: vbi simul cognoscunt, si fortè nequeant simul concordare in vnam sententiam, non statur sententiæ maioris partis, etiamsi plures sint ex vna parte, quàm ex altera, quia vbi diuersis rescriptis delegati sunt iudices, siue numero pares siue impares, delegati eodem rescripto etiamsi sint duo vel plures, quia habent iurisdictionem in solidum, pro vno habentur, vt rectè notat Gloss. *in hoc cap. l. duo ex tribus, ff. de re iudicat. l. item si vnus, §. item si plures, & §. vlt. cum l. seq. ff. de recept. arbitr. cap. causam, infrà, de offic. deleg.* Atque ita licèt plures sint ex vna parte quàm ex altera, non præualet eorum sententia, cùm numero plures non censeantur ex alterutra parte: in aliis causis plurium sententiæ statur, & quod maior pars vniuersitatis, vel curiæ statuit, pro eo habetur ac si omnes egerint, *l. quod maior, ff. ad municipal.* Quid fiet igitur si iudices diuersis rescriptis delegati nequeant concordare in vnam sententiam? eò recurrendum est, vt per arbitros communi consensu partium electos, huiusmodi concertatio sopiatur, & hæc est prima pars huius constitutionis cuius mentio fit, & in *cap. cùm contingat, infrà, hoc tit.* Si iudices diuersis rescriptis delegati nequeant concordare in vnam sententiam: quoties ambigitur de reuocatione literarum, ad concertationem huiusmodi sopiendam, à partibus assumuntur arbitri, à quibus datur appellatio ad Sedem Apostolicam, *cap. ab arbitris de offic. deleg. in.* VI. Tutius tamen est, in concursu diuersorum rescriptorum, rem referri ad Summum Pontificem, & interim vtriusque rescripti executionem suspendi à iudice delegato, donec consuluerit Summum Pontificem, *cap. 11. infra, de off. delegat.* In dubiis causis semper consulendus est Pontifex. Vnde si ordinarius quoque dubitet de dispensationis exhibitæ sufficientia, super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum est, cuius est æstimare, quem modum sui beneficij esse velit, *cap. ordinarij, §. si verò, de offic. ordinary in* VI.

Quoniam autem sub huiusmodi forma, videlicet causam, quam talis aduersus talem, & quosdam alios super hoc, & quibusdam aliis se habere proponit, tibi duximus committendam, à nobis multotiens literæ impetrantur: & solicitè quæsiuisti, an iudex ex delegatione huiusmodi, ante personarum, vel rerum expressionem, super personis, vel rebus exprimendis habeat potestatem: adiiciens, vtrum, si antequam personæ vel res expressæ fuerint nominatim, super non expressis in commissione priori, sed generaliter comprehensis, speciales literæ (quæ de priori commissione nullam faciant mentionem) ad alios iudices à Sede Apostolica emanauerint, eundem vigorem debeant obtinere. Nos igitur ad hæc duo tibi respondemus, quòd (cùm generali per speciale proculdubio derogetur) iurisdictio per generales literas attributa, per speciales (quantum

ad ea, quæ specialiter exprimuntur) penitus eneruatur, licèt de prioribus non faciant mentionem. vnde superflua relinquitur prima quæstio, etsi meritò dici possit, quòd donec iurisdictio reuocetur, eam super rerum, vel personarum articulis exprimendis obtinet delegatus: sed antequam exprimantur personæ, vel res, delegatus nequit iurisdictionem huiusmodi exercere.

In hoc §. quæritur an iudex delegatus sub huiusmodi formulâ (causam quam talis habet aduersus talem, & quosdam alios super hoc, & quibusdam aliis, tibi duximus committendam) habeat iurisdictionem in res & personas non expressas, & vtrum si priusquam res vel personæ nominatim expressæ fuerint, super non expressis, in priori rescripto, sed generaliter comprehensis, sub clausula generali, & quosdam alios, seu quibusdam aliis rebus, speciale rescriptum de priori nullam faciens mentionem ad alios iudices à Sede Apostolica emanauerit, rescriptum generale reuocetur per speciale, quamuis in eo non fuerit facta mentio generalis, & respondet hîc Pontifex, rescriptum generale per speciale reuocari, quoad ea quæ specialiter expressa sunt, licèt prioris non faciat mentionem: quia regulariter speciale mandatum derogat generali, vt *in hoc cap. & cap. 1. suprà, hoc tit. & cap. studuisti, infra, de offic. legat.* Vnde superflua relinquitur prior quæstio, si enim rescriptum speciale derogat generali, in expressis specialiter, certum est iudicem datum rescripto generali, non habere potestatem, secuto rescripto speciali, licèt de priori non faciat mentionem, tamen meritò dici potest iudicem delegatum rescripto generali, per illam clausulam, & quibusdam aliis personis, vel rebus, habere quidem iurisdictionem in rebus vel personis non expressis, donec iurisdictio reuocetur, sed eam non posse exercere ante expressionem personarum, vel rerum, vt subiicitur *in fin. huius cap.* Non vitiatur rescriptum generale quo iudex datur incertis personis, posteà exprimendis, sed non valet rescriptum quo incerti iudices dantur, *cap. ad hæc, suprà, hoc tit.* Certa debet esse electio iudicis, quia in eo eligi debet industria, & fides, *l. inter artifices. ff. de solut.* Imò electio iudicis non debet conferri in arbitrium actoris. Iniqui, & pessimi exempli est, vt is iudex detur, quem altera pars nominatim petat, *l. obseruandum, ff. de iudiciis.* Malè audiuit hoc genus iudicum qui editicij dicti sunt, quòd ab alterutro litigatorum ederentur. M. Tull. pro Plancio, *Neque enim quidquam aliud in hac lege nisi edititios iudices es secutus, quod genus iudiciorum si est æquum, nulla in re, nisi hac tribuaria non intelligo. Quamobrem Senatus nec vno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas.* Et idem pro Muræna, *Idem edititios iudices esse voluisti.* Et iudex delegatus rescripto generali per illam clausulam, & quibusdam aliis personis, vel rebus, habet quidem iurisdictionem in rebus & personis, etiam nondum expressis, quia rescriptum tribuit iurisdictionem in personis, vel rebus comprehensis generaliter, sed eam exercere non potest, antè expressionem personarum, vel rerum. nec hoc alienum & à iure abhorrens est, nam & iure ciuili legatus Proconsulis propriam habet iurisdictionem, quia non datur ab ipso Proconsule, sed à Cæsare, vel Senatu, sed eam exercere non potest antequam ei demandata fuerit, *l. legati, ff. de offic. Proconsf.*

CAPITVLVM XV.

SEDES Apostolica consueuit exhibere se petentibus liberalem, sed quidam eius gratia nequiter abutuntur: . . . Nos igitur volentes eorum malitiis obuiare, decernimus: vt cùm in commissionibus nostris minores & viliores personæ solummodo designantur, maiores & digniores sub generali clausula non intelligantur includi. Sed nec liceat occasione generalitatis huiusmodi multitudinem effrenatam in iudicium euocare. Nec super maioribus & grauioribus negotiis audiantur, qui de

minoribus & leuioribus tantùm faciunt mentionem. Si quis verò aliquas personas expresserit, non vt velit cùm eis in iudicio experiri, sed vt ad pares transire valeat, vel minores (quia fraus & dolus ei patrocinari non debent) tanquam mendax peccator, careat penitus impetratis.

IN rescriptis exprimi debet nomen impetrantis, dignitas, beneficium etiam minimum, & suppressio nominis dignitatis, vel beneficij vitiat rescriptum, *cap. ad aures, cap. si proponente, hoc tit.* In rescriptis itidem exprimenda est qualitas, seu conditio personarum, aduersus quas impetrantur, vt si aduersus monachos impetrantur, Ordo exprimendus est, & rescriptum impetratum super decimis aduersus Cistercienses non valet, nisi nuncupatim fiat mentio Cisterciensis Ordinis, *cap. cùm Ordinem, suprà, hoc tit.* Itémque rescripta si impetrentur aduersus certas, minores & viliores personas adiecta clausula generali, & quibusdam aliis personis vel rebus, non porriguntur ad maiores & digniores personas, vel maiora negotia, nec valent ad immodicam multitudinem negotiorum, vt definitur *in hoc cap.* puta rescripta impetrata aduersus quosdam laïcos, adiecta clausula generali non extenduntur ad clericos, quia clerici sunt digniores laïcis, *can. duo sunt.* XCVI. *dist. can. beatus* VI. *qu.* I. Vnde in pœnis canonicis diuersa est ratio clericorum, & laïcorum: clericorum pœna est, καθαίρεσις depositio, laïcorum ἀφορισμὸς, seu excommunicatio, Concil. Chalcedonens. *can.* XI. καὶ οὗτος εἰ μὲν κληρικὸς εἴη τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. *Et ipse siquidem clericus fuerit regradetur, si verò laïcus, aut monachus excommunicetur. can. si quis Episcopus* I. *qu.* I. & meritò Ischyram laïcum hominem falso nomine presbyteri accusatorem submitti succensuit Athanas. *Apolog.* II. de fuga, ἀλλὰ τότε τὸν ἰδιώτην πρεσβύτερον ὠνόμαζον, ἢ τὴν προσηγορίαν αὐτῷ ταύτην διὰ τὴν καθ' ἡμῶν ἀδικίαν ἐχαρίζοντο. *Sed illi hominem priuatum presbyterum appellant, & in nostram iniuriam hoc nomen illi indiderunt.* Sic & iure ciuili notabiles personæ clausula generali non comprehenduntur, *l. item apud Labeonem, §. hoc edictum, ff. de iniur,* & procurator datus ad agendum, vel defendendum, iurandúmque de calumnia, nisi speciale mandatum habeat, contra electum vel prouisum non potest opponere crimina, vel defectus. Quia sub clausula generali non veniunt maiora, nec grauiora illis, quæ in mandato sunt expressa, *Cle. non potest de procurat.* Imò & ex clausula generali, & quibusdam aliis non plures, quàm tres vel quatuor conueniri possunt, & horum nomina in libello conuentionis exprimi debent, ne locus sit fraudi, dum licet variare, *cap. in multis, de rescript. in* VI. Quòd si quis in rescripto certas personas expresserit, non vt cum eis iudicio experiatur, sed vt ad pares, vel minores transeat, tamquam mendax precator carere debet impetratis, vt subditur *in fin. huius cap.* Ratio est, quia dolus nemini prodesse debet, *vt hic, & l. ne ex dolo, ff. de dol. mal.*

CAPITVLVM XVI.

EX tenore literarum, quas nobis destinastis: intelleximus R. sacerdotem de Collouilla ad alios iudices super quæstione (quæ inter ipsum & Abbatem de Becco vertitur) literas Apostolicas impetrasse. qui cùm partem citassent, aduersam, dictus presbyter coram eis noluit litigare: . . . Cúmque vos in causæ cognitione procedere velletis: Abbas coram vobis proposuit, quòd non tenebatur per directas ad vos literas presbytero respondere, cùm per alias ab aliis iudicibus fuisset citatus, quæ auctoritate illarum non fuerant reuocatæ. Nos igitur attendentes fraudem presbyteri memorati, duas commissiones super eodem negotio impetrantis, quarum altera non faciebat mentionem de reliqua, quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, decernimus, vt ipse commodo careat vtriusque.

SVPER vno eodémque negotio diuersa rescripta ad diuersos iudices impetrata non valent, nisi posterius mentionem faciat prioris, vt *in hoc cap.* cuius species hæc est. R. presbyter de Collouilla, super eodem negotio literas impetrauit, ad quosdam iudices aduersus Abbatem Beccensem. Beccense monasterium est in Normannia in diœcesi Luxouiensi anno MXXXIV. conditum à Gisleberto Comite Brionniæ, de quo Willelm. Gemitic. *lib.* V. *cap.* IX. *& Orderic. Vitalis, lib.* III. *&* V. & Abbate conuento apud eosdem iudices, ipse noluit coram eisdem respondere. Imò posterius alias literas impetrauit, ad alios iudices, contra eundem Abbatem: non facta priorum mentione, coram quibus conuentus Abbas excepit, se non posse conueniri super eodem apud diuersos iudices, ex diuersis rescriptis, atque ita se non teneri respondere coram iudicibus datis, posterioribus literis, cùm iam conuentus esset coram aliis iudicibus prioribus literis, quæ per secundas nequaquam erant reuocatæ. Consultus Pontifex quid iuris esset, respondit si idem super eodem negotio diuersas literas impetrauerit, ad diuersos iudices, quarum posteriores non faciant mentionem priorum, impetrantes vtrarumque literarum commodo carere debere, quia dolus cuiquam patrocinari non debet. Imò si quis siue super eodem negotio, siue super pluribus personalibus actionibus, quæ coram eodem iudice possent commodiùs tractari, diuersas literas ad diuersos iudices impetrauerit, vtrarumque literatum commodo caret, & in expensas condemnatur, quia huiusmodi literæ impetratæ censentur, aduersarij distringendi & vexandi gratiâ, *cap. vlt. infrà, hoc tit.* Si idem contra eumdem plures actiones personales habeat, ad eumdem iudicem enndum, & si actor diuersas literas ad diuersos iudices impetrauerit, vtrarumque commodo caret. Reus quoque si actorem reconueniat, coram eodem iudice experiri debet, *cap. dispendia, de rescript. in* VI. sic & iure ciuili si sint plura capita litis inter easdem partes, ad eundem iudicem eundum, ne causæ continentia diuidatur, *l. nulli prorsus, C. de iudic. l.* I. *&* II. *C. de quib. reb. ad eundem iudic. eund.* neve lusoriæ & contrariæ sententiæ reddantur, si res eadem disceptetur in diuersis tribunalibus, Nou. Iustin. XCVI. *cap.* II. Qui super eodem negotio diuersas literas impetrauit, ad diuersos iudices, vtrarumque commodo priuatur, in pœnam fraudis, ne fraus ei prosit, aliàs standum erat prioribus literis, quia non erant reuocatæ per posteriores literas, in quibus de prioribus non fiebat mentio. Posterius enim rescriptum non derogat priori nisi contineat mentionem prioris, & reuocationem eiusdem, *cap. ceterum, suprà, hoc tit.* Tum etiam quia res non erat integra, postquam literæ præsentatæ fuerant primis iudicibus, & vi literarum aduersarius conuentus fuerat coram eisdem iudicibus, ex quo priores indices habebant fundatam iurisdictionem, præsentatione literarum, & citatione partis, vbi cœptum est iudicium, ibi & finem accipere debet, *l. vbi acceptum, ff. de iudic.* Nec temere recedendum à iudicibus coram quibus lis semel cœpta, *cap. vt debitus, infrà, de appellat.* ne illudatur iudicibus, quæ ratio est cur postulantes non possunt recedere à postulatione semel præsentatâ Summo Pontifici, scilicet ne illudatur Pontifici, *cap. bonæ memoriæ* II. *infrà, de postulat. Prælat.* Sed potius est, si idem super eodem negotio diuersas literas impetrauerit, ad diuersos iudices neutras valere in pœnam doli, ne reus impunè distringatur in diuersos iudices, & temere vexetur multiplici labore & sumptu litis, *d. cap. vlt. & d. cap. dispendia.*

CAPITVLVM XVII.

CVM adeò scripta Sedis Apost. moderemur: .·. Scripsisti nobis, quòd cùm P. clericus in Ecclesia Modecensi sufficientem sibi sit præbendam adeptus, mirabaris quòd pro receptione ipsius in Ecclesia de Gronzola, Præposito & fratribus eiusdem Ecclesiæ literas miserimus: cùm si literarum nostrarum seriem adtendisses, nihil inuenisses in eis, quod debuisset tuum animum offendisse. Cùm enim in literis nec de præbenda ipsius mentio haberetur, nec Modecensis Canonicus, imò nec

clericus diceretur in eis: & in literis ipsius hæc esset adiecta conditio, si dignus existeret ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum: intelligere potuisses, qualiter literæ ipsæ fuerant impetratæ.

HOc cap. est de rescriptis ad beneficia, quæ vulgò mandata de prouidendo, seu gratias expectatiuas vocant, quarum originem, & vsum perscrutari conuenit hoc loco, vt plenior lux adferatur huic cap. & aliis quampluribus eiusdem argumenti. Iure communi collatio beneficiorum spectat ad ordinarium, eodem iure quo ordinatio clericorum, quia clerici non ordinabantur sine titulo, seu beneficio, *can. neminem, can. sanctorum* LXX. *dist.* Seriùs Romani Pontifices ad se reuocarunt collationem beneficiorum vacantium in cuiusque diœcesi, ne iniuria fieret ordinariis collatoribus, & vt singulis Episcopis sua iurisdictio tuta & incolumis seruaretur, *can. peruenit* I. *qu.* III. Nominatiores huius ætatis viri non altiùs repetunt huiusmodi rescriptorum vsum, quàm ab Alexandro III. sed ego rem altiùs repetendam affirmare ausim. Hoc ius vt cetera suas ætates, suáve incrementa habuit, ab initio Pontifices nuda commendatione, & prece vsi sunt, apud Episcopos, itavt pauperiores clericos, qui Sedem Apostolicam diutino obsequio demeruerant simpliciter commendarent, quò eis de aliquo beneficio prouideretur, vt Gregorius I. Syracusano, & Fanensi Episcopis duos clericos se commendasse ostendit ipse *lib.* III. *epist.* XXV. *& lib.* V. *epist.* XLVII. Posteriores Pontifices commendationem & preces detorsere in præcepta, & mandata quæ erant obligatoria. Præbendam liberam, id est vacantem si qua esset, vel proximè vacaturam, pro Guarino clerico depoposcisse Innocentium II. ab Attone Trecensi Episcopo testis est Petrus Cluniacens. *lib.* II. *epist.* XXXIII. ad ipsum Attonem. *Pro Guarino clerico monachum nostrum præcurrente satis sobrium nobis Dominus Papa mandatum imposuit, vt si libera præbenda pateret ei daretur, si non, prima quæ occurreret præberetur, &c.* Pro alio Guarino presbytero præbendam in Ecclesia Carnotensi postulauit Pascalis II. & in vota propensiorem nactus est Iuonem Episcopum, si res sine scandalo fieri posset, sed aduersantes passus est Decanum & Capitulum. Auctor est ipse Iuo *epist.* CCXXVII. ad eundem Pontificem. *In hoc verò negotio tota pene Ecclesia cum Decano in faciem mihi restitit, & presbyterum petitorem præbendæ secundùm morem Ecclesiæ canonicari non permittit, &c.* Certè iste mandatorum vsus ab Alexandro III. magis in dies inualuit, vt constat ex *cap. eam te, sup. hoc tit.* quod est Alexandri ipsius, & ex eiusdem *epist.* XLIII. ad Abbatem & Capitulum S. Remigij Rhemensis, quæ legitur inter Epistolas huiusce Pontificis, quæ editæ sunt à Iacobo Sirmondo in calce Epistolarum Petri Cellensis, cuius verba attexere non piget. *Pastoralis cura & solicitudo, quam licèt immeriti disponente Domino gerimus, nos admonet propensiùs & hortatur, pro viris Ecclesiasticis, & præsertim pro his, qui nullum habent Ecclesiasticum beneficium, & sunt bonæ opinionis, & famæ, solicitos semper, & studiosos existere, & Ecclesiarum Prælatos, vt eis in competentibus beneficiis prouideant propensiùs innitare. Hac itaque ratione inducti,* &c. Eodem mandari genere vsus memoratur idem Alexander, in præbendis Marsnensibus, ignorans eas ascriptas monachis S. Remigij. Petrus Cellens. *lib.* VIII. *epist.* XV. *Nuper verò Dominus Papa, rem vt credimus ignorans, iam secundò scripsit Præposito nostro de Marsua, vt daret præbendam cuidam clerico Imperatoris, cùm nec Præpositus dare possit, nec sit præbenda quæ dari possit.* Pro Herueo clerico scripsit & idem Alexander Decano & Capitulo S. Aniani Aurelianensis de conferenda ei præbenda vacante, vel primùm vacatura. & post eum etiam Lucius III. non semel, sed iterum: at neutrius preces & præcepta exaudita, adeò grauis, & exosus erat ordinariis vsus huiusmodi mandatorum, quibus eis præcipiebatur collatio præbendarum & beneficiorum. Stephanus Tornacensis *epist.* CIX. ad Lucium P. *Scripsit pro eo felicis recordationis pater Alexander Decano & Canonicis sancti Aniani Aurelianensis, scripsistis & vos primò & secundò, sed neque preces, neque præceptum vestrum, quamuis tres præbendæ vacarent, voluerunt audire.* Id genus mandatorum ad vacatura, quòd inducant votum captandæ mortis, detestatur Ioannes Saresberiensis Policratic. *lib.* VII. *cap.* VIII. *Statuat ergo lex quod placuit letori, nam isti priuilegij principalis gaudentes beneficio, quicquid ambiunt sibi competere opinantur, Episcopos ad prima beneficia obligant, & de futura successione pacisci non verentur, restat vtique vt tristi pactio repleatur euentu, & illius quisque animetur, & ar-

metur in necem, cuius ambit successionem, si enim cedere moretur aduersantur, vexant, & multipliciter concutiunt possessorem. possessio namque parit aduersarium actioni in rem. Hoc iure tamquam graui & odioso ciuiliter vsi sunt Pontifices, nec statim ab initio coactionem, & vim intentarunt. Sed primùm monitionem & preces, inde præceptum, ac vltimò executionem, vnde concinnata tria diuersa genera literarum: priores monitoriæ, quibus Pontifex Episcopos rogando monebat, vt cui clerico de beneficio fortè vacante, vel proximè vacaturo prouideret: secundæ præceptoriæ, quibus monitioni non obsecuto præcipiebatur, vt pareret: tertiæ executoriæ, quibus per contumaciam, cessante ordinario, executor delegabatur qui ordinarium compelleret ad conferendum beneficium, vel ipse conferret. De his omnibus in *cap. constitutus, cap. ex insinuatione, cap. Capitulum sanctæ Crucis, cap. mandatum, cap. literis, infrà, hoc tit.* Huic generi rescriptorum amoliendæ etiam inuidiæ causâ, ne Episcopis suppeteret iusta causa conquerendi, hoc pacto beneficia conferri indignis & incapacibus, hoc adhibitum temperamentum, & medicamen, vt huiusmodi rescripta conciperentur sub vulgari clausula, si clericus pro quo scriptum erat dignus existeret, vt *in hoc cap.* Vbi cùm P. clericus qui obtinebat aliud beneficium idoneum, nempe erat Canonicus Modoicensis, (Modoicum oppidum in finibus Mediolanensium sedes regni Italici, vbi electus Imperator regni diadema suscipit, quod est insigne regni Italici, Otho Frising. *lib.* VII. *Chronic. cap.* XVII. Radeuic. de Gest. Frideric. *lib.* I. *cap.* XLIV. *& lib.* II. *cap.* VIII.) rescriptum impetrasset ad aliud beneficium sub clausula vulgari, si dignus existeret, non facta mentione alterius beneficij: Pontifex rescripsit Mediolanensi Archiepiscopo rescriptum nullius esse momenti, tamquam impetratum per obreptionem. Idoneis & capacibus tantùm conferri debent beneficia, *cap. nihil est, infrà, de elect.* Non est autem idoneus ad aliud beneficium, qui iam aliud sufficiens obtinet, *cap. conquerente, infrà, de cleric. non resid. cap. super, de præbend.* cùm beneficia Ecclesiastica comparata sint pro sustentandis inopibus clericis: quare in mandato de prouidendo plerumque solet exprimi clausula, si dignus existat, & si omissa sit tacitè inest, *cap. accepimus, infrà, de ætat. & qualit. & ord. præfic. & cap. fin. de præsumpt. cap. causam quæ, de elect.*

CAPITVLVM XVIII.

CAVSAM, quæ inter Præmonstraten. & Pramon. Ecclesias super possessionibus de Anapia vertitur: .·.·. Sed quia in literis animaduertimus fuisse insertum, quòd si alterutra partium citata legitimè, præsentiam vestram adire, vel iudicio vestro parêre contemneret: vos præsentis partis probationes recipere. & quantum de iure poteritis, in causæ cognitione ac decisione procedere minimè tardaretis. Nos volentes vt clausula illa (quantum de iure poteritis) quæ antequam de probationum receptione mentio fieret, fuerat inserenda: clausulam illam de receptione probationum præcedat: mandamus quatenus ipsam intelligentes ibidem, in causa iuxta tenorem literarum procedere non tardetis: prouisuri, vt si literarum auctoritate priorum, in eodem negotio legitimè est processum, firmum & stabile perseueret. alioquin si occasione clausulæ memoratæ aliquid constiterit in alterius partis præiudicium adtentatum, id viribus decernimus cariturum: mandantes, vt in decisione ipsius negotij (sicut præmissum est) tam super principali, quàm super incidentibus quæstionibus, adpellatione remota, canonicè procedatis.

HOc cap. sumptum est ex *cap.* VIII. *eiusd. tit. in* III. *collect.* & integrum extat apud Innocentium III. *lib.* I. *epist.* LXII. cui coniungenda est & *epist.* XIV. *eiusd. libri*, quæ pertinet ad eandem causam. Vertebatur causa inter Præmonstratense

&

& Prumiense monasterium, sic enim restituenda est lectio, ex vtraque epist. ipsius Innocentij, pro Pramocense. Præmonstratum est monasterium diœcesis Laudunensis, caput Ordinis Canonicorum regularium Præmonstratensium, quod patrem & auctorem habet Norbertum Roberto Montensi, & aliis. Prumiæ monasterium est Ordinis S. Benedicti in diœcesi Treuirensi, vbi Lotharius deposito imperio monachum professus, vitam finiuit, Reginoni Abbati eiusdem monasterij, *lib. 11. Chronic.* Vertebatur, inquam, causa inter Præmonstratense, & Prumiense monasterium, super quibusdam possessionibus, seu prædiis de Hanapia, cuius causæ cognitionem, & decisionem Pontifex hac de re aditus mandauit electo Decano, & Nicolao Canonico Cameracensi, rescripto adiecta clausula, quòd si alteruter litigatorum per contumaciam iudicio abesset, præsentis partis probationes reciperent, & quantum de iure possent in causa procederent. In executione rescripti subiit dubitatio super forma rescripti ob illam clausulam, quòd si alterutra partium citata legitimè, &c. probationes præsentis partis recipiatis, quæ videbatur contra ius commune: quia regulariter testes non audiuntur ante litem contestatam, *cap. exhibita, infrà, de iudiciis, cap. cum I. & A. de sent. & re iudicat. cap. 1. & 11. & cap. quoniam, vt lit. non contestat.* Aditus hac de re Pontifex respondit clausulam illam, quantum de iure poteritis, iuris intellectu præcedere clausulam illam de probationum receptione, & ante illam fuisse inserendam: vnde voluit quòd illâ clausulâ subintellectâ illo loco, vbi ponenda erat ab initio, in causa iudices ita procedant, vt quod legitimè actum sit in illa causa ratum sit, si quid verò occasione illius clausulæ de probatione testium recipienda, in præiudicium absentis partis fuerit attentatum; sit penitus irritum & inane, puta ve processus iudicum valeat, si reo legitimè citato tribus edictis, trina conuentione, & per contumaciam absente, processum sit ad testium receptionem, alioquin quod gestum est, sit irritum & viribus vacuum, testes enim non audiuntur ante litem contestatam, nisi reo absente per contumaciam, *d. cap. quoniam*, quia trina citatio ex qua contrahitur contumacia, habet vim & effectum litis contestationis, vnde si reus ritè trina citatione conuentus, per contumaciam iudicio absit, iudex præsentis partis probationes recipere, & in absentem sententiam dicere potest, vt *in hoc cap. & cap. causam quæ, de dolo & contumac. l. & post edictum, ff. de iudic.* Quia igitur clausula illa de probatione testium recipienda, aduersus absentem non defensum, erat contra ius commune, quòd testes non audiantur ante litem contestatam, debuit postponi clausulæ illi, quantum de iure poteritis, vt quod erat contra ius in rescripto modum & interpretationem reciperet à iure communi. Rescripta enim si quid in his à iure absonum inuenitur, interpretanda sunt secundùm ius commune, *l. 1. ff. de confirm. tut. & l. si quando, C. de inoff. testam.* Eiusdem causæ cognitio mandatur à Pontifice prædictis iudicibus, tam in lite principali, quàm incidentibus, appellatione remota, vt ostenditur *in fin. huius cap.* & hoc iure sæpius vtuntur Pontifices, vt dentur ab eis iudices appellatione remota, vt *in cap. 1. suprà, hoc tit.* & passim solus Princeps, vel Summus Pontifex potest dare iudices appellatione remota, itavt non liceat ab eis prouocare, *l. 1. ff. à quib. appell. non licet.* Huius verò clausulæ effectus est, non vt tollatur omnis appellatio, sed ea tantùm quæ à iure non indulgetur expressè, puta moratoria, friuola seu frustratoria, & à futuro grauamine, quæ iure canonico passim solebat admitti, sed non prohibetur appellatio à definitiua sententia, vel etiam ab interlocutoria, si iniustè grauatus fuerit appellans, *cap. pastoralis, infrà, de appellat.*

CAPITVLVM XIX.

CONSTITVTVS apud Sedem Apostolicam P. clericus proposuit, quòd cùm Celestinus prædecessor noster Decano, & Capitulo Bituricensi dederit in mandatis, vt ipsum reciperent in Canonicum & fratrem, & præbendam ei conferrent, si qua tunc in eorum vacaret ecclesia, vel proximò vacaturam: & ipsi cùm mandatum eius admittere non

curasset, eis præcipiendo mandauit, vt quod mandauerat, adimplerent: sibi super hoc executoribus deputatis: .·. Verùm pars aduersa respondit, quòd cùm in Bituricensi ecclesia certus esset numerus Canonicorum institutus, firmatus iureiurando, & per Romanum Pontificem confirmatus, & de hoc memoratus P. non fecisset in suis literis mentionem: intelligendum erat circunuenisse prædecessorem nostrum, & dictas literas veritate tacita impetrasse: .·.·. Dominationi vestræ mandamus, quatenus si legitimè vobis constiterit numerum Canonicorum, qui nunc est in eadem ecclesia, per Decanum & Capitulum eiusdem ecclesiæ iuramento firmatum antequam prædictus clericus literas executorias impetrasset, quicquid factum est occasione literarum ipsarum, irritum decernatis. Alioquin ei faciatis in eadem ecclesia præbendam (si qua vacat) sublato cuiuslibet adpellationis obstaculo, adsignari.

HOc cap. sumptum est *ex cap.* IX. *eod. tit. in* III. *collect.* & ex ipso Innocent. *lib.* I. *epist.* CCCXXXIII. Huius species hæc est. Petrus clericus literas impetrauit à Celestino III Pontifice, ad Decanum & Capitulum Bituricense de eo recipiendo in Canonicum, & conferenda ei præbenda, si qua vacaret, vel proximè vacatura. Et idem cessante Capitulo, præceptorias literas impetrauit, vt mandatum adimpleretur, datis executoribus. Actor Capituli excepit literas impetratas non valere tamquam per obreptionem obtentas, tacitâ veritate quòd in ecclesia Bituricensi, statuto certus & determinatus esset numerus Canonicorum, iuramento firmatus, & à Sede Apostolica confirmatus, de quo non esset facta mentio in literis. Pendente lite, morte sublato Celestino, Innocentius III. proximus eius successor mandauit Archiepiscopo Senonensi, vt si ei constaret statutum de certo numero Canonicorum, iuramento firmatum, & à Sede Apostolica confirmatum fuisse, antequam impetrans literas executorias obtinuisset, quicquid actum esset occasione illarum literarum, irritum esset & inane; alioquin præbendam si qua vacaret in ecclesia Bituricensi impetranti conferri curaret, vt ostenditur in *hoc cap.* Non valet rescriptum de recipiendo in Canonicum, & conferenda primùm vacatura præbenda, vbi esset certus numerus Canonicorum iuramento firmatus, & à Sede Apostolica confirmatus, & impletus tempore datæ literarum executoriarum, ob tacitam veritatem de certo numero Canonicorum, quia non præsumitur Pontifex velle derogare statutis ecclesiarum, *l. si quando, C. de inoff. testam. cap. Ecclesia* II. *infrà, de elect.* maximè statutis iuramento firmatis, ne auctor periurij videatur, *cap. si verò, infrà, de iureiurand.* Hinc etiam licèt in statutis ecclesiarum de certo numero Canonicorum semper exprimatur, vel intelligatur clausula, salua Sedis Apostolicæ auctoritate, vt traditur in integra Decretali, & *in Clem. quia contingit, de religios. domib.* & in omni iuramento excepta intelligitur auctoritas Papæ, *cap. veniens, infrà, de iureiurand.* quia Pontifex confirmando statutum sibi non præiudicat, quin possit mandare, vt Canonicus recipiatur, & præbenda conferatur vltra numerum, non obstante statuto ecclesiæ: tamen Pontifex non intelligitur derogare statutis ecclesiarum: præsertim iureiurando firmatis. Spectatur autem tempus datæ, seu impetrationis executoriarum literarum, id est an numerus Canonicorum fuerit à Capitulo iuramento firmatus, antequam Petrus clericus executorias literas impetrasset, vt sciatur an quod gestum est occasione illarum literarum sit irritum & inane, quia per literas monitorias non afficiebatur beneficium, neque per præceptorias, sed per solas executorias, *cap. si Capitulo, cap. si soli, de conc. præbend. in* VI. Sed quia mandatum Pontificis duo continebat, nempe vt clericus ille reciperetur in Canonicum, & vt primò vacatura præbenda ei conferretur, & ille in vim literarum fuerat simpliciter receptus in Canonicum, non assignatâ eidem præbendâ, videbatur nihil tentatum contra statutum ecclesiæ respectu præbendæ, atque ita rescriptum non esse rescindendum, quasi obreptitium in totum, cùm non augeretur per hoc numerus præ-

bendarum, nec mandaretur præbenda conferri de præsenti, sed veniret conferenda si quando vacaret, & obreptio esset tantùm respectu Canonicatus, quòd mandatum esset, vt reciperetur in Canonicum de præsenti, quod fieri non poterat nisi aucto numero Canonicorum, sed rescriptum vitiatur in totum ob obreptionem, & tacitam veritatem de certo numero Canonicorum. Subreptio vitiat gratiam in totum, etiamsi consistat in reticentia facti alieni, puta statuti de certo & iurato numero Canonicorum, quod impetrans probabiliter ignorare potuit, quia in rescriptis non tam spectatur culpa impetrantis, quàm intentio concedentis, *cap. postulasti, infrà, hoc tit.* Vix autem Pontifex si ei innotuisset statutum de certo numero Canonicorum, dedisset literas per quas infringeretur statutum Ecclesiæ, vt docet Panormitan. hoc loco.

Capitvlvm XX.

SVPER literis, quæ ab aliquibus ex malitia, & à nonnullis ex ignorantia (tacita veritate, vel suggesta falsitate) impetrantur à nobis, diuersos intelleximus diuersa sentire, aliis adserentibus eos debere prorsus carere omni commodo literarum, cùm mendax precator carere debeat penitus impetratis: aliis verò dicentibus, quòd etsi forma carere debeant in literis nostris expressa, nihilominus iuxta rigorem iuris sit à delegato iudice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem vel ignorantiam literas à nobis impetrant, huiusmodi credimus discretionem adhibendam, vt hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ peruersitatis pœnam, nullum ex illis literis commodum consequantur, ita videlicet, quòd delegatus (postquam sibi super hoc facta fuerit fides) nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo literas impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamuis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi literas dedissemus, delegatus non sequens formam in literis ipsis adpositam, secundùm ordinem iuris in causa procedat. Si verò per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa nos nullas prorsus literas dedissemus, à delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, vt partibus ad suam præsentiam conuocatis, de precum qualitate cognoscat: vt sic in vtroque casu eadem ratio quæ delegantem moueret, moueat etiam delegatum: & vbi delegans suas literas denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat.

HOc caput difficile est, & clauis huius tituli, vti summa præmonuit. Non valet rescriptum, nisi constet de veritate precum, ideo omnia rescripta concipiuntur sub hac clausula, si preces veritate nitantur, *l. vniuersa, C. de diuers. rescript. l.* 1 v. *C. si contra ius, vel vtilitatem public. l. interpositas, C. de transact.* Iure Ciuili nullum est ipso iure rescriptum, in quo deest solemnis hæc clausula, si preces veritate nitantur: sed iure Pontificio hæc clausula si omissa sit subintelligitur, *cap.* 11. *suprà, hoc tit.* Vtroque Iure, Ciuili & Pontificio, rescriptum per obreptionem, vel subreptionem impetratum, est nullum, *l.* 1. *C. si nupt. ex rescript. petant, can. non decentis* XXV. *qu.* II. Rescriptum impetrari dicitur per obreptionem, quod impetra-

tur tacita, & suppressa veritate, & ita in iure obtepere accipitur pto verum celare, *l. sed si hac lege, §. patronum, ff. de in ius voc. l. tres tutores, in fin. ff. de adm. tut. l. 1. & magis, §. pen. ff. de reb. cor. l. si quis obrepserit, ff. ad l. Cornel. de fals.* & hoc sensu Cyprian. epist. LXVIII. *Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quàm hic execrandus, qui fraudulenter obrepsit.* Subreptitium verò dicitur quod impetratum est per suggestionem seu expressionem falsi. Huiusmodi rescripta, per obreptionem, vel subreptionem impetrata, id est tacita veritate, vel suggesta falsitate, sunt nulla, itavt impetrans nullum ex his commodum consequatur, cùm mendax precator penitus carere debeat impetratis, *l. v. C. si contra ius vel vtilitatem public.* qua ratione vsus est Innocent. *in hoc cap.* & eodem argumento Augustin. in Ioann. cap. VII. *Quid enim facturus es, quò iturus es, si mentitus fueris in precibus, non quomodo dicitur in foro carebis beneficio rescripti, sed nec rescriptum impetrabis, iuris enim forensis est, vt qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetrauit.* Non valet, inquam, rescriptum, si impetretur per obreptionem, vel subreptionem, seruata distinctione huius capitis, quæ valde notanda est, aut enim rescriptum dolo impetratum per obreptionem, vel subreptionem; hoc casu rescriptum nullum est ipso iure; & impetrans nullum ex eo commodum consequitur, & iudex rescripto datus non debet procedere, statim atque ei facta fuerit fides de dolo, obreptione, & subreptione, vt ostenditur *in hoc cap.* exempli causa si vidua falsò mentiens se pauperem in quæstione feudi rescriptum daris iudicibus impetrauerit, huiusmodi rescriptum omnino corruit, & iudices dari non debent procedere, ne cognitio causæ adimatur domino feudi, ad quem spectat cognitio causæ feudalis, *cap. significantibus, infrà, de offic. delegat.* & si quis non tonsuratus mentiens se clericum, beneficium impetrauerit, ipso iure non valet impetratio, *cap. ex literis, infrà, de transact.* Quòd si per simplicitatem, seu per errorem, & ignorantiam rescriptum impetratum sit, suppresso vero vel suggesto falso, subdistinguendum est: aut talis falsitas expressa est, aut veritas tacita, quæ quamuis fuisset tacita, vel expressa, non reuocasset Pontificem à concessione rescripti, saltem in forma communi; hoc casu rescriptum catenus valet, vt iudex rescripto datus cognoscat non secundùm formam rescripti, sed seruato ordine iuris: quoties enim dubitatur de viribus rescripti, rescripta rediguntur ad ius commune, *cap. causam quæ, suprà, hoc tit. & cap. de cetero, infrà, de sentent. & re iudicat.* Vbi verò huiusmodi falsitas expressa est, vel veritas tacita, quæ tacita vel expressa Pontificem amouisset à concedendo rescripto, iudex datus nequaquam debet procedere, nisi eatenus vt partibus vocatis summariè cognoscat de qualitate precum, id est de veritate vel falsitate rerum, quæ expositæ fuerunt. Iudicis est cognoscere, an sua sit iurisdictio, *l. si quis ex aliena, ff. de iudiciis*, & hoc est quod dicitur de veritate precum inquiri oportere, *l. IV. C. si contra ius vel vtilit. public.* & itidem quod traditur in *l. II. C. eod. tit.* opposita præscriptione seu exceptione mendacij datum rescripto iudicem de obreptione, vel subreptione cognoscere debere, ne alioquin lusoria fint rescripta, & eorum executio impediatur varijs allegationibus. Non omittendum si rescriptum dolo impetratum sit per subreptionem vel obreptionem, vitiari in totum, & nullatenus prodesse vt disertè scriptum est *in hoc cap. & in cap. sedes, cap. ex tenore, hoc tit.* Quòd si in impetratione absit dolus, si sint plura capita, rescriptum vitiatur in eo capite, in quo obreptio vel subreptio incidit, non quoad alia capita, *cap. si eo tempore, eod. tit. in VI.*

CAPITVLVM XXI.

EDOCERI postulastis à nobis, vtrum per literas aduersus Abbates (nulla mentione habita de suis conuentibus) impetratas, teneantur Abbates ipsi super causis (quæ ad conuentus pertinent, & eosdem) de ipsis querelantibus respondere: ac licèt inhibita sit adpellatio, per adpellationis obiectum possint (ne respondeant) se tueri. Super quo duximus respondendum, quòd (nisi alia causa rationabilis suffragetur) per ad-

pellationem se tueri non possunt, quò minus debeant auctoritate literatum huiusmodi legitimè respondere: cùm ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare: nisi fortè Abbatis & conuentus negotia essent omnino discreta.

PRÆMONSTRATENSES sunt Canonici regulares, quorum Præfectus dicitur Abbas in inscriptione, & serie huius cap. Abbatis enim nomen conuenit tam Præpositis Canonicorum regularium, quàm monachorum, Conc. Turon. III. *can.* XXIV. Paris. VI. *can.* XVIII. Aquisgran. II. *can.* I. vt monasterij nomen æquè pertinet ad Canonicos regulares, atque ad monachos. Conc. Moguntin. I. *can.* XX. XXI. *cap. intelleximus, infrà, de ætat. qual. & ordin. præfic.* Abbas Præmonstratensis, qui est caput Ordinis, fortè consuluit Pontificem, vtrum Abbas in causa monasterij, conuentus ex rescripto, in quo non fiat mentio de conuentu teneatur respondere. Consultus Pontifex respondit Abbatem posse conueniri, in causis monasterij per rescriptum, in quo Abbatis tantùm, & nulla conuentus mentio habeatur. Ratio redditur, quia Abbas tenetur ex officio, congregationis suæ negotia procurare; nisi fortè Abbatis & conuentus negotia essent omnino discreta. Abbas tenetur procurare res monasterij: vt Episcopus & quilibet Prælatus res Ecclesiæ, *can. si priuatum* XII. *qu.* I. *cap.* II. *infrà, de donat.* Quia res monasterij sunt communes inter Abbatem, & conuentum, *cap. cùm ad monasterium, de stat. monach.* & ideo in causis monasterij potest conueniri ex rescripto, in quo nulla fiat mentio monasterij, sed Abbatis tantùm, quia naturaliter res monasterij spectant ad curam, & solicitudinem Abbatis: nisi res Abbatis & conuentus sint omnino discretæ, id est mensæ Abbatis, & conuentus diuisæ, quoad rem & administrationem. Melioribus sæculis omnia fuerunt communia inter Abbatem, & monachos, quibus erat vna anima, cor vnum; refrigescente caritate; & studio regularis vitæ, maximè ex quo auditum est nomen fiduciariorum, seu commendatariorum Abbatum, diuisæ sunt mensæ Abbatum, & monachorum, vt tolleretur materia litium, & discordiæ, quam communio rerum solet excitare, *l. cum pater*, §. *dulcissimis. ff. de legat.* II. Eo consilio diuisas fuisse mensas inter Abbatem & conuentum Westmonasteriensem in Anglia testatur Matthæus Paris *ad ann.* MCCLI. *Abbas enim conabatur factum antecessoris sui Richardi auctoritate Apostolica irritare, qui bona Ecclesiæ sua in vsus suos, & vsus conuentus, vt maiori pace gauderent separauerat, & summo conamine nitebatur diuisa solidare, & omnia nutibus suis inclinare.* Res monasterij quandoque diuiduntur inter Abbatem & monachos, quoad rem, non quoad administrationem, vt certis bonis ascriptis mensæ Abbatis, & certis mensæ conuentus; nihilominus vniuersa Abbas administret, perinde ac si nulla esset rerum distinctio inter eos. Aliàs res sunt diuisæ, quoad rem, & administrationem, ita vt Abbas & monachi, singuli per se sua administrent. & tunc Abbas non potest conueniri in causis conuentus, ex rescripto, quod pertineat ad Abbatem tantùm, non ad conuentum; cùm res omnino diuisæ sint, quoad rem & administrationem. & hic est casus qui excipitur *in hoc cap.* Extra hunc casum Abbas, vel quilibet Prælatus, in rebus Ecclesiæ, vel monasterij potest conueniri ex rescripto, in quo Abbatis vel Prælati tantùm fiat mentio, non Ecclesiæ vel monasterij: quia Abbas vel Prælatus est procurator natus rerum Ecclesiæ, vel monasterij. Neque obest quòd rescripta non extenduntur de vna re, vel persona ad aliam, *cap. significante, cap. Rodulphus, cap. significauit, infrà, hoc tit.* Quia Abbas vel Prælatus est vna & eadem persona, vnum & idem corpus, cum Ecclesia, vel collegio fratrum, *cap. nouit, de his quæ fi. à Prælat. sine consir. f. Capitul.* Et idcirco licèt Abbas conueniatur in causa conuentus ex rescripto, quod pertineat ad Abbatem tantùm, non ad conuentum, non fit extensio de re ad rem, vel de persona ad personam, quòd Abbas cum conuentu vnum corpus constituat, & regulariter sit procurator rerum monasterij sui, nisi mensæ sint omnino diuisæ, inter Episcopum & Abbatem, quod contingere potest, vel ex lege fundationis per patronum dictâ, *cap. cùm dilectus, infrà, de consuetud. cap. quanto, de censib.* vel ex statuto speciali, aut consuetudine præscripta, *cap. ea noscitur, infrà, de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. Capitul.* vt rectè docet Panor-

nitari hoc loco. Nec Abbatem impedit, quominus agat, vel conueniatur in causis monasterij, quòd monasterium, vt quælibet alia vniuersitas, non potest agere, vel conueniri nisi per syndicum, *l.* II. & III. *ff. quod cuiusque vniuersitat. l. vlt.* §. *defensores, de munerib. & honor. cap. vn. infrà, de syndic.* Quia monasterium, vel alia vniuersitas non potest per se agere, vel conueniri, sed tantùm per syndicum, sed hoc minimè officit Abbati, quin agat vel conueniatur, in causis monasterij, quia ex officio ipse est procurator, & quasi syndicus seu defensor monasterij.

CAPITVLVM XXII.

CVM dilecta in Christo filia R. custos Hesiensis Ecclesiæ, ac procurator G. monialis, super electionibus in eadem Ecclesia celebratis, litigauerint aliquandiu coram nobis: . · . · . Deprehendimus literas ad Abbatem de Remech. & suos coniudices impetratas, per subreptionem obtentas, cùm in eis illius articuli, videlicet de subtractorum resignatione, fuerit præter conscientiam nostram cognitio demandata, qui in prioribus literis ad Scholasticum Hildesensem, & coniudices suos obtentis, insertus fuerat: de quibus in secundis literis mentio non fiebat: & ideo, quod ipsarum literarum occasione dignoscitur adtentatum, duximus irritandum. Dictum insuper Scholasticum, & coniudices suos inuenimus minùs prouidè processisse. Cùm enim in literis nostris eisdem principaliter mandaretur, vt ad prædictam Ecclesiam personaliter accedentes, personæ idoneæ administrationem committerent abbatiæ, cui ad opus eius fieret hincinde resignatio subtractorum, ipsi formam mandati Apostolici transponentes, illo capitulo prætermisso, de aliis articulis inordinatè plurimum cognouerant: propter quod processum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac iuris ordinem adtentatum, irritum decernimus & inanem. Ideóque mandamus, quatenus G. & quibusdam aliis sororibus Ecclesiæ (sicut iustum fuerit) restitutis, & forma mandati nostri exacta diligentia obseruata, in negotio ipso ratione præuia procedatis.

HVIVS cap. quod sumptum est ex *cap.* XII. *eiusd. tit. in.* III. *collect.* species hæc est. Vacante monasterio Hesiensi diuisis votis R. custos monasterij, & G. monialis eiusdem monasterij in concursu electæ sunt: lite super hac re morâ, cognitio rei à Pontifice mandata est Hildeshemensi Scholastico, & aliis sub hac formulâ, vt ipsi personaliter accedentes ad monasterium, personam idoneam in Abbatissam eligerent, & primùm cognoscerent de subtractorum resignatione, id est restitutione. Resignare enim etiam melioris æui scriptoribus accipitur pro reddere, Horat. *lib.* III. *Carmin.*

Si celeres quatit pennas, resigno quæ dedit.

Et idem *lib.* I. *epist.* VII.

Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno.

Illi peruerso ordine iuris, & rescripti, omisso articulo de subtractorum resignatione, seu restitutione, de aliis articulis litis, puta de electione, & aliis incidentibus inordinatè cognouerunt, ideóque Pontifex censuit eorum gesta nulla & irrita esse, quia iudex datus debet procedere secundùm formam mandati, & processus contra formam rescripti, est nullus & irritus, *cap. venerabili, infrà, de offic. delegat.* Prius autem errat si spectes ordinem iuris, & rescripti, vt iudices dati cognoscerent de resignatione, seu restitutione ereptorum, quia de iure spoliatus ante omnia restituendus, *l.* I. *C. de appellat. l. vn. C. si de moment. possess. fuer. appellat. l. si de vi, ff. de iudic.*

cap. 1. infrà, de restit. spoliat. Et congruenter rescripto præcipiebatur datis iudicibus, vt primùm de restitutione subreptorum cognoscerent. Postmodum eadem causa fuit mandata Abbati de Remech, & coniudicibus, & rursus Pontifex acta eorum irrita iudicauit, quia rescriptum quo dati erant, obreptitium visum est, & in eo articulus ille de subtractorum resignatione præter conscientiam, id est sententiam Pontificis obrepsit, quòd priori rescripto continebatur, de quo non fiebat mentio in posteriori. Rescriptum posterius non ideo desinit esse obreptitium, quòd mentionem faciat de priori in genere, nisi & mentionem faciat de eo in specie, id est de qualibet speciali clausula seu articulo contento in priori rescripto, *cap. inter monasterium, infrà, de sent. & re iudic.* Ideo iudicatum, posterius rescriptum per obreptionem impetratum, quod etsi faceret mentionem de priori, vt existimat Hostiensis hoc loco, hoc erat in genere, non in specie, nec enim mentionem faciebat de articulo illo subtractorum resignationis, qui priori rescripto continebatur. Denique Pontifex tertio rescripto mandauit Archiepiscopo Magdeburgensi, & W. Canonico, vt G. & quibusdam aliis monialibus, quæ per vim monasterio deiectæ erant restitutis, & formâ mandati diligenter seruatâ, in negotio procederent, vt ostenditur *in hoc cap.* Non incongruum Archiepiscopo Canonicum adiungi, inter iudices datos à Sede Apostolica, quia Canonici sunt fratres Episcopi, & vnum cum eo corpus efficiunt, *cap. nouit, infra, de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* Vnde ab ipso ad osculum admittuntur, *cap. dilecto, infrà, de prebend.* Canonici cathedralium ecclesiarum, sunt idonei executores mandatorum Apostolicorum, adeóque non minores iudices delegari possunt à Summo Pontifice, quàm dignitatis vel personatus compotes, vel Canonici cathedralium ecclesiarum, *cap. statutum, eod. tit. in* VI. vel Officialis principalis Episcopi, aut Prior conuentualis. Officialis foraneus, vel Prior claustralis non item, *Clem. etsi principalis, eod. tit.* Rescripta Pontificia non ad alios exequenda diriguntur, quàm ad maiores clericos, in dignitate vel personatu constitutos vel Canonicos cathedralium ecclesiarum, ob dignitatem delegantis, quæ offenderetur electione minorum clericorum. Non aliis quàm Timotheo, & Tito epistolas scripsit Paulus Apostolus, etsi haberet Lucam & alios Discipulos, magnâ & singulari virtute præditos, nempe quòd isti iam in dignitate Ecclesiastica positi essent, & Ecclesiæ gubernacula eis credita essent, vt rectè obseruat Chrysostom. in præf. in priorem epist. ad Timotheum, τίνος οὖν ἕνεκεν Τίτῳ ϗ Τιμοθέῳ γράφει μόνοις, ὅτι τούτοις ἤδη ἐκκλησίας ἦν ἐγκεχειρηκώς, *Cuius ergo rei gratia Tito ac Timotheo tantummodo scribit, quòd his iam ecclesiæ gubernacula tradiderat.*

CAPITVLVM XXIII.

PLERVMQVE contingit, quòd aliqui nostris literis impetratis, illis vti multo tempore postponentes, tum demum eas exhibent, cùm aliarum auctoritate, ab eis, contra quos primitùs literas impetrarunt, cœperint conueniri: dicentes posteriores literas non valere, vtpote non facientes de prioribus mentionem. Cùm igitur non sit malitiis hominum indulgendum: statuimus, vt si quis nostras literas impetrans, intra annum postquam copiam iudicum habuerit, ex malitia, vel negligentia postposuerit vti eis, auctoritate posteriorum literarum valeat conueniri, licèt in ipsis nulla de prioribus mentio habeatur.

ALIA sunt rescripta iustitiæ, alia gratiæ: rescripta iustitiæ sunt quæ ad ius referuntur, *l. falso, C. diu. rescript.* id est quæ pertinent ad lites: rescripta gratiæ sunt quæ pertinent ad beneficia quorum collatio est meræ gratiæ. Iure Ciuili rescripta iustitiæ sunt perpetua, nisi in his certum tempus definitum sit, *d. l. falso.* Rescripta gratiæ seu beneficia personalia, sunt annalia, vel saltem temporalia, puta priuilegia & immunitates, morte concedentis extinguuntur, & indigent confirmatione Principis. Ex instituto Tiberij fuit, vt Principes initio principatus confirmarent priuilegia, &

immunitates, *l.* VI. *ff. de excus. tut. l.* XIV. *C. Th. de Pagan.* Tranquill. in Tito, *cap.* VIII. *Plin. lib.* X. *epist.* LVIII. Sidon. *lib.* V. *epist.* XVI. Ex quo colligitur beneficia Principum suapte naturâ non esse perpetua, cùm morte Principis tollantur, & confirmatione Principis egeant, sed tamen beneficia Principum, eorumdem indulgentia desinunt in perpetua, vixque solent reuocari, sine causa: quare priuilegium Antiochensium durare dicitur, *l. Antiochensium, ff. de priuileg. creditor.* & beneficium Principis perpetuò decet esse mansurum, Nou. Iustin. LXXXI. *cap.* II. Vnde desumpta est regula, *cap. decet, de reg. iuris in* VI. apud Cassiodot. *lib.* I. *variar. cap.* XXVI. *Quæ semel annuimus, rescindi in perpetuum non merentur.* Iure Pontificio rescripta iustitiæ sunt annalia, hoc iure si impetrans intra annum, dolo vel negligentia non vtatur rescripto, ex quo copiam iudicum habuit, id est in iure iudicióque experiundi potestatem, potest conueniri ex posteriori rescripto, etiamsi in eo non fiat mentio prioris, vt *in hoc cap. & cap. si autem, suprà, hoc tit.* Rescripta iustitiæ non sunt purè, & simpliciter annalia, sed ita demum si impetrans dolo & culpa, id est negligentia eo non vtatur intra annum, & posterius rescriptum contrarium impetretur, vt consentiunt Compostellanus, Innocent. Hostiensis, Io. Andreas hoc loco. Hodie in Gallia omnia rescripta sunt annalia, & lapsu anni extinguuntur, nisi intra annum mandentur executioni, vel res non sit integra. Rescripta verò gratiæ sunt perpetua, vel saltem durant vltra annum, vnde & morte concedentis, etiam re integrâ, non perimuntur, *cap. si super gratiâ, de offic. deleg. in* VI. *cap. si cui, de præbend. eod.* Certè impetratio beneficij non potest in iudicium deduci vltra annum, ex *Reg. Cancellariæ* XXXV. *de impetratione beneficiorum.* propter odium impetrationis: sed prouisiones ex causa resignationis in fauorem porriguntur vsque ad triennium, saltem superstite resignante.

CAPITVLVM XXIV.

CVM contingat: . . . Præterea cùm quidam super aliquo litigantes, ad diuersos iudices literas impetrant, quorum quidam obtenti à parte altera tibi mandant, vt partem aduersam denuncies excommunicationis sententiæ subiacere, aliis iudicibus postmodum tibi iniungentibus, vt eandem denuncies absolutam, quæris, an vtrisque, an neutris, vel alterutris saltem obedire debeas in hac parte. Super quo tuæ prudentiæ respondentes, credimus distinguendum, an cùm primum mandatum recepisse dignosceris, tibi forsan innotuerit inter illos & alios super iurisdictione discordiam suscitatam, an super hoc nihil omnino sciuisti. Et quidem si super contentione huiusmodi nihil tibi penitus innotescat, cùm primum mandatum recipere te contingit: illud debes humiliter executioni mandare. Sed si postea contrarium tibi ab aliis demandatur, tunc literarum ad vtrosque à Sede Apostolica obtentarum copia postulata (quas tibi auctoritate præsentium districtè præcipimus exhiberi) si ex ipsarum tenore deprehenderis euidenter (ita quòd non sit aliquatenus hæsitandum) quòd literæ, quæ ad illos, à quibus secundum mandatum receperis, impetratæ noscuntur, expresè reuocent literas aliorum: tu illud intrepidus exequaris, quod tibi secundo loco mandatur. Si verò ex literarum inspectione manifestè tibi constet, quòd literæ obtentæ ad illos, qui primum dedêre mandatum, per alias minimè reuocantur: secundum mandatum nullatenus exequaris. Quòd si super hoc tibi meritò fuerit dubitandum: ad exequendum secundum mandatum te procedere non oportet, donec iuxta cuiusdam nostræ constitutionis

stitutionis tenorem inter eos huiusmodi concertatio sopiatur. Et idipsum facere debes, si primo mandato recepto, & nondum executioni mandato, tibi forsan innotuerit, quòd inter se super iurisdictione demandata cœperint disceptare. Cæterùm in his omnibus puram & pro nidam te conuenit intentionem habere: ne vel ad declinandum mandatum dubitare te dicas, vbi dubitandum non est: vel etiam ad exequendum te adseras esse certum, vbi certus esse non debes. Licèt autem ex his certa tibi detur doctrina, qualiter in his te debeas habere, nulla tamen tibi attribuitur potestas, vt inter delegatos, aut partes de iurisdictione debeas iudicare.

ORDINARIVS tenetur exequi mandatum iudicis delegati à Pontifice, quia delegatus in causa delegata gerit vices Summi Pontificis, *c. p. sane 11. c. p. significasti, infrà, de offic. delegat.* & delegatus in causa delegata, maior est ordinario, *cap. postulasti, §. preterea, infra, de offic. ordinar.* Hinc quæritur *in hoc cap.* an ordinarius teneatur exequi mandata contraria perlata à diuersis iudicibus delegatis, & Pontifex rectè distinguit, si eo tempore, quo recepit prius mandatum ignorauit contentionem esse de iurisdictione inter delegatos, hoc casu debet prius mandatum exequi, quia non potuit diuinare, *cap. vt nostrum, infrà, vt Eccl. bene.* Quòd si postea contrarium mandatum ab aliis delegatis receperit, tunc postulare debet, vtrumque rescriptum sibi exhiberi, quia rescriptum non probatur, nisi per scripturam, imò rescriptum probatur per authentica, id est originalia, non per exempla, *l. sancimus, C. de diuers. rescript. l. 1. C. de mandat. Princip. l. prohibitum, C. de iure fisc. cap. cum in iure peritus, infra, de offic. delegat.* Ita vt si planè constet, ex ipsis verbis, primum reuocari per secundum, secundum statim exequatur: quòd si super hoc dubitet, executionem mandati suspendat, donec inter vtrosque delegatos huiusmodi concertatio sopiatur, iuxta cuiusdam constitutionis ipsius Innocentij tenorem, id est per arbitros, iuxta *cap. pastoralis, suprà hoc tit.* Idem ordinarius obseruare debet, si recepto primo mandato, & nondum executioni mandato, fortè cognouerit iudices delegatos diuersis rescriptis inter se de iurisdictione disceptare, sed cauere debet ne inter delegatos, aut partes de iurisdictione sibi cognitionem assumat, vt subditur *in fin. huius cap.* Ratio est, quia executor datus iudicati exequendæ causâ, habet nudam executionem, non causæ cognitionem, habet tantum ius exequendi, non iudicandi, aut retractandi rem iudicatam, imò nec interpretandi, *l. si vt proponis. l. vlt. C. de execut. rei iudicat.* Vnde ab executore sententiæ non appellatur, nisi modum iudicati excedat, *l. quoniam, C. de appellat. l. ab executione, C. quor. appel. non recipiantur.*

CAPITVLVM XXV.

OLIM ex literis sancti Nicasij Remensis, Sarginensis, & Vallis Regiæ Abbatum fuit nostris auribus intimatum, quod cum ad eos semel & iterum à nobis literæ processissent, super eo videlicet quòd P. clericus sancti Remigij, parœciam de Salice quam R. de Cliuo per interpositam personam sibi collatam fuisse proposuit, detinebat, ipsi partes semel, secundò, & tertiò citauerunt, & dictum P. quia citatus pluries comparere noluit per se vel per responsalem aliquem coram eis, excommunicationis vinculo innodantes, fecerunt fructus ipsius parœciæ sequestrari. Cumque postmodum idem P. accedens ad eos se iuri promiserit pariturum, ac obtinuerit se absolui: ipsi absolutionis literas concedentes, diem ei adsignauerunt, & locum, quibus coram eis, quod promiserat adimpleret: qui diem & locum ex literis illis radens, in loco

E

raſuræ ſcripſit, quòd ipſi ei ſequeſtratos fructus adſignari mandabant: quod coram duobus eorum tandem (tertio ſui abſentiam excuſante per literas) eſt confeſſus. Nos igitur cùm tantæ temeritatis exceſſus falſitatis ſcrupulo non careret: vobis dedimus in mandatis, vt (ſi eſſet ita) ipſi præſumptori ſuper dicta parœcia perpetuum ſilentium imponentes, præfato R. de Cliuo adſignaretis eandem cum fructibus ſequeſtratis. Verùm ſicut vos per veſtras nobis literas intimaſtis: cum dictus R. raſuram præfatam coram vobis per teſtes idoneos probauiſſet: & ob hoc poſtulaſſet ſibi dictam eccleſiam adſignari: vos vtrum clauſula illa (ſi eſſet ita) de omnibus ſuperioribus, an de articulo tantùm raſuræ deberet intelligi, dubitaſtis: Nos igitur reſpondemus, quod clauſula illa ad omnia debet ſuperiora referri, ad hoc vt ipſi R. præfata eccleſia conferatur: quia licèt vitium falſitatis ad imponendum ei perpetuum ſilentium ſuper eccleſia ipſa ſufficiat, qui falſitatem huiuſmodi perpetrauit, non tamen propter hoc eadem eccleſia eſt aduerſario adſignanda, niſi ſuper aliis facta fuerit plena fides.

HOc caput deſumptum eſt ex *cap.* II. *eiuſd. tit. in* IV. *Collect.* & Innocent. III *lib.* XV. *regiſtr. epiſt.* VI. Huius capitis ſpecies hæc eſt. P. clericus S. Remigij parochiam de Salice detinebat, quam R. de Crun, vel de Cruncio, vt habet Innocent. III. *in d. epiſtola.* malè in collectione Raimundi R. de Cliuo. Quam, inquam, R. de Crun per interpoſitam perſonam ſibi ab Abbate S. Remigij collatam fuiſſe dicebat, id eſt per alium ſuo nomine, quod à iure alienum non erat, quemadmodum enim beneficium eccleſiaſticum poteſt conferri abſenti, *cap. ſi tibi abſenti, de præbend. in* VI. ita & abſens per alium poteſt de eo inueſtiri, *cap. accedens, infrà, de præbend.* Vnde idem R. de Crun reſcriptum ſeu commiſſionem à Pontifice impetrauit ad Abbates S. Nicaſij Remenſis, Signiacenſem, (ita enim reſtituendum ex d. epiſt. Innocent. III. malè Sargienſem Raimundus, Signiacum eſt monaſterium diœceſis Remenſis Ordinis Ciſtercienſis, vulgò *Signy*) & Vallis Regiæ, Vallis Regiæ eſt monaſterium eiuſdem Ordinis & diœceſis. Iudices delegati partibus iterum & tertiò citatis d. P. clericum ob contumaciam, excommunicationis vinculo innodarunt, fructus ipſius parochiæ ſequeſtrari fecerunt. quæ duo etiam à iure non abhorrent: excommunicatio enim infligi poteſt ob contumaciam, *can. abſit* XI. *qu.* III. & ob contumaciam fructus ſequeſtrantur, vt *in hoc cap. & cap. ex literis, infrà, de dol. & contumac.* In aliis cauſis ſi poſſeſſor condemnatus appellauerit, rectè fructus ſequeſtro deponuntur, *l. ab executione, C. quor. appell. non recipiant.* Aliàs ſi petitor condemnatus appellauerit, poſt appellationem, fructus interim minimè ſequeſtrantur, niſi populentur, ſiue diſſipentur ab aduerſario, *l. Imperatores, §. vlt. ff. de appellat. cap. vlt. infrà, de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* Poſtmodum idem P. accedens ad iudices delegatos, promiſit ſe iuri pariturum, & ab eiſdem abſolutus eſt, datis literis abſolutionis, quibus indicebatur dies & locus, quibus coram iudicibus delegatis promiſſa adimpleret: ipſe verò locum & diem de literis radens, in loco raſuræ ſubiecit, quod mandatum eſſet, vt ſequeſtrati fructus eidem reſtituerentur. Re cognitâ Pontifex, cùm res falſi vitio non careret, mandauit G. de Vallibus, Magiſtro G. & P. de Finniis Canonicis Laudunenſibus, ſic enim reſtituenda eſt inſcriptio huius cap. ex prædicta epiſt. Innocentij III. male Raimundus Magiſtro G. & P. de Firmiſca. His, inquam, mandauit, vt ſi ita eſſet, ipſi prædicto P. ſuper dicta parochia perpetuum ſilentium imponerent, & præfato R. de Crun eandem parochiam aſſignarent cum fructibus ſequeſtratis. Cum verò dictus R. præfatam raſuram, id eſt vitium falſi, quod inerat raſuræ, per idoneos teſtes probaſſet, & poſtularet prædictam parochiam ſibi adiudicari, iudices dubitauerunt vtrum clauſula illa (ſi ita eſſet) pertineret ad omnia ſuperiora, an ad articulum raſuræ dumtaxat, & in dubio conſuluere Pontificem. Conſultus Pontifex reſpondit, clauſulam

[illegible] appositam [illegible] ne rescripti, ad [illegible] ad hoc vt [illegible] ecclesia [illegible] atur: etsi enim qui falsum [illegible] per beneficium [illegible] priuandus [illegible] tamen propter hoc aduersarius [illegible] actor, non erat instructurus beneficium, nisi constaret de iure actoris, vt [illegible] *in hoc cap.* Pœna falsi [illegible] est, quod qui falsum committit in causa beneficiali iure suo cadit, vt in [illegible] *cap. & cap.* [illegible] *rum, infra, de crimine fals.* nec immeritò, qui enim per artem falsi aditum [illegible] parat ad beneficium ecclesiasticum, ipso [illegible] exemplo [illegible] dum [illegible] relinquit, vt qui per simoniam occupat beneficium. [illegible] le est [illegible] peragar [illegible] exitu, quæ malo inchoantur principio, vt ele[illegible] ante [illegible] Leo M. *epist.* LXXXV. quam retulit Gratianus in *can. principatus* I. *qu.* I. & Iure Ci[illegible] [illegible] causa sua, qui falsum committit causâ cadit, [illegible] *in fraudem § quoties, ff. de* [illegible] Stulte [illegible] debatur P[illegible] falsum commisisse in literis a [illegible] iudicibus datis, sine vlla necessitate, quia rasura literarum nihil ei prodesset, [illegible] fructus sequestrati ipsi restituerentur. absolutio remittendo contumaciam, simul & tollat sequestrationem fructuum: sequestratio fructuum, facta ob contumaciam reuocatur, nuda satisfactione, id est præstita cautione per contumacem de iuri obtemperando, *cap.* I. *de dol. & contumac. cap.* I. *de sequestr. poss.* [illegible] *& fruct. unm,* [illegible] *cap. past* [illegible] §. [illegible] *de offic. ord.* [illegible] *cap. quoniam, vt lite non cont. stat.* Sed pœna falsi [illegible] modi [illegible] reo, etiamsi [illegible] non releuet: maximè in causa beneficiali, in qua odio falsi, qui falsum committit, penitus causa cadit, & ita iudicatur. Boë[illegible] *qua* [illegible] Rebuff. *de pac.* [illegible] *num.* [illegible] Qui falsum, [illegible] committit cadit beneficio, de quo [illegible], non [illegible] erat de iure suo, quia [illegible] vitio, quam propter iure obtineri debet, nec sine canonica institutione, id est sine titulo obtineri potest, *cap. ex frequentibus, de institut. cap.* I. *de R. I. in* VI. Clausula verò (si ita esset) in fine rescripti apposita, refertur ad omnia superiora, non ad rasuræ, id est falsitatis articulum duntaxat, quia hæc clausula influit in totum rescriptum. Hæc clausula apponi solet omnibus rescriptis, & si omissa sit, subintelligitur, *cap. ex parte* II. *supra, hoc tit.*

CAPITVLVM XXVI.

DILECTVS filius Abbas [illegible] Stephani Bononiensis, per suas no[illegible] quod [illegible] visitationis officium in ciuitate ac [illegible] nsi commisimus, B. & A. presbyteros ab ecclesiis suis (propter eorum graues & manifestos excessus) duxerit amouendos: iidem super restitutione sua nostras ad te in communi forma literas impetrarunt, de amotionis suæ causa, & excommunicationis, qua tenentur adstricti, nullam facientes penitus mentionem. Nos igitur fraternitati tuæ mandamus, quatenus (si est ita) literas ipsas tanquam per veri suppressionem obtentas, viribus carere decernas.

VACANTE Sede episcopali, interim Visitator delegatur à Summo Pontifice, vt præsit viduatæ ecclesiæ, & res eius administret, & negotium electionis Episcopi promoueat, *can. obitum, can. Catinensis, can. vlt.* LXI. *dist. can. constitutum* VII. *qu.* I. [illegible]nde Visitator dicitur intercessor in *d. can. constitutum*, qui desumptus est ex Conc. [illegible]hagin. V. *can.* VIII. Balsamoni μεσίτης in *can.* LXXV[illegible]I. Syn. Carthag. Vel etiam o[illegible] [illegible]entiam Episcopi, vel aliam causam extra ordinem Visitator datur, vt sup[illegible] p[illegible] [illegible]entiam, vel impotentiam ordinarij, vt *in hoc cap.* Abbati S. Stephani Bononiensi [illegible] datum fuit visitandi officium in ciuitate, & diœcesi Bononiensi. Et huiusmodi Visitator potest clericos excommunicare, & amouere beneficiis suis ob delictum [illegible] *cap. & cap. cum I. & A. infra, de re iudicat.* Abbas iste [illegible] Visitationis officio [illegible], in ciuitate, & diœcesi Bononiensi B. & A. presbyteros excommunicauit, [illegible] ab ecclesiis suis, propter graues, & manifestos [illegible]sus. Iidem su-

per restitutione benefic[illegible] literas impetrarunt a Sede Ap[illegible] forma [illegible] ni, ad eundem Visitatorem, tacita causa excommu[illegible]cati[illegible] [illegible] fex rescripsit Visitatori, qui rem detulerat, tuendæ sententiæ [illegible] petratum in forma communi, super restitutione benefic[illegible] [illegible] mentio de causa excommunicationis & amotionis, non valere, ob vitium sub[illegible]. Re[illegible]ptum impetratum ab ex[illegible]municato, hoc iure non annul[illegible]atur abso[illegible] [illegible] capacitatem & inhabilitate[illegible] impetrantis, sed ob vitium su[illegible], co[illegible] [illegible]municatus non fecerit mentionem exc[illegible]mmunication[illegible], vt habe[illegible]r *in h*[illegible]. Sed iure nouissimo excommunicatus non pote[illegible] impet[illegible]riptum al[illegible]quod & rescr[illegible]ptum ab excommunicato i[illegible]petratum, ipso [illegible]re n[illegible], [illegible] et [illegible] per causa excommunicationis, vel appellationis, *cap.* 1. [illegible] *in* VI. & [illegible]oc procedit in rescriptis tam iu[illegible]itiæ, quam g[illegible]atiæ. [illegible]odie vero in r[illegible] [illegible] præter vel contra ius commune à Romano Pontifice [illegible]petran[illegible] [illegible] C[illegible] poni clausula, teque abs[illegible]luentes ab omnibus censuris, &c. p[illegible]r qu[illegible]m ex[illegible]m[illegible]icari a[illegible]soluuntur a quau[illegible] exc[illegible]mmunicatione, & absoluti cen[illegible]entur ad e[illegible]n impetrationis, & vt rescriptum valeat.

CAPITVLVM XXVII.

POSTVLASTI per Sedem Apostolica[illegible] edoceri, vtrum [illegible] ecclesiæ perpetuo vicario, de prouentibus vicariæ, bonisque [illegible] habenti vnde valeat commode sustenta[illegible], teneaeris per illa[illegible] form[illegible] communem: cùm secundum Apostolum, in ecclesiasti[illegible] be[illegible] [illegible] prouidere. Ad quod sic duximus r[illegible]spond[illegible] [illegible] prædictam necessitatibus p[illegible]m clericorum (qui n[illegible] sunt eccl[illegible]st[illegible] cum beneficium ads[illegible] Sedes Apostolica duxerit [illegible]tendum), perpetuus vicarius (nisi [illegible] vicaria fecerit me[illegible] [illegible] repu[illegible]are non debet de huiusmodi literis, vtpote veri[illegible]te tacita impetrati. Non enim carere beneficio debet dici, cui co[illegible] [illegible] perpetuæ vicariæ prouentibus est prouisum. Et pro habente benefi[illegible] sufficienti[illegible] subsidium, ex certa scientia super obtinendo alio beneficio, de leui non scribimus, quin faciamus de primo in nostris literis mentionem.

HOc caput desumptum est [illegible].*eod. tit. in* IV. *collect.* & e[illegible] ipso I[illegible]. III. *lib.* XVI. *regist. epist.* CLXV. ex qua resti[illegible]da est [illegible] [illegible]ap. & pro V[illegible]tisamen[illegible] Episcop[illegible] reponend[illegible]m Vratisla[illegible]ensi. Hic Epi[illegible]o[illegible] [illegible]n [illegible] sub Gne[illegible] Arc[illegible]episcopo totius Poloniæ Pr[illegible]te Vrat[illegible] Episcop[illegible] [illegible] [illegible]emdam clericum habentem vicariam perpetuam, & patrim[illegible] [illegible] de valeret commodè sustentari. Ordinatus absque titulo, rescriptum impetrauit a Summo Pontifi[illegible]e [illegible]ontra ordinatorem suum, in forma communi cum secundum Apostolum, vt ei prouideretur de beneficio ec[illegible]lesiastico, non facta m[illegible]on[illegible] de vicari[illegible] perpetua, vel de patrimonio. In dubio Episcopus consuluit Summum Po[illegible] vtrum habenti vicariam perpetuam, & patr[illegible]onium suffici[illegible]ns teneretur [illegible] de beneficio ecclesiastico in vim rescripti, in forma c[illegible], [illegible] s[illegible]stolum, in quo mentio non fiat de vicaria perpetua, vel de patri[illegible] & [illegible]ex respondit ordinarium non teneri clerico quem ordi[illegible] vicariam perpetuam, vel patrimonium sufficiens, d[illegible] [illegible]uidere, in v[illegible]m [illegible]usmodi rescripti in forma comm[illegible], [illegible], in qu[illegible] men[illegible] facta non sit de vicaria perpetua, v[illegible] [illegible] tacita i[illegible]p[illegible]ti, q[illegible]a t[illegible] scripta in forma commun[illegible] [illegible] c[illegible] Apostolum, no[illegible] s[illegible]ent dari nisi vt succurratur p[illegible]pe[illegible] c[illegible] q[illegible] ec[illegible]o c[illegible] vt [illegible]betur *in ho*[illegible] *cap.* [illegible] *prebend.* R[illegible]cripta a[illegible] [illegible]a al[illegible] [illegible]u[illegible] [illegible] c[illegible]mm[illegible], [illegible]n P[illegible]ex non so[illegible]

grauare ordinarios in collatione beneficiorum, sed solebat scribere ad eos vt ipsi prouiderent illis quos ordinauerant sine titulo: & hoc genus rescriptorum dicitur etiam in formam secundum Apostolum, quia innititur verbis Apostoli, *qui seruit altari*, &c. & eadem dicuntur impetrari in forma pauperum, quia pro pauperibus clericis tantùm rescripta conceduntur, secundum illam formam, vt *in cap. si pauper. de praebend. in* VI. Appellantur & literae iustitiae, quia ordinarius de iure tenetur prouidere clerico quem ordinauit absque patrimonio, *cap. Episcopus, cap. non liceat, infra, de praebend.* Alia sunt rescripta gratiae, cùm Pontifex de mera gratia confert beneficium alicui, vel mandat conferri, non habita ratione supradictorum, *cap. gratiae, hoc tit. in* VI. *Clem. gratiae, eod. tit.* In impetratione beneficij facienda est mentio vicariae perpetuae, vel cuiuscumque licet minimi beneficij, vt *in hoc cap. & cap. si proponente, infra, eo. tit.* etiam praestimonij, etsi consistat in temporalibus, quia praestimonia beneficiorum ecclesiasticorum iure censentur, *cap. quoniam, de concess. praebend. in* VI. Quaeritur an in rescriptis ad beneficia facienda sit mentio de patrimonio, & Pontifex *in hoc cap.* non respondet ad hunc casum, sed tantùm ad priorem casum propositum de vicaria perpetua, quia scilicet *in hoc cap.* principaliter quaeritur de vicaria perpetua, non de patrimonio: & quidem vulgaris opinio est quòd in literis iustitiae facienda est mentio de patrimonio, quia per huiusmodi literas tantùm prouidetur pauperibus clericis, vnde Episcopus per huiusmodi literas non tenetur prouidere habenti idoneum patrimonium, *cap. tuis, cap. Episcopus, cap. non liceat, infra, de praebend.* Secus in literis gratiae non est necesse facere mentionem de patrimonio: quorundam sententia est, quòd si impetrans fuit ordinatus sub titulo patrimonij, hoc casu debet fieri mentio de patrimonio, sed stylo Curiae seruari priorem sententiam tradit Panormitanus hoc loco. In vtrisque rescriptis iustitiae & gratiae videbatur mentio facienda etiam de patrimonio, quia beneficia ecclesiastica instituta sunt pro pauperibus clericis: vnde qui habet patrimonium sufficiens repellitur a beneficio ecclesiastico, *can. pastor* I. *qu.* II. *can. quoniam* XVI. *qu.* I. & Episcopus non tenetur prouidere clerico quem ordinauit habenti idoneum patrimonium, *d. cap. tuis, cap. Episcopus.* Sed tamen ferendum est laxiùs agi in rescriptis gratiae, quàm in rescriptis iustitiae, quia gratia non fundatur super iustitia, id est non recipit modum à iure, sed ex potestate & arbitrio concedentis.

CAPITVLVM XXVIII.

NONNVLLI gratia Sedis Apostolicae abutentes, literas eius ad remotos iudices impetrare nituntur, vt reus fatigatus laboribus & expensis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cùm autem per iudicium iniuriis aditus patere non debeat (quas iuris obseruantia interdicit) statuimus, ne quis vltra duas dietas extra suam dioecesim per literas Apostolicas ad iudicium trahi possit. Nisi de adsensu partium fuerint impetratae, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

EX Concilij generalis Lateranensis *cap.* XXXVII. vnde hoc caput sumptum est, nemo per literas Apostolicas potest trahi in iudicium, extra suam dioecesim, vltra duas dietas: quod comprobatur in *cap. dilectus proxime seq. & cap. ex parte, infra, de foro competent. cap. olim, de except.* Dieta hîc accipitur pro itinere vnius diei, & dieta quaelibet continet XX. milliaria seu sex leucas, *d. cap. ex parte, verb. vltra duodecim leucas* ad summum septem, & dietae computantur, non à domicilio rei, sed à fine suae dioecesis, *vt in hoc cap. & cap. sequenti*, & siue agatur personali siue reali actione, hoc iuris locum habet, vt non possit quis trahi in iudicium, vltra duas dietas, vt *cap. seq.* Hodie hoc caput correctum est in hac parte, per *cap. statutum, §. cum verò, & §. cum autem, hoc tit. in* VI. Ex quo constitutio de duabus dietis ad vnam restringitur, & imponitur, vt reus non possit trahi in iudicium vltra vnam dietam: sed hoc non seruatur in Gallia, & standum est constitutioni de duabus dietis, gloss. in Pragmatic. *tit. de causis*,

§. *statuit* 1. Alioquin si reus conueni[illegible] vltra duas dietas a [illegible] ne appellatur ad Senatum tamquam ab abusu. Ex constitutione Lateranensi [illegible] qui per literas Apostolicas in iudicium trahatur vltra duas dietas re[illegible]es iud[illegible] a[illegible]centur, ne partes fatigentur laboribus, & sumptibus litis, *cap.* [illegible] *in* [illegible] *hoc tit.* Eandem ob causam, omnibus Anglis à Sede Apostolica indultum est, ne [illegible] pecuniariis citra mare conueniri possint, *cap. dilecti, infra, de foro compet.* Vnde [illegible] minaregni Angliæ huiusce iuris contemptum refert Matthæus Paris, *d. ann.* M [illegible] VI. *Grauatur regnum Angliæ, quod Anglici extra regnum in causis auctoritate Aposto*[illegible] *contra regni consuetudines, contra iura scripta, eo quod inter inimic*[illegible] *inueniri non* [illegible], *& contra indulgentias a prædecessoribus domini Papæ Regi & regno* [illegible] *concessas.* Et olim Siculi hoc iure vsi sunt, ne extra prouinciam iud[illegible] fu[illegible]rent. M. Tull. II. in Verrem, *Siculi hoc iure sunt, vt quod ciuis cum ciue agat, domi* [illegible] *quod Siculus cum Siculo, non eiusdem ciuitatis, vt de eo Prætor iudices, ex P. Rup*[illegible] *decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem* [illegible] *Rupiliam vocant,* [illegible] *Quod priuatus a populo petit, aut populus à priuato Senatus ex aliqua ciuitate qui* [illegible] *datur, cùm alternæ ciuitates reiectæ sunt. Quod ciuis Romanus à Siculo petit,* [illegible] *tur: quod Siculus à ciue Romano, ciuis Romanus datur,* [illegible] *rerum* [illegible] *ex ciuium Romanorum conuentu proponi solent.* Eâdem ratione legibus nostris omnes causæ ecclesiasticæ apud iudices in partibus terminandæ, & si per appellationem d[illegible]tur ad Sedem Apostolicam, causæ cog[illegible] p[illegible]us per rescriptum [illegible]datur ex Pragmatic. & Concordat. *tit. de causis*, ne iniustis vexati[illegible]us m[illegible] p[illegible]catur, etiam in iurisdictione ordinaria, reus forum non sortitur extra p[illegible]. *non liceat, can. vnaquaque, can. neminem* III. *qu.* VI. Et h[illegible] est quod v[illegible], peregrinum iudicium, id est ecclesiasticum qui[illegible], sed [illegible] a [illegible] uinciam sit: *can. peregrina, can. leges ecclesiæ,* [illegible]. Iuo Carnotens. *epist.* XXXV. *Inuitauerunt me quidam* [illegible] *non compr*[illegible] *mei, qui sine auctoritate Apostolica mei iudices esse non* [illegible] *peregrina* [illegible] *momenti, Decretorum pariter & Canonum g*[illegible] *auctoritate ne* [illegible] *ernat auct*[illegible]. E[illegible] *epist.* LXXXV. *Cùm autem in prouincia vestra pere*[illegible] *iudicium no*[illegible], *pere*[illegible] *tamen non putamus esse consilium nostrum.* & G[illegible] V[illegible] *lib.* II [illegible] XXIV. *Omnino enim iniustum est, & sacris Canonibus, sicut* [illegible] *penitus* [illegible]*tur, vt ecclesiastica causa sæcularis, & p*[illegible] *iudi*[illegible] *terminetur.* Regula [illegible], vt ad [illegible]apitulum nostrum redeamus vnde paul[illegible]sper deflexi[illegible], ne[illegible] per l[illegible] Apostolicas in iudicium trahi, vltra duas dietas. Ab hac regula exc[illegible]untur d[illegible] casus *in hoc cap.* Primus est, n[illegible] literæ impetrentur de assensu vtriusque partis [illegible] volenti [illegible] infertur iniuria, nec d[illegible], *l. nemo* [illegible] *detur, de R. I. l.* [illegible] *donationis*, [illegible]. A[illegible]quando & vrbes ex priuilegio principali à suo foro ex[illegible] [illegible]rum extra prouinciam re[illegible]. P[illegible]n. *lib.* V. *cap.* I. *T*[illegible] *rerum* [illegible]*tions exempta & iura in Beticam petere iussa.* S[illegible]dus c[illegible] est, nisi in rescripto Pontific[illegible] p[illegible] [illegible]stitutione fiat men[illegible] d[illegible] requiritur expr[illegible] [illegible] & derogatio per huiusmodi clausu[illegible] non o[illegible] constitutione de duabus dietis, rescriptum non derogat constitut[illegible], nisi specialem & expressam de ea mentionem faciat, *cap. ex parte, infra, de capel. mona h.* quia constitutio cont[illegible] ius commune, cui non derogatur per rescriptum, cùm rescriptum contra ius c[illegible] non valeat, *cap. eam te, infrà, de ætat. & qua it. & ordin. præ*[illegible] *tend. can.* [illegible]. *qu.* II. Extra hos duos casus ne quis per literas Apostolicas in iudicium [illegible] vltra duas dietas, vetatur *in hoc cap.* vt parcatur lab[illegible] & sumptibus liti[illegible] ratione & ordinarius non potest causas audire, vel au[illegible] a diœcesim, *cap. vt litigantes, de offic. ordinar. in* VI. Ex [illegible] causæ non possunt mand[illegible] ni[illegible] clerici [illegible] canon[illegible]catum in ecclesia cathedrali obtin[illegible] infi[illegible]bus, vbi commodè per [illegible] VI. Ex[illegible]tio rescriptorum m[illegible] d[illegible] est maior ordinario in causa d[illegible]ta, [illegible] con[illegible]gru[illegible], [illegible] mand[illegible] a pe[illegible] exe[illegible] te[illegible] p[illegible] possit [illegible]

iunt ciuitates, quæ habent forum causarum, vel loca iudiciorum, *l. v i. ff. de excusat. tutor.* Dio Chrysostomus *orat.* XXXV. *μέγιστον νομίζω πρὸς ἰσχὺν πόλεως, τὸ τῆς δικῶν, καὶ πάντες ἐσπουδάκασιν ὑπὲρ οὐδενὸς οὕτω. Maximum ego reor esse ad ciuitates robur iudiciorum conuentum, & nullam ob rem omnes tantum studuere.* Et idem *orat.* XXXIX. *ὢ γὰρ ἴστε, ὅτι καὶ τοῖς οἰκοδομήμασι, καὶ ταῖς ἑορταῖς, καὶ τῷ δικάζειν αὐτοί, καὶ τῷ μὴ παρ' ἑτέροις ἐξετάζεσθαι, μηδὲ συντελεῖν ἀλλήλοις, καθάπερ οἶμαι, κώμην, πᾶσι τούτοις συναίρεσθαι πέφυκε τὸ φρόνημα τῆς πόλεως. Bene enim nostis quod & ædificiis, & diebus festis, atque proprij potestate fori, eóque quòd non cogantur apud alios pati inquisitionem, neque inferre tributa, sicuti opinor, vici, his omnibus efferri soleant animi ciuitatum.*

Sunt & alij, qui se ad nouum genus mercimonij conuertentes, vt vel sopitas possint suscitare querelas, vel nouas immittere quæstiones, fingunt causas, super quibus à Sede Apostolica literas impetrant, absque dominorum mandato: quas vel reo, (ne propter eas laborum vel expensarum dispendio molestetur) aut actori (vt per ipsas aduersarium indebitâ molestatione fatiget) venales exponunt. Cùm autem lites restringendæ sint potiùs, quàm laxandæ: hac generali constitutione sancimus, vt si aliquis super aliqua quæstione de cætero sine speciali mandato domini literas Apostolicas impetrare præsumpserit, & literæ illæ non valeant, & ipse tanquam falsarius puniatur. Nisi forte de illis personis extiterit, à quibus non debet exigi de iure mandatum.

Hac ætate fuere nundinatores rescriptorum, qui nouum genus mercimonij, id est negotiationis, & quæstus commenti, vt sopitas lites suscitarent, vel nouas inducerent, fingerent causas, super quibus à Sede Apostolica literas impetrarent, absque domini mandato, quas reo vel actori vendirabant, vexationis redimendæ, vel adornandæ gratiâ. Nouum genus mercimonij vocatur huiusmodi literarum, falso nomine impetratio, quod pecuniæ captandæ causâ fieret, & antè inaudita esset ratio quærendæ pecuniæ. Sic increpatur Paulus Samosatenus, quòd episcopale munus in quæstu & negotiatione habuerit, *πορισμὸν ἡγούμενος τὴν θεοσέβειαν*, vt ait Eusebius *lib.* VII. *cap.* XXIV. Hanc ob causam vt recidatur materia litium, eodem capite Conc. generalis Lateranensis sancitum est, vt si quis literas Apostolicas, sine speciali mandato domini impetrauerit, literæ non valeant, & impetrans, tanquam falsarius puniatur, nisi sit de coniunctis personis, à quibus non requiritur speciale mandatum, vt *in hoc cap. & cap. ex parte, infrà, hoc tit.* Non valet rescriptum ad lites impetratum sine speciali mandato domini, ne impunè liceat vexare alium per suppositam personam. Aliud est in rescriptis ad beneficia, ea pro alio impetrari nihil vetat, etiam sine speciali mandato, vt notat *gloss. hic, & in cap. ad aures, supra, hoc tit.* Quia in his abest suspicio doli & fraudis, & constitutio pœnalis non est amplianda. Obseruandum tamen est beneficium, licèt conferri possit absenti, non posse acceptari per alium, sine speciali mandato, quia acceptatio est actus personalis, *cap. si tibi absenti, de præbend. in* VI. Vnde etiam coniuncta persona non potest acceptare beneficium pro alio, in vim gradus seu nominationis sine speciali mandato, gloss. in Pragmatic. *tit. de collat. §. statuit, verb. procuratorem.* Dixi rescriptum ad lites impetratum sine speciali mandato non valere, nisi impetrans sit de coniunctis personis, in quibus non requiritur speciale mandatum. Coniunctæ personæ possunt agere in iudicio pro aliis sine speciali mandato, *l. sed & hæ personæ, l. Pomponius ff. de procuratorib. l. exigendi C. eod.* & per consequens non vetantur rescripta ad lites impetrare alieno nomine, sine speciali mandato. Item notandum est non valere rescriptum impetratum super mandato procuratoris reuocato, dummodo reuocatio domino, vel procuratori significata fuerit re integra, *cap. ex parte, infra, hoc tit. cap. in nostra, infra, de procuratorib.* (*lem cum illusio, de renuntiat.*) & ratihabitione non conualescere rescriptum post reuocationem procuratoris impetratum, *d. cap. ex parte*, quia quod ipso iure nullum est, ex post facto non conualescit.

TIT. IV. *De Consuetudine.*

CAPITVLVM II.

EX literis . . . Si vero aliquis possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis locis, in bona valetudine, vel vltima voluntate, pro suorum vult remedio peccatorum conferre, hanc conferendi formam esse proponis, quòd in huiusmodi donationibus mod[illegible] terræ consueuit in manu accipere, vel in extremitate pallij, quod manu Prælati ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio videntium & audientium, sub dicta forma, quæ scotatio vulgariter adpellatur . . . Discret. vestræ mandamus, quatenus donationes eorum, quæ sub obtentu consuetudinis claustris, ecclesiis, vel quibuslibet locis religiosis pie conferuntur, vel etiam sunt collata, faciatis irreuocabiliter obseruari: cum huiusmodi signum, quod scotatio dicitur, non tam factæ donationis, quàm traditæ possessionis sit euidens argumentum.

HOc caput depromptum est ex *cap. 1. hoc tit. in III. collect.* & ex registro ipsius Innocentij III. *lib. 1 epist.* CCCCXVIII. ex quibus ita restituenda inscriptio huius cap. Archiepiscopo & Capitulo Lundensi: perperam vulgata editio habet Lugdunensi. Errorem inscriptionis satis a[illegible] series co[illegible] capitis, quod spectat ad consuetudinem Daciæ, seu Daniæ, de formula traditionis rei donatæ ecclesiæ, vel aliis piis locis per cespitem terræ, impositum altari, quæ scotatio dicitur. Nec enim istud ad alium dirigi potest, quàm ad Archiepiscopum Lundensem, qui est Primas Daciæ, seu Daniæ, & Sueciæ, Saxon[illegible] Grammatico *lib.* XII. & Innocent. III. *lib. 1. epist* CCCCXV tum etiam quòd cap. *ad no[illegible]ram, infra, de probat.* quo damnatur lex, seu consuetudo Da[illegible]iæ, de pr[illegible]bat[illegible]e negatiuæ admittenda inscribitur & Archiepiscopo Lundensi. Daci seu Dani [illegible]uis legibus & moribus vtuntur, vnde nullus apud eos est vsus testamentorum, vt ostenditur in integra Decretali, *Quod regnum Daciæ, quantum ad ea quæ ad ius fori contingunt, consuetudinibus suis, & institutionibus Regum suorum omnino regatur.* Et in d. cap. *ad nostram* notatur lex regni Daciæ, per quam negatiuæ probatio admittitur. [illegible] Dacia, & Suecia, & aliis gentibus Septentrionalibus ignotum fere esse Ius Ciuile R[illegible] tradunt H[illegible], & Ioannes Andreas in cap. *super specula, infra, de priuileg.* Legibus Daciæ, [illegible]nquam, testa[illegible] Sunt adhuc multæ gentes quibus ignotus est vsus testamentorum: Germanis multis sæculis nullum fuit te[illegible]tum, Tacit. de eorum [illegible]b. *Hæredes successoresque, sui cuique liberi, & nullum testamentum.* Iure autem Daciæ valent donationes tum inter viuos, cùm mortis causâ, etiam sine prehensione corporali, vt docetur *in hoc cap.* Iure Ciuili donatio non perficiebatur nudo consensu, sed sola traditione corporali, *l. 1 l. per. C. Th. de donat.* Hodie verò donatio perficitur nudo consensu, vel [illegible]ctitiâ traditione, vt per retentionem vsusfructus, *l. quisquis, l. si quis argentum §. pen. C [illegible] de donat.* Etiam [illegible]die in Gallia, quæ moribus regitur, donatio nu[illegible]a e[illegible] seq[illegible] traditio [illegible]*uner & retenir, ne vaut.* Tamen moribus quarumdam re[illegible]ionum, donatio perfi[illegible] n[illegible]n modo verâ, & naturali, sed etiam ciuili & fictitiâ traditione vt c[illegible] Daciæ *in hoc cap.* donatio ecclesiæ vel ali[illegible] lo[illegible] re[illegible]iosis acquiritur [illegible] glebæ, id est glebâ fundi delatâ in ecclesiam, vel traditâ [illegible] n A[illegible] s c[illegible]siæ, vel impositâ super altare, quæ formula donationis sc[illegible] vul[illegible]it Pontifex *in hoc cap.* Sic dictam puta[illegible] V. C Io[illegible] T[illegible] Academiæ Primicerius, & post eum Fr. Florens. a scoti[illegible] q[illegible] d[illegible] en[illegible] [illegible]us esse ait quo terra effoditur. Sed vix est vt [illegible] est ligneum fla[illegible]llum, quo pueri cædu[illegible] [illegible]holis, Martial[illegible] Auson[illegible] L[illegible] probabilius est, si quid [illegible]pio, huiu[illegible] S[illegible] q[illegible] [illegible]tigal, tributum,

col[illegible]-

collationem, & ſymbolam reddit: vnde Anglicis ſcriptoribus paſſim ſcottum pro vectigali & tributo vſurpatur. Ingulfus Abbas *in Chronic. Croylandienſ.* ex charta Edredi Regis Anglor. *Et volo quòd dicti monachi ſint quieti & ſoluti ab omni ſcotto, gerdo, auxiliis Vicecomitum*, &c. Rogerus Houedenus *in VVillelmo Iuniore. Omne iniuſtum ſcottum interdixit, & conceßit omnibus ſyluas ſuas & venationem.* Inde cenſus Anglicanus, qui & denarius ſancti Petri, vulgò dictus eſt *Romeſcot.* Matthæus Weſtmonaſterienſ. *ad an.* DCCXXVII. *Statutum eſt generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, vt ſingulis annis de ſingulis familiis denarius vnus, qui Anglicè* Romeſcot *appellatur, beato Petro & Eccleſiæ Romanæ mitteretur.* Et Matthæus Paris *in vit. Offæ II. Regis Merciorum. Ab Apoſtolica conſuetudine & reditu, qui* Romſcot *dicitur Anglicè, denarius S. Petri Latinè.* Non alienum donationem piam, quæ fieret in eccleſiam, vel alia loca religioſa, dici ſcotationem à ſcoto, hoc eſt vectigali ſeu tributo vel ſymbola: quia huiuſmodi donatio plerumque eſt quaſi cenſus, ſeu vectigal, quod Deo penditur pro ſalute animæ, & remiſſione peccatorum: vnde dicitur fieri *in hoc cap.* pro remedio peccatorum: vel etiam quia donationes ſolebant in eccleſiam fieri per ſymbolam, id eſt collatitio ære. Quam ob cauſam ne clerici epulentur ἐκ συμβολῆς, id eſt collatione, quæ deſtinata erat in ſolatium Eccleſiæ vel pauperum, vetitum in Conc. Laodicenſi *c.* IV. & Conc. Martini Pap. *can.* LXI. *can. non oportet, can. non liceat,* XLIV. *diſt.* Nec inciuile, aut barbaticum eſt, donationem fieri per traditionem glebæ: nam & olim Iure Ciuili vindicatio fiebat in iure iudicióque, quaſi in re præſenti, delatâ vnâ glebâ fundi ad Prætorem, & in ea tamquam in toto fundo vindicatio fieri ſolebat, auctore Gellio *lib.* XX. *cap.* IX. Vt & vindicatio hæreditatis fieri ſolebat, acceptâ re aliquâ hæreditariâ vel minimâ, *l.* I. *C. Th. de legit. hæred.* Moribus etiam donatio perficiebatur per alia varia ſymbola, vt per traditionem gladij, galeæ, cornu, vel crateris, calcaris, ſtrigilis, arcus, vel ſagittæ. Ingulphus *in Chronic. modò laudato. Conferebantur anteà multa prædia, nudo verbo, abſque ſcripto vel charta, tantùm cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa, cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu, & nonnulla cum ſagitta.* Vnde in donationibus ſolennis fuit propinatio poculi mero pleni, Guill. Camdenus *in Britanniæ topograph,* ex veteri charta: *Vlphus Theraldi filius eccleſiam Eboracenſem dotauit, vt legitur in veteri libro, ex quo notanda eſt ſolennis formula donationum. Dominabatur Vlphus ille in Occidentali parte Deiræ, & propter altercationem filiorum ſuorum, ſenioris & iunioris, ſuper dominiis poſt mortem, mox omnes æquè fecit pares, nam indilato Eboracum diuertit, & cornu quo bibere conſueuit, vino repleuit, & coram altari Deo & beato Petro Apoſtolorum Principi, omnes terras & reditus flexis genibus propinauit.* Fiebat & donatio per traditionem wanti, ſeu chirothecæ. Aimonius Floriacenſ. de miracul. S. Benedicti *lib.* I. *cap.* IV. *Acceptis eius fideles huiuſmodi præceptis, cum vvantis ipſius auro ornatis, per quos donationem rerum memoratarum ſacris imponerent altaribus, abſque dilatione venerandum adeunt cœnobium.* Itidem fiebat donatio per feſtucam, ſeu virgam. Ordericus Vitalis *lib.* V. *ad ann.* MCVI. *Ipſe quoque Anſolam decimam, quam Herſendis ſoror eius in mariagio habuerat, & beatæ Mariæ ante obitum ſuum reddiderat, per virgam, quam in manu Ioannis monachi & presbyteri tradiderat, conceßit.* Per viridem ſcirpum, ſeu iuncum fiebat etiam donatio, vt in donatione Guidonis Comitis Pictauienſis in monaſterium Vindocinenſe, quam Io. Belius edidit in vita Vidonis Comitis. *Tunc inclinauit ſe Comes, & accepit viridem ſcirpum, nam domus recenter erat iuncata, ſicut ſolemus facere, quando aliquem perſonæ potentis, vel dominum ſuſcipimus, vel amicum. Tunc iunco ipſo, non tam donum faciens, quàm reſtaurationem, dedit duobus fratribus, qui præſentes aderant, id eſt domno Claro, & fratri Dauid.* Per librum miſſalem ſolennis fuit etiam formula donationis. Ordericus *locò mox laudato. Harum itaque rerum donationem ipſe,* (Auſoldus de Marilia) *& Odelina vxor eius, & duo filij eius, Petrus & Radulfus ſuper aram ſanctæ Mariæ, per librum miſſalem impoſuerunt.* Per cultellum etiam, cum ceſpite, & feſtucâ fuit ſæpius facta donatio, vt obſeruauit V. C. Hier. Bignonius in notis ad Marculfi formulas. Denique varium fuit genus traditionis per glebam, ſeu ceſpitem terræ, per feſtucam ſeu virgam, & alia ſimilia, & hoc eſt quod ait Pontifex in fine huius cap. huiuſmodi ſignum, quod ſcotatio dicitur, non tam

perfectæ donationis, quàm traditæ poſſeſſionis eſſe argumentum. Huiuſmodi donationis ſolemnia fiebant adhibitis multis teſtibus, vt conſtat paſſim ex veteribus tabulis donationum: & hoc eſt quod ait Pontifex, donationem, de qua agitur, factam ſub teſtimonio videntium, & audientium. ſic & olim ante Iuſtinianum in donationibus adhibebantur plurimi teſtes, *d. l.* I. *C. Th. de donat.* vt & in cretione ſeu ſolemni aditione hæreditatis. M. Tullius *lib.* XIII. *ad Attic. ep.* XLIV. *Ex eo cognoui cretionem Clunij liberam, teſtibus præſentibus ſexaginta duobus.*

CAPITVLVM III.

AD noſtram audientiam noueris perueniſſe, quòd in tua diœceſi, etiam in cauſis eccleſiaſticis conſuetudo minùs rationabilis habeatur, quòd cùm aliqua cauſa tractatur ibidem, & allegationibus & querelis vtriuſque partis auditis, à præſentibus literatis & illiteratis, ſapientibus & inſipientibus, quid iuris ſit quæritur; & quod illi dictauerint, vel aliquis eorum, præſentium conſilio requiſito, pro ſententia teneatur. Nos igitur attendentes, quòd conſuetudo, quæ canonicis obuiat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti; cùm ſententia à non ſuo iudice lata nullam obtineat firmitatem: vt in cauſis eccleſiaſticis ſubiectorum tuorum, poſtquam tibi de meritis eorum conſtiterit, ſententiam proferre valeas, ſicut ordo poſtulat rationis, auctoritate tibi præſentium (præmiſſa conſuetudine non obſtante) concedimus facultatem.

HOc caput ſumptum eſt ex *cap.* II. *eod. tit. in* III. *collect.* & ex ipſo Innocent. III. *lib.* I. *epiſt.* DLXIV. Conſuetudo vicem legis non obtinet, niſi ſit rationabilis, & præſcripta, *cap. vlt. infrà, hoc tit. cap. vlt. infrà, de præſcript.* necnon iudicio contradicto firmata, *l. cùm de conſuetudine, ff. de legib. cap. abſenti, infrà, de verb. ſignif.* Non valet conſuetudo, quæ eſt contra bonos mores, & contra libertatem Eccleſiæ, & nullo tempore præſcribitur. Eſt enim potiùs dicenda corruptela, quàm conſuetudo, *cap. vlt. hoc tit.* Conſuetudinis non tanta eſt auctoritas, vt rationem vincat, & legem, *l.* II. *C. quæ ſit long. conſuetud. & d. cap. vlt.* Vnde vitium conſuetudinis non excuſat longæui temporis vſus. Dio Chryſoſtom. *orat.* XXXI. μὴ τοίνυν ὁ χρόνος ὠφελείτω τὸ ἔθος εἴπερ ἐστὶ μοχθηρόν. *Ne ergo conſuetudini tempus ſuffragetur, ſi quidem eſt flagitioſa.* Hoc quidem iure probantur variæ conſuetudines, quæ canonicis inſtitutis non obſunt, vt conſuetudines feudales, ex quibus clerici propter feuda, quæ poſſident, conueniuntur coram domino ſæculari, *cap. cæterum, de iudiciis, cap. examinata, cap. verum, de foro competent.* Et conſuetudo municipij Paronenſis, *c'eſt Perone en Vermandois*, de gentilitio retractu rei venditæ proximiori competente intra annum, & diem, *cap. conſtitutus, de in integr. reſtit.* & conſuetudo Galliarum, quæ clarioribus feminis tribuit iuriſdictionem in ſubditos, *cap. dilecti, de arbitr.* Eodem iure reiiciuntur prauæ, peruerſæque conſuetudines, quæ pugnant contra bonos mores, & & rationem honeſtæ diſciplinæ, vt conſuetudinis Rupellanæ duo capita; vnum vt viro caſu, vel culpâ ſuâ in egeſtatem lapſo, impunè liceat res vxotis diſtrahere; alterum ne mulier propter adulterium amittat ſemiſſem quæſitorum conſtante matrimonio, *cap. ex parte, infrà, hoc tit.* vel contra rectum iudiciorum ordinem, vt conſuetudo Pictauienſis *in hoc cap.* per quam etiam in cauſis eccleſiaſticis ſententia dicitur quæſito ab obuiis quibuſque ſuffragio; ſiue literati ſint, ſiue illiterati; ſiue ſapientes, ſiue inſipientes, id eſt ſiue periti legum, ſiue imperiti. Meritò exploditur huiuſmodi conſuetudo, per quam quilibet obuius, & fortuitò oblatus iudex indiſcretè, ſine delectu aſſumitur, quia ſententia à non ſuo iudice lata nullius eſt momenti, *l.* I. *&* II. *C. ſi à non compet. iudic. can. in primis* I. *qu.* I. Suus autem iudex dici non poteſt, quem caſus, & fortuna obtulerit: & ſi obuium quemque admittas in iudicio etiam eccleſiaſtico, laïcis locus fiet, quorum nullæ ſunt partes in iudiciis eccleſiaſticis;

cap. decernimus, infrà, de iudic. Et quod deterius est, literatis & illiteratis, sapientibus & insipientibus, peritis & imperitis locus patebit, vt ostenditur *in hoc cap.* Ex quo totus euertetur ordo iudiciorum, quibus adhibendi tantùm iurisperiti. Vnde iudex præstat legum peritiam, *l. 11. ff. quod quisque iur.* & Nou. Iust. LXXXII. etiam in foro ecclesiastico causæ matrimoniales inprimis peritos rerum & Canonum iudices desiderant, Alexander III. *in cap. ex literis, de consanguinit. & affinitat. Non sunt causa*, inquit, *matrimonij tractandæ per quoslibet, sed per iudices discretos, qui potestatem habeant iudicandi, & statuta Canonum non ignorent.* Ideóque ne causæ ecclesiasticæ à Pontifice delegatæ alibi audiantur vetatur, quàm in ciuitatibus, vel locis insignibus, vbi est copia peritorum, *cap. statutum, de rescript. in VI.* Hac ratione in decernendis pœnis non audiendas esse vanas, & inconditas plebis voces sanxere Diocler. & Maximian. *l. Decurionum, C. de pœn.* & antè rescripto D. Adriani ad Fundanum Asiæ Proconsulem, ne quis Christianorum indictâ causâ damnetur solis petitionibus, & clamoribus populi, ἀλλ' ἐν ἀξιώσεσι, οὐδὲ μόναις βοαῖς, vt tradit Euseb. *lib. IV. cap. IX.* & Iustin. Martyr. *Apolog. II.* Fuit & alia pessima consuetudo Pictauiensium, vt Magnates lites inuicem ferro & armis dirimerent. Roger. Houedenus *in Richardo I. Videlicet Rex Angliæ violare nolebat consuetudines, & leges Pictauiæ, vel aliarum terrarum suarum, in quibus consuetum erat ab antiquo, vt Magnates causas proprias inuicem gladiis allegarent.*

CAPITVLVM IV.

QVANTO de benignitate .·.·.·. Peruenit ad audientiam nostram quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reseruata, vt est sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi per manûs impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem prætendentes .·.·.·. Discretioni tuæ mandamus, quatenus omnibus presbyteris districtè prohibeas, ne talia de cætero suâ temeritate præsumant: quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quàm vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine graui periculo inaniter conferantur: cùm vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

CAPTA Constantinopoli à Latinis, id est Francis & Venetis, ex pacto Balduinus Comes Flandrensis vnus è Principibus expeditionis, & Thomas Maurocenus Venetus primus è Latinis, electus est Patriarcha CP. Hac ratione ab Innocentio III. Constantinopolim missus est Lucius presbyter Cardinalis Legatus Apostolicæ Sedis, ad componendas res imperij mutatione conturbatas, & fouendos Græcos in obsequio & vnione Ecclesiæ Romanæ, ad quam modò redierant. Inter hæc quia Pontifex accepit simplices presbyteros id iuris sibi arrogare, vt sacramentum Confirmationis & alia, quæ erant reseruata Episcopis, conferrent, solâ consuetudine fulti, vt in multis Græcos ab Ecclesia Romana, cui iamdudum se subduxerant, discordasse notum est, *cap. quoniam, infrà, de offic. ordinar. cap. inter quatuor, de religios. domib. cap. licet Græcos, de baptismo.* Pontifex mandauit Legato, in illis partibus existenti, vt vetaret presbyteris, ne deinceps sacramentum Confirmationis conferrent, quod per Chrismatis vnctionem in fronte, & manus impositionem confertur à solis Episcopis, vt proditum est *in hoc cap.* Sacramentum Confirmationis non ab aliis administrari potest, quàm ab Episcopis: quia est munus Apostolicum, nec tempore Apostolorum ab aliis præstitum, quàm ab ipsis Apostolis per manûs impositionem, quare non ab aliis conferendum quàm ab Episcopis, qui locum tenent

Apoſtolorum, *can. de his, can. manus, de conſecr. diſt.* v. ita vt non liceat Chorepiſcopis confirmare, quia Pontificatus apicem non habent, *c. quamuis* LXVIII. *diſt.* Solus Epiſcopus eſt idoneus miniſter ſacramenti Confirmationis, quia per impoſitionem manus, quæ eſt ſignum huiuſce ſacramenti, traditur Spiritus ſanctus, quod eſt muneris Apoſtolorum, *d. can. quamuis, can. nouiſſimè, can. vt Epiſcopi, de conſecr. diſt.* v. & per impoſitionem manus fidelis perficitur; Conc. Elibor. *can.* XXXVIII. Vnde Confirmatio dicitur Dionyſio Areopagitæ de Hierarch. eccleſiaſt. *cap.* II. τελειωτικὴ χρίσις, ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις. *perficiens vnctio, ſacra diuini ortus perfectio*, & eadem dicitur σφραγὶς τοῦ κυρίου, *ſigillum Domini.* Euſeb. *lib.* III. *cap.* XVII. ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπισήσας, τῇ σφραγῖδι τοῦ κυρίου. *Poſtquam perfecto animi phylacterio cum obſignaſſet, id eſt ſigillo Domini.* Hac ratione ne presbyteri baptizatos Chriſmate liniant in fronte, ſed ſoli Epiſcopi, vetuere Innocent. I. in *epiſt. ad Decentium*, & Gregorius I. *ad Ianuarium Calaritanum, can. presbyteris, can. presbyteri, de conſecr. diſt.* IV. & ſi in Baptiſmo fortè omiſſa fuerit Chriſmatio, in Confirmatione commoneri ſacerdotem, id eſt Epiſcopum, vt chriſmet ipſe, nimirum priuſquam manus imponat, ſancitum Conc. Arauſicani II. *can.* I. *can. nullus miniſtrorum, de conſecr. diſt. eâd.* & ſi baſilica conſecranda ſit, vocandus Epiſcopus, qui baptizauerit incolas, & ad cuius conſignationem ſub annua deuotione concurrerint, *cap.* I. *de religioſ. domib.* & Epiſcopo ad conſignationem venienti, vt cibus paretur pro mediocritate cuiuſque loci ſtatuitur, *in can. vlt.* x. *qu.* III. Hic fuit vſus Eccleſiæ Romanæ, ne liceret presbyteris Confirmationis munus conferre, & hunc veterem eccleſiæ ſuæ vſum ſecutus Gregorius I. obſignationis officium presbyteris interdixit in Calaritana eccleſia Sardiniæ, vt tradit ipſe *lib.* III. *epiſt.* XXVI. ad Ianuarium Calaritanum, quam Gratianus intexuit *in can. peruenit* XCV. *diſt. Peruenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd presbyteros Chriſmate tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus, & nos quidem ſecundùm vſum veterem eccleſiæ noſtræ fecimus.* Et huc ſpectans, eccleſiarum hunc fuiſſe morem abſciſsè tradit Hieronym. *aduerſus Luciferianos. Non quidem abnuo hanc eſſe eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus, per presbyteros & diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem ſancti Spiritus, manum impoſiturus excurrat.* Haud tamen eſt quòd negemus alium fuiſſe vſum non ignobilium eccleſiarum, vt etiam presbyteris obſignatio, ſeu confirmatio permiſſa eſſet: de Alexandrina & alijs totius Ægypti eccleſiis fidem aſtruit Hilarius Diaconus apud Ambroſ. *in epiſt. ad Epheſios. Apud Ægyptum*, inquit, *presbyteri conſignant, ſi Epiſcopus non eſt.* In Hiſpania eundem, vſum fuiſſe ſuggerit Martinus Bracharenſis, *can.* LII. *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi fortè ab Epiſcopo fuerit illi præceptum.* Æquè & in Calaritana eccleſia eâdem conſuetudine vſi ſunt presbyteri, ac Gregorius diſciplinæ tenax non probauit huiuſmodi conſuetudinem, ſed ex diſpenſatione permiſit Calaritanis presbyteris, ob vitandum ſcandalum baptizatos chriſmare in fronte, quod idem eſt ac confirmare, ſi Epiſcopus deeſſet: quam in rem notanda ſunt verba, quæ ſequuntur prælibatæ ipſius epiſtolæ *ad Ianuarium. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Non poteſt efficere conſuetudo, vt presbyteris liceat conferre ſacramentum Confirmationis, quod eſt proprium munus Epiſcopi, vt proditum eſt ab Innocentio III. *in hoc cap.* quia abuſus nullo tempore præſcribitur. Sed ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ etiam à presbyteris ſacramentum ordinationis conferri poſſe apertè innuit in dicta epiſtola ad Ianuarium, cuius verba adlata ſunt ex *can. peruenit*, quia Sedes Apoſtolica etiam minoribus puta ſubdiaconis Eccleſiæ Romanæ vices ſuas committere poteſt, *can. valde neceſſarium* XCIV. *diſt. can. peruenit* XI. *qu.* I. Qui ambo canones ſunt eiuſdem Gregorij. Et hæc fuit ſententia Iacobi à Vitriaco, *Hiſtor. Occidental. cap.* XXXVII. *Licèt autem in eminentiori parte homini ab eminentioribus perſonis prædictum conferatur ſacramentum, aliquando tamen propter defectum, vel paucitatem Epiſcoporum minoribus ſacerdotibus diſpenſatione eſt conceſſum. His autem temporibus ceſſante diſpenſatione ſi contra inſtitutionem Eccleſiæ, à ſimplicibus ſacerdotibus attentaretur, irritum haberetur, nec ſignaculum characteris imprimi diceremus, ſed confirmandus eſſet ab Epiſcopo, qui priùs à minore ſacerdote fuit in fronte chriſmatus.* Et hæc

obseruanda fuerunt *in hoc cap.* Reliquum est vt addatur hoc sumptum esse ex Innocent. III. *lib.* II. *epist.* CXCIX. *& ex cap.* XIII. *hoc tit. in* III. *collect.*

CAPITVLVM V.

CVM inter vos ex vna parte, & Canonicos sancti Petri de Curia ex altera, super eo, quòd dicti Canonici generale interdictum ab Episcopo vestro, vel à vobis in ciuitate Cenoman. positum non seruabant, quæstio verteretur .·.·.·. Procurator verò ipsorum proposuit, quòd ipsa ecclesia sancti Petri à prima fundatione libera extitit & exempta, & de consuetudine antedicta in generali etiam interdicto licitum erat eis, pulsatis campanis, altâ voce, interdictis & excommunicatis exclusis, diuina officia celebrare. Nos igitur cognito, quòd ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam de consensu fratrum nostrorum duximus irritandam.

HOc caput promptum est ex *cap.* IV. *eod. tit. in* III. *collect.* quod vt pleniùs illustretur, obseruandus est rerum Cenomannensium status. Episcopi Cenomannenses multa passi, tum à Comitibus Cenomannensibus, cùm ab ipsis oppidanis; quam ob causam non semel missum interdictum. Capto Hoello Cenomannensi Antistite, dum diœcesim lustraret, ab Helia de Flechia vno è fautoribus Hugonis, qui principatum Cenomannensem iure materno vindicabat, ecclesia Pontificis sui iniuriæ impatiens generale interdictum subiit. Ordericus Vitalis *lib.* VIII. *Hist. Eccles. ad ann.* MXC. *Interea dum per diœcesim suum, cum clericis suis equitaret* (sub. Hoellus) *& Episcopali more officium suum solerter exerceret. Helias de Flechia eum comprehendit & in carcere, donec Hugo in vrbe Cenomannica susceptus fuisset, vinctum Præsulem tenuit. Porrò ecclesia dicti Pontificis sua afflictioni condoluit, Dominique sanctas imagines cum crucibus, & sanctarum scrinia reliquiarum ad terram deposuit, & portas basilicarum spinis obturauit, & à clangore signorum, celebrique cantu, solitisque solemniis, vt vidua mœrens, cessauit, lacrymisque vacauit.* Rursus temporibus istis Cenomannensis Episcopus, seu Capitulum cathedralis ecclesiæ ciuitatem interdicto subiecit: quam ob causam, præcisè non exponitur, sed causam interdicti fuisse ob excessus sæcularis potestatis innuitur in integra Decretali. Inde orta est lis inter Decanum & Capitulum Cenomannense, & Canonicos seu monachos sancti Petri de Cultura. Ita enim restituenda est lectio, pro vulgata de Curia. Est monasterium S. Petri de Cultura, Ordinis Benedictini, in suburbio Cenomannensi, de quo in *cap. venerabili, infrà, de censib.* Eiusdem meminit Ordericus Vitalis *lib.* X. *ad ann.* MXCVIII. *Is iamdudum in Cenomannico Consulatu castra violenter in alieno rure construxit, in possessionibus scilicet sancti Petri de Cultura, & sancti Vincentij Martyris, quibus colonos grauiter oppressit.* Et Arnulph. Lexouiens. in *epist. ad Alexandr. III. P. Causam, quæ inter Hermerium sacerdotem & Abbatem de Cultura, super diminutione presbyteratus ecclesiæ de Brustun vertebatur, maiestas vestra paruitati nostra delegauit ordine iudiciario decidendam.* Inde, inquam, orta est lis, quòd monachi sancti Petri non seruarent generale interdictum, indictum ab Episcopo, vel Capitulo Cenomannensi, quinimò spreto interdicto diuina officia celebrarent, pulsatis campanis, & apertis ianuis. Re perlatâ ad Pontificem, Procurator monasterij sancti Petri tuebatur se coram eo, oppositâ duplici exceptione; vnâ quòd monasterium sancti Petri esset liberum & exemptum à fundatione; alterâ, quòd de consuetudine etiam in generali interdicto sacra celebrarent pulsatis campanis, altâ voce, interdictis, & excommunicatis exclusis. Re cognitâ, à Pontifice reiecta est huiusmodi consuetudo, ne ex ea disrumperetur neruus ecclesiasticæ disciplinæ. Neruum ecclesiasticæ disciplinæ vocat rationem, seu institutum ecclesiasticæ disciplinæ, quòd eius obseruatione sustinetur Ecclesia, vt compages membrorum neruis solidatur; vigoris ecclesiastici ge-

nium dixit Gregor. *lib.* VII. *epist.* LXXIX. *Et vigoris ecclesiastici genium, vt oportet, congruâ dispensatione seruetis.* Hac lege etiam monachi, nihil obstante exemptione, vel consuetudine, tenentur obseruare generale interdictum, vt ostenditur *in hoc cap.* & *cap. tuarum, infrà, de priuileg. Clem. ex frequentibus, de sentent. excommun.* Adhibito nimirum hoc temperamento hodie, vt liceat eis celebrare Missas, & alia diuina officia, etiam tempore interdicti, foribus clausis, non pulsatis campanis, voce submissâ, amotis interdictis & excommunicatis, *cap. alma mater, eod. tit. in* VI. Hoc iure vniuersâ Galliâ sacris interdictâ ob reiectam à Philippo Augusto Ingeburgen vxorem, & superductam pellicem, etiam monachos sacris abstinuisse tradit auctor Chronic. Altissiodorens. *ad ann.* MCC. *Nec modò in ecclesiis, sed & monasteriis cessatum est à diuinis.* Ait Pontifex interdictum missum ab Episcopo, vel Capitulo Cenomannensi, quo innui videtur Capitulum posse interdicere, vt de Decano solo probatur in *cap. dilectis, infrà, de appellat.* sed tutius est Capitulum, aut Decanum non posse interdictum mittere, nisi ex consuetudine, vel speciali priuilegio, vt fatetur Hostiensis *in hoc cap.*

CAPITVLVM VI.

CVM olim Londonensis Episcopus nostris auribus intimasset, quòd in sua ecclesia proposuerat statuere Præcentorem, nos eius precibus inclinati, ei licentiam concessimus Præcentorem huiusmodi ordinandi, dummodò in conferendis sibi reditibus nulli inferretur præiudicium: statuentes vt Præcentor taliter institutus, in sessionibus, processionibus, & aliis illam haberet in Londonen. ecclesia dignitatem, quam habent alij Præcentores in aliis ecclesiis Anglicanis. . . . . Quocirca mandamus quatenus, si secundùm diuersas consuetudines locorum, diuersas habere noueris Præcentores in Anglicanis ecclesiis dignitates, iam dictum Præcentorem illam habere facias in Londonen. ecclesia dignitatem, eáque manere contentum, quam (rationabilibus & adprobatis consuetudinibus ecclesiæ saluis) sine præiudicio alieno poterit obtinere.

EPISCOPVS non potest creare nouam dignitatem in ecclesia sua, sine auctoritate Summi Pontificis, vt ostenditur *in hoc cap.* & *cap. cùm accessissent, §. de constitut.* Et vbi Episcopus nouam dignitatem instituit, tenetur eam dotare de suo, seu de propriis bonis, non vtique de dote mensæ Episcopalis, quia Episcopo non licet etiam monasterium ædificare, ἐπὶ καταλύσει τῆς ἰδίας ἐπισκοπῆς, *in euersionem propriæ ecclesiæ*, ex *can.* VII. *synodi Constantinopolitanæ*, quæ dicitur prima & secunda apud Balsamonem, & Episcopo nefas est impendere in ædificationem monasterij vltra quinquagesimam partem redituum, Conc. Tolet. IX. *can.* V. *can. bonæ rei* XII. *qu.* II. Neque etiam de censu aliarum dignitatum ecclesiæ, quia beneficium Pontificis non debet alteri esse damnosum, *l. impuberi, ff. de administr. tut. l. sed cùm ab hærede, ff. ad Trebell. l. nec auus, C. de emancipat.* Et hoc est quod voluit Pontifex his verbis: *Dummodo in conferendis sibi reditibus nulli inferretur præiudicium.* Hoc pacto cùm Londinensis Episcopus Præcentorem de nouo instituisset in sua ecclesia, institutioni nouæ dignitatis, Pontifex quidem assensit, sed hunc modum imposuit, ne in conferenda dote cuiquam detrimentum inferretur, ne beneficium Principis ad alienam iniuriam porrigatur. Et ne dubitaretur, quæ esset ratio nouæ dignitatis, statuit Pontifex, vt Præcentor de nouo institutus, parem dignitatem obtineret in Londinensi ecclesia, quam haberent alij Præcentores in aliis ecclesiis Anglicanis. Varia est ratio dignitatum, & in his maximè spectatur consuetudo. Hoc iure Cantoria aliàs est dignitas, aliàs nudum officium, pro consuetudine locorum, & quod Cantor primum locum obtinet in ecclesia Dolensi, hoc habetur

ex priuilegio, vel consuetudine, vt insinuat Innocent. III. *lib.* II. *epist.* LXXIX. *Adiectum est etiam quod litera nomine Dolensis Capituli super ipsius H. præsentatione confecta vera non essent, vtpote in quibus nomen præmittebatur Decani, cùm Decanus nullum haberet in eadem ecclesia personatum, sed Cantor primum locum potiùs obtineret.* Quòd si diuersæ essent consuetudines, subdit Pontifex *in hoc cap.* vt eligatur consuetudo, quæ erit congruentior & probabilior. Plerumque in dubio nouæ dignitatis ratio & officium, legem accipit è consuetudine Metropolitanæ ecclesiæ, vt ab ipso Innocentio iudicatum est in causa Astoricensis Decanatus, cùm ei falsò persuasum esset, esse nouam dignitatem; vt tradit ipse *lib.* I. *epist.* LXXVII. Et quoad ritus sacros spectamus etiam consuetudinem Metropoleos, *can. de iis* XII. *dist. can. altaria, de consecr. dist.* I. *can. institutio, de consecr. dist.* II. Aliàs spectatur consuetudo viciniorum ecclesiarum, vt quoad modum procurationis, *cap. super eo, infrà, de censib.* Quandoque, nec enim certa in his est ratio, statur consuetudini, quæ est aptior, & probabilior, vt *in hoc cap. & can. nouit* XII. *dist.* Etiam ipsa Romana Ecclesia non dedignatur suas facere consuetudines minorum ecclesiarum, si fortè idoneæ, & vtiles videantur. Gregor. I. *lib.* VII. *epist.* LXIII. *Tamen si quid boni, vel ipsa vel altera ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit discere contemnat.* Vt solemnem ritum bannorum in nuptiis, è consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ in ius versum constat, ex *cap. cum in tua, infrà, de sponsalib.*

CAPITVLVM VII.

CVM venerabilis frater noster Episcopus Hostiensis, & L. sanctæ Crucis presbyter Cardinalis in partibus Alemaniæ legationis officiò fungerentur, inuenerunt Abbatem de monasterio Hermionensi, quod ad Romanam Ecclesiam noscitur pertinere nullo mediante, ad monasterium Corbiense, quod est etiam Romanæ Ecclesiæ speciale, temeritate propriâ migrasse: licentiâ illud deserendi, vel confirmatione à nobis, vel ab ipsis, qui vices nostras in illis partibus tunc gerebant, nec habitâ, nec petitâ. Postmodum autem nuntij eius ad defensionem ipsius, generalem illius terræ consuetudinem allegarunt. Cùm igitur hæc non tam consuetudo, quàm corruptela meritò sit censenda, quæ profectò sacris est Canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non seruari.

MONACHVS potest transire ad strictiorem religionem, petitâ licentiâ à superiore, licèt non obtentâ, *cap. licet, infrà, de regular.* Abbas autem non exemptus non potest locum relinquere, sine licentia Episcopi, *can. Abbas* XVIII. *qu.* II. vt & Abbas exemptus non potest migrare ad aliud monasterium, etiam exemptum, sine licentia Summi Pontificis, vel Legati Sedis Apostolicæ, nec tutus est exceptione consuetudinis, vt ostenditur *in hoc cap.* Vbi cùm Abbas monasterij Hermionensis, quod dicitur esse exemptum, propriâ auctoritate migrasset ad monasterium Corbiense, quod pariter est exemptum, sine licentia, vel confirmatione Summi Pontificis, vel Legatorum Sedis Apostolicæ, qui tum versabantur in partibus Alemaniæ. Ex quo intelligimus sermonem esse de monasterio Corbiensi Saxoniæ, quod dicitur Corbeia noua Helmoldo Hist. Slau. *lib.* I. *cap.* VI. Abbati Vrspergensi *in Chron. ad ann.* DCCCCXX. & Krantzio Saxonic. Hist. *lib.* III. *cap.* I. & Metropolis *lib.* I. *cap.* XIX. & XXIV. Abbas qui sic migrarat, non aliâ exceptione se tueretur, quàm generalis consuetudinis regionis. Pontifex, re cognitâ pronunciauit *in hoc cap.* obtentu consuetudinis non posse Abbatem exemptum transire ad aliud monasterium sine consensu Summi Pontificis. Ratio est, quia non potest quispiam deponere dignitatem, sine consensu superioris, *l. legatus, ff. de offic. Prætoris, cap. admonet, & passim tot. tit. de renunciat.* Summus autem Pontifex est ordinarius, & proximus su-

perior exemptorum, alioquin exempti essent acephali, quod esset monstro simile, *can. nulla* XCIII. *dist.* Hac ratione Abbas exemptus non potest abdicare se, sine nutu Summi Pontificis, *cap. vlt. de renuntiat.* nec potest compromittere de statu causa, id est, de exemptione, & libertate, cùm non possit renuntiare priuilegio exemptionis sine licentia Summi Pontificis, *cap. cum tempore, de arbitr.* & si Abbas exemptus dolo forte circumuentus, obedientiam promittat Episcopo, nihil agit, *cap. cùm dilectus, infrà, de religios. domib.* Quare cùm Iuo Carnotensis Episcopus à Goffrido Abbate Vindocinensi, quem initiauerat, professionem obedientiæ subripuisset, Vrbanus II. Pontifex in Aruernensi Conc. ipsam professionem irritam pronunciauit, quòd vergeret in præiudicium exemptionis: Testem habemus ipsum Goffridum *lib.* II. *epist.* XXVII. Ex his sequitur, quòd si Abbas exemptus electus fuerit in Episcopum, non potest deserere monasterium, & transire ad ecclesiam in qua electus est, sine licentia Summi Pontificis, vel Legati Sedis Apostolicæ, *cap. si Abbatem, de elect. in* VI.

CAPITVLVM VIII.

CVM dilectus filius Guil. Andrensis ecclesiæ monachus, qui pro clerico eiusdem ecclesiæ se gerebat, & G. procurator monasterij Karofensis, super iure eligendi Abbatem in Andrensi monasterio, & eiusdem electione in nostra præsentia adinuicem litigarent, idem Guil. electionem suam à fratribus Andrensis ecclesiæ concorditer celebratam, auctoritate Apostolicâ petiit confirmari, asserens tam de iure communi, quàm de priuilegio speciali eis ab Alex. Papa concesso, & à nobis postmodum confirmato, liberam eligendi auctoritatem ad eosdem fratres tantummodò pertinere. . . . Dictus verò procurator proposuit ex aduerso, quòd cùm olim ad petitionem patronorum ecclesiæ à Moriensi Episcopo fuerit constitutum, quòd si præfatus locus diuino munere adeò pullularet, vt Prior, aut Abbas constitueretur ibidem, electio eius penes fratres eiusdem loci, & Capitulum Karofense penderet, & obtentu huiusmodi statuti sic fuerit longè retrò actis temporibus obseruatum, vt monasterio Andrensi vacante, Andrenses fratres in Karofensi Capitulo aliquem de gremio monasterij Karofensis sibi eligerent in Abbatem: electio prædicti G. tam contra statuti tenorem, quàm etiam contra consuetudinem adprobatam (quæ optima est legum interpres) minùs canonicè adtentata, meritò cassari debebat. . . Quia nobis constitit electionem ipsam à suspensis, & de suspenso etiam celebratam, eam iustitiâ cassauimus exigente. Cæterùm cùm supradictum statutum ita sanè posset intelligi, quod per illud nec iuri communi, nec priuilegio derogetur: vt videlicet ad sæpedictos fratres electio spectet Abbatis, & ad Karofense Capitulum confirmatio: mandamus, quatenus si ex parte Karofensis cœnobij talis fuerit consuetudo probata, quæ iuri communi præiudicet, in hac parte vos secundùm illam decernatis electionem Andrensis Abbatis de cætero faciendam, alioquin Andrens. monachis ius eligendi Abbatem adiudicare curetis: vt sic de cætero liberam habeant facultatem, vel de gremio ecclesiæ suæ, vel etiam aliunde per electionem canonicam eligendi personam idoneam in Abbatem, præsentandam Karofensi Capitulo, vt ab eo (si fuerit canonica) confirmetur.

IVRE

IVRE communi electio Abbatum pertinet ad monachos secundùm B. Benedicti regulam, vt ostenditur *in hoc cap.* & signanter *in antiqua Decretali, & in can. vlt.* XVI. *qu.* VII. *can. Abbatem, can. quam sit necessarium* XVIII. *qu.* II. Nec modò iure communi, sed etiam ex priuilegio, libera electio Abbatum pertinet ad monachos, vt subiungitur *in hoc ipso cap.* quod est in manibus; pleraque scilicet monasteria, quo libertas electionis tutior sibi constaret, eligendi priuilegium, licèt iure communi partum, à Romanis Pontificibus, necnon ab ipsis Regibus expetierunt, vt priuilegium electionis monasterio Corbiensi, quod est in pago Ambianensi, confirmauit Nicolaus I. *epist.* XXIV. *Abbatem vero fratres ipsius monasterij de se ipsis eligendi, semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ monachi propositum, & habitum monachi profiteatur,* &c. In Gallia eligendi Abbatis potestas primitus concessa insignioribus monasteriis, Lerinensi, Agaunensi, & Luxouiensi beneficio Regum, porrecta est ad alia monasteria Galliæ, ex Marculfo *lib.* 1. *formul.* 1. Ius perpetuum eligendi Abbatis B. Mauro & monachis Glannafolij cœnobij præcepto regio concessisse memoratur Clotharius in vit. D. Mauri apud Surium XIV. *Ianuar.* In synodo Rothomagensi habita anno Christi DCLXXXII. ab Ansberto eiusdem ciuitatis Antistite Fontanellensi monasterio concessum priuilegium, vt in perpetuum secundùm antecedentium Regum, Clodouei videlicet, & Clotharij, simúlque Childerici & Theodorici concessiones, è suo sinu sibi monachi eligerent Abbatem secundùm B. Benedicti regulam, vt narratur in vita Ansberti apud Surium IX. *Februar.* Cassinensibus monachis priuilegium eligendi Abbatem confirmasse Carolum M. refert Leo Hostiens. in Chronic. Cassinensi *lib.* 1. *cap.* XIV. *Iussit quoque vt monachi, iuxta præceptum sanctæ regulæ, Abbatem sibi sine cuiusquam præiudicio licenter eligerent.* Stradensi monasterio, quod est in Biturigum finibus, idem tributum regio diplomate Caroli Calui; Auctor vitæ S. Genulfi *lib.* II. *cap.* XII. *In clausula demum perscripti decreti statutum est, vt per succedentia tempora locum ipsum inhabitantes, è suis non aliunde petitis personis eligerent semper, quibus sacra prælatio loci committeretur, à quibus cœnobij totius gubernatio æquo iure tractaretur, idque non cuiusquam mortalium vi, sed fraterno cœnobialium voto fieri, quàm maximè decreuit.* Hoc pacto vacante Andrensi monasterio quod est in Morinensi, seu Taruanensi diœcesi, cùm monachi huiusce cœnobij è gremio suo Abbatem elegissent, quæstione motâ apud Pontificem super iure eligendi, inter monasterium Andrense, & Carrofense, quod est in pago Pictauiensi: monachi Andrenses electionem à se factam tuebantur, iuris communis & priuilegij specialis præsidio: e contrario Procurator Carrofensis monasterij excipiebat, electionem esse irritam & inanem, vtpote factam contra legem fundationis, & consuetudinem, quòd ab initio lex fuisset dicta fundationi à Morinensi Episcopo, cuius in diœcesi iacet monasterium Andrense, ad petitionem patronorum, vt electio Abbatis Andrensis esset penes monachos eiusdem loci, & Carrofense Capitulum, quod à tempore fundationis ita obseruatum contendebat, vt Andrensi monasterio vacante, monachi Andrenses in Carrofensi Capitulo de gremio Carrofensis monasterij sibi Abbatem eligerent. Ait *ad petitionem patronorum*, ex lege enim fundationi dicta, petente patrono vel consuetudine, effici potest, vt Abbas eligatur de alieno monasterio, vel vt ius eligendi, communicetur monachis alterius monasterij. Patronus ab initio potest legem dicere fundationi, nimirum de consensu Episcopi; potest quoque in fundatione sibi reseruare modicam pensionem, vel aliud onus imponere, *cap. præterea, infra, de iure patronat. can. Eleutherius* XVIII. *qu.* II. *Legem quam rebus tuis donando dixisti, impleri oportet. l. legem, C. de donat. l. mortuo, §. vlt. ff. de statulíber.* Denique potest patronus in fundatione quascumque conditiones imponere, etiamsi sint contra ius commune, dummodo non sint aliàs illicitæ, & improbabiles, *can. si ex laicis, can. sic quidam,* X. *qu.* I. Ex consuetudine etiam potest effici, vt Abbas eligatur de alieno monasterio, vt consuetudine factum, vt Abbas S. Syluani Alciatensis apud Hesdinum Artesiæ oppidum, eligeretur de monasterio S. Bertini, *cap. Abbati, infrà, de verb. signific.* Ex consuetudine pariter ius quæsitum, vt Abbas S. Leufredi de Cruce eligeretur de monasterio S. Audoeni Rothomagensis, de quo Innocent. noster *lib.* II. *epist.* LXXVIII. Quâ verò occasione lex dicta sit

fundationi Andrensis monasterij, vt subijceretur Carrofensi monasterio, ea ratione, quod huiusmodi monasterium à Balduino Comite Ghisnensi conditum, ac primum per Carrofenses monachos institutum. Testis Hiperius in Chronic. Bertiniano: *Ioannes Bertinensis Abbas* XXXIX. *consecratus est anno Domini* MLXX... *Huius Abbatis anno* III. *Balduinus Ghisnarum Comes, & Ingelramus Lilariensis dominus à peregrinatione sancti Iacobi redeuntes per Pictauiam, hospitati sunt in monast. rio Carrofensi, & videntes ibi religionem bene vigere, de monachis Carrofensibus secum ad has partes duxerunt: & quidem Balduinus Andrensi, Ingelramus vero Hamensi monasterio in honorem sancti Saluatoris fundauerant.* Idem narrat Meyerus in Annalib Belgic *ad ann.* MLXXXIX. & Aubert Miræus *lib.* II. *diplomat. Belgicor. cap.* XXIII. ex charta fundationis ipsius Andrensis monasterij. Re disceptatâ, Pontifex, quia ei constitit electionem à suspensis & de suspenso celebratam, eam nullam, & irritam pronunciauit. Suspensus enim ab officio, neque eligere, neque eligi potest, vt subditur *hic & cap. cum inter R. infrà, de elect.* Cæterum quia statutum, id est lex fundationis, potuit talem recipere interpretationem, vt nec iuri communi, nec priuilegio Pontificio derogaret, ita nimirum vt electio Abbatis spectaret ad monachos Andrenses, & confirmatio ad Capitulum Carrofense, quia Episcopus Morinensis in fundatione, de consensu patroni, potuit cedere monasterio Carrofensi ius confirmandi, quod ad ipsum pertinebat, *cap. pastoralis, infra, de donat.* mandauit Pontifex Decano Saresberiensi, & Archidiacono, & Magistro P. Puluerel Canonico Parisiensi. (Ita enim restituenda est inscriptio huius cap. quæ valde deprauata est, ex ipso Innocent. *lib.* XIV. *epist.* XIX.) His, inquam, mandauit Pontifex, vt si te cognitâ, ex parte Carrofensis monasterij, talis foret consuetudo probata, quæ iuri communi præiudicaret, ipsi decernerent electionem Andrensis Abbatis impostertum faciendam, secundùm consuetudinem: quòd si Carrofense monasterium deficeret in probatione, Andrensibus monachis ius eligendi Abbatis, secundùm ius commune, adiudicaretur. Huc vsque Pontifex rem persequitur *in hoc cap.* Tandem verò lis ante sententiam sopita est per transactionem, tam super electione Abbatis Andrensis, quam aliis iuribus, quam confirmauit idem Pontifex: testem ipsum habemus in prædicta epist. quam lector studiosus videre poterit.

TIT. V. *De Postulatione Prælatorum.*

CAPITVLVM I.

AD hoc in B. Petro .·.·. Cúmque de facili non possetis in vnum locum & propositum conuenire, sed ad nos fuisset ab aliquibus adpellatum: tandem conuenientes in vnum, Altissiodoren. Episcopum in Archiepiscopum postulastis. Postulationem vestram per magistrum R. Præcentorem vestrum, & per Abbatem S. Petri exponentes, & petentes, vt faciendæ translationi pium præberemus adsensum. Verùm quoniam antequam idem magister ad Sedem Apostolicam accessisset, nobis quasi pro certo constabat, quòd idem Episcopus interdicti sententiam non seruasset, quod etiam idem magister non negauit in fratrum nostrorum præsentia requisitus à nobis, in ipsius Episcopi excusationem allegans, quòd sententiam latam seruare nullatenus tenebatur: quæ ad eius notitiam, nec per literas nostras, nec per Cardinalem tunc Apost. Sedis Leg. qui eandem sententiam promulgarat, nec per deputati ad hoc executoris mandatum vel literas peruenisset. .·. Quod nec sufficit, imò nec proficit ad excusationem prædicti Episcopi, cum Cardinalis idem sententiam interdicti præsentibus multis solenniter ac publice promulgauit & eadem interdicti sententia in regno Francorum iam multis pu-

blicè cœperit obſeruari, nec ſit neceſſarium cùm conſtitutio ſolenniter editur, aut publicè promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum vel literas inculcare: ſed id ſolum ſufficit, vt ad eius obſeruantiam teneatur, qui nouerit eam ſolenniter editam, aut publicè promulgatam: cùm & contra quoſdam, qui Sardicenſe Concilium non ſeruabant, tanquam illud non habuerint, aut perceperint, canonica tradat auctoritas, quod eis non facilè facultas credendi tribuitur: cùm idem penes illos in ſuis regionibus actum fuerit & receptum. Nec valet, quòd in Altiſſiodorenſi diœceſi dictus Rex terram propriam dicitur non habere, cùm nos terram totam Regis ipſius ſubiici mandauerimus interdicto, & Cardinalis noſtrum interpretatus mandatum, in terram illam ſententiam promulgauerit, quæ Regi tunc temporis adhærebat.·. Sed inde liquidò conſtat, ſæpe dictum Epiſcopum ſufficienter excuſari non poſſe, quòd ſuam metropolitanam eccleſiam generalis interdicti ſententiam & recepiſſe nouerat, & ſeruare.·.·. Nos igitur, qui ſecundùm Apoſtolum prompti ſumus inobedientiam omnem vlciſci, eiuſdem Epiſcopi Altiſſiodorenſis inobedientiam adtendentes, ne nihil obedientia prodeſſe videretur humilibus, ſi contemptus contumacibus non obeſſet: cùm iuxta canonicas ſanctiones quædam ſint culpæ, in quibus culpa eſt relaxare vindictam, poſtulationem huiuſmodi non propter poſtulantem eccleſiam, ſed propter poſtulatam perſonam repulimus vt indignam. Licèt autem ex eo, quòd hominem, qui veſtro non conueniebat propoſito poſtulaſtis, cùm vos interdicti ſententiam ſeruaretis, & ipſe eam contemneret obſeruare, permiſſa vobis facilè abuſi fueritis poteſtate: ac ideo vos ea non immeritò priuare poſſemus, de ſolita tamen benignitate concedimus, vt vobis, per poſtulationem, vel electionem canonicam de perſona congrua conſulatis.

CAPITVLVM II.

GRATVM gerimus.·.·. Accepimus ex literis tuis, quòd Canonicis Senonenſibus, quorum poſtulatio noſtra fuit auctoritate caſſata, licèt caſſationis literas ſuppreſſiſſent in fraudem, vt canonicè ad electionem procederent, mandauiſti.·.·.·. Cùmque plures eorum poſtulationem caſſatam à nobis innouare denuò niterentur, quidam verò Epiſcopum Cameracenſem in Archiepiſcopum poſtularent, tu intelligens eos; qui caſſationem noſtram quodammodo reuocare volebant, eligendi priuilegium amiſiſſe: quia conceſſâ ſibi ex Apoſtolicæ Sedis benignitate abuterentur temere poteſtate, ac ideo ad alios; licèt pauciores numero, quantum tamen ad hoc pertinet, conſilio ſaniores, eligendi vel poſtulandi deuolutam eſſe licentiam, prædictum Cameracen. ad eorum inſtantiam in paſtorem auctoritate fretus Apoſtolica prouidiſti. Nos igitur à ſolicitudine Cameracenſis eccleſiæ ipſum reddidimus abſolutum: quod à te de mandato noſtro factum eſt, auctoritate Apoſtolicâ confirmantes.

QVOLIBET beneficium eccleſiaſticum non poteſt ſine canonica inſtitutione obtineri, *c. ex frequentibus, infra, de inſtitut. cap. 1 de regul. iur. in* VI. Duo canonici inſtitutionis modi, quoad Prælaturas eccleſiarum, puta Epiſcopatus, ſunt

electio, & postulatio, *cap.* III. *in fin. infrà hoc tit.* Veteres promiscuè vtebantur postulationis, & electionis verbis, *can. literas* LXIII. *dist.* Hinc Ambrosius, quem scimus ex catechumeno postulatum, electus dicitur in *can. Valentinianus, ead dist.* & apud Theodorit. *lib.* IV. *Hist. Eccles. cap.* IV. Quia electioni inerat postulatio, nimirum Episcopi non ordinabantur sine electione cleri, & petitione plebis, *can. cleri, can. nota, ead dist.* Hodie verò magna est differentia inter hæc duo: postulatio est concors Capituli petitio, vt is per postulationem promoueatur, siue assumatur à Summo Pontifice, qui eligi non potest, *cap. innotuit, infra, de elect.* Non incongruenter dicta postulatio, quòd fiat apud Summum Pontificem. Postulatio enim propriè dicitur petitio, quæ fit apud superiorem, vt in *l.* 1. § *postulare, ff. de postuland. Postulare est, desiderium suum, vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictioni præest exponere*, & in *l.* IV. § *postulare, ff. de damn. infect. Postulare propriè hoc dicimus, pro tribunali petere*, id est apud magistratum pro tribunali ius dicentem: & orationem ad Deum, postulatione concludi dixit Ambros. *lib.* V. *de Sacrament. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem.* Quod dicitur concors petitio, circumspectè accipiendum est, ita scilicet, quia plerumque postulationis via non eligitur, nisi omnes consentiant, aut saltem maior, & sanior pars Capituli, & quod maior pars vniuersitatis fecit, perinde est ac si omnes egerint, *l. quod maior, ff. ad municipal.* Tamen in postulatione sicut in electione sufficit consensus maioris partis Capituli, *lib.* III. *infrà, hoc tit cap.* 1. *de his quæ fiunt a maior. part. Capitul.* nisi vbi concurrit electio cum postulatione, puta si pars alium postulet, pars alium eligat, tunc vt postulatio præualeat, requiritur, vt duplo maior sit postulantium numerus, quàm eligentium, alioquin electio præualebit, *cap. scriptum, supra, de elect.* Postulatur qui eligi non potest, id est cui aliquod canonicum impedimentum obstat, ne eligatur, *cap. vlt. hoc tit.* Electio fit via ordinariâ, postulatio est extraordinaria, & nititur solâ gratiâ Pontificis, *cap.* III. *hoc tit* Vnde titulus de postulatione præmittitur titulo de electione, propter dignitatem Pontificis, cuius confirmatione indiget, cuiúsque ex nutu & arbitrio tota pendet. Electio tribuit ius ad rem, *cap. auaritiæ, de elect. in* VI. Per postulationem nullum ius acquiritur donec à Summo Pontifice admissa fuerit, *cap.* V. *hoc tit.* quia postulatio est de merà gratiâ, & omnino pendet ex nutu Pontificis. Postulatur is qui eligi non potest, vt Episcopus nullo iure eligi potest, postulari potest, cùm suæ alligatus ecclesiæ, liberum non habeat volatum, id est non possit dimittere ecclesiam, sine consensu Summi Pontificis, *cap* IV. *& vlt. hoc tit.* Clericus verò alterius diœcesis, etsi non possit migrare ad aliam ecclesiam sine consensu sui Episcopi, *can. si quis presbyter, can. eos* VII. *qu.* 1. *cap admonet, de renunciat.* nihilominus eligi potest, *cap. cum inter Canonicos, infra, de elect.* quia non tanta est coniunctio inter Prælatos inferiores, & eorum ecclesias, quanta inter Episcopum, & ecclesiam, cui est matrimonialiter coniunctus, *cap. requisisti, infrà, de testament.* Patientes in ordinibus vel ætate defectum, sunt postulandi potiùs quàm eligendi, *cap. dudum, de elect. cap. præterea, de ætat. & qualit. & ordin. præf. cap. cupientes, §. denique, de elect. in* VI. *extrauag. dispendiis, eod. tit. in commun b.* Defectus natalibus seu illegitimus postulari potest, eligi non potest, *cap. innotuit, infrà, de elect. can. Cænomanensem* LVI. *dist.* Hinc Gozlinus filius naturalis Roberti Regis ex Abbate Floriacensi, à Rege subuectus ad Archiepiscopatum Bituricensem, vix post quinquennium, intra ciuitatem admissus à clero & plebe ob labem n[illegible]m. Ademarus *in Chronico nuper edito. Rex autem Rotbertus pro d functo [illegible] ba-tem Gautilenum, licèt repugnarent monachi, nolentes sib præc[illegible] erat enim ipse nobilissimi Francorum Principis filius manzer, a puero in m[illegible] Benedicti nutritus, quem etiam Rex suprascriptus, Archiepiscopum B[illegible] po[illegible] post mortem Dalberti Archiepiscopi: sed & ipsi quinquennio [illegible] ditionem ag[illegible] noluerunt in ciuitate recipere, dicentes vnâ voce, non decet dominari eccle[illegible] postmodum tamen Regis voluntas præualuit, & Dei nutu in sed[illegible] receptus [illegible]* In Anglia cùm Galfredus nothus Regis Henrici II. electus esset Linco[illegible] Ep[illegible], deinde [illegible] ata est confirmatio Summi Pontific[illegible] te[illegible] Matthæo West[illegible] riensi *in Chro[illegible] ad ann.* MCLXXXII Item lai[illegible] potest p[illegible], e[illegible] potest, *Conc. Sa[illegible]* *can.* XIII. *can.* [illegible] *sius* LXI. *dist.* Max[illegible] Neophytus, id est [illegible] recens ad Chr[illegible]

fidem conuersus non potest eligi, sanè potest postulari ex epist. Ambros. LXXXII. *ad Vercellenses*, quam Gratianus intexuit collectioni suæ in *can. Neophytus* LXI. *dist.* & hoc est quod Ambrosius ipse innuit eodem loco scribens de ordinatione sua: *Itaque ordinationem meam Occidentales Episcopi, iudicio, Orientales etiam exemplo probarunt.* His enim apertè fatetur electionem de se minùs ritè factam, quòd adhuc catechumenus, in Episcopum lectus esset, sed quod subdit rem comprobatam iudicio Occidentalium Episcoporum & exemplo Orientalium, planè significat iudicium Sedis Apostolicæ, quæ primas tenet, expetitum, & secutum exemplum Orientalium (Quod pertinet ad Nectarium, qui postea Constantinopoli ex catechumeno creatus est Episcopus, Sozomenus *lib.* VII. *cap.* VIII. & Theodorit. *lib.* IV. *cap.* VI.) non caruisse decreto, vel assensu Sedis Apostolicæ. Cardinalis etiam in Episcopum eligi non potest, postulari potest, *cap.* III. *hoc tit.* Electio est solemnis: in electione facienda seruatur forma *cap. quia propter*. Postulatio est actus minùs solemnis: in ea non requiritur forma *d. cap. quia propter*, quia est extraordinaria, & pendet omnino ex gratia, & nutu Pontificis. Denique electio, & postulatio sunt ita diuersi vocationis modi, vt electio & postulatio non possint coniungi: puta non valet huiusmodi electionis vel postulationis forma: Eligo & postulo, prout meliùs de iure valere potest, vel eligo postulando, & postulo eligendo, aut eligo postulandum, & postulo eligendum, nisi probabiliter dubitetur, an quis sit eligendus, vel potiùs postulandus, quo casu, qui sic postulatus fuerit aut electus, debet eligere postulationem, aut electionem, *cap. vn. hoc tit. in* VI. Hoc commune sortitur postulatio cum electione, quòd omnes vocandi sunt ad postulationem qui habent ius eligendi, quia postulatio est genus electionis extraordinarium, *cap.* III. *hoc tit. d. cap. capientes*, §. *final. de elect. in* VI. & sicut electionis, ita & postulationis decretum in scriptis fieri debet, & subscriptione postulantium roborari propter fidem rei gestæ, *cap.* IV. *hoc tit. can. Episcopus* LXI. *dist.* Qua in re deceptus Gratianus, qui *in can. Osius* proximè præcedenti, ait postulationem nudâ petitione fieri, & in hoc discrepare ab electione. Item postulatio, & electio in hoc conueniunt, quòd non recipiunt conditionem, *cap.* II. *de elect. in* VI. quia sunt actus legitimi, qui non recipiunt modum & conditionem, *l. actus legitimi de regul. iur.* His delibatis facilior erit explanatio cap. I. & II. & trium sequentium hoc tit. quæ accepta debemus Innocentio III. qui postulationum iura accuratiùs excoluit. Species *cap.* I. *&* II. hæc est: Vacante sede Senonensi, morte Michaëlis Archiepiscopi, Canonici Senonenses, post grauem concertationem, tandem conuenientes in vnum, Hugonem Altissiodorensem Episcopum postularunt, & per legatos nempe R. Præcentorem, & Abbatem S. Petri, is est Abbas S. Petri Viui Senonensis, petierunt ab Innocentio III. Summo Pontifice, vt postulationi, & translationi suum præberet assensum. Postulatio reiecta est à Pontifice, quòd idem Episcopus sacris interdicto regno Francorum, ob repulsam a Philippo Augusto Ingebergen vxorem, & superductam pellicem, interdictum in sua diœcesi non seruasset. Nec auditæ sunt exceptiones quibus sese tuebatur Altissiodorensis Episcopus: vna, quòd interdictum ignorasset, eo obtentu, quòd non fuisset sibi intimatum per Legatum, vel executores Pontificios: altera, quòd interdictum missum esset in terram Regis Francorum, Rex autem non haberet propriam terram in Altissiodorensi diœcesi; eo tempore scilicet Pagus Altissiodorensis habebat proprium dominum Petrum Comitem, de quo in *cap. cùm olim, infrà, de offic. delegat* Quia scilicet interdictum solemniter à Legato promulgatum fuerat per Galliam, & passim fere obseruari cœperat, & receptum fuerat in Ecclesia Metropolitana, nec necesse erat singulis intimari, quod ritè & solemniter promulgatum fuisset. Constitutiones enim Principum vim legum habent, postquam in Senatu promulgatæ fuerint, *l. humanum, C. de legib.* & in Gallia constitutionem de præscriptione tricennij non alibi proquiritatam seu promulgatam, quàm apud Tribunal Prætorij Galliarum, tradidit ipse Sidonius *lib.* VIII. *epist.* VI. *Per ipsum fere tempus, vt decemuiraliter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquiritata, cuius peremptoriis abolita rubricis lis omnis, in [illegible] tum tracta quinquennium, terminabatur. Hanc intra Gallias antè nescitam primus, quem loquimur, orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis, frequente conuentu, raro sedente, paucis sententiis, multis laudibus.*

Et interdictum ligabat etiam diœcesim Altissiodorensem; tum per interpretationem Legati, qui terram illam nominatim interdixerat, quòd Regi adhæreret, id est regias partes foueret; tum quòd interdictum missum esset in regnum Francorum, seu in totam terram Regis, quo continebantur non solùm ditiones, quas dominio obtinebat; sed etiam quas imperio, seu iure regio, quia omnia Principis esse intelliguntur, *l.* III. *C. de quadrienn. præscript.* scilicet imperio, vel dominio. Postulatum vt indignum repulisse dicitur Pontifex *in hoc cap.* quòd non seruasset interdictum: non seruans enim interdictum irregularis efficitur, vnde suspenditur ab officio, & beneficio, & non potest eligere nec eligi, *cap. cum inter R. sentorem, infrà, de elect. cap. postulastis, §. quæsiuistis, de cleric. excommunic. ministr. cap. vlt. de excess. prælat. cap. is qui, de sentent. excomm. in* VI. Licèt autem postulantes excidissent potestate eligendi, vel rursus postulandi, quòd scientes postulassent indignum, tamen speciali beneficio concessit Capitulo Senonensi, vt vacanti ecclesiæ per postulationem, vel electionem canonicam, de persona idonea & congrua consuleretur. Capitulo relinquitur optio postulationis, vel electionis, prout meliùs visum fuerit. Postulationi enim non est locus, nisi vrgente necessitate, & ob euidentem vtilitatem ecclesiæ, *can. Episcopus* XXVII. *qu.* I & hoc innuit Pontifex *in hoc cap.* per verbum illud *per postulationem idoneam.* Huc vsque pertinet *cap.* I. Postulatione cassatâ seu irritâ pronuntiatâ à Summo Pontifice, plures è Canonicis Senonensibus, in sua sententia hærentes, Hugonem Altissiodorensem Episcopum iam reiectum, denuò postularunt, quidam verò Cameracensem Episcopum (hic fuit Petrus de Corbolio Theologus clarissimus, olim Magister ipsius Innocentij III. in Vniuersitate Parisiensi) in Archiepiscopum postularunt. Postulationi Petri Cameracensis adnuens Octauianus Hostiensis Episcopus, tunc temporis Legatus Sedis Apostolicæ in Gallia, ipsum in pastorem ecclesiæ Senonensi præfecit, non per se, id est, ex officio legationis, sed auctoritate fretus Apostolicâ, vt disertis verbis proditum est *in hoc cap.* II. id est, ex speciali mandato Pontificis, vt agnoscit ipse in fine huiusce cap. Legatus enim, etiam à latere, etsi possit confirmare electiones Episcoporum, *cap. si Abbatem, de elect. in* VI. non potest admittere postulationes sine speciali mandato Pontificis, vt innuitur *in cap.* I. *&* II. *& toto hoc tit. & cap.* III. *&* IV. *infrà, de offic. legat.* quia postulatio Episcoporum est specialiter reseruata Summo Pontifici, *cap.* III. *de auctorit. & vsu Pally.* Postulationem Petri, & quod factum erat à Legato de mandato suo, Innocentius auctoritate Apostolicâ confirmauit, licèt postulatio facta fuisset à minori parte Capituli, quia cùm maior pars Capituli sciens postulasset indignum, eligendi vel postulandi potestas deuoluta erat ad alios, licèt pauciores numero, vt ostenditur *in hoc cap.* II. De Cameracensis postulatione meminit Rigordus in gestis Philippi Augusti, *ad ann.* MCXCIX. *Sequenti vero videlicet mense Nouembri, Michael Senonensis Archiepiscopus, vir Theologus, & Deo placens migrauit ad Dominum, cui successit Petrus de Corbolio quondam Innocentij Papæ didascalus, per cuius manum & auctoritatem primò Cameracensem episcopatum, secundò Senonensem meruit obtinere.* Hanc postulationem non sine assensu Regis admissam à Pontifice, licèt à paucioribus factam, aptè ad hunc locum expressit Chronicon Altissiodor. *ad ann.* MCCXX. *Idem præterea legatus Petrum de Corbolio, qui litteraturæ secularis, & Theologica prærogatinâ famosus, in scholarum regimine, Parisiis diu claruerat, & de cathedra magistrali ad Cameracensis ecclesiæ cathedram nuper assumptus fuerat, tam de assensu Regis, quàm D. Papæ, clero licèt præter paucos inuito, in Senonensem ecclesiam inthronizat.* His addatur Antoninus Florent. *part.* II. *tit.* XVII. *cap.* IX. §. XXX. & Iacobus Tau[illegible] vit. Archiepisc. Senonens. *p.* XCIII. Petri de Corbolio discipulum se profitetur Innocent. III. *lib.* I. *epist.* CCCCLXXIV. Hic est idem qui Petrus de Corbuel, de quo meminit Th. Cantiprat. *lib.* II. *cap.* LI.

CAPITVLVM III.

BONÆ memoriæ Guillel. Archiepiscopo vestro viam vniuersæ carnis ingresso, quidam vestrûm sanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem: quidam verò Imolensem Episcopum postulauerunt. . . . . Nos

igitur auditis, quæ de facto, & de iure fuerant allegata, plenius etiam pro vtrilibet partium curauimus allegare. considerauimus vero, quod eiusdem Cardinalis præsentia vtilior sit non solum Romanæ, sed etiam Ecclesiæ generali, tam apud Apostolicam Sedem, quàm apud ecclesiam Rauennatensem. vnde non immeritò præferentes speciali vtilitati communem, & minori maiorem, prædictum Cardinalem postulationi vestræ non duximus concedendum. Attendentes autem ex altera parte, quod prædictus Episcopus à minori, quàm tertia parte fuerit postulatus: & quod Apostolica Sedes postulationes huiusmodi non consueuerit in tanta diuisione, ac contradictione recipere: cum etiam quando aliquis ab aliis vnanimiter postulatur, ad admittendam postulationem eorum, non tam ex iustitia, quam gratia moueatur, postulationem ipsius non duximus admittendam. Mandantes quatenus cum his, qui vocem in electione habere noscuntur, per electionem, postulationem, seu nominationem canonicam in personam idoneam conuenite curetis.

HOc caput sumptum ex *cap.* III. *eod. tit. in* III. *collect.* & multum illustratur ab Hieronymo Rubeo *lib.* VI. *Hist. Rauennatis.* Huius capitis species hæc est. Anno MCXCVIII. Guillelmo Rauennatensi Archiepiscopo vitâ functo, Rauennatenses Canonici, votis in diuersa diuisis, alij Siffredum S. Praxedis presbyterum Cardinalem, cuius nomen designatur literâ Sigla S. *in cap.* III. *hoc tit. in* III. *collect.* in Archiepiscopum postularunt: alij quorum exilior erat numerus, Imolensem Episcopum Rauennatis ecclesiæ suffraganeum postularunt. Forocorneliensem vocat Rubeus, quod idem est; Imola enim olim Forum Cornelij dicta est, iam ab istis temporibus Rauennæ suffraganea: olim verò sub Mediolanensi metropoli eam fuisse apertè indicat Ambros. *epist.* XLIV. ad Constantium: *Commendo tibi, fili, ecclesiam, quæ est ad Forum Cornely, quo eam de proximo interuisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus, occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ, tam longè non possum excurrere.* Forocorneliensem & alias pleiasque Æmiliæ ciuitates Rauennatensi metropoli subiecisse Valentinianum III. ex Agnello scriptore Rauennate retulit Blondus, *Decad.* I. *lib.* II. Postulatione vtriusque præsentata, Innocentius neutram admisit: nimirum Cardinalis postulationi non annuit, quòd eius opera vtilior futura esset Romanæ, adeóque vniuersali Ecclesiæ, quia eum destinabat mittere legatum in expeditionem belli sacri, quæ iam instruebatur, vt traditur in ipsa Decretali *in* III. *collect.* Imolensis Episcopi postulatio reiecta est, quòd à minori quàm tertia parte fuisset postulatus, & Apostolica Sedes postulationes non consueuit, in tanta diuisione ac contradictione, recipere: non iniuriâ, in postulatione enim sicut in electione, requiritur maior & sanior pars Capituli, vt ostenditur *in hoc cap.* Quod enim dicitur esse de consuetudine Romanæ Ecclesiæ pro iure habetur, quia consuetudo Romanæ Ecclesiæ ius facit, *cap. ex literis, suprà de constitutionib.* Imò & si electio concurrat cum postulatione, non valet postulatio, nisi fiat à duplo maiori parte, *cap. scriptum, infra, de elect.* Et quo repulsæ inuidiam amoliatur Pontifex, notandum est quod subiungit, etiamsi vnanimis & concors sit postulatio, eam non tam de iustitiâ, quàm gratiâ admitti. Ex quo intelligimus etiam si concors postulatio facta sit, Pontificem non teneri postulationem admittere, quia postulatio est de gratia, potiùs quàm de iure & omnino pendet ex nutu superioris, *can. literas* LXIII. *dist.* nec iniuriam fieri postulantibus, si non admittatur postulatio, quia gratiæ innititur. Reiectâ vtrâque postulatione, Pontifex permisit Canonicis Rauennatibus, & vocatis omnibus qui ius eligendi haberent, vt per electionem, postulationem seu nominationem canonicam, de idoneâ personâ vacanti ecclesiæ prouideretur, vt subiungitur in fine *huius cap.* Tres diuersi sunt modi prouisionis canonici, electio, postulatio, & nominatio. hoc interest inter electionem, & postulationem, & nominationem, quòd nominatio est designatio plurium, puta duorum, vel trium; vt vnus ex his assumatur per Sum-

mum Pontificem; electio, & postulatio vnius certæ personæ, vt docet Hostiensis hoc loco. Per electionem acquiritur ius ad rem, id est ius petendi confirmationem, *cap.* III. *cap. nihil est, infrà, de elect. cap. super his, de accusat.* Postulatione nullum ius acquiritur, quia est de gratia, *cap. pen. hoc tit.* neque nominatione, quia est nuda designatio, *cap. quod sicut, infrà, de elect.* Tandem verò Canonicis Rauennatensibus inter se non conuenientibus Pontifex Albertum Archiepiscopum ordinauit, vt scribit Rubeus. Ex *hoc cap.* notandum est Cardinales Ecclesiæ Romanæ postulari posse, eligi non posse. Ratio est, quia eodem ferè vinculo, quo Episcopi, alligati sunt Ecclesiæ Romanæ, & titulis suis, seu ecclesiis in quibus ordinati sunt, tenentúrque residere in titulis suis, *cap.* II. *de cleric. non residentib.* & in his habent iura Episcopalia, *cap. his quæ, de maiorit. & obedient. cap. dilectus, de Capell. monachor.* Sunt collaterales, & fratres Summi Pontificis, *cap. excommunicatis, de offic. legat. cap. officij, eod. tit. in* VI. Laterales Pontificis vocat Iuo Carnotens. epist. ad Paschal. CIX. *Inde est quod multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt Sedem Apostolicam non subditorum quærere sanitatem, sed suam, aut Lateralium suorum quærere commoditatem.* Collaterales & Coadiutores Pontificis Bernardus *lib.* IV. de Consid. ad Eugen. Pap. *Vertamus ad Collaterales, & Coadiutores tuos, an non eligendi de toto orbe, orbem indicaturi.* Iidem sunt pars corporis Summi Pontificis, & in eorum persona crimen læsæ maiestatis committitur, *cap. felicis, de pœn. in* VI. Ideóque semel ordinati in Ecclesia Romana, emigrandi ab ea, vlteriùs licentiam non habent, *can. filium* I. *qu.* I. *& cap. cùm in distribuendis, infrà, de temporib. ordinat.* Hoc iure cùm Guido Blanderatensis Comitis filius, per Fridericum I. postularetur, in Rauennatem Archiepiscopum promouendus, Adrianus Pontifex postulationem non admisit, quòd esset subdiaconus Ecclesiæ Romanæ. *Conuenientius est,* inquit ille in epistola ad Imperatorem, quæ est apud Radeuic. *lib.* II. de Gest. Friderici *cap.* XVII. *vt qui filius & clericus est Romanæ Ecclesiæ, ab eius gremio non recedat, & ipsa ei circa se locum dignitatis conferens, eidem inde prouideat altiora.* Cardinales Ecclesiæ Romanæ postulari posse, eligi non posse nihil mirum hodie, quia Episcopis longè dignitate antistant, ex quo, constitutione Nicolai II. quæ est in *can. in nomine Domini* XXIII. *dist.* electio Pontificis concessit ad Cardinales, vt rectè docuit Onufrius Panuinius, vir doctissimus, in libello singulari, *de titulis Cardinalium.* Igitur certi iuris est Cardinales Ecclesiæ Romanæ, postulari posse, eligi non posse, vt apertè colligitur ex *hoc cap.* & quod scriptum est in *cap. ecclesia vestra* II. *infrà, de elect.* presbyterum Cardinalem fuisse electum, non postulatum, non pertinet ad Cardinalem Ecclesiæ Romanæ, sed ad presbyterum Cardinalem, & Conoanonicum, qui erat vnus ex Canonicis. Etiam extra Ecclesiam Romanam, sunt presbyteri Cardinales, *cap.* II. *infra, de offic. Archipresbyter. can. fraternitatem* LXXI. *dist. can. relatio* XXI. *qu.* I. & Canonici ipsi Rauennatis & Compostellanæ ecclesiæ, Cardinales appellantur Hieron. Rubeo *lib.* V. vt & Compostellano in *cap. cùm accessissent, suprà, de constitut.*

CAPITVLVM IV.

BONÆ memoriæ Guillel. Archiepiscopo vestro viam vniuersæ carnis ingresso, cùm in Colocensem Archiepiscopum postulandum à nobis contulissetis vnanimiter vota vestra, suffraganei Strigoniensis ecclesiæ, Quinqueecclesiensis Episcopus videlicet, & quidam alij postulationi vestræ se opponere curauerunt, adserentes, quòd eis contemptis, qui ius habebant eligendi vobiscum, postulatio eadem fuerat adtentata: licèt vestri nuncij proponerent ex aduerso, quòd super præficiendo vobis Pontifice de gratia multotiens suffraganeorum fuerat requisitus adsensus, sed ipsi vobis consilium denegauerunt. Nunciis igitur in nostra præsentia constitutis, & proponentibus aduersariis quædam alia contra postulationis vestræ processum, quia nobis de propositis non constabat,

bat, ita duximus prouidendum, vt si Suffraganei persistentibus in contradictione sua, vos postulationi vestræ velleris instare, per procuratores idoneos ad Sedem Apostolicam venireris. Si autem illi à contradictione sua cessarent, & vos instareris proposito vestro, ad præsentiam nostram mitteretis personas idoneas, quæ super his, quæ opportuna forent, nos redderent certiores. Quòd si contradicentibus Episcopis memoratis vos contingeret de iure vestro diffidere, aliam personam idoneam prouideretis vobis canonicè in pastorem. Cæterùm quidam vestrum à postulatione vestra, quam nobis præsentaueratis communiter, temerè recedentes, aliis persistentibus in eadem, prædictum Quinqueecclesiensem Episcopum in Archiepiscopum postulauerunt. . . . . . Nos igitur postulationem ipsam quam inuenimus in multa discordia non solùm Suffraganeorum, verumetiam Canonicorum Strigonensis ecclesiæ, ac contra formam mandati nostri temerè celebratam, non duximus admittendam: sed vobis dedimus in mandatis, vt ad prouidendum vobis pastorem idoneum per electionem canonicam, vel postulationem concordem (requisito Suffraganeorum adsensu, si esset de antiqua & adprobata consuetudine requirendus) procedere curaretis, alioquin nos ipsi prouideremus ecclesiæ viduatæ. Verùm antequam ad vos literæ nostræ peruenissent, innitentes mandato priori Suffraganeos, præter Quinqueecclesiensem ad concordiam reuocastis. . . Post hæc (mandato nostro recepto) hi, qui in Colocensi conuenerant, ab eius postulatione recedere noluerunt, sed innouauerunt eandem, reuersis ad eos quibusdam Canonicorum, qui in partem alteram declinarant. . . Cæteri verò, qui Quinqueecclesiensem Episcopum postularant, conuenientes in vnum, cæteros Canonicos ad Capitulum conuocarunt, ad postulationem concordem, vel electionem canonicam, iuxta mandatum Apostolicum, procedere cupientes: sed illis nolentibus conuenire, intelligentes penes se tantùm remansisse facultatem liberam eligendi, quia reliqui ius suum prosequi negligebant, prædictum Quinqueecclesiensem denuò postularunt. . . Nec obstabat eorum discordia, qui alium postularunt, cùm priùs in postulatione Archiepiscopi supradicti conuenissetis pariter vniuersi, & consensum vestrum adnotatum literis, & subscriptionibus propriis roboratum petiissetis à nobis per communes nuncios confirmari, nósque vestram recepissemus postulationem diiudicandam, si Suffraganei forsitan in contradictione persisterent, vel (si consentirent aut etiam cederent) adprobandam. Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur, & præsentatur Romano Pontifici adprobanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent, & iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur. . . Intelligimus itaque, quòd etsi neutra esset postulatio adprobanda: iuxta tenorem tamen posterioris rescripti ad nos de cætero Strigonensis ecclesiæ prouisio pertineret. Quia vero non plenam de personis illius regni notitiam habebamus, ideóque non poteramus, saluâ conscientiâ, eidem ecclesiæ in alia persona, quæ de regno Hungariæ originem duceret, congrue prouidere, nec vellemus ei præficere alienum, quamuis ho-

nestius videretur si suffraganeus ad metropolim suam accederet, [illegible] Archiepiscopus ad metropolim transferretur, partem tamen eligimus potiorem. Et eundem Archiepiscopum, in quem omnes, quorum consensus in electione vel postulatione pastoris requiritur, licet diuersis temporibus conuenerant, à vinculo, quo tenebatur Colocensi ecclesiæ absoluentes ad metropolim Strigonensem transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi: pallium ei ad nomen & vsum eiusdem ecclesiæ transmissuri.

CAPITVLVM V.

POSTVLATIONEM, quam celebrastis . . . . Licèt ergo per postulationem huiusmodi nullum ius sit alicui adquisitum, ideóque sine præiudicio alicuius postulationem potuissemus repellere memoratam: vt tamen vobis de speciali gratia consulamus, ita duximus prouidendum, quod per procuratores idoneos, ad omnia sufficienter instructos, nostro vos conspectui præsentetis, quatenus vtraque parte præsente, quod iustum fuerit decernamus.

GVILLELMO Strigoniensi Archiepiscopo fato functo, (hic est Primas Hungariæ, qui & Regem inaugurare solet, vt nos docet ipse Innocent. *lib. XIV. registr. epist. CIV.*) Canonici Strigonienses Colocensem Archiepiscopum in Strigoniensem Archiepiscopum, vnanimes postularunt, non sine assensu Andreæ Ducis, tutoris Ladislai Regis nepotis sui, qui pro admittenda Colocensis postulatione, primitias precum suarum transmisit ad Pontificem, vt signatur in antiqua Decretali. In postulationibus enim, sicut in electionibus Episcoporum, requiritur assensus Regis, vel tutoris Regij, qui Regis vice fungatur, *cap. cùm inter vniuersas, infra, de elect.* vbi pleniùs hac de re. Colocensis postulationi Quinqueeclesiensis Episcopus, & quidam alij suffraganei Strigoniensis ecclesiæ intercesserunt, seu sese opposuerunt, hoc obtentu, quòd eis contemptis, qui ius eligendi habebant, id est habere se dicebant, cum Capitulo, huiusmodi postulatio facta fuisset. Ex diuerso n[illegible] Capituli, re contestatâ apud Sedem Apostolicam, sese tuiti sunt hac exc[illegible] quòd suffraganeorum assensus, multoties de gratia fuerat requisitus [illegible] Capitulo denegarunt: ex quo negabatur suffraganeos haber[illegible]; per actus enim, qui fiunt de gratia, seu iure familiaritatis, neque ius v[illegible]um [illegible] commodum possessionis, vel quasi possessionis acquiritur, *l. qu[illegible], ff. de adquir. possess. l. si in meo, ff. de aqu. & aqu. pluu. arc[illegible]d.* P[illegible] & aduersarij, id est suffraganei, quædam alia contra postulationem [illegible] his non constabat, Pontifex interlocutus est, vt si suffraganeis persiste[illegible] adictione sua, Canonici Strigonienses instarent postulationi [illegible] causâ, vtraque pars idoneos procuratores ad Sedem Apostoli[illegible] suffraganeis desistentibus à sua contradictione Canonici perman[illegible] proposito, mitterent personas idoneas, per quas Pontifex cer[illegible] postulationis, quòd si contradicentibus suffraganeis, id est per[illegible]uerantibus [illegible] sua contradictione, Canonici diffiderent de iure suo (f[illegible] causa [illegible]itigans enim non debet nimis scrupulosè diffidere de [illegible] suo, vt in p[illegible]ne [illegible]ditatis bonæ fidei possessor post litem contestatam, [illegible] præsta[illegible], aut propter metum huius periculi temere in[illegible] re[illegible], *l. illud quoque in pr. ff. de petit. hereditat.*) vt alia[illegible] in pastorem prouiderent. Cæterùm antequam i[illegible] ad Capitulum, quidam ex Canonicis temere rece[illegible] à C[illegible]censis postulatione iam præsentata Summo Pontifici, Quinqueeclesiensem Episcopum in Archiepiscopum postularunt: sed Pontifex eam non

admisit, tum quòd facta fuisset in multa discordia non modò suffraganeorum, verùm etiam Canonicorum Strigoniensis ecclesiæ, tum quòd facta fuisset contra formam mandati Pontificij: & mandauit Capitulo, vt de pastore idoneo per electionem canonicam, vel postulationem concordem sibi prouiderent, requisito suffraganeorum adsensu, si de antiqua & approbata consuetudine esset requirendus. Quod valde notandum est: electio enim Episcopi non pertinet ad alios, quàm ad Capitulum, nisi ex priuilegio speciali, pacto, vel consuetudine præscripta, vt probatur *hoc loco*, & *cap. quod sicut*, *infrà*, *de elect. cap. cum ecclesia Sutrina*, *infrà*, *de causs. poss. & proprietat. cap. Abbati*, *infrà*, *de verb. signif. cap. cum dilectus*, *suprà*, *de consuetud. can. obeuntibus* LXIII. *dist.* Ita de consuetudine accipe, quod ad Senonensis Archiepiscopi electionem vocandos esse suffraganeos, & religiosos ipsius diœcesis, ait Bernard. *epist.* CII. ad Clerum Senonensem. *Grandis quippe res est in manibus, nobili Senonensi ecclesiæ instaurare pastorem; grandis prorsus, nec sine grandi adersenda consilio; expectandum proinde suffraganeorum consilium Episcoporum, expectandus assensus religiosorum, qui sunt in Episcopatu, atque in commune tractandum commune negotium.* & post pauca, *Ergo indicatur ieiunium, conuocentur Episcopi, religiosi ascifcantur, nec suâ, quod absit, solennitate fraudetur, tanti sacerdotis ritè celebrata electio.* Verùm antequam istud mandatum peruenisset ad Capitulum, Canonici Strigonienses innitentes priori mandato, suffraganeos, præter Quinqueecclesiensem Episcopum, ad concordiam reuocarunt, & eos adduxerunt, vt Colocensis postulationi assensum præberent; post hoc mandato Pontificio recepto, Canonici Strigonienses, qui ab initio Colocensem postularant eiusdem postulationem innouauerunt, reuersis ad se quibusdam Canonicis, qui in partem alteram declinarant, id est Quinqueecclesiensem Episcopum postularant. Cæteri verò, qui Quinqueecclesiensem Episcopum postularant, volentes procedere iuxta formam secundi mandati, ad Capitulum cæteros Canonicos conuocarunt, vt concors postulatio, vel canonica electio celebraretur, iuxta mandatum Pontificium: sed illis nolentibus conuenire, credentes ius eligendi ad se deuolutum, ob negligentiam aliorum, Quinqueecclesiensem Episcopum denuò postularunt. Auditis hinc inde partibus, Pontifex Colocensis postulationem admisit, quòd ab initio facta fuisset vnanimi consensu totius Capituli: neque obfuit dissensus quorumdam Canonicorum, qui post postulationem Colocensis communi consensu factam, & propriâ subscriptione roboratam, & præsentatam Pontifici, mutato consilio, Quinqueecclesiensem Episcopum postularunt; quia postulantes non possunt recedere à postulatione semel præsentatâ, ne illudatur Pontifici, vt proditum est *in hoc cap. bonæ memoriæ.* Sicut & publicato scrutinio, non licet electoribus variare, *cap. publicato*, *infrà*, *de elect.* Postulatio facilè potest reuocari re integrâ, antequam præsentata fuerit Pontifici, quia postulatione, cùm sit de gratiâ, nullum ius acquiritur postulato, vt ostenditur in *cap. postulationem*, sed postquam postulatio præsentata est Pontifici non licet pœnitere, ne ludibrio sit Pontifex. Sic & cessio cuiuslibet dignitatis, vel beneficij potest quidem reuocari, re integrâ, id est antequam cessio facta fuerit in manibus collatoris, sed cessione semel factâ in manibus collatoris, non est locus reuocationi, cùm illusio, & variatio maximè sint vitandæ in personis ecclesiasticis, *Clem. vn. de renuntiat.* Et ideo licèt Pontifex neutram postulationem admittere teneretur, quòd postulatio sit de gratia, potiùs quàm de iure, & nemo inuitus conferat beneficium, vel quòd neutra facta esset in concordia, & ob discordiam ad se deuoluta esset prouisio Strigoniensis ecclesiæ: tamen quia non plenam de personis illius regni notitiam haberet, idcóque, saluâ seu securâ conscientiâ, non posset ignotum de regno Hungariæ oriundum congruè prouidere, nec vellet Strigoniensi ecclesiæ alienum, id est peregrinum seu alienigenam præficere, ne iniuriam faceret indigenis, & vis inferretur legibus regni Hungarici, quibus alienigenæ arcebantur à dignitatibus, & aliis beneficiis ecclesiasticis, vt colligitur *ex hoc cap.* Idem iuris seruatur in plerisque Christiani orbis prouinciis, vt in Gallia peregrini seu aduenæ, quos vocant Albinos, impotes sunt beneficiorum ecclesiasticorum, vel officiorum sæcularium, nisi à Principe literas naturalitatis impetrarint, Gloss. in Pragmat. §. *nam ecclesiarum*, *verb. exterorum ad fin.* Benedict. in cap. Raynut. *verb. & vxorem à num.* CCCLXXX. Rebuff. in Prax. *tit. de re-*

script. mixt. num. VII. Eodem iure in Anglia peregrinis non licuit obtinere beneficia ecclesiastica. Extat elegans epistola Eduardi III Regis Anglorum ad Clementem VI. Pontif. apud Thomam Walsingamum in vita ipsius Eduardi in qua vehementer expostulat aduersus prouisiones Pontificias, quæ fierent in gratiam Cardinalium de beneficiis vacantibus in Anglia, quòd per eas contingeret beneficia conferri alienigenis, quorum fides Regi suspecta esset, non residentibus, & qui nullum concrediti gregis minimè agnoscerent, linguam regionis non callerent, & animarum curâ omissâ, velut villici, temporale lucrum dumtaxat sectarentur. *Sed quod dolendum est, ipsius vineæ propagines degenerantur in labruscas, & exterminant eam apri de sylua, singularésque feræ depascunt eam, dum per impositiones & prouisiones Sedis Apostolicæ, quæ solito grauiùs inualescunt, ipsius peculium contra piam voluntatem, & ordinationem donatorum, manus occupant indignorum & præsertim exterorum, & eius dignitates & beneficia conferuntur pinguia personis alienigenis, plerumque nobis suspectis, qui non resident in dictis beneficiis, & vultus commissorum eis pecorum non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed animarum curâ neglecta, velut mercenarij solummodo temporalia lucra quærunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, ecclesiarum iura depereunt, ruunt ædificia clericorum, attenuatur deuotio populi; clerici dicti regni viri magnæ literaturæ, & conuersationis honestæ, qui curam & regimen possent sibi salubriter peragere, & forent pro vestris & publicis con*[illegible] *opportuni, studium deserunt propter promotionis congruæ spem ablatam.* Eidem lege vti Hispanos & Lusitanos, docet Barbosa hoc loco. Ne ignotus, inquam, de regno Hungarico in Archiepiscopum assumeretur, vel alienus obtruderetur contra leges regni: Colocensis postulationem admisit Pontifex, quòd omnes, tam Canonici, quàm suffraganei, licèt diuersis temporibus in ipsum consensissent. Consensus suffraganeorum, etsi diuerso tempore, id est, post postulationem factam a Capitulo accesserit, retrotrahitur, & videtur intercessisse in ipsa postulatione. Contradictio suffraganeorum non nocet postulationi Colocensis, quod ex post facto in eum consenserint, quasi ab initio consenserint: sicut contemptus eorum qui vocandi erant, non vitiat electionem, si postea pro bono pacis electioni consenserint, *cap. quod sicut, infrà, de elect.* Colocensis postulationem Pontifex maluit admittere quàm Quinqueecclesiensis, quòd Quinqueecclesiensis stupri cum nepte insimulatus esset, vt patet ex *cap. cum in iuuentute, infrà, de præsumpt. cap. cum in iuuentute, de purgat. Canonic.* atque ita criminosus non esset postulandus. Fortè etiam motus est Pontifex, vt Colocensis postulationem admitteret, potiùs quàm Quinqueecclesiensis, ne spernere videretur primitias precum Andreæ Ducis, tutoris regij, qui primas hac de re preces sub initia susceptæ tutelæ seu curationis regni, ad Pontificem emiserat, vt ostenditur *in hoc cap.* in antiqua. Hæc est gratia primarum precum Principis, vt sine iniuria repelli nequeant, si sint honestæ, & congruentes. Hinc vsus primarum precum inualuit in Germania, vt singuli Prælati, pro collatione vnius beneficij primarias preces Principis admittere tenerentur. Auctuarius Abbatis Vrspergensis. *Tempore Rudolphi fuisse vsum primarum precum colligitur, ex tali forma. Rudolphus Dei gratiâ Rex & semper Augustus, honorabili in Christo deuoto Abbati &c. gratiam suam & omne bonum. Cùm ex antiqua & approbata, ac à diuis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, quælibet ecclesia, in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum ecclesiasticorum pertinet collatio, super vnius collatione beneficij, precum nostrarum primarias admittere teneatur, deuotionem tuam rogamus, quatenus huic clerico de ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reuerentiam sacri Imperij studeas liberaliter prouidere,*&c. Honestius videretur, & rationi iuris magis consentaneum ait Pontifex variis argumentis rem mouendo, vt solet, suffraganeum vocari ad metropolim, quàm Archiepiscopum de metropoli ad aliam metropolim transferri, quia postulatio & translatio debet fieri de minori ad maiorem cathedram, *can. mutationem* VII. *qu.* 1. *cap. vlt. infra, de trans*[illegible] *p*[illegible]. Tamen potior visa est postulatio Colocensis propter concordiam, quia vn[illegible]imis, & concors fuisse videtur, licèt omnes non vno tempore in ipsum c[illegible]senserint. De[illegible]que postulatione Colocensis admissâ, Pontifex eum à Colocen[illegible]is ec[illegible] vinculo absoluit, & ad metropolim Strigoniensem tran[illegible]: c[illegible] p[illegible] c[illegible]n concurrit translatio, & vt aque est reseruata Sum-

mo Pontifici, vt *in hoc tit. & tot. tit. de translat. Episc.* & quod vltimum est *in hoc cap. bona memoria*, vltrò spondet Innocentius se ei pallium transmissurum. Hoc tamen non fuit præstandum, nisi fortiter postulanti, ex ritu antiquo, *can. prisca consuetudo c. dist.*

TIT. VI. *De electione, & electi potestate.*

CAPITVLVM XVI.

CVM inter R. seniorem, & R. iuniorem super Abbatia Scaphusensi quæstio verteretur.·.·. Bon. mem. Cel. præd. noster prædictum R. seniorem sententiam cum instantia postulantem, ad componendum coëgit inuitum: & sic Abbatiæ renuncians, de manu eius custodiam & prioratum recepit, ab eo dum viueret, possidendos. Cui ordinationi licet consentiret inuitus, domum tamen reuersus (aduersariis compositionem ipsam nolentibus obseruare) non potuit, quæ concessa sunt obtinere.·.·. Nos adtendentes quòd ex consensu compositionis receptæ ius (si quod sibi competierat) R. senior amisisset, ac per hoc ne monachi ad electionem procederent, de iure minimè adpellare potuisset, cùm, nisi quorum interest, audiri non soleant adpellantes: adpellationem illam dicimus legitimam non fuisse: vnde per eam electio non potuit impediri.·.·. Sanè quamuis Præpositus & Capitulum Constantiense de interdicto quod Cardinalis posuerat, in suis literis inseruerint: quia tamen per id, quod R. iuniori diœcesanus Episcopus munus benedictionis impendit, ei videtur quod præmisimus obuiare: vnde vel scriptura facto, vel factum scripturæ præiudicat, nec probatum fuit (licèt obiectum) quòd ab interdictis electio fuerit celebrata: ipsam non potuimus irritare.·.·. Ideóque causam ipsam vobis duximus committendam, vt si constiterit, quòd electio fuerit facta à suspensis; eâ omnino cassatâ ipsi monasterio (post satisfactionem condignam, suspensionis & interdicti sententiâ relaxatâ) de persona idonea consulatur.

HOc caput sumptum est ex *cap. 1. eod. tit. in III. collect.* & ex Innocentio ipso *lib. II. epist.* XXX. Huius cap. species hæc est. Vacante Abbatiâ Scaphusensi, (hæc est Benedictini Ordinis, in Episcopatu Constantiensi, in Germania, quam à Burkardo Comite Nellunburgensi conditam tradit Ioachim. Vadianus *lib. II. de veterib. monaster. Germaniæ.* Eiusdem cum laude meminit Bertold. Constantiensis presb. *in Chronic. ad ann.* MLXXXIII. *Eodem autem tempore in regno Teutonicorum, tria monasteria cum suis cellulis regularibus disciplinis instituta egregiè pollebant. quippe cœnobium sancti Blasij in nigra sylua, & S. Aurelij quod Hirsaugia dicitur, & S. Saluatoris quod Scafhusen dicitur, id est, nauium domus: ad quæ monasteria mirabilis multitudo nobilium, & prudentium virorum, hac tempestate in breui confugit,* &c.) electus est in Abbatem R. senior. Huic electioni interfuerunt R. iunior, & nonnulli alij monachi. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, causâ demandatâ variis iudicibus, cùm R. senior litem vrgeret, vt ad sententiam perduceretur, à Celestino III. Summo Pontifice inuitus coactus est ad componendum, quod intelligendum est causatiuè, non præcisè, id est, magis suasione quàm vi, vt placet Hostiensi hoc loco: & sic Abbatiæ renuncians de manu Celestini, custodiam & prioratum ab eo dum viueret possidendos recepit. Abbatibus depositis plerumque assignabantur cellæ seu prioratus solatij causâ, vt hic, & apud Innocent. *lib. I. epist.* VIII. vel præbendæ, eiusdem Innocent.

regiftr. XIII. *epift.* CXI. Ait *dum viueret* non fine fpeciali difpenfatione. Prioratus, & alia officia regularia fuâpte naturâ funt amouibilia ad nutum Abbatis, non conceduntur monachis in perpetuum, fed ad tempus, *cap. cum ad monafterium, infrà, de ftat. monach. Clem. quia regulares, §. præmiffa, de fuppl neglig ent. p. ælat.* nec folent ad vitam confirmari à Papa fine fpeciali difpenfatione, *cap. ad noftram, cap. porrecta, de confirmat. vtil.* idque ex iufta caufa, puta fauore compofitionis, vt *in hoc cap.* Tamen R. fenior domum reuerfus, aduerfariis compofitionem ratam non habentibus, quæ conceffa funt à Celeftino, obtinere non potuit, & ab his manus violentas perpeffus, ad Sedem Apoftolicam appellauit. Interim Legatus Sedis Apoftolicæ, qui tum erat in illis partibus, propter hofce, aliófve exceffus, monachos fufpendit, & monafterium facris interdixit. Ipfi, non obftante fententiâ, diuina celebrare non defierunt, quare ne ij ad electionem Abbatis procederent, R. fenior appellationem interpofuit ad Sedem Apoftolicam, poft appellationem à R. feniore interpofitam, R. iunior in Abbatem electus, ab Epifcopo diœcefano benedictionis munere donatus. Abbatis enim benedictio pertinet ad Epifcopum, vt oftenditur *in hoc cap.* & *cap.* 1. *de fuppl. neglig. Prælat. cap. meminimus, de accufat.* Re delatâ ad Innocentium III. qui Celeftino proximus fucceffit, R. fenior coram ipfo petebat electionem R. iunioris caffam & irritam pronunciari, vtpote factam à fufpenfis, & de fufpenfo, & factam poft appellationem à fe ad Sedem Apoftolicam interpofitam, & electionem primùm de fe factam confirmari, cùm monachi compofitionem à Celeftino factam non obferuaffent; quod iure defendi poffe videbatur, fi enim tranfactionis fides non feruetur, reftituitur priftina actio, *l. fine apud acta, C. de tranfact. l. cum te fundum, C. de pact. inter emptor. & vendit.* Vnde ob non impletam compofitionem videbatur integra prior electio facta de R. feniore. Re difceptatâ, Pontifex decreuit appellationem à R. feniore non iure interpofitam, ne ad electionem procederetur, vnde per eam electio non potuit impediri, quòd R. fenior ius omne, fi quod ei competeret, ex electione amififfet, ex confenfu compofitionis receptæ ab ipfo, id eft, per renunciationem, quæ licèt facta fuiffet fub fpe obtinendi prioratus, vel cuftodiæ, pro pura & fimplici habebatur, quia in fpiritualibus fub modo vel conditione non fit renunciatio, *cap. quæfitum, infrà, de rer. permutat.* & qui femel renunciauit beneficio, ad illud redire non poteft, *cap. ex tranfmiffa, de renunciat. can quàm periculofum* VII. *qu.* 1. Vnde R. fenior extincto per compofitionem omni iure, fi quod ei competeret ex electione, non potuit appellare, ne monachi ad electionem procederent. Qui femel renuntiauit electioni de fe factæ, non poteft appellare, ne electio alterius fiat, quia non licet appellare, nifi his quorum intereft, *vt hîc, & l.* 1 *ff. de appell. recip.* Non auditur nifi is cuius intereft, *cap. ex parte, de teftib. cap. fuper his, de accufat.* & generaliter actio non datur, nifi ei cuius intereft, *l. fi procuratorem, ff. mandat.* Cæterùm in hac re valde laborauit Pontifex, concurfu pugnantium inter fe teftimoniorum, quòd Præpofitus, & Capitulum Conftantienfe, quibus fortè caufa mandata fuit, eandem enim diuerfis iudicibus demandatam fuiffe patet ex *integra Decretali de interdicto miffo in monachos & Schaphufienfe monafterium a Legato,* fuis literis inferuerint, id eft, per literas fuas certiorem fecerint Summum Pontificem, & R. iuniori in Abbatem electo, Epifcopus diœcefanus munus benedictionis impertiit. Hæc duo inter fe pugnantia videbantur, quod enim fcriptum eft à Præpofito, & Capitulo Conftantienfi de interdicto miffo à Legato, præfumptionem inducit, electionem R. iunioris factam à fufpenfis & interdictis, & quod diœcefanus Epifcopus R. iuniori in Abbatem electo, munus benedictionis impertiit, tollit ipfam præfumptionem. Nec enim verifimile eft, quòd diœcefanus, quem res latère non potuit, à fufpenfis electo benedictionem conceffèrit, & hoc eft quod Pontifex fignificat his verbis, *vnde vel fcriptura f[illegible] [illegible] el factum fcripturæ præiudicat.* Præterea minimè probatum fuit, licèt obiectum, quòd ab interdictis celebrata fuerit electio, idcirco Pontifex non dixit irritam [illegible] electionem R. iunioris: verùm rem demandauit Abbatibus de Cella S. Petri & [illegible]tienfi, ad quos pertinet infcriptio *huius cap* vt fi ei[illegible] conftiterit electionem factam à fufpenfis, eâ omnino caffatâ, & fenten[illegible] fufpenfionis & interdicti, poft condignam fatisfactionem [illegible]xati, ipfi monafterio de perfona idonea confulatur. Sufpen[illegible] eligere prohibentur, & fi eligant, [illegible]ta eft eorum electio, vt *in hoc cap.* & *cap. cum dilectus, fupra,*

de conjuge siue suspensi sint ab homine, *cap. cùm bonæ, de ætat. & qualit. & ordin. præf. cap. quia diversitatem, de conceß. præbend.* siue suspensi sint à canone, *cap. 1. de re iudi cat. in VI. cap. 1 de sent. excommunic. eod.* Notoriè excommunicati maiori excommunicatione, etiam eligere non possunt, *cap. venerabilem, infra, hoc tit.* Excommunicati verò minori excommunicatione, puta propter participationem cum excommunicatis, licèt non possint eligi, eligere non vetantur, *cap. illa quotidiana, infra, hoc tit. cap. si celebrat de cleric. excommunic. ministr.* Dixi, notoriè excommunicati, occulti enim excommunicati possunt eligere, quamdiu tolerantur, vt consentiunt Innoc. & Hostiensis in *d. cap. illa quotidiana.* Qui semel renunciauit electioni de se factæ, licèt coactus à Summo Pontifice renunciarit, non restituitur aduersus renunciationem *ex hoc cap.* quia magis suasione & instantiâ precum, quàm vi, & metu renunciasse præsumitur. Propter religionem Pontificis & coacta voluntas est, *l. si mulier, §. si metu, ff. quod met. caus. l. si patre cogente, de ritu nupt.* & suasio iudicis non est idoneum argumentum vis, & metus illati, quia non continet parendi necessitatem: vnde vox iudicis pacisci suadentis, non habet auctoritatem rei iudicatæ, *l. VII. C. de sentent. & interlocut. l. furti, §. qui iussu, ff. de his qui not. infam.*

CAPITVLVM XVII.

QVALITER post obitum . . . Verùm quoniam electus à vobis, ante confirmationem administrationi Episcopatus se irreuerenter immiscuit, recipiendo tam à clericis, quàm à laïcis iuramenta, non attendens quòd, secundùm Apostolum, nemo debet sibi honorem adsumere: sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: præcipuè quia nec donum scientiæ Pontifici conueniens fuerat adsecutus. Postquam nobis præsentastis eundem, sufficienti examinatione præmissâ, electionem de ipso factam duximus irritandam, quicquid ex ea, & ob eam factum est, denunciantes penitus non tenere.

HOc caput sumptum est ex *cap. II. eod. tit. in III. collect.* & ex Innocent. ipso *lib. II epist.* CLXXVI eius inscriptio se habet, Capitulo Pennensi. Penna est est ciuitas Episcopalis regni Neapolitani, ideóque Pontifex *in hoc cap.* cassatâ electione, quia electus ante confirmationem ministrarat, mandat Capitulo de electione repetenda, eam confirmaturus, vice regiâ, vt idem ait *in cap. sequenti, de electione Capuani Archiepiscopi.* Ad eum regio nomine spectabat confirmatio electionum in vtroque regno Neapolis, & Siciliæ, quòd testamento Constantiæ, balium seu tutela Friderici II. Regis Siciliæ & Neapolis ei credita fuerit, vt patet ex Innocentio ipso *lib. I. epist.* DL. *& seqq.* & Ægidio *in gest. Leodiens. Pontif. cap.* XCIV Alia sunt beneficia electiua, alia collatiua, alia electiua & collatiua. Merè electiua sunt, quæ conferuntur per viam electionis, & in quibus electio indiget confirmatione superioris, Gloss. *in Cl. m. quia contingit, §. vt autem in v. electionem, de religios. domib.* Collatiua, quæ liberè conferuntur ab eo, qui conferendi ius habet, nec requirunt confirmationem superioris. Electiua & collatiua simul, in quibus electio non requirit confirmationem, quia electio collationis vim habet. Hoc differt electio propriè sumpta à collatione, quod per solam collationem acquiritur ius in re, antequam prehendatur possessio, *cap. si tibi absenti de præbend. in VI. cap. finali de conceß. præbend. eod.* per electionem, ante confirmationem, non acquiritur ius in re, sed ad rem, *cap. auaritiæ, hoc tit. in VI.* per electionem solam non acquiritur plenum ius in re; electus enim ante confirmationem, prohibetur se immiscere administrationi, vt *in hoc cap. & cap. cum in cunctis, §. cum verò, supra, hoc tit. & cap. cùm iam dudum, infrà, de præbend.* Electio sola tribuit ius ad rem, quia electione perfectâ electores variare non possunt, *cap. cùm inter Canonicos, cap. publicato, hoc tit.* & electo competit ius petendi confirmationem à superiore, sed electo non datur facultas administrandi ante confirmationem. Electus ante confirmationem, nec spiritualibus, nec

temporalibus, per se, vel per alium, sub œconomatûs, vel procurationis nomine, vel quolibet alio colore immiscere se potest, alioquin iure, quod ei per electionem quæsitum fuerit, eo ipso priuatur, *cap. auaritia, hoc tit. in* VI. Excipitur, nisi electus sit remotior à Curia, puta extra Italiam constitutus, qui immediate subsit Summo Pontifici, si concorditer electus fuerit, huic ex dispensatione permittitur, vt in spiritualibus, & temporalibus administret, ante confirmationem, dummodo interim nihil penitus alienet de rebus ecclesiasticis, *cap. nihil est*, §. *Episcopi, infra, hoc tit.* Post confirmationem, electus potest ministrare, & exercere ea quæ sunt iurisdictionis, veluti ius dicere, excommunicare, iuramenta recipere à vasallis Ecclesiæ, confirmare, inuestire, beneficia conferre, *cap. nosti, cap. transmissam, suprà, hoc tit. cap.* I. *infrà, de translat.* Electus autem ante consecrationem non potest exercere ea quæ sunt Ordinis, *d. cap. transmissam, & cap. quod sicut infra, hoc tit. cap. inter corporalia, de translat. can. quamuis Chorepiscopis* LXVIII. *dist.* Electus post confirmationem non potest transferri ad aliam ecclesiam, sine auctoritate Summi Pontificis, quia per confirmationem quasi coniugale vinculum contrahitur inter electum, & ecclesiam, *d. cap. inter corporalia.* Electus tamen per confirmationem non plenum ius assequitur, vnde electo ante, vel post confirmationem, si crimen excipiendo opponatur, aduersus eum agi potest citra vinculum inscriptionis, *cap. super his, de accusat.* Electus in tra mensem electioni de se factæ consensum præstare debet, & post consensum electioni præstitum intra tres menses confirmationem petere, *cap. ne pro defectu* XLI. *hoc tit. can. postquam, dist.* L. *cap. quam sit, hoc tit. in* VI. & post confirmationem electus consecrandus est intra tres menses, *can. quoniam* LXXV. *dist. can. quoniam* C. *dist.* Quòd si electus post confirmationem vltra tres menses cessauerit in petenda consecratione, beneficia quæ electus habebat, vacant, & vt vacantia conferri possunt, *d. cap. cum in cunctis*, §. *cùm verò.* Electo præscribuntur tempora petendæ confirmationis, & consecrationis, ne electus confirmationem, & consecrationem accipere negligat, securus de libera administratione spiritualium & temporalium ante confirmationem, & consecrationem. Tam enim passim hoc sæculo inualuerat hæc corruptela, vt electi non confirmati, vel consecrati per multos annos incubarent ecclesiis, de quo Matthæus Paris *ad ann.* MCCLI. *His diebus quoque sub eisdem confirmati sunt electus V vint. Athelmarus domini Regis frater vterinus, & Roffensis electus, Magister Laurentius de Sancto Martino, quibus concessum est per aliquot annos sequentes, reditus priùs obtentos retinere, & sic iam in consuetudinem, & vsum hac abusio suscitatur, vt quis ad Episcopatum vocatus non Episcopus permaneat, sed electus, vt scilicet pastor non pascat, sed pascatur, & vt Episcopus pristinos reditus retineat, vt multiforme monstrum habeatur & vt aliquis Episcopus ad alium Episcopatum ditiorem postulatus transferatur, vna ecclesia alterius pellex habeatur.* & idem *ad ann.* MCCLIII. *Cæterum, quod videre non consueui, concedit Papa ob fauorem sæcularem, vt aliquis Episcopatum obtineat, nec tamen Episcopus existat, sed electus sempiternus, quod tantumdem [illegible] ni est, vt lac & lanam habeat ouium, lupos tamen non abigendo, pristinos etiam reditus retinendo.*

Capitvlvm XVIII.

CVm inter vniuersas metropoles. ·.·. Intelleximus autem per Io. & F. Canonicos vestros, & per literas, quas ad Sedem Apostolicam detulerunt, quòd ad Decanum & alios Canonicos vestros Parisiis manentes (cùm ex eorum parte fuisset vobis per literas in[illegible]atum, vt sic tractaretis super electione substituendi pastoris, quod nullum deberetis in eorum absentia nominare) quendam socium vestrum cum literis destinastis, duodecim dierum terminum adsignantes, infra quem post receptionem literarum vestrarum iter arriperent redeundi. Quamuis ecclesiastica consuetudo non exigat, vt ad electionem pastoris canonici tam remoti vocentur, & illis præcipue, qui longe antè, quàm vos, metropo-

tropolitani vestri obitum præsentialiter cognouerunt, quorum aliqui post eius decessum ad Capuanam Ecclesiam sunt reuersi. Quia tamen mora longior est in electionibus valde suspecta, imò sæpe damnosa: mandamus quatenus inuocata Spiritus sancti gratia personam idoneam per electionem canonicam concorditer adsumatis ad regimen Capuanæ Ecclesiæ, consequenter ad audientiam nostram nuncios idoneos transmissuri, per quos à nobis vice regia postuletis adsensum, & Apostolicæ confirmationis gratiam requiratis.

ELECTIO Episcopi debet fieri intra tres menses, ex Conc. Chalcedon. *can.* XXV. *can. quamuis* LXXV. *dist.* quem secutus est Innocent. II. in *can. obeuntibus* LXIII. *dist.* Electioni faciendæ angustior terminus præfixus est, ne diutius vacent Ecclesiæ, ob periculum diutinæ vacationis; longior enim mora suspecta est Ecclesiis, & plerumque damnosa, vt ipsis verbis edicitur *in hoc cap.* Electio autem debet fieri vocatis his quorum interest, vocatis his qui habent ius eligendi; ad electionem vocandi sunt qui sunt intra prouinciam, vt *in hoc cap.* & *cap. coram dilecto, infrà hoc tit.* Hoc iure, Gregorio I. placuit ad electionem Mediolanensis Episcopi vocandos esse Mediolanenses, qui securitatis causâ Genuam perfugerant, ob barbaricam feritatem, *can. quanto* LXIII. *dist.* Genua enim est Liguriæ oppidum, quod olim pertinebat ad metropolim Mediolanensem, vt patet ex epistola Eusebij Episcopi Mediolanensis, quæ legitur inter eas quæ sunt Leonis M. cui Paschasius Genuensis Episcopus subscripsit inter suffraganeos Mediolanensis metropolis. Genuensem Episcopum è Mediolanensi metropoli abreptum, Archiepiscopum creauit Innocentius II. tribus Corsicæ Episcopis cum Bobiensi illi subiectis, teste Platina in eius vita. Et in eo deceptus est Hostiensis hoc loco, cùm vsus est hoc canone, vt probaret etiam de consuetudine absentes vocandos esse ad electionem extra prouinciam, non attendens olim Genuam fuisse Mediolanensis prouinciæ; ideóque ad electionem Mediolanensis Episcopi rectè vocandos fuisse Mediolanenses Genuæ perfugij causâ commorantes, cùm essent intra prouinciam, & iustior esset absentiæ causa, nimirum fuga Barbaricæ feritatis, id est, Longobardorum, qui ea ætate Italiæ incubarunt. Ad electionem non vocantur, qui sunt extra prouinciam, puta trans mare, vt *in hoc cap.* absentes propriè intelliguntur qui sunt extra prouinciam; præsentes verò, qui sunt intra prouinciam, *l. vlt. C. de præscrip. long. tempor.* Non vocantur, inquam, qui sunt extra prouinciam, nisi aliter de consuetudine obtineat, vt in Gallia de consuetudine absentes de toto Regno vocandi sunt, *cap. in Genesi, infrà, hoc tit.* Igitur ad electionem vocandi sunt absentes, quia electio debet fieri solemniter, vocatis quorum interest, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicat.* & inuitis non est dandus Episcopus, *can. nullus* LXI. *dist.* alioquin electio facta non vocatis absentibus, ob contemptum, id est omissam vocationem vocandorum, est infirmanda. Electio facta spretis vocandis, non est nulla ipso iure, sed venit annullanda, si contemptus queratur de contemptu, non aliter, *cap. quod sicut, infrà, hoc tit.* Electio irritatur ob contemptum, quia in electionibus plus nocet contemptus vnius, quàm contradictio multorum, *cap. bonæ memoriæ* II *infrà, hoc tit.* Hoc iure irritatur etiam Imperatoris electio non vocatis electoribus qui erant vocandi, *cap. venerabilem, infrà, hoc tit.* & qui tenetur eligere cum alicuius consilio, tenetur requirere eius consilium, quamuis non teneatur id sequi, alioqui non tenet electio, *cap. cùm olim, infrà, de arbitr.* Capitulo datur trimestre tempus ad eligendum; tamen id tempus arctari potest à Capitulo, & absentibus breuior terminus præfigi, dummodo sit idoneus, quo vocati adsint electioni: vt *in hoc cap.* à Capitulo Capuano non amplior terminus quàm duodecim dierum datus absentibus, quo adessent ad electionem, quod probauit Pontifex, eo quòd terminus trium mensium constitutus est fauore Capituli, cui licet renunciare iuri pro se introducto, *l. si quis ad conscribendum, C. de pact.* maximè si periculum sit in mora. Terminus enim vocationis non est nimis arctandus, nisi ex iusta causa, *cap. cùm in veteri, infrà, hoc tit. cap. consuluit, de offic. delegat.* Absentes vocandi sunt, si sine periculo

possit expectari eorum aduentus; alioquin non obest electioni, si non sint vocati, quòd periculum esset in mora, vt *in hoc cap.* & *cap. quod sicut, infrà, hoc tit.* Nam vocandi non sunt, qui Episcopi obitum præsentialiter cognouerunt, vt subditur *in hoc cap.* id est, qui præsentes fuerunt tempore obitus: qui enim certus est, non est certiorandus, *l.* 1. *in fin. ff. de act. empt.* Electione facta requiritur assensus Regis, *cap. cùm terra, cap. quod sicut, hoc tit.* vel si Rex sit impubes, regni curatoris vice regia, vt *in hoc cap.* & apud Innocent. *lib.* II. *epist.* CLXXVI. ex qua sumptum est *cap.* XVII. *hoc tit.* Ab initio electio Episcoporum fuit in potestate cleri, & plebis, ita vt electio esset cleri, assensus, testimonium, seu postulatio plebis, vel honoratorum, seu ordinis, id est Senatus municipalis, *can. cleri, can. vota* LXIII. *dist.* Sacerdotum est electio, & populi consensus requirendus est; quia docendus est populus, non sequendus, *can. nosse* LXIII. *dist. can. legimus* XCIII. *dist.* In electionibus desideratur assensus & testimonium plebis, ne inuitis detur Episcopus, *can. nullus* LXI. *dist.* & quòd oporret eumdem testimonium habere ab his qui foris sunt, I. *ad Timoth. cap.* III. & in electionibus multum valuisse testimonium plebis, satis apertè significat *Tertull. Apologetic. cap.* XXXIX. *Præsident probati quique seniores, honorem illum non pretio, sed testimonio adepti.* Postea cùm plebs insaniùs tumultuaretur in electionibus; à prouincialibus Episcopis maximè Episcopum eligi decretum, Conc. Nicæn. *can.* IV. & Antiochen. *can.* XIX. & ita Alexandrum Narcisso Hierosolymitano Episcopo, ob senium Episcopatus oneri impari, adiutorem ascitum, & in Episcopum electum consensu finitimorum Episcoporum, *μετὰ κοινῆς τῶν ἐπισκόπων, οἳ τὰς πέριξ διεῖπον ἐκκλησίας, γνώμης*, tradit Euseb. *lib.* VI. *cap.* IX. Et hoc de consuetudine in ius versum, Ante Concil. enim Nicænum moris fuisse, vt electio Episcopi celebraretur à prouincialibus Episcopis coram plebe, auctor est Cyprian. *epist.* LXVIII. *Obseruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit.* Ex Concilio Nicæno electio Episcopi maximè relata ad Episcopos prouinciales, ita vt clerus & plebs non submoueretur, sed clero & plebi non liceret Episcopum eligere sine consensu prouincialium Episcoporum. Et quod statuitur Conc. Laodicen. *can.* XIII. non esse permittendum turbis Episcopi electionem facere, *can. non est permittendum* LXIII. *dist.* non arcet penitus plebem ab electione Episcopi; sed vetat electionem fieri à plebe solâ absque clero, per turbas, & tumultus, vt moris erat: & itaetiam accipiendus *can.* II. *Conc Sardicensis, in cap. Osius, suprà, hoc tit.* His temporibus electio Episcoporum fuit penes clerum & plebem, necdum Principes eidem se immiscuere, ne libertas electionum præriperetur. Hoc religionis genio Valentinianus, cùm demortuo Auxentio electio Mediolanensis Episcopi ad eum referretur, ad Synodum prouincialium Episcoporum eam reiecit, ad se minimè pertinere professus. *Super vos,* inquit, *est talis electio, can. Valentinianus* LXIII. *dist.* Posterioribus seculis Principes ordinationem Episcoporum de consuetudine sibi asciuerunt, præsertim in Gallia, vt constat ex variis Gregorij Turon. locis: à clero & plebe Episcopum eligi cum consensu Regis placuit, Conc. Aurelianensis V. *can.* X. *Vt nullum Episcopatum præmiis aut comparatione liceat adire, sed cum voluntate Regis, iuxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis Canonibus continetur.* Et quod Conc. Parisiens. I. *can.* VIII. vetuit, ne quis per ordinationem regiam honoris Episcopalis culmen peruaderet, *can. si per ordinationem* LXIII. *dist.* non remouit consensum regium in electionibus, sed liberam ordinationem sanciuit. Vt electio fieret à clero & plebe, petita priùs à Principe eligendi potestate statuit Synod. Valentina Galliæ, *can.* VII. *Si quando alicuius ciuitatis Episcopus, vocatione Domini decesserit, à gloriosissimo Principe supplicando postuletur, vt canonicam electionem clero & populo ipsius ciuitatis permittere dignetur.* In Germania etiam idem vsus obtinuit, vt Episcopi ab Imperatore legerentur, & per annulum, ac baculum inuestirentur: Willelmus Tyrius *lib.* I. *de bell. sacr. cap.* XIII. *Inoleuerat enim consuetudo præsertim in Imperio, quòd defungentibus Ecclesiarum Prælatis annulus, & virga pastoralis ad dominum Imperatorem dirigebatur. Vnde postmodum vnum quemlibet de familiaribus, & capellanis suis inuestiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, vt ibi Pastoris fungeretur*

officio non expectata cleri electione. Et Archiepiscopus Treuirensis vnus è Legatis Henrici V. Imperatoris, in oratione habita ad Paschalem II. apud Sugerium in vita Ludouici Crassi. *Temporibus*, inquit, *antecessorum nostrorum, sanctorum Apostolicorum virorum magni Gregorij & aliorum, hoc ad vim Imperij pertinere dignoscitur, vt maiorum electione hic ordo seruetur, antequam electio in palam praferatur, ad aures domini Imperatoris perferre; & si personam deceat, assensum ab eo, ante factam electionem assumere. Deinde in conuentu secundùm Canones, petitione populi, electione cleri, assensu honoratorum praferre consecratum liberè, nec simoniacè, ad dominum Imperatorem pro regalibus, vt annulo & virga inuestiatur, redire, fidelitatem & hominium facere, nec mirum ciuitates eum & castella, Marchiam, telonea, & quaque Imperatoria dignitatis, nullomodo aliter debere occupare.* In Oriente etiam Imperatores electionibus Episcoporum non abstinuere; quare vt omnis electio Episcopi, à principibus facta, irrita maneat, sancitum Synodi Nicænæ II. *can.* III. *can. omnis electio* LXIII. *dist.* Inde notatur Nicephorus Phocas, ius designandi Episcopos vsurpasse apud Zonaram, & Cedrenum in eius vita. Etiam Reges Hispaniæ ius eligendi Episcopos vsu proprium fecerunt, & in Conc. Toletan. XII. *can.* VI. Archiepiscopo Tolerano, vt Primati Hispaniæ, permissum fuit Episcopos ordinare, quóscumque regalis potestas elegisset, *can. cùm longè* LXIII. *dist.* Posterioribus temporibus Principibus adempta est potestas eligendi Episcopos, & hoc vnum reseruatum iisdem, vt ante electionem requireretur assensus Principis. Bernard. epist. CCLXXXII. ad Ludouic. Iuniorem. *Ita est Domine mi Rex, non est quòd debeatis reprobare factas electiones, quibus vt fierent semel vos assensisse constiteris.* Et Ioannes Saresber. epist. LII. *Quò verò sicut oportet positis in prouidendo vobis pastore procedere, pracipimus, quatenus ad conseruandam Ecclesia pacem dominum Regem honestâ de collegio vestro legatione transmissâ adeatis, preces ei deuotione debita porrigentes, vt canonicè eligendi vobis pastorem libertatem concedat.* Tandémque iure decretalium obtinuit, vt post electionem factam dumtaxat Principis desideraretur assensus, *cap. cùm terra, cap. quod sicut, hoc tit.* vel Rege impubere, tutoris regij, vt *in hoc cap.* Curator enim Regni vice Regis fungitur, *cap. grandi, de suppl. neglig. Prælat. in* VI. Hoc iure potestatem eligendorum Episcoporum, vel Abbatum posci ab Adela matre sua, & Guillelmo Archiepiscopo Rhemensi, quibus procuratio regni tradita erat, placuit Philippo Augusto, suo in testamento, apud Rigordum. *Si fortè contigerit Sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam regalem vacare, volumus vt Canonici Ecclesia, vel Monachi monasterij vacantis, veniant ad Reginam, & Archiepiscopum, sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus quòd sine contradictione eis concedant.*

CAPITVLVM XIX.

ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO CAPVANO.

CVM nobis olim de obitu. ·.·. Cùm autem constaret interpositam fuisse app. ne fieret electio, nisi canonica, videri poterat quòd post eam medio tempore nihil debuit innouari: vnde talis electio iudicanda erat irrita & inanis: vtpote post adpellationem canonicè interpositam adtentata. Sed contrà, cùm adpellatum fuisset, non vt nulla electio fieret, sed vt fieret canonica: si factum electionis canonicè fuerit subsecutum: non vtique contra formam adpel. huiusmodi, sed magis secundùm eam videbatur esse processum: & ideo licèt post adpellationem, non tamen contra eamdem fuit electio celebrata, propter quod non erat aliquatenus irritanda. ·.·.·. Item cùm post adpellationem emissam Archiep. cum suis fautoribus chorum exiisset, & vos illos vt interessent electioni faciendæ vobiscum, curassetis sollicitè reuocare (quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt) alienos se fecisse videntur: propter quod electioni à vobis iuxta formam mandati Apost. concorditer celebratæ, de iure non posse contradicere videbantur. ·.·.·. His

igitur & aliis allegatis, quamquam contra personam illius; quem elegistis, nihil dictum fuerit vel obiectum, quia tamen iuxta verbum Apostoli dicentis: Nemini citò manum imponas, debemus attendere diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant: duximus ex officio nostro, sicut decuit, procedendum. ·.·. Illius quoque literatura, licet non eminens, tamen conueniens electus existit: vt pro defectu scientiæ (sicut pleniùs intelleximus ab his, qui eum meliùs cognouerunt) ab electione non deberet excludi. De legitima tamen ætate scire plenè non potuimus veritatem: quia cùm à multis euius ætatis existeret, curauerimus indagare, à nemine vnquam audiuimus quod annum ætatis tricesimum attigisset. ·.·. Nos Ecclesiæ pariter & personæ prouidere volentes, & tam rationes, quàm canones obseruare: quia propositum vestrum prouidum intelleximus: & ideo propter vrgentem necessitatem, & euidentem vtilitatem Ecclesiæ Capuanæ (quam in hac parte potiùs adprobamus) volumus ipsum firmiter perdurare: præfatum Subdiaconum nostrum vobis in procuratorem concedimus, liberam administrationem ei, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus committentes.

HOc cap. sumptum est ex *cap.* IV. *eod. tit. in* III. *collect.* & ex ipso Innocent. III. *lib.* II. *epist.* CCLXIV. Huius species hæc est: Vacante metropoli Capuana, ex mandato Pontificis, Canonici conuenere in Ecclesia sua, in choro, vt viduatæ Ecclesiæ de pastore prouideretur. Electio enim solemniter debet fieri in Ecclesia, in choro, vel Capitulo, *cap. cum terra, cap. quod sicut, cap. cum inter Canonicos, hoc tit. can. in nomine Domini* XXIII. *dist.* Et eo nomine, electionem Vrsini in schismate lecti aduersus Damasum, quòd facta fuisset in angulo Basilicæ Siconiensis, notat Socrates *lib.* IV. *Hist. cap.* XXIV. *καὶ χειροτονεῖται οὐκ ἐν ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' ἐν ἀποκρύφῳ τόπῳ τῆς βασιλικῆς, τῆς ἐπικαλουμένης σικῶνος. Et creatus est, non in Ecclesia, sed in loco abscondito basilica quæ Sicona dicitur.* Ante tractatum de electione facienda, Archidiaconus Theatinus cum suis fautoribus appellationem emisit ad Sedem Apostolicam, ne fieret electio nisi canonica, & post appellationem cùm eisdem abiit è choro. His in cassum reuocatis, vt electioni faciendæ interessent, à duabus partibus Capituli electus est R. Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ. Pontifex re ad se perlatâ, nequaquam rescidit electionem eâ ratione, quòd facta fuisset post appellationem; quia etsi facta esset post appellationem, nihil videbatur tentatum contra appellationem, quod appellatio interposita fuisset, non vt nulla fieret electio; sed ne fieret nisi Canonica electio, id est, ne quis de aliena Ecclesia eligeretur, saltem si idoneus in propria inueniretur; & de aliena Ecclesia electus non videretur, qui lectus esset è Romana Ecclesia, cùm sit caput & maxima omnium Ecclesiarum, & Romanus Pontifex ordinatius singulorum, vt ostenditur in antiqua. Eadem ratione quilibet Romæ potest conueniri, quia Romana Ecclesia mater & magistra est omnium Ecclesiarum, *cap. vlt. de for. compet.* & si ius ciuile respicias, Roma est communis omnium patria, *l. Roma, ff. ad Municipal.* Quicumque enim sunt in orbe Romano, ex constitutione D. Antonini sunt effecti ciues Romani, *l. in orbe, ff. de stat. homin.* Sed quia planè non constabat de ætate, id est, an electus attigisset annum ætatis trigesimum, minor enim triginta annis in Episcopum eligi non potest, *cap. cum in cunctis, suprà, hoc tit.* Pontifex Ecclesiæ simul & personæ consulere volens, & tam rationes, quàm Canones obseruare, non confirmauit electionem, sed electum concessit in procuratorem Ecclesiæ Capuanæ, cum libera administratione, tam spiritualium, quàm temporalium, vt ostenditur *in hoc cap.* Voluit Pontifex cum electo dispensare de minori ætate quod poterat. Solus Romanus Pontifex dispensat de ætate, *cap. ex ratione, de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* solus enim potest dispensare contra Concilium, *cap. significasti, suprà, hoc tit.* Non confirmauit scilicet electionem, vt canones obseruaret, id est, Conci-

lium Lateranense, quo requiritur ætas triginta annorum in Episcopo; sed maluit electum in procuratorem vacantis Ecclesiæ constituere, vt Ecclesiæ & personæ pariter prouideret. Is enim cui procuratio Cathedralis Ecclesiæ mandatur, à Sede Apostolica, cui soli hoc competit, habet liberam administrationem in spiritualibus, & temporalibus, quoad ea quæ sunt iurisdictionis, *cap. is cui procuratio, hoc tit. in* VI. Non sine dispensatione Procurator Ecclesiæ constitutus videtur minor ætate, quia Procurator Ecclesiæ dari non debet, qui curatore indiget; indecorum est eos præponi regimini Ecclesiæ, qui se ipsos regere non possunt, *cap. indecorum, de ætat. & qualit. & ord. præfic.* & eadem ætas requiri videtur in Procuratore Ecclesiæ, ac in Episcopo; quòd Procurator Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus Episcopi vice fungatur. Sed Procurator datus, fortè dispensatione non egebat, quòd esset maior viginti-quinque annis, & in Procuratore sufficit ætas viginti-quinque annorum; in inferioribus enim Ecclesiasticis ministeriis, legitima ætas est viginti-quinque annorum, *d. cap. cùm in cunctis*, §. *inferiora.* Concessa procuratione Ecclesiæ Pontifex non confirmat electionem, ita vt consecratio differatur in tempus legitimæ ætatis: sed ne Ecclesia administratore destituta damnum patiatur, nuda procuratio, seu administratio Ecclesiæ mandatur, quo vsque de pastore prouideatur. Nihil vetat tamen, procuratorem datum postquam maior triginta annis factus fuerit eligi posse: & in hoc differt à Visitatore, qui in Episcopum eligi prohibetur, ne occasione muneris ad Episcopatum obrepat, Conc. Carthag. V. *can.* VIII. *can. constitutum* VII. *qu.* I. Postremis seculis frequentior fuit vsus huiusmodi commendationis Ecclesiarum, procurationis, vel administrationis nomine, maximè in gratiam Principum, vel illustrium virorum: & ita filios Regis Castellæ, Toletanæ, & Hispalensis Ecclesiarum procuratione functos notat Compostellan. *in hoc cap.* vt & Guillelmo de Sabaudia, & postea Philippo fratri traditam procurationem Ecclesiæ Valentinæ, & Bonifacio vtriusque fratri procurationem Ecclesiæ Bellicensis, refert Hostiensis etiam *in hoc cap.* & Baldeuino Archiepiscopo Treuirensi commendatam administrationem Ecclesiæ Moguntinæ, pendente lite cum Henrico de Virnbergsin, qui non admittebatur à Capitulo, quòd à Ioanne XXII. Pontifice ordinatus esset sine consensu Canonicorum, auctor est Tritemius in Chronic. Hirsaug. *ad ann.* MCCCXXVIII.

CAPITVLVM XX.

CANTVARIENSI EPISCOPO.

INNOTVIT nobis quòd Vigoriensi Ecclesia destituta pastore, Prior & Conuentus eiusdem loci magistrum M. Archi. Eboracen. in Episcopum elegerunt. Cuius confirmationem vsque in aduentum ipsius (qui absens eligebatur & inscius) distulisti: qui tandem spontanea tibi & secreta confessione monstrauit, quòd conscientia eius aliquantisper ex natalibus esset læsa. ∴ Cuius electionem Capitulum petiit per Sedem Apost. confirmari, præsentato nobis electionis decreto subscriptionibus eligentium roborato. Quidam autem suffraganeorum tuorum adseruerunt eum fuisse filium cuiusdam militis, & ab eo, ex quadam ingenua & non coniugata susceptum. Idem quoque magister adiecit, quòd numquam pater eius habuerat vxorem, sed matris eius virginitatis florem præripuit quasi furtim. ∴ Quamuis autem canon Lateranens. Concilij ab Alexandro prædecessore nostro editus, non legitimè genitos adeò persequatur, quòd electionem talium innuit nullam esse: nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cùm non fuerit prohibentis intentio: qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pari post eum (imò eadem) potestate functuris, cùm non habeat imperium par in parem. ∴ Multa enim in hoc casu dis-

pensationem inducere videbantur: literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, & fama personæ multipliciter à quibusdam etiam ex fratribus nostris (qui eum in scholis cognouerant) adprobatæ: faciebant etiam hæc ad id non modicum, concors Capituli Vigoriensis electio, petitio populi, adsensus Principis, votum tuum, suffraganeorum suffragia, & humilis deuotio confitentis, qui sponte ac humiliter suum maluit confiteri reatum, quàm læsa conscientia thronum conscendere pastoralem. Habito ergo super hoc diligenti tractatu, intelligentes Vigori. Capitulum eumdem magistrum non humiliter postulasse, sed improuidè potiùs elegisse (cùm ad obtinendum dispensationis beneficium procedendum fuisset, non per electionem inhibitam, sed per postulationem permissam) electionem ipsam prædicti canonis auctoritate cassatam, denunciamus irritam & inanem: parcentes non modicum Vigori. Capitulo: quòd eis nec pœnam infligimus expressam in canone supradicto: nec probare cogimus ignorantiam, quam allegant. Et quamuis post cassationem huiusmodi nobis fuerit supplicatum, vt dignaremur cum eo misericorditer dispensare: supplicationem huiusmodi quæ nomine Capituli non fiebat (cùm non ad postulandam dispensationem, sed ad petendam confirmationem ipsius fuerint nuncij destinati) ad præsens non duximus admittendam: decernentes irritum & inane quicquid super ordinatione ipsius Episcopatus ante susceptionem literarum nostrarum fuerit adtentatum. Quòd si Vigori. Capitulum eumdem magistrum propter prærogatiuam meritorum ipsius duxerit postulandum, postulationem apud Sedem Apostolicam præsentare procuret.

ILLEGITIMVS in Episcopum eligi non potest, sed postulari potest, vt ostenditur *in hoc cap.* cuius species hæc est. Vigoriensi Ecclesia, quæ est suffraganea Metropolis Cantuariensis, in Anglia vacante, Prior & Conuentus eiusdem Ecclesiæ (fuit enim regularis, vt Cantuariensis & aliæ Ecclesiæ Anglicanæ, quòd institutæ sint per Monachos) Prior, inquam, & Conuentus eiusdem Ecclesiæ M. Archidiaconum Eboracensem in Episcopum elegerunt: electo Metropolitanus confirmationem impertiti non sustinuit, quia is vltro ei fassus est se pati defectum natalium; noluit Metropolitanus mittere falcem in messem Pontificis, quia illegitimus non potest promoueri ad maiores ordines, nec beneficia curata absque dispensatione Sedis Apostolicæ, *cap.* I. *de filiis presb. in* VI. Postmodum Capitulum petiit à Sede Apostolica electionem confirmari, præsentato electionis decreto subscriptione eligentium roborato. Electio rata non est, nisi firmata sit subscriptione propria eligentium, vt *hîc, & in can. Episcopus* LXI. *dist. can. quanto* LXIII. *dist. & in can. legum* II. *qu.* I. vel subscriptione per alium, *cap. cùm inter nos, infrà, de re iudicat.* Ea ætate non omnes Clerici aut Monachi fuere literarum periti; ideóque electioni Episcopi, vel Abbatis, per se, vel per alium eis subscribere licuit, vt electioni Abbatis S. Petri Carnotensis, alios Monachorum per se, alios per alterum subscripsisse refert Fulbertus epist. XXI. *Isti itaque omnes sua nomina, aut subscripserunt, aut subscribi fecerunt me vidente.* Prioribus seculis fuere etiam Episcopi qui literas nescirent, *collat. Carthag. cap.* CXXXIII. Quintus pro Paulino Turensi præsente, literas nesciente, inter Catholicos præsules subscripsit: *Conc. Ephesin. act.* I. Theodorici Episcopi Gadarensis nomine, Ætherius Diaconus ipso non valente, seu non scribente, subscripsit. *Conc. II. Ephesini relect.* Elias Episcopus Adrianopoleos Asiæ, per Romanum Episcopum Myrorum subscribens, causam addit, *eo quòd nesciam literas.* Et Chalcedonens. act. I. Caiumas Episcopus Phaneensis per Dionysium Sycamatonis Coepiscopum subscripsit. *Eo quòd*, inquit, *literas ignorem*, & in *d. cap. cùm inter vos*, legitur R,

Veronensis Episcopus priuilegio monasterij sancti Zenonis à Priore S. Zenonis mandasse sua vice subscribi. Quidam autem suffraganei Cantuariensis Pontifici significarunt electum natum esse ex milite, id est, equestris ordinis viro, & ex ingenua, id est, nobili muliere, & non coniugata. Licèt autem Canon Lateranensis Concilij ab Alexandro III. editus illegitimos ita remoueat ab electione, vt eorum electionem nullam & irritam pronunciet: non tamen potuit is successori adimere dispensandi potestatem, quia par in parem non habet imperium, vt traditur *in hoc cap.* quæ ratio desumpta est ex fontibus Iuris Ciuilis, *l. est receptum, ff. de iurisdict. l.* IV. *de recept. arbit. l. ille à quo, §. pen. ad Trebell.* Multa in personâ electi erant dispensandi momenta, literarum scientia, morum honestas, vitæ virtus & fama, & bonum testimonium, à nonnullis Cardinalium, qui olim in scholis eum nouerant; concors Capituli electio, petitio populi, assensus Principis, votum Metropolitani, Suffraganeorum suffragium, & humilis deuotio confitentis, qui vltro confessus est vitium natalium fortè occultum; mitiùs agitur cum sponte noxam confesso, quàm cum conuicto, *can.* III. *dist.* L *can. quia simpliciter dist.* LVI. Habito super hoc diligenti tractatu, Pontifex intelligens quòd defectus natalibus à Vigorniensi Capitulo non postulatus, sed temere electus esset; electionem ex prædicto Canone Lateranensi irritam dixit, quia illegitimus eligi non potest, postulari potest. Vnde in *can. Cenomanensem* LVI. *dist.* illegitimus non propriè electus dicitur, cùm non promoueatur absque dispensatione Apostolica. Pontifex tamen electionem rescidit, remissa pœnâ canonis, id est Capitulo remisso onere probandi ignorantiam quam allegabant: ex Concilio enim Lateranensi scientes eligentes indignum, eligendi potestate priuantur, *cap. cùm Vvintoniensis, infrà, hoc tit.* Electione cassata, preces oblatæ sunt Pontifici, vt cum electo dispensaret: sed quia huiusmodi supplicatio non fiebat nomine Capituli, vel fiebat per nuncios Capituli missos ad petendam confirmationem electionis, non ad petendam dispensationem; Pontifex eam non audiuit, ad petendam enim dispensationem requirebatur speciale mandatum Capituli, *cap. nonnulli, §. sunt & alii. de rescript.* Verùm hoc à Pontifice indultum est Capitulo, vt si eumdem ob merita duxerit postulandum, ei liceret postulatiouem Sedi Apostolicæ præsentare. Videbatur hic posse eligi, nec egere dispensatione, quòd fuisset legitimatus per subsequens matrimonium, vt exponitur in antiqua. Legitimati scilicet per subsequens matrimonium possunt promoueri absque dispensatione ad ordines, & beneficia, dignitatésque, etiam ad Episcopatum, quia omnino pro legitimis habentur, *cap. tanta est, infrà, qui fil. sint legit.* Sed verba quæ leguntur in antiqua fidem non faciunt, cùm absint à Raymundi collectione, qui ea fortè vt irrepetitia, vel suspecta expunxit: nec dispensatus ad Archidiaconatum, fuit idoneus ad Episcopatum absque speciali dispensatione: semel dispensatus ad beneficia non intelligitur dispensatus ad dignitates, vel prælaturas maiores, *cap.* I. *de filiis presbyter. cap.* II. *eod. tit. in* VI. quia dispensationes sunt stricti iuris, nec extenduntur de casu ad casum.

CAPITVLVM XXI.

GENVENSI ARCHIEP. ET PLACENTINO, ET BOBIENSI EPISC.

CVM inrer Canonicos Saonens. super electione Ponrificis quæstio verrererur, ad Sedem Apostolicam S. Subd. Saonens. & I. procurarores Capituli accesserunt. . . . . Proposuit aurem procurraror prædictus, quòd singuli requisiti communi adsensu in Hastens. præpositum (excepto prædicto Subdiacono) conuenerunt: quo in sua duricia permanenre, aliorum consensus redactus fuir in scriprum pub'icum consequenrer. Cæterum pro parte altera fuit propositum ex aduerso, quòd cùm septem essenr Canonici Saonens. in Capirulum se receperunr de futura electione Pontificis tractaturi: sed Archidiac. Archipres. & Præposito dictum

Hastens. Præpositum nominantibus: fuit à præfato S. obuiatum, asserente ipsum morbo epileptico laborare, pro quo alia vice tamquam inhabilis fuerat recusatus: nec ad aliam Ecclesiam debere fieri transitum, donec reperiretur idoneus in Ecclesia Saonensi. ·.·. Post hæc Archipresbyter pro parte altera de rato (vt dicebat) literis præmunitus, ipse verò S. pro parte sua in Mediolanens. Archiepiscopum compromittere curauerunt, qui magistrum G. Modicens. Canonicum eis dedit in Episcopum, & confirmauit. ·.·. Disc. v. mandamus quatenus, cùm constet electionem de Præposito memorato à maiori & saniori parte Capituli celebratam fuisse, publicatam etiam & subscriptam: si dictus Præpositus eidem electioni consenserit, vt per mutuum consensum eligentium & electi quasi coniugale vinculum spiritualiter sit contractum: nisi sufficienter sit ostensum eumdem morbo epileptico laborare (super quo contra ipsum dicitur appellatum) vos non obstante appellationis obiectu, quæ ex aliis causis superiùs memoratis proponitur interposita (cùm eas friuolas reputemus) electionem confirmetis ipsius, non obstante quod post talem electionem à præfato Archiepiscopo proponitur esse factum, etiamsi à partibus in eum fuerit compromissum: cùm electores à tali electione sic resilire nequiuerint. Quòd si electores illius non compromiserint in Archiepiscopum memoratum, etiamsi dictus Præpositus nondum electioni de se factæ consenserit, eo tamen consentire volente (dummodo à morbo sit immunis obiecto) vos electionem ipsius nihilominùs confirmetis.

HVIVS cap. species hæc est. Vacante Ecclesia Saonensi, quæ est in Lombardia, suffraganea metropolis Mediolanensis, Canonici tractatu habito de electione celebranda, communi assensu conuenerunt in Hastensem Præpositum, excepto Stephano Subdiacono. Hic fuit vnus è Canonicis, à quo appellatum est ad Sedem Apostolicam, ne Præpositus Hastensis eligeretur, ob morbum sonticum; quòd scilicet morbo epileptico, seu caduco laboraret, nec de aliena Ecclesia eligendus esset, donec in propria idoneus inueniretur. Postmodum Archipresbyter nomine Capituli, & Stephanus Subdiaconus suo nomine, super electione in Mediolanensem Archiepiscopum compromiserunt; Mediolanensis ex compromisso G. Modoicensem Canonicum, in Episcopum eis dedit, & eumdem confirmauit iure scilicet Metropolitico: idem potest eligere, & confirmare diuerso iure, *cap. cùm inter vniuersas, suprà, hoc tit.* Re ad Sedem Apostolicam delata, Pontifex cùm constaret electionem à maiori parte Capituli celebratam, publicatam, & subscriptione eligentium roboratam, eam confirmari mandauit, non obstante appellatione, & compromisso in Archiepiscopum Mediolanensem; quia electores non potuerunt resilire ab electione semel publicata, subscripta, nec compromittere in fraudem electi: etiam ante electionem celebratam, publicato scrutinio electores variare nequeunt; electio est actus legitimus, & solemnis, qui variationem non recipit. variatio maximè vitanda in personis Ecclesiasticis, *Clem. vnic. de renuntiat.* vnde patronus Ecclesiasticus non potest variare, *cap. cùm autem, de iure patronat.* Non valuit compromissum super electione in Archiepiscopum Mediolanensem, ad quem spectabat confirmatio electionis lege Metropolitana; quia iudex eius rei, de qua iudex est, arbitrium recipere non potest, *l. 1 x. §. si quis iudex, l. non distinguemus, §. quæsitum, ff. de recept. arbitr.* Electio facta à maiori parte Capituli, dicitur confirmanda non obstante appellatione, & compromisso in Metropolitanum, dummodo electus electioni de se factæ consenserit: quia per mutuum consensum eligentiũ & electi, quasi spirituale coniugium contrahitur, vt *in hoc cap.* & *cap. licet, infrà, de translat.*

translat. Et dummodo electus morbo epileptico non laboret, vt subditur in fine huius cap. laborans morbo sontico, seu epileptico, est inhabilis ad beneficia, & ordines: quia epilepsis est morbus sonticus, & perpetuus, qui rerum agendarum impedimento est, *l. quæsitum.* X. *ff. de re iudicat. l. morbus sonticus. de R. I.* Non obfuit quòd electus non esset de gremio Ecclesiæ: regulariter quidem electio debet fieri de gremio ipsius Ecclesiæ, *can. nullus, can. obitum* LXI. *dist.* sed quia hoc introductum est in gratiam eligentium, & cuilibet licet renunciare iuri suo, non rescinditur electio de aliena Ecclesia facta à maiori parte Capituli, *vt hoc loco, & cap. sicut, de Simonia.*

CAPITVLVM XXII.

PRÆNESTINO EPISCOPO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO.

DVDVM ad audientiam nostram quæstione perlata, quòd vacante præpositura Colocen. Ecclesiæ, in duo se vota eligentium diuisissent, causam iudicibus duximus committendam. ·.·. Ipsi verò partes ad suam præsentiam conuocarunt, receperunt testes, examinauerunt eligentium conscientias: audiuerunt allegationes vtrinque. Et quoniam Præpositus sancti Georgij eorum sententiæ se adseruit nolle stare, processum ad Sedem Apostolicam destinarunt. ·.·. Cúmque nuncij Præpositi Sanctorum Apostolorum statuto termino ad præsentiam nostram accessissent, Præpositus sancti Georgij nec venit, nec pro se misit idoneum responsalem: ·.·.·. Gestis igitur iudicum diligenter inspectis, inuenimus, quòd pro Præposito Sanctorum Apostolorum authoritas, pro Præposito verò sancti Georgij numerus eligentium faciebat, cùm primus à quatuordecim, tum personis, tum Canonicis, qui alios dignitate, ætate, & tempore præcedebant; secundus verò à viginti quatuor fuisset electus. ·.·. Cùm autem allegationes pro eodem Præposito sancti Georgij coram iudicibus ipsis propositæ, nobis non fuerint præsentatæ, propter quod non potuimus scire per nos quid obiecerint, vel quid responderint ad obiecta, sícque causa remissa non fuit sufficienter instructa: ad definitiuam sententiam non duximus procedendum, sed decisionem causæ ipsius iudicibus commisimus sub hac forma, vt si vel notorium esset, vel per ea quæ iam dicta erant, constaret quòd Præpositus sancti Georgij electionis tempore pateretur, vel in ordinibus, vel in scientia, vel in ætate, defectum qui eum iuxta Canonum sanctiones impediret ad huiusmodi officium promoueri: ei (non obstante ipsius absentia corporali) silentium imponentes, Præposito Sanctorum Apostolorum præposituram adiudicarent eandem: alioquin (cùm in eum non solùm plures, sed duæ penè partes conuenerint, & impedimentis cessantibus adpareat quòd eum bono zelo elegerint,) Præpositi Sanctorum Apostolorum electione cassata electionem confirmarent ipsius, & ei facerent tanquam Præposito responderi.

ELECTIVA beneficia propriè sunt ea, in quibus Ecclesia dicitur viduata morte Pastoris, vt Episcopatus; quia per consecrationem spirituale coniugium contrahitur inter Episcopum & Ecclesiam, *cap. inter corporalia, infrà, de translat.* inferiores dignitates propriè non dicuntur electiuæ, quia per eas Ecclesia non dicitur viduata: non tanta est coniunctio inter prælatum inferiorem & Ecclesiam, ac inter Episcopum, & Ecclesiam: ideóque inferiores dignitates non sunt electiuæ de iure, sed de con-

suetudine, vt præpositura Coloniensis *in hoc cap.* præpositura Tolozana *cap. per inquisitionem, infrà, hoc tit.* Valentina, Marco *decis.* MCCCLXV. *part.* I. Decanatus Claremontensis, *cap. Constitutus, infrà, de Appellat.* Archipresbyteri dignitas, in *can. si in plebibus* LXIII. *dist.* Cantoria Eduensis Ecclesiæ, Oldrado *consil.* CXLVI. Vacante præpositura Coloniensis Ecclesiæ, quæ est dignitas electiua, diuisis votis Capituli, quatuor & decem è Canonicis elegerunt Præpositum SS. Apostolorum, quatuor & viginti Præpositum S. Georgij: re delegatâ certis iudicibus, & post variam disceptationem perlatâ ad Pontificem, ei constitit Præpositum SS. Apostolorum electum à minori parte Capituli quoad numerum, sed à præstantiori quoad auctoritatem, seu dignitatem: Præpositum verò S. Georgij electum à maiori parte Capituli, quoad numerum, cùm primus à decem & quatuor, secundus à quatuor & viginti fuisset electus. Sed contra Præpositum S. Georgij fuit obiectum, quòd defectum pateretur in ordinibus, scientia, & ætate: sed quia de eo non constabat, Pontifex non duxit rem definitiuâ sententiâ terminandam, sed eam demandauit certis iudicibus eâ lege, vt si constaret quòd Præpositus S. Georgij, tempore electionis pateretur defectum in ordinibus, scientia & ætate, super præpositura ei silentium imponeretur, eademque Præposito SS. Apostolorum addiceretur: aliàs electio Præpositi S. Georgij confirmaretur, cùm electus esset à maiori parte Capituli, & duabus penè partibus; alterius cassata electione, vt ostenditur in hoc cap. Ex Conc. Lateranensi electio rata est ea demum, quæ facta est, à maiori & saniore parte Capituli, *cap. quia propter. cap. Ecclesia vestra. cap. Cumana. cap. in genesi, infrà, hoc tit. cap.* I. *de his quæ fi. à maior. part. Capitul.* Maior pars Capituli intelligitur, non comparatione minorum partium, id est, numeri eorum qui electioni interfuerunt; sed comparatione totius Capituli. v. g. si Capitulum constet viginti, à maiori parte electus dicitur, qui à duodecim ex viginti electus erit, *d. cap. Ecclesia. d. cap. Cumana. d. cap. in Genesi.* Sanior autem intelligitur quæ præstat auctoritate, id est, dignitate, zelo, & merito, habita ratione tam eorum qui eliguntur, quàm eligentium, vt *in hoc cap. d. cap. Ecclesia,* & aliis proximè laudatis. Cùm quæritur, an electus sit idoneus ordine, scientia, vel ætate, spectatur tempus electionis. hoc iure electus tempore promotionis debet habere ordinem quem requirit beneficium, vt in *hoc cap. & cap. præterea, infrà, de ætat. & qualitat. & ordin. præfic.* sed ex Conc. Lateranensi, *cap. cùm in cunctis, §. inferiora, suprà, hoc tit.* non est necesse vt electus ad inferiorem dignitatem habeat ordinem requisitum tempore promotionis, satis est vt promoueatur intra tempus statutum, id est, intra annum, *cap. licet canon. hoc tit. in* VI. *cap. si pro Clericis pauperibus, de præbend. eod. cap.* II. *de instit. eod.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM CANONICIS MAGVNTINENSIBVS.

BONÆ memoriæ Maguntinensi Archiepiscopo viam vniuersæ carnis ingresso, & quibusdam petentibus Warmaciensem Episcopum, quibusdam verò Archiepiscopum vestrum, tunc Præpositum sancti Petri Maguntinensis, sibi eligentibus in Pastorem: Prænestino Episcopo à Sede Apostolica Legato dedimus in mandatis, vt si eundem Episcopum, quoad temporalia vel spiritualia recepisse constaret Ecclesiam Maguntinensem, vel ministrasse in temporalibus aut spiritualibus in eadem: postulationem factam de ipso nunciaret irritam: ·.·. Deinde inquireret de ipsius electione Archiepiscopi veritatem, & si ei de vi, quam ipse & sui metuebant, constaret, (eo non obstante, quòd post appellationem ad nos interpositam, fuerat in ipsius electione processum, cùm alij, qui adpellationi ad nos interpositæ, ne sine ipso ac sociis eius haberent in electione processum, non duxerint deferendum: vti contra ipsum hac exceptione non possent, quia frustra legis auxilium inuocat, qui commit-

tit in legem: vnde nec ab eis posse obiici videbatur, quòd idem esset à paucioribus secundùm eorum adsertionem electus, cùm ipsi adpellationem ad nos legitimè interpositam contemnentes, & præter licentiam nostram recipientes Episcopum memoratum, reddiderint se indignos) electionem Archiepiscopi confirmaret: ·.·.·. Licèt autem essent notoria, quæ contra dictum Wormaciensem Episcopum & eius fautores fuerant obiecta: prædictus tamen Legatus ad maiorem cautelam multos testes recepit ex ipsius Archiepiscopi parte productos. Vnde ipse iuxta mandati nostri tenorem procedens, postulationem factam de Wormaciensi cassauit, & electionem Archiepiscopi memorati (quamuis à paucissimis celebratam) curauit auctoritate Apostolica confirmare, ipsúmque ordinauit in Presbyterum: & tandem in Archiepiscopum consecrauit: ·.·.·. Contra Legati verò processum hoc facere videbatur, quòd non citatis Wormaciensi Episcopo, & eius fautoribus, processisset. Porrò excessus notorius examinatione non indiget: & pro his, quæ à iudice sunt acta, præsumitur, quòd omnia ritè fuerint celebrata, quamuis & quòd citati non fuerint, non posset de facili comprobari: quia negantis factum, per rerum naturam nulla est directa probatio: cùm etsi quilibet de se posset adserere, quòd ad eum citatio minimè peruenisset, singuli tamen vestrûm essent in suo testimonio singulares. Ad ipsum quoque legatum, si voluissent, securè potuissent procuratorem idoneum destinare, sicut nuncium destinarant: ·.·.·. Nos igitur etsi propter auctoritatem iudiciariam præsumamus pro his, quæ acta sunt à Legato: illi tamen plus innitimur rationi, quòd aduersarij Archiepiscopi ex tribus causis prædictis se vsque adeò reddiderunt indignos, quòd contra eum non debebant audiri: vnde quod de ipso factum fuerat, non poterat impediri per eos: quin etiam si electores eiusdem partis pariter deliquissent, vt se reddidissent indignos, ad nos deuoluta fuisset, hac vice ordinatio Ecclesiæ Maguntinensis: quare dictum Archiepiscopum sine iuris iniuria potuissemus eidem Ecclesiæ præficere in Pastorem. Super his verò, habito diligenti tractatu, cassationem postulationis factæ de Wormaciensi Episcopo ratam habuimus: electionem memorati Archiepiscopi confirmantes.

ELEGANS est species huius cap. quod olim mihi Cadurci pro Cathedra vacante, solemnis palæstræ argumentum sorte obtigit. Conrado Archiepiscopo Moguntino diem functo, ex schismate imperij, quod extitit inter Philippum Ducem Sueuiæ, & Othonem, subortum est schisma in Ecclesia Moguntina, super electione noui Pontificis. Sifridus Præpositus S. Petri Moguntini, idémque maioris Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus, vt obseruare est ex Trithemio in Chron. Hirsaugiensi *ad ann.* MCC. & eius socij in Othonis partibus studiisque, metu Philippi secessere ad Bingen. oppidum, & ne à Capitulo sine ipsis electio fieret, appellarunt ad Sedem Apostolicam. Capituli maior pars quæ Philippi partes tuebatur, postulauit Lupoldum Vormaciensem Episcopum, & statim ne quid contra postulationem tentaretur, appellauit. Vormaciensis ante admissam postulationem fretus ope & auxilio Philippi, qui Moguntiam tenebat, Moguntinam Sedem occupauit, & à Capitulo receptus, in spiritualibus, & temporalibus ministrauit, ante admissam postulationem. Pauci qui coniuncti erant cum Præposito (non plures quàm tres cum ipso Præposito fuisse, refert Abbas Vrspergens. in Philippo) ob aliorum delictum ius eligendi ad se, li-

cèt pauciores, deuolutum intelligentes, vnum ex se, id est, ipsum Præpositum elegerunt. Re delata ad Sedem Apostolicam, Guillelmus Prænestinus Episcopus, qui tum Pontificia legatione fungebatur in Germania, cui inscribitur *cap. prox. suprà, hoc tit.* ex mandato Pontificis causa cognita, postulationem Vormaciensis rescidit, & electionem Præpositi, licèt à paucioribus factam, adeóque post appellationem confirmauit, & electum in Presbyterum ordinauit, simúlque in Archiepiscopum consecrauit; quæ omnia rata habuit Innocentius, vt ipse exponit in *hoc cap.* rémque illustrant Abbas Vrspergens. & Trithemius in Chron. Hirsaugiens. Arnoldus Lubecensis in Supplemento Holmoldi *lib.* VI. *cap.* III. Cæsarius de Miracul. *lib.* II. *cap.* X. Serrarius *lib.* V. *rer. Moguntinar.* Postulationem Vormaciensis rescidit Pontifex, tribus potissimùm rationibus. Prima, quòd fuisset facta post & contra appellationem à Præposito, & sociis interpositam, ne absque ipsis fieret electio; nempe electio facta post & contra appellationem nulla est, & irrita, *cap. consideravimus, cap. cum nobis, suprà, hoc tit.* Secunda, quòd postulatio Lupoldi facta fuisset per vim & metum, & ob præsentiam Regis; & hoc est quod insinuat Pontifex his verbis: *Si ei de vi quam ipse & sui metuebant constaret;* & hac ratione inprimis oppugnatam Lupoldi postulationem non negat Vrspergensis. *Rex itaque Philippus ad Ciuitatem Moguntinensem accessit, cupiens efficere, vt idoneus illi Ecclesiæ preficeretur Episcopus; factúmque est in ipsa electione, vt omnium vota conuenirent in Luipoldum Vormaciensem tunc Episcopum, tribus tantùm exceptis qui accepta occasione de præsentia Regis allegabant non posse liberam fieri electionem; potiùs quia sciebant Papam contrarium esse Regi, appellantes exierunt de Ciuitate* &c. Iure nulla & irrita est electio facta per impressionem Laïcorum, *cap. Osius, suprà, hoc tit. can. non est permittendum* LXIII. *dist.* Tertia, quòd postulatus à Capitulo vltro irreptus esset, idémque administrationi sese immiscuisset in temporalibus, & spiritualibus, ante admissam postulationem. Sicut scientes eligentes indignum, potestate eligendi priuantur, ita & vltro recipientes postulatum ad administrationem, ante admissam postulationem, eligendi potestate priuantur, & potestas eligendi deuoluitur ad alios licèt pauciores: & sicut electus ministrans ante confirmationem cadit iure suo, *cap. qualiter, suprà, hoc tit.* ita & postulatus ministrans ante admissam postulationem. Et longè potior est ratio in postulato, quia postulatio innititur moræ gratiæ, & per eam nullum ius acquiritur postulato, *cap. postulationem, suprà, de postulat. prælat.* Cassata postulatione huiusmodi, confirmatur electio Præpositi licèt facta post appellationem; quia appellationem obiicere non licuit his, qui appellationi priùs interpositæ non detulere, vt *in hoc cap. & cap. constitutis, infrà, de appellat.* & frustrà legis auxilium inuocat, qui committit in legem, quod sumptum est ex *l. auxilium, in fin. ff. de minorib.* Electio licèt à paucioribus facta confirmatur, quia ob delictum puta ob contemptum appellationis, postulantes priuati erant potestate eligendi, & ius eligendi deuolutum erat ad alios licèt pauciores: vbi maior pars Capituli sciens eligit, vel postulat indignum, potestas eligendi deuoluitur ad minorem partem vt ostenditur in *hoc cap. & cap. cùm Vintoniensis hoc tit.* vel ad vnum, si credimus Hostiensi in *cap. gratum, suprà, de postulat.* quia vel vnus potest retinere ius, & nomen vniuersitatis, *l. sicut municipum, ff. quod cuiusq. vniuersitat.* Quin immo si omnes deliquissent, ius eligendi deuolutum esset ad Summum Pontificem, tamquam proximum Superiorem, vt ait Pontifex in *hoc cap.* nimirum, quia Moguntina Ecclesia est primaria Germaniæ, & immediatè pertinet ad Summum Pontificem, ex Epistola Zachariæ Pontificis ad Bonifacium primum illius Sedis Archiepiscopum, *can. perlatis* VII. *qu.* I. & deuolutio fit gradatim ad proximum Superiorem, *cap. ne pro defectu, infrà, hoc tit. cap. si quando eod. tit. in* VI. Nullitatis arguebatur processus Legati, quòd non vocatis Lupoldo, & eius fautoribus processisset. Regulariter processus iudicis sine citatione est nullus, *l. ea quæ, C. quom. & quand. index, l. meminerint, C. vnde vi. cap. inter quatuor. de maior. & obed. cap.* I. *de caus. possess.* sed in notoriis minimè opus erat citatione, vel alio examine, notorius excessus non indiget probatione, *vt hic, & cap.* XIII. *&* XIV. *infrà, de accusat.* in dubio non præsumitur omissa citatio, quia in iudiciis omnia præsumuntur solemniter acta, *l. optimam, C. de contrahend. & committ. stipulat.* Citatio non omissa intelligitur, quòd Lupoldus & socij apud Legatum comparuerint per nuncium, & sibi imputare debent, quòd non comparuerint per idoneum defensorem, id est, per procuratorem: vacat

exceptio minùs solemnis citationis, si citatus comparuerit: nec facilè probari potuit, quòd hi non fuerint citati, quia negatiua per rerum naturam directo probari non potest: sed hæc ratio claudicat, quia citatio non probatur testibus, sed per literas, seu per libellum, *cap. praeterea, infrà, de dilat.* Non negandum Innocentium propensiorem fuisse ad reiiciendam postulationem Lupoldi, & confirmandam electionem Sifridi, quia ipse fauebat partibus Othonis, vt satis patet ex *hoc cap. & cap. venerabilem, infrà, hoc tit.* sed multis rationibus non caruit sententia Pontificis, quare insaniùs eam suggillat Vrspergensis loco laudato, vbi meminit huiusce Decretalis. *Super hac electione*, inquit, *fecit non iudicium, sed iniuriam.* Postulationem Lupoldi, vtpote factam à fautoribus schismatis, notauit Arnoldus Lubecensis, idémque electionem Sifridi factam ab Ecclesiasticis viris celebrauit. *Circa dies illos Moguntinus Conradus vita excessit, & statim in tam nobili sede schisma non defuit, fautores si quidem Lippoldum Ecclesiæ Moguntinæ præficiunt; Ecclesiastici verò viri sententiam Apostolici timentes, ad tantam dignitatem Sifridum elegerunt.* Lupoldum istum Philippi auctoritate Moguntinam Sedem occupasse testatur Cæsarius. *In Vvormatia ante paucos annos quidam Episcopus fuit nomine Lupoldus, solo quidem nomine Episcopus, opere autem tyrannus. Iste Lupoldus ita diabolicus erat, vt tempore schismatis quod erat inter duos Reges, Ottonem scilicet & Philippum, cùm sibi vsurpasset Episcopatum Maguntinensem eiusdem Philippi auctoritate, & multis interesset bellis, non parceret Ecclesiis, non cœmiteriis.* Sifridus in Archiepiscopum confirmatus, Romam profectus ab Innocentio pallium accepit, vt legitur in antiqua Decretali. Cæterum quoad Philippus superstes fuit, non potuit apisci Sedis Moguntinæ, & temporalium possessionem, vt narratur ab Vrspergensi, Arnoldo Lubecensi, & Serrario.

CAPITVLVM XXIV.

CLERICIS SANCTÆ AGATHES.

QVERELAM, quam G. tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis per œconomum Ecclesiæ vestræ, cuius idem Cardinalis est gubernator, contra P. Presbyterum Ecclesiæ sancti Saluatoris, super Ecclesia ipsa proposuit: C. Papa. p. n. nobis in minori officio constitutis audiendam commisit. Petebat igitur œconomus præfatus P. ab Ecclesia sancti Saluatoris (quam in præiudicium vestræ Ecclesiæ, ac iniuriam Cardinalis prædicti occupare præsumpserat) remoueri, cùm ipsa Ecclesia pertineat ad sanctæ Agathæ Ecclesiam pleno iure, petens pensionem XVI. denariorum Papiensi debitam Ecclesiæ sanctæ Agathæ, pro eadem Ecclesia de thermis sibi restitui, de nouo subtractam. Prædictus verò P. respondebat, quòd ipse nullam iniuriam irrogauerat Cardinali, nec in præiudicium Ecclesiæ vestræ receperat dictam Ecclesiam, cùm hæc ad illam nullo iure pertineat, nec aliquam sibi reddere pensionem debebat, sed ipse per electionem populi, ad quem de antiqua consuetudine pertinet electio, à Cardinali sanctæ Susannæ (cui eadem Ecclesia tanquam capella suo titulo in spiritualibus est subiecta) canonicè fuerat institutus: . . . Nos igitur rationibus vtriusque partis auditis, dictum P. ab imperitione œconomi vestri super electione ac institutione de se facta in Ecclesia sancti Saluatoris absoluimus, & super his præfato œconomo silentium duximus imponendum, cùm nobis constiterit, quòd populus in quasi possessione præsentandi Clericum existebat, quando ipsum Presbyterum ad illam elegit, & Ecclesia eadem spectat ad titulum sanctæ Susannæ in spiritualibus pleno iure, salua quæstione super iure patronatus inter Ecclesiam vestram, & populum sæpe dictæ Eccle-

siæ sancti Saluatoris. Quia verò fuit liquidò comprobatum, quòd pensio XVI. denariorum Papiensis monetæ, fuerit Clericis Ecclesiæ vestræ, pro Ecclesia sancti Saluatoris de thermis annuatim, per multa tempora persoluta, sed de nouo subtracta, vos in eundem statum percipiendi huiusmodi de Ecclesia sancti Saluatoris de thermis Ecclesiam vestram decernimus reducendam: & ad solutionem pensionis subtractæ, condemnamus Presbyterum antedictum, salua quæstione proprietatis, inter Ecclesias memoratas.

SPECIES huius cap. hæc est. G. tituli S. Vitalis Presbyter Cardinalis, per œconomum Ecclesiæ S. Agathes, cuius idem erat Gubernator, seu Administrator, (Cardinalibus propter dignitatem, præter proprium titulum, licet alias Ecclesias obtinere, gubernationis, seu commendæ nomine, quarum dicuntur Gubernatores, seu Administratores, vt docet Panormitan. *in hoc cap.*) iudicio possessorio egit contra P. Presbyterum Ecclesiæ S. Saluatoris de Thermis super Ecclesia ipsa, petens ipsum à prædicta Ecclesia remoueri, quasi non iure eam occuparet, & ipsa Ecclesia ad S. Agathes Ecclesiam pleno iure pertineret, id est, in spiritualibus & temporalibus, *cap. cum & plantare, §. in Ecclesiis. de priuileg.* Petens insuper pensionem annuam sexdecim denariorum Papiensium de nouo subtractam Ecclesiæ S. Agathæ restitui. E contrario P. Presbyter excipiebat se absque iniuriâ Ecclesiæ S. Agathes ad Ecclesiam S. Saluatoris, ex antiqua consuetudine per electionem plebis, à Cardinali S. Susannæ, ad quem Ecclesia pertineret, tamquam Capella suo titulo subiecta pleno iure, in spiritualibus, & temporalibus, canonicè fuisse institutum. Cardinales in propriis titulis, & Capellis eis subiectis habent iura Episcopalia, vt collationem beneficiorum, & alia, *cap. his quæ. de maior. & obed. cap. dilectus, de Capell. Monachor.* Idem etiam excipiebat Ecclesiam S. Saluatoris nullam debere pensionem Ecclesiæ S. Agathes. Re pleniùs cognitâ Pontifex absoluit P. Presbyterum à petitione œconomi, seu Syndici Ecclesiæ S. Agathes super electione, & institutione facta de ipso, in Ecclesia S. Saluatoris; quia ei constitit quòd plebs esset in possessione, seu quasi possessione eligendi, id est, præsentandi Presbyterum. Impropriè hîc electio sumitur, pro præsentatione, vt & *cap. III. infrà, de iur. patronat.* Vt electio, vel præsentatio, aut collatio valeat, non requiritur vt electores, vel patroni, vel collatores probent se habuisse proprietatem iuris eligendi, præsentandi, vel conferendi; sed satis est eos fuisse in possessione, vel quasi possessione eligendi, præsentandi, vel conferendi, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. cum Ecclesia Sutrina. cap. cùm olim. de caus. poss. & propriet. cap. consultationibus de iur. patr.* Quasi possessio iuris eligendi, præsentandi vel conferendi, quæ sunt iura incorporalia, non probatur per vnicum actum, *d. cap. cum Ecclesia Sutrina. & cap. cùm olim, §. si verò Vasallus. Quid sit inuestitura. in vsib. feud.* Ius Patronatus verò acquiritur non modò fundatione, sed & antiqua consuetudine, id est, consuetudine præscripta, vt *hîc. & cap. generali, hoc tit. in* VI. id est multiplicibus præsentationibus temporis immemorialis, quæ modò effectum sortitæ sint. aliàs ius patronatus non probatur præsentationibus quæ effectu caruerint, *cap. non præstat. de R. I. in sexto.* Item quia liquidò comprobatum pensionem annuam sex denariorum Papiensium per multa tempora fuisse persolutam Ecclesiæ S. Agathes ab Ecclesia S. Saluatoris de Thermis, condemnauit Presbyterum prædictum ad solutionem pensionis. Sententia verò dicta est super causa possessionis, salua in vtroque capite quæstione proprietatis. Salua quæstione iuris patronatus & subiectionis ipsius Ecclesiæ, vt traditur *in hoc cap.* Si quæstio sit de proprietate & possessione, priùs quæritur de causa possessionis, quàm de causa proprietatis; & terminata causa possessionis, agitur de proprietate apud eumdem iudicem, *l. ordinarij, C. de rei vindic. l. nulli, C. de iudic. cap. 1. cap. cum olim. de caus. poss. & propriet.* & sententia dicta super causa possessionis non præiudicat quæstioni proprietatis, *l. vn. C. si de moment. possess. fuerit appell. & d. cap. cum olim.* Et ita Pontifex *in hoc cap.* sententiam dixit super possessione salua quæstione iuris patronatus, & proprietatis. Solutio & perceptio pensionis non est idoneum argumentum iuris patro-

natus, vel etiam subiectionis, *ut hîc, & cap. cùm venerabilis in antiqua, infrà, de religios. domib.* quia pensio potest deberi ex alia causa, putà ex pacto, vel consuetudine præscripta, *can. scrutinium* XVIII. *qu.* II.

CAPITVLVM XXV.

IDEM.

CVM Vintonensis Ecclesia Pastore vacaret, Archidiaconus cum suis fautoribus Salubriensem Decanum, Prior verò & complices eius Præcentorem Linconensem in Episcopum elegerunt: ·.·.·. Licèt igitur omnes in communi de facienda electione tractauerint: quia tamen nequiuerunt esse concordes, infecto negotio ad nos habuere recursum: & hi quidem, qui Præcentorem elegerant, adserebant, quòd illi, qui Decanum elegerant, eligendi erant potestate priuati, pro illa maximè causa, quòd hominem non legitimè natum scienter eligere præsumpserunt: vnde secundùm Lateranense Concilium, & eligendi hac vice perdiderant potestatem, & per triennium Ecclesiasticis beneficiis carere debebant. Illi verò taliter respondebant, quòd licèt is, quem elegerant, fuisset minùs legitimè natus: per gratiam tamen Apostolicæ Sedis legitimari promeruit, & hoc adserebant se legitimè probaturos. Nos igitur attendentes, quòd isti post primam electionem admiserant illos, ad celebrandam secundam, & quòd decretum Concilij memorati decreuit huiusmodi præsumptores vna vice duntaxat eligendi potestate priuatos: quoniam electio quam coram nobis celebrare volebant, non iam secunda, sed tertia concurrebat: ad eligendum illos censuimus admittendos.

SPECIES *huius cap.* ex Bernardo veteri Glossatore, & Hostiensi, hæc est. Vacante Ecclesia Vintoniensi, quæ est suffraganea Metropolis Cantuariensis in Anglia, tractatu habito de electione facienda, Capitulum in partes scissum, Archidiaconus, & eius sequaces Saresberiensem Decanum: Prior verò & eius complices, Præcentorem Lincolniensem in Episcopum elegerunt. Re deducta ad Sedem Apostolicam, Prior & socij obiiciebant illos qui Decanum Saresberiensem elegerant, excidisse potestate eligendi, quòd scienter elegissent indignum, puta hominem non legitimè susceptum. Ex Concilio Lateranensi eligentes scienter indignum, eligendi pro ea vice potestate priuantur, & per triennium à beneficiis Ecclesiasticis suspenduntur, vt *hîc. & cap. cum in cunctis, §. Clerici, suprà, hoc tit.* Archidiaconus verò & socij qui Decanum elegerant, excipiebant hunc fuisse restitutum natalibus, seu legitimatum à Pontifice, sed minimè probabant. Pontifex vtramque electionem cassauit, primam quia scienter facta fuerat de indigno, nimirum de illegitimo: secundam, quia per violentam impressionem facta fuerat, vt supplet Hostiens. hoc loco, ex registro. ob delictum cassatam hanc posteriorem electionem argumento est, quòd Prioris socios in electione Pontifex nuncupat eius complices. Cassata vtraque electione, cùm Prior & socij exhiberent mandatum Capituli de electione facienda coram Summo Pontifice, & parati essent illos qui Decanum elegerant admittere ad electionem celebrandam, Pontifex illos ad electionem duxit admittendos. Eligentes scienter indignum eligendi quidem potestate priuantur, & electio deuoluitur ad alios: sed si priuati iure eligendi, ab aliis admittantur ad electionem, non vetantur eligere; quia licet cuique renunciare iuri suo. Suspensi ab officio non possunt eligere, *cap. cùm dilectus, suprà, de consuetud.* sed suspensos à beneficio, nihil vetat eligere, quia electio magis spectat ad officium, quàm ad beneficium. Suspensio à beneficio pertinet ad fructus beneficij, non ad potestatem eligendi vel ministrandi in spiritualibus; suspensus à beneficio tenetur interim officiare, Gloss. *in cap. cupientes. §. cæterum in beneficiis, hoc tit. in* VI. Item priuati potestate eligendi admittuntur ad electionem & alia ratione; quia eli-

gentes ſcienter indignum, iuxta Lateranenſe Conc. pro ea vice eligendi poteſtate priuantur, at electio quæ erat celebranda coram Summo Pontifice, non ſecunda, ſed tertia occurrebat: quæ enim præceſſerunt electiones de Decano, & Præcentore, prima & ſecunda intelliguntur, licèt neutra effectum ſortita ſit, vt euitetur pœna Concil. Lateranenſis; quòd pœnæ, cùm ſint odioſæ, ſint interpretatione molliendæ. Fortè etiam pœna Conc. Lateranenſis remittitur his qui ſcientes elegerant indignum, quòd electio retractetur coram Summo Pontifice: nempe præſentia Summi Pontificis purgat vitium, & culpam eorum qui ſcientes elegerunt indignum. Eodem iure quo præſentia & occurſus Principis liberat damnatos, *l. addictos*, *C. de Epiſcopal. audient.* & præſentia Principis ſupplet defectum teſtium, & aliorum ſolemnium in condendo teſtamento quod fit coram Principe, *l. omnium*, *C. de teſtament.*

CAPITVLVM XXVI.

IDEM ABBATI CISTERCIENSI R. ET P. MONACHIS MONTIS FRIGIDI.

PER inquiſitionem, quam de mandato noſtro feciſtis ſuper ſtatu Epiſcopatus & Epiſcopi Tholoſanenſis, perſpicaciter intelleximus, quòd Maſcaron Cancellarius iuratus, adſeruit ſe ſciuiſſe pro certo R. olim Tholoſanenſem Epiſcopum, & amicos ipſius, ante ſuam electionem habuiſſe colloquium cum quibuſdam Canonicis nominatim expreſſis: eóſque ſollicitaſſe precibus, vt ipſum eligerent in Epiſcopum: ſeque vidiſſe pariter & audiuiſſe, quando prædictus Epiſcopus recognouit in quorundam Canonicorum præſentia, ſe Canonicis illis, qui aduerſati fuerant ſuæ primæ electioni iuraſſe, credens pro certo, quòd iuramentum illud illicitum fuit, & præſtitum, vt idem R. eligeretur ex pacto, & quòd ipſemet poſt electionem ipſius caſſatam, domum Epiſcopalem eius nomine detinebat, recipiens quoſdam reditus & prouentus, quos de ipſius conſcientia & conſenſu, in eiuſdem negociis expendebat. Cùm igitur talem ſcienter in Epiſcopum eligendo (ſicut ipſe ſuo iuramento firmauit) Eccleſiaſticis beneficiis reddiderit ſe indignum, graue gerimus & moleſtum, quòd Tholoſanenſi Præpoſito in Epiſcopum Conuennarum electo, idem Maſcaron in Præpoſitum dicitur ſubſtitutus. Quocirca mandamus, quatenus eundem ab officio præpoſituræ penitus amouentes, faciatis virum idoneum ad officium illud adſumi.

DIEM functo Fulcrando Epiſcopo Tolozano, circa annum MCCI. Raimundus de Rapiſtagno ex Archidiacono Aginnenſi in Epiſcopum Tolozanum electus, non ſine labe ſimoniæ, ob quam tandem Epiſcopatu ſummotus per Sedem Apoſtolicam. Guillelm. de Podio Laurent. in Chronic. cap. VI. *Defuncto autem domino Fulcrando Epiſcopo, anno circiter MCCI. eligitur in Epiſcopum Raimundus de Rabaſteux, Archidiaconus Agennenſis, ſed qui feſtinauit ab initio, vitio ſimoniæ, benedictione caruit in fine, ipſe tandem ab Epiſcopatu per Sedem Apoſtolicam ad depoſitionem fuit finaliter condemnatus.* Et Petrus Vallis Sarnenſ. Hiſt. Albigenſ. cap. IX. *Quod audiens Comes Tholozanus quoſdam execrabiles, & malignos Archiepiſcopum Auxitanum, & Raimundum de Rabaſtenchs, qui quondam fuerat Tholozanus Epiſcopus, ſed meritis ſuis exigentibus erat depoſitus, miſit Romam.* & eò ſe refert Innocent. in *hoc cap.* dum meminit de Raimundo olim Tolozano Epiſcopo. Vnus ex his qui eum elegerunt, fuit Maſcaron Cancellarius, quæ eſt primaria dignitas Eccleſiæ Tolozanæ poſt Præpoſitum. *Capella Toloſ. qu.* XIII. Hic apud Arnoldum Abbatem Ciſtercienſem, Petrum de Caſtro-nouo, & Radulphum Monachos Fontisfrigidi Ciſtercienſis Ordinis Apoſtolicæ Sedis Legatos in cauſa Albigenſium, & ſpecialiter Inquiſitores delegatos ſuper ſtatu Epiſcopatus & Epiſcopi Tolozani, iu-

tatus

ratus asseruit Raimundum olim Tolozanum Episcopum, ante electionem de se factam per se & amicos quosdam Canonicos precibus sollicitasse, vt in Episcopum eligeretur; ex quo contrahebatur simonia, quæ committitur non modò interueniente pretio, sed etiam precibus, vel obsequio, *can. ordinationes* I.*qu.*I. Idem etiam apud eosdem inquisitores deposuit se vidente, & audiente, prædictum Raimundum vltro fassum coram nonnullis Canonicis, se Canonicis illis qui aduersati fuerant suæ primæ electioni iurasse, credens pro certo iuramentum illud fuisse illicitum, & eo consilio præstitum, vt idem Raimundus eligeretur ex pacto. Ex iureiurando præsumitur quod pactum præcesserit, ideo illicitum est iusiurandum, quod à quopiam præstatur vt eligatur, *can. Artaldus* VIII. *qu.* III. Idem vltro fassus est, se post electionem Raimundi cassatam, ipsius nomine domum Episcopalem detinuisse, & nonnullos fructus reditúsque Episcopatus percepisse, quos in rem ipsius R. ex eiusdem mandato expendisset. Idem Mascaron postea cùm electus esset in Præpositum, quæ dignitas est electiua, vt præpositura Coloniensis, *cap. dudum*, *suprà*, *hoc tit.* iudicio Pontificis à præpositura submotus est vt indignus, quòd sciens elegisset indignum, nempè simoniacum, vt ostenditur in *hoc cap.* ex Concil. Lateranensi sc. eligentes scienter indignum, in triennium suspenduntur à beneficiis Ecclesiasticis, *cap. cùm in cunctis*, §. *Clericis*, *suprà*, *hoc tit.* & ideo interim promoueri non possunt ad quodlibet beneficium Ecclesiasticum. sed & qui sciens elegit simoniacum, grauiorem pœnam meretur quàm suspensionis in triennium, & in perpetuum carere debet omni beneficio, & officio Ecclesiastico, ob odium simoniæ, *cap. cùm super*, *infrà*, *de confess.*

CAPITVLVM XXVII.

IDEM PRIORI S. FRIGIDIANI G. ET G. CANONICIS LVCANENSIBVS.

CVM causam, quæ inter Bonum Presbyterum & Brunum Canonicum sancti Petri Lucanensis vertitur super eo, quòd dictus Presbyter Bonus à maiori parte Canonicorum eiusdem Ecclesiæ (prædicto B. & quodam alio contradicentibus) in Priorem (sicut dicitur) est electus, olim vobis duximus committendam: ·.·.·. Quamuis autem multi Priores continuè vnus post alium in ipsa Ecclesia per multa & longa tempora fuerint non professi, quia tamen præfatus Presbyter B. non est professus obseruantiam regularem, dubitatis (& meritò) nobis procedere inconsultis. Quia igitur non debemus adtendere solummodo, quid factum sit, sed potiùs, quid sit faciendum: consultationi vestræ taliter respondemus, quòd cùm secundùm legem diuinam, non sit in boue arandum & asino, nec quisquam debeat vestem induere de lana linóque contextam: irritetis electionem prædictam, & compellatis præfatum Presbyterum, alióſque Clericos non professos, vt vel beati Augustini regulam in eadem Ecclesia constitutam, profiteantur & seruent, aut ipsam Ecclesiam omnino dimittant.

CAPITVLVM XXXVII.

IDEM.

CVM ad nostram notitiam peruenisset, quòd H. qui se pro Abbate Lexouiensi gerebat, non fuit antè monachus quàm electus: nos adtendentes, quòd contra regulares traditiones illud fuerat adtentatum, cùm nullam spem vel promissionem habens, vt Abbas fiat, debeat monachari, electionem de ipso factam curauimus irritare.

CAPITVLVM XXXVIII.

IDEM MAGISTRO CA. PRESBYTERO CARDIN. SEDIS APOST. LEGATO.

OFFICII tui: . . . Sanè nobis tuis literis intimasti, quòd cùm monasterium quoddam positum in medio nationis peruersæ, pastore careret: Monachi de electione Abbatis tractantes, cùm non possent sui Ordinis idoneam inuenire personam, in quendam virum nobilem oculos direxerunt, per quem poterant meliùs defensari. & patrem adierunt ipsius humiliter postulantes, quòd filium suum induceret, vt habitum susciperet Monachalem, nullam patri de ipsius promotione fiduciam tribuentes: & pater ad hoc induxit filium prouidum & discretum, qui effectus Monachus, fuit in Abbatem electus, cuius electio extitit per rectorem Messanensem Apostolicæ Sedis Legatum, qui omnibus prædictis interfuit, confirmata. Cùm autem idem sit paratus purgare se, quòd nulla fuit ad hoc ambitione inductus: postulas edoceri, vtrum dictus Legatus electionem confirmare vel dispensare potuit, vel quod factum est, stare possit, & vtrum electione cassata iterum valeat eligi in Abbatem? Nos autem consultationi tuæ taliter respondemus, quòd cùm ex his, quæ incontinenti subsecuta sunt, ostendatur, quòd talis taliter non possit eligi in Abbatem, maximè pro eo, quòd antequam esset discipulus, voluit esse magister: electionem illam irritam esse decreuimus & inanem. Verùm postquam fuerit in regula competenter instructus (si vrgens necessitas, & euidens vtilitas ipsius monasterij postulauerit) purgatione recepta poterit in Abbatem adsumi, ne monasterium opprimatur incursibus malignorum.

NON professus, non potest eligi in Prælatum regularem, puta in Priorem vel Abbatem, vt ostenditur in *tribus hisce capp. & in cap. cùm in magistrum. infr. hoc tit. & can. Presbyteros* XVI. *qu.* I. idque etiam consuetudine contraria non obstante, quòd secundùm legem diuinam non sit arandum in boue & asino, nec sit vtendum veste lana, linóque contexta, *d. cap. cùm causam, & can. in nona* XVI. *qu.* VII. id est, in eodem officio dispar non debeat esse professio, *d. can. Presbyteros.* & non debeat quis priùs esse Magister, quàm discipulus, *d. cap. officij. & d. cap. cùm in magistrum.* Quod de se deplorat Ambros. lib. I. offic. cap. I. *Homines autem discant priùs, quod doceant; & ab illo accipiant quod aliis tradant, quod ne ipsum quidem mihi accidit. Ego enim raptus de tribunalibus, atque administrationis infulis, ad sacerdotium, docere vos cœpi, quod ipse non didici.* Quinimo in Priorem vel Abbatem eligi nequit, nisi expressè professus, *cap. nullus. cap. indemnitatibus. hoc tit. in* VI. Beneficium regulare non potest conferri non professo, *cap. cùm de beneficio. de prabend. in* VI. & Clericus secularis non potest præbendam habere in Monasterio, *cap. fin. de stat. Monach.* Prioratus vel administratio regularis non potest conferri nisi expressè professis, *Clem. ne in agro, §. sanè* II. *de stat. Monach.* nec professus vnius Ordinis potest eligi in Prælatum Monasterij alterius Ordinis, *d. cap. nullus. & cle.* I. *hoc tit. cap. cùm singula, §. prohibemus. de prabend. in* VI. adeóque beneficium regulare non potest conferri Monachis alterius monasterij, licèt eiusdem Ordinis, *d. cap. cùm singula, §. prohibemus.* & Legatus Sedis Apostolicæ non potest dispensare cum non professo, vt in Priorem vel Abbatem eligatur, *d. cap. officij.* Solus Summus Pontifex potest dispensare cum non professo, vt Prioratum, vel aliud beneficium regulare tenere possit, *d. cap. cùm singula, §. prohibemus.* & Conc. Trident. *sess.* XIV. *de reformat. cap.* X. Quandoque vir nobilis eligendus in Episcopum, vel Abbatem, qui valeat tueri res Ecclesiæ, *ex hoc cap. officij.* plerumque laïci gaudent mi-

nore Episcopo, qui non valeat eis resistere. Petrus Damian. lib. VII, epist. 15. *Nimirum raptores mundi, qui ambiunt Ecclesiastica bona diripere, talem volunt Episcopum, qui eorum rapinis non valeat obuiare.*

CAPITVLVM XXVIII.

IDEM I. TI. S. STEPH. IN CÆLIO MONTE PRESB. CARD. APOST. SED. LEG.

QVOD sicut ex literis tuis: .·. Verùm cùm ex prima electione, quæ facta de tribus, dicenda videtur potiùs nominatio, quàm electio, nihil iuris adquisitum fuerit nominatis, licitè procedi potuit ad electionem regulariter celebrandam, præsertim in Ecclesia Armachana, cùm iuxta constitutiones canonicas, si fieri potest, in Cathedrali Ecclesia electio debeat celebrari. Nec adpellatio interposita, electionem illam potuit impedire, cùm in ea nihil adtentatum fuerit in præiudicium regiæ dignitatis: quia non simplex nominatio, sed solemnis electio debet Principi præsentari, vt postulationi præstet adsensum, etsi secus aliquando, per vsurpationem aliqui faciant abusiuè. Si autem Miridinensis Episcopus, & Abbas Mellifontis, qui interesse debuerant, non contempti fuerunt, sed ad electionem vocati (si tamen sine periculo potuerint conuocari) siue nequiuerint, siue noluerint ad electionem celebrandam accedere: ipsorum absentia non potuit electionem impedire.·.·. Quòd si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos: infirmanda erit electio penitus taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curauerint consentire.

Super eo autem, quòd in die consecrationis suæ, antequam Missarum solennia finirentur, Acolythum ordinauit, pro tali excessu eum corripias & castiges: cùm solus Rom. Pontifex (qui ante hymnum Angelicum consecratur, & postmodum ipse Missarum solennia incipit & perficit consecratus) in die consecrationis suæ valeat ordines celebrare. Cæteri verò, qui inter Epistolam & Euangelium consecrantur, quia consecrati concelebrant principaliter celebranti, ne diuidatur mysterium vnitatis, non debent tunc ordines celebrare. Præterea cùm non liceat Archiepiscopo sine pallio conuocare Concilium, conficere chrisma, dedicare Basilicas, ordinare Clericos, & Episcopos consecrare, multum profectò præsumit, qui antequam impetrat pallium, Clericos ordinare festinat, cùm id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur.

Quòd autem tabulam argenteam dicitur vendidisse: dummodò Ecclesiam Armachanam reddat indemnem, æquanimiter poteris præterire, cùm id de Cleri & populi processerit voluntate.

HVIVS cap. species hæc est. Vacante Ecclesia Armachana, quæ est metropolis totius Hiberniæ, & à Diuo Bernardo celebratur in vit. S. Malachiæ, Albertus quidam in Archiepiscopum electus, & post electionem consectatus. Huius electioni intercesserunt Midensis Episcopus, & Abbas Mellifontis; quia multa contra electi personam, & formam electionis proponebantur. Legatus Sedis Apostolicæ coram quo agebatur, dubius quid faceret, consuluit Summum Pontificem. Consultus Pontifex ad singula consultationis capita sigillatim respondit *in hoc cap.* Primùm electio dicebatur nulla & irrita, vtpote facta non cassatâ priori electione; sed illa non veta-

bat quominus fieret electio, quia dicenda erat potiùs nominatio, quàm electio, quòd facta esset vnius de tribus. Nuda & simplex nominatio, quæ est designatio vnius è pluribus, potest variari; quia nihil iuris acquirit nominato, vt ostenditur *in hoc cap. & cap. bona memoria, suprà, de postul. Prælat.* Præsertim quòd illa electio, seu nominatio, non erat facta in Ecclesia Armachana; electio enim fieri debet in Ecclesia Cathedrali, vt *hic, & cap. qua fronte, infrà, de appellat.* Secundum, quòd electio fuit facta post appellationem à Rege interpositam, ne sine eius assensu fieret electio: sed appellatio huiusmodi non potuit electionem impedire, cùm in ea nihil tentatum fuerit in fraudem regiæ dignitatis; quia hoc iure non nuda nominatio, sed solemnis electio debet Principi præsentari, vt electioni iam factæ præstet assensum, licèt aliquando aliud fiat abusiuè. Reges enim Anglorum sibi asciscebant summum ius in electionibus Episcoporum & Abbatum, quod Iohannes Rex edicto remisit, salua custodia Ecclesiarum vacantium, & iure ne electio fieret, nisi priùs petito assensu regio, cuius exemplum exstat apud Matthæum Paris ad ann. M. CC. XV. *Inde est quòd qualiscumque consuetudo temporibus prædecessorum nostrorum hactenus in Ecclesia Anglicana fuerit obseruata, & quicquid iuris nobis hactenus vendicauerimus, de cætero in vniuersis, & singulis Ecclesiis & Monasteriis Cathedralibus, & Conuentualibus totius Regni Angliæ liberæ sint in perpetuum electiones, quorumcumque Prælatorum maiorum & minorum: salua nobis & hæredibus nostris, custodia Ecclesiarum, & Monasteriorum vacantium, quæ ad nos pertinent. Petita tamen à nobis priùs & hæredibus nostris, licentia eligendi, quam non denegabimus, nec differemus, &c.* Tertium, quòd Midensis Episcopus & Abbas Mellifontis, qui vnà cum Capitulo ius eligendi habuere, non interfuerunt electioni. Electio Episcopi propriè pertinet ad Capitulum matricis, seu Cathedralis Ecclesiæ, *cap. cùm Ecclesia Vulterana, suprà, hoc tit.* sed ex consuetudine, vel priuilegio, ad electionem vocantur & alij, *vt in hoc cap. & cap. scriptum, infrà, hoc tit. cap. cùm dilectus, suprà, de Consuetud. cap. cum Ecclesia Sutrina, infrà, de caus. possess.* Sed horum absentia non potuit impedire electionem, quia non fuere contempti, sed vocati. si vocandi non fuere vocati, sed contempti, electio non est nulla ipso iure; quia vocatio absentium non est de substantia electionis, *cap. quia propter, infrà, hoc tit.* sed electio venit infirmanda per sententiam ob contemptum, nisi contempti pro bono pacis assentiant, *vt in hoc cap. & cap. Ecclesia vestra II. infrà, hoc tit.* Quartum proponebatur, quòd electus in die consecrationis suæ, inter Missarum solemnia Acolythum ordinauit: ob id non irrita declaratur electio, sed pœna imponitur propter excessum, seu delictum; quia solus Romanus Pontifex, qui consecratur ante hymnum Angelicum (hic est qui incipit Gloria in excelsis Deo) & postmodum Missam incipit, & perficit consecratus, in die consecrationis suæ valet ordines celebrare. Episcopus verò qui inter Epistolam & Euangelium consecratur, quia consecratus concelebrat principaliter ministranti, ne diuidatur mysterium vnitatis, non valet ordines celebrare. Præterea Archiepiscopus ante receptum pallium non debet Concilium conuocare, chrisma conficere, Basilicas dedicare, Clericos ordinare, Episcopos consecrare, vt *in hoc cap. & can. quamquam. c. dist.* quia cum pallio confertur plenitudo Pontificalis officij, *cap. IV. in antiqua, suprà, hoc tit.* Sed Metropolitanus electus & confirmatus, antequam pallium acceperit non prohibetur mandare suffraganeis vt electum consecrent, *cap. suffraganeis, suprà, hoc tit. cap. I. infrà. de translat. Episc.* Quintum, quòd electus dicebatur tabulam argenteam è censu Ecclesiæ distraxisse, non irritat electionem; quia tabula distracta fuerat de consensu cleri & plebis, sufficitque Ecclesiam indemnem præstari.

CAPITVLVM XXIX.

IDEM TOLE. EPISCOPO ET SAGONENSI, DE ARDEN. ABB.

AVDITIS & intellectis meritis causæ de duabus electionibus celebratis in Ecclesia Baiocensi, vnam de Gu. Archidia. & alteram de M. R. Subdiacono, inuenimus vtramque contra formam canonicam attentatam. Cùm enim inquisitis voluntatibus singulorum, Decanus cum paucioribus in ipsum R. & Cantor cum pluribus in dictum Gu. Archi-

dia. conuenissent, solo Cantore postmodum quemdam alium, videlicet magistrum R. de Algediis, nominante: Ad. n. fuit audi. adpellatum, ne Decanus, qui primam in electione vocem habebat, ad electionem procederet sine consensu totius Capituli, vel maioris & sanioris partis ipsius. Ipse verò Decanus non habito consensu maioris partis Capituli, sed longè minoris, subitò in electionem prorupit, adpellans, ne quis contra ipsam aliquid adtentaret: quamuis adseueret, quòd electioni factæ plures alij consenserunt, cùm tamen ex pòst facto nequiuerit conualescere, quod ab initio non valebat: quoniam electio, quæ fuerat irrita ipso iure, per subsequentem consensum (maximè adpellatione pendente) non poterat esse rata. Eis ergo ad propria recedentibus, Cantor & alij qui remanserant in Capitulo, post illam electionem nondum cassatam & adpel. ad nos interpositam, à nominatione dicti Archidia. recedentes, de nouo præfatum Subdiaconum eligere præsumpserunt. Nos igitur electionem vtramque duximus irritandam.

VACANTE Baiocensi Ecclesia Decanus, qui habebat primam vocem in electione, est enim caput Capituli, vnde rescripta Pontificia ex stylo Curiæ diriguntur Decano & Capitulo, *cap. cùm inter, suprà, de Consuetud. cap. 1. de postulat. Prælat. cap. inter corporalia. de translat. Episc.* Ius conferendi beneficia datur Decano, & Capitulo, *cap. post electionem de conceß. præbend.* & idem habet iurisdictionem, *cap. significauit de Conuers. coniugat.* Decanus, inquam, cum paucioribus Robertum Subdiaconum elegit; & Cantor cum pluribus Gu. Archidiaconum; & solus Cantor postmodum Robertum de Algediis, alium à Roberto Subdiacono nominauit, appellans, ne Decanus ad electionem procederet sine consensu totius Capituli, vel maioris partis ipsius. Decanus verò non obstante appellatione, non habito consensu maioris partis Capituli, sed longè minoris, dictum Gu. Archidiaconum elegit, statim appellans, ne quis contra electionem aliquid tentaret; etsi Decanus allegaret, quòd electioni Roberti Subdiaconi ex pòst facto plures alij consenserint. Pontifex vtramque electionem rescidit, quòd electio ab initio nulla & irrita; tum quòd facta sit à minori parte Capituli; tum facta post & contra appellationem, subsequente consensu non conualescat. Quod nullum est ab initio, tractu temporis non conualescit, *l. quod initio. de R. I.* Post illam electionem nondum cassatam, & appellationem interpositam, Cantor, & alij, à nominatione Gu. Archidiaconi recedentes, de nouo Robertum Subdiaconum elegerunt. Pontifex vtramque electionem rescidit, vt exponitur *in hoc cap.* Vtraque electio est nulla & irrita ipso iure, quòd facta sit à minori parte Capituli, & non conualescit superueniente consensu, propter regulam, *quod nullum est ab initio*, &c. neque obstat quòd electio facta spretis absentibus conualescit, si contempti pro bono pacis assentiant, *cap. quod sicut, suprà hoc tit.* quia electio nequaquam est nulla & irrita ipso iure, ob contemptum absentium, sed venit infirmanda per sententiam: & electio facta à minori parte Capituli est nulla ipso iure, quare ex pòst facto non conualescit. Secunda etiam electio facta à Cantore & sociis de persona Roberti Subdiaconi, est nulla ipso iure, ob defectum ordinis scilicet: quia Subdiaconus non potuit eligi in Episcopum, *can. nullus*, LX. *dist.* quod ius correctum est paulo pòst ab ipso Innocentio, in *cap. à multis. de ætat. & qualitat. & ordin. præfic.* quo constitutum, vt Subdiaconus in Episcopum eligi possit, cùm hodie Subdiaconatus sit ordo sacer.

CAPITVLVM XXX.

IDEM EPISC. CONVENNARVM ET GRANDISSILVÆ, ET BELLEP. ABB.

IN causis: .·.·. Cùm Capitulum, Tholosanensis Ecclesiæ ad tractandum de electione Episcopi conuenissent, duos elegerunt, vt. v. de

eodem Capitulo eligerent electores, qui præstito iuramento de substituendi Pontificis electione tractarent, & à singulis de Capitulo statutum est & concessum, vt ille, quem illi concorditer, vel tres ex illis eligerent, ab eis (si persona esset idonea) pro Episcopo sine contradictione aliqua haberetur: .·.·. Postmodum verò cùm à prædictis duobus quinque electores electi fuissent, & ad tractandum de electione secessissent in partem, & non possent omnes vnam pariter concordare personam, tres ex eis conuenerunt in Episcopum Conuennarum, & deinde electionem, quam de postulando Episcopo fecerant, Capitulo publicarunt: ac reliqui duo subsequenter tertia die cum paucis de Capitulo, reliquis absentibus, elegerunt Archidiaconum Agenensem: .·.·. Nuncij verò prædicti Archidiaconi econtrariò responderunt, quòd cùm prædicti v. electores seorsum de electione tractantes, inter se dissiderent, ita, quòd contentiosè voces eorum, à fratribus, qui remanserant in Capitulo, auditæ fuissent, Capitulum ipsos, propter huiusmodi contentiones, suspectos habentes, ad eos duos de Canonicis destinarunt, per quos inhibuerunt eis, ex parte nostra, ne vlterius in facto procederent: Et ita potestatem eligendi, quam eis commiserant, reuocarunt, mandantes eis, vt redirent ad Capitulum, & pariter cum aliis fratribus de electione tractarent: & huiusmodi reuocationi, duo ex ipsis electoribus adhibentes consensum, reliquis tribus non contradicentibus, ad ipsum Capitulum sunt reuersi. sed alij tres, vsque ad fores Capituli sublecuti, ab eis postmodum discesserunt. Capitulum verò, cùm tota die illa ipsorum præsentiam expectasset, subsequenti die, campanam pulsari fecerunt, sicut moris est, ad Capitulum congregandum: & prædictis tribus, cum paucis complicibus suis, sese contumaciter absentantibus, Prior cum maiori & saniori parte Capituli, elegit in Episcopum Archidiaconum supradictum: .·.·.

Quia verò postulatio de Episcopo Conuennarum, quæ præcesserat, facta erat per eos, in quos totum Capitulum eligendi transtulerat potestatem, propter quod vnanimiter de consensu totius Capituli intelligitur esse facta, quam (cùm res non esset integra, quia in tractatu iam processerant electores) Capitulum minimè potuit reuocare: electionem ipsius Archidiaconi decernimus irritandam. Quocirca mandamus, quatenus si personam ipsius Episcopi vtilem & necessariam inueneritis ad regimen Ecclesiæ Tholosanæ, & idoneam, tam scientia literarum, quàm suæ conuersationis exemplo, ad hæreticorum perfidiam de Tholosanensi diœcesi extirpandam, quæ ibi per negligentiam præsulum miserabiliter & damnabiliter hactenus pullulauit: transeundi ad Ecclesiam Tholosanam, propter vrgentem necessitatem, & eorundem vtilitatem, ei licentiam tribuatis.

HVIVS cap. species hæc est. Vacante Ecclesia Tolosana, cùm Capitulum conuenisset ad tractandum de electione Episcopi, duos elegit è gremio, vt quinque de eodem cœtu eligerent electores, qui iurati ex compromisso Episcopum eligerent: ita vt eius electio rata esset, qui ab his concorditer, vel à tribus ex illis eligeretur, si esset idoneus. Electores ex compromisso sumpti in diuersa fortè diuisi sunt, tres

ex eis postularunt Conuenarum Episcopum, alij duo ex interuallo, nempè post tertiam diem, elegerunt Archidiaconum Aginnensem. Huic fuit nomen Raimundus de Rabastens, de quo meminere Gu. de Podio Laurent & Petrus Vallissernens. vt adnotatum est in *cap. per inquisitionem, suprà hoc tit.* Re delata ad Sedem Apostolicam, Pontifex Conuenensis Episcopi postulationem admisit, reiecta electione Aginnensis Archidiaconi, quia postulatio facta fuerat per eos in quos eligendi potestas collata erat à Capitulo, quare de consensu totius Capituli celebrata intelligebatur. Compromissariis lectis ad eligendum potestas fuit postulandi, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. post translationem, infrà, de renunciat.* neque videntur compromissarij fines mandati excessisse; quia postulatio est species electionis, quæ mandato generali de eligendo continetur. neque postulationi obfuit, quod compromissum reuocatum est à Capitulo; quia id serius actum est, re iam non integrâ, cùm electores ex compromisso cœpissent habere tractatum de electione Episcopi. potestas data compromissariis ad eligendum, reuocari non potest re non integra, puta inito semel tractatu de electione, & generaliter compromissum reuocari potest, re integra tantùm, *l. non distinguimus, §. cùm quidam, ff. de recept. arbitr.* Igitur rectè reiecta est electio Aginnensis Archidiaconi, quia facta est serius, cùm res in eo esset vt compromissum à Capitulo reuocari nequiret re iam deintegrata. Neque valuit electio, quòd ea facta est congregato Capitulo ad sonum campanæ, vt moris est: in minoribus scilicet negotiis ritè congregatur Capitulum ad sonum campanæ; in electionibus verò non sufficit signum campanæ, ad congregandum Capitulum: electio est actus legitimos & solemnis, in quo qui cadit à syllaba, cadit à toto; & absentes vocandi sunt per certum nuntium, vel per literas, *cap. cum inter vniuersas. & cap. coram, hoc tit.* In hoc casu postulatio facta de Conuenensi Episcopo non confirmatur purè & simpliciter, sed confirmanda mandatur Abbatibus Grandissyluæ & Bellæ-Pertieæ, vt patet ex inscriptione *huiusce cap.* Hi sunt Abbates Cisterciensis Ordinis in ipsa diœcesi Tolosana. Grandis Syluæ Monasterium temporibus D. Bernardi adgregatum Ordini Cisterciensi, testatur ipse Bernard. epist. CCXLI. ad Tolosanos, *Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis Abbas Grandis-Syluæ, & domus eius, quæ vt nostra est, nuper nobis & nostro Ordini, ab ipso tradita, & Ecclesiæ Clareuallis spectaliter associata.* Eadem tempestate in eodem monasterio Monachum professus memoratur Guillelmus Comes Montispessulani, in vita ipsius Bernardi, lib. IV. cap. I. *Ad multorum autem famam credimus peruenire, viri venerabilis Gulielmi, qui olim Montispessulani Dominus, nunc verus Christi pauper, & humilis Monachus degit in cœnobio, quod Grandis-Sylua vocatur.* Et Alexander ab eodem Bernardo Grandis-Syluæ Abbas ordinatus celebratur, eiusdem vitæ lib. præfato, cap. V. *Iste est Alexander, qui in iisdem diebus ad viri Dei sacra monita, ostensionémque virtutum, cum aliis ferme triginta seculo valefecit, & secutus est eum, à quo etiam post modicum tempus Abbas est ordinatus, in monasterio Tolosana diœcesis, quod Grandis-Sylua vocatur.* Postulatio, inquam, confirmanda mandatur, ita demum si postulatus sit idoneus ad extirpandam hæresim, quæ Tolosana in diœcesi negligentiâ præsulum infeliciter pullulauit, vt asseritur *in hoc cap.* Hæc fuit hæresis Albigensium, quæ Tolosanam diœcesim maximè labefactauit, cuius expugnandæ gratia ab ipso Innocentio III. missi sunt Legati Petrus de Castronouo, & Radulfus Cistercienses monachi, qui legationis ergò primùm Tolosam adierunt veluti hæresis arcem, vt scribit Petrus Vallis Sernensis, init. hist. Arguitur maximè præsulum Tolosanorum inertia & remissio in extirpanda hæresi. ex Conc. African. *can.* LXXXVIII. Si Episcopus intra sex menses à die monitionis locum suæ diœcesis ad rectam fidem reuocare neglexerit, locus conceditur ei qui prior lucrifacere potuerit; nisi ille ad quem pertinebat probauerit, magis illius, id est, occupantis, electam negligentiam ab hæreticis, vt impune ibi essent, *can. placuit* XVI. *qu.* III. Quin immo, ex Conc. Lateranensi, si Episcopus in hac causa fuerit negligens & remissus, ab Episcopatu submouetur, *cap. excommunicamus. in fin. de Hæretic.* Sollicitus fuit Innocent. de idoneo Pastore eligendo propter Hæreticos. ita Augustin. *epist.* XVI. *in append. Timui ei committere Ecclesiam, præsertim inter hæreticorum circumlatrantium rabiem constituto.*

CAPITVLVM XXXI.

IDEM EPISCOPO FLORENTINO.

CVM Ecclesia Vulterana debito Canonicorum obsequio longo fuisset tempore destituta, Vulteranus Episcopus, volens Ministrorum defectum in eadem Ecclesia restaurare, Canonicos quosdam elegit, & instituit in eadem: quos Canonici recipere noluerunt, adserentes, quòd talis electio fuerat in eorum præiudicium adtentata: .·.·. Mandamus quatenus super primo articulo petitionis Episcopi, in quo postulauit à te, vt Canonicos ab iniuria, quam ei super electione Canonicorum Vulteranensis Ecclesiæ inferunt, prohiberes: ab impetitione ipsius, dictos Canonicos absoluere non postponas: quia non videtur iniuriam facere, qui vtitur iure suo, cùm per testes longè melius sit probatum, quòd Canonici supradicti hoc iure vsi fuerint antè, quàm Episcopus memoratus. In secundo quoque articulo, quo idem petebat Episcopus, vt dicti Canonici Episcopum ipsum iure electionis vti liberè paterentur: absoluere studeas Canonicos sæpedictos, maximè si sit notorium, quòd in Thuscia generalis consuetudo seruetur, vt in Cathedralibus Ecclesiis, solum Capitulum, irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.

ECCLESIA Vulterana, Vulturia est Thusciæ oppidum Episcopali Ecclesia insigne, cuius mentio habetur & in *can. Vulterana* XII. *qu.* II. Ecclesia Vulterana inquam, debito Canonicorum obsequio, iam à longo tempore destituta, Vulteranus Episcopus volens Canonicorum defectum in eadem Ecclesia supplere, Canonicos quosdam elegit, & instituit in eadem. impropriè sumitur hîc electio, vt *in cap. litteras, & cap. dilectus. de conc. ff. prabend.* quia electio propriè non fit ab vno, sed à pluribus & vniuersis, puta à Collegio vel Capitulo. Hos Capitulum recipere noluit, quod intenderet electionem Canonicorum, scilicet collationem præbendarum, ad se pertinere de consuetudine præscripta. Re delata ad Sedem Apostolicam, Pontifex causam delegauit Episcopo Florentino, qui lite coram se contestata, & receptis vtriusque partis probationibus, hærens quid faceret, causam instructam remisit ad Summum Pontificem. Pontifex re perspectâ Canonicos absoluit ab impetitione Episcopi, duplici motus ratione. Primâ, quòd Canonici per testes liquidò probassent se hoc iure vsos ante Episcopum, id est, creationem Canonicorum de consuetudine pertinere ad Capitulum solum. secundâ, quòd notorium esset, in Thuscia generalem consuetudinem seruari in Cathedralibus Ecclesiis, vt electio Canonicorum pertineat ad solum Capitulum irrequisito Episcopo. De iure communi collatio præbendarum Cathedralis Ecclesiæ pertinet ad Episcopum simul & Capitulum, *cap. postulasti. de concess. prabend. cap. ea noscitur. de his, qua fi. à prælat. sine consens. Capitul.* Aliorum verò beneficiorum totius diœcesis collatio pertinet ad solum Episcopum, sine consilio & consensu Capituli, *can. omnes Basilica, can. nullus* XVI. *qu.* II. *cap. cùm olim. de præscript. cap. conquerente. de off. ordinar. cap. cùm ex iniuncto, in fin. de Hæretic.* Sed de consuetudine electio seu creatio Canonicorum pertinere potest ad solum Capitulum, vt *in hoc cap. & cap. cùm in Ecclesia. de prabend. in* VI. Et vbi ad solum Capitulum pertinet collatio, plerumque Episcopus in ea vocem habet vt Canonicus, *d. cap. postulasti. & cap. cùm in Ecclesiis. de præbend. in* VI. *& cap. à collatione. de appell. eod.* Itidem ex consuetudine, vel statuto, collatio beneficiorum pertinet ad solum Capitulum, vel ad Canonicum hebdomadarium, qui confert vice Capituli, *cap. mandatum. de prabend. in* VI. Eodem etiam iure collatio beneficiorum potest pertinere ad Episcopum & Capitulum alternis vicibus, siue per turnum, *cap. cùm in illis, §. vlt. eod. tit. & Clem. plures. de iure patron.* in electionibus & collationibus

bus beneficiorum maximè consuetudo spectatur, *cap. cùm dilectus, suprà, de consuetud. cap. cùm Ecclesia Sutrina, infrà, de caus. poss. & propr. cap. Abbati. de V. S. cap. cùm in Ecclesiis. de praebend. in* VI. Nec spectatur in hoc casu quòd Episcopus iure deuoluto fortè potuit conferre praebendas vacantes ob negligentiam Capituli, *cap. nulla. de conceß. praeb.* quia Episcopus non intendebat vti iure deuoluto, sed iure proprio, cui obstabat consuetudo.

CAPITVLVM XXXII.

IDEM ABBATI S. VICTORIS, ET DECANO PARISIENSI, ET MAGISTRO R. Decertonensi, Canonico Morinensi.

CVM dilectus filius Archidiaconus Morinensis nobis intimasset: .·.·. Ecclesia Morinensi Episcopi solatio destituta, Canonici eiusdem de Pastoris substitutione tractantes, in tres Canonicos Morinenses, potestatem eligendi Episcopum vnanimiter contulerunt, promittentes, vt illum reciperent in Pastorem, quem de gremio ipsius Ecclesiae ducerent eligendum. qui examinatis voluntatibus singulorum, Archidiaconum eiusdem Ecclesiae in Episcopum elegerunt. Metropolitanus quoque tam electionem & electi personam examinans, quàm etiam super ipsius aetate (de cuius defectu fuerat ab aliquibus dubitatum) inquirens sollicitè veritatem, per sententiam declarando electum ipsum minimè sustinere in aetate defectum, electionem factam de ipso solenniter confirmauit: .·.·. Verùm B. qui contra electum venerat memoratum, proposuit ex aduerso, quòd cum supradictis tribus sub hac forma fuerat eligendi concessa potestas, vt Capitulum eum recipere teneretur, quem illi tres ab omnibus vel maiori & saniori parte de gremio ipsius Ecclesiae nominatum eligerent in Pastorem: electores ipsi terminos potestatis sibi traditae non seruantes, praedictum Archidiaconum eligere praesumpserunt, quem pauci de Capitulo nominarant: vnde Canonici Morinenses postmodum admirantes, qualiter Archidiaconus electus fuerat memoratus, cùm plures essent in eadem Ecclesia digniores, coeperunt ferè omnes publicè profiteri, quòd nullatenus Archidiaconum nominarant: & reputantes se in hac parte delusos, quod super hoc factum fuerat, nostro curauerunt Apostolatui reserare: .·.·. Nos verò adtendentes, quia res perniciosa esset exemplo, si per surreptionis astutiam quis ascenderet ad apicem dignitatis: ita duximus prouidendum, vt praestito à contradictoribus iuramento, quòd ipsi malitiosè contra praefatum electum non moueant quaestionem huiusmodi, praedicti tres electores, iuramenti vinculo adstringantur dicere veritatem, quot ex Canonicis examinationis tempore in praefatum Archidiaconum conuenerunt. Et si tres simul, aut duo saltem ex ipsis iurati, dixerint maiorem Canonicorum partem in ipsum Archidiaconum conuenisse, vos contradictoribus silentium imponatis, cùm contra hoc eorum esset probatio insufficiens, eo quòd singuli essent in suis testimoniis singulares. Si verò per eorum depositiones constiterit saepe dictum Archidiaconum extitisse à paucioribus nominatum: tunc si fuerit sufficienter ostensum, quòd illum de gremio Ecclesiae secundùm formam sibi traditam debebant eligere, in quem

omnes, vel maior & sanior pars Capituli conueniret, vos electionem ipsius Archidiaconi, omnino cassetis: alioquin, quod de ipso factum est, ratum habentes, contradictores ab eius impetitione per censuram Ecclesiasticam compescatis, præfatum B. præbenda Morinensis Ecclesiæ spoliantes, qui se ad hanc pœnam (si forsan in probatione deficeret) obligauit. Non obstante, quòd super ætatis defectu obiectum est contra illum, cùm idem Canonicus huic obiectioni non multum institerit, & super hoc à Metropolitano fuerit iudicatum, cuius sententia in rem transiit iudicatam, cùm intra decennium non fuerit pronunciatione legitima suspensa.

HOc *cap.* est de electione Morinensis Episcopi. Morini sunt populi in Belgicæ finibus proximi Oceano quà Britanniam spectat. de quibus præter Iulium Cæsarem, Virgil. VIII. Æneid. *Extremique hominum Morini.* & Paulin. epist. XXVIII. ad Victricium Rothomagens. *In terra Morinorum situ orbis extrema, quam Barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus.* Eosdem quos Flandros putat Chronic. Normannor. ad ann. MCLI. *Comes Morinorum, quos moderni Flandros nominant.* Morinorum ciuitas Episcopalis Teruana siue Teroana, à Carolo V. excisa, quæ fuit suffraganea Archiepiscopi Rhemensis: argumento est, quòd anno MCLVIII. mortuo Milone Episcopo Teruanensi, cùm Milo eius nepos ex Archidiacono electus esset, & Samson Archiepiscopus Rhemensis vellet eum consecrare, Clerici Bolonienses, qui diu sub Episcopo Teruanensi fuerant, appellarunt ad Sedem Apostolicam ne consecraretur, nisi ad Ecclesiam Teruanensem; volentes amodo suum proprium habere Episcopum, sicut iamdiu habuerant, vt refertur ex eodem Chronic. Normannor. Huius verò cap. species hæc est. Vacante Morinensi Ecclesia, Canonici eiusdem Ecclesiæ in tres ex Canonicis, potestatem eligendi Episcopum vnanimiter contulerunt, dico vnanimiter: electio enim ex compromisso fieri non potest, nisi omnes consentiant, *cap. in causis. verb. à singulis, suprà, hoc tit.* Hi examinatis voluntatibus singulorum, Archidiaconum eiusdem Ecclesiæ in Episcopum elegerunt, & Metropolitanus (is fuit Archiepiscopus Rhemensis) causa cognita electionem confirmauit. verùm Bertrandus vnus è Canonicis eiusdem Ecclesiæ, excepit electionem nullam & irritam esse, quòd facta fuisset contra formam compromissi; quòd eligendi potestas illis tribus ita collata fuerat, vt illum eligerent qui de gremio ipsius Ecclesiæ ab vniuerso Capitulo, vel maiori, & saniori parte nominaretur; electores verò potestatis modum non seruantes Archidiaconum elegissent, qui à paucis esset nominatus. Pontifex ita duxit rem ordinandam, vt præstito à contradictoribus iuramento calumniæ, tres electores iurati testentur, quotnam ex Canonicis examinationis tempore in præfatum Archidiaconum conuenerunt: & si tres simul, vel duo è tribus iurati asseruerint, maiorem partem Canonicorum in ipsum Archidiaconum conuenisse, eorum iuramento standum sit; quia officiali iurato creditur in his quæ pertinent ad officium, *l. si quis Decurio, C. ad. leg. Cornel. de fals. cap. ad audientiam. de praescript.* Nec contra hoc aliorum probatio esset idonea, quòd singuli essent in suis testimoniis singulares; testes singulares non probant, *cap. in omni negotio, infrà, de testib.* Quòd si constet præfatum Archidiaconum à paucioribus nominatum, & quòd electores ex formula compromissi tenerentur illum eligere de gremio Capituli, in quem omnes, vel maior & sanior pars Capituli conuenisset, eiusdem electio nulla & irrita declaretur; quia mandati fines sunt attendendi, vt *in hoc cap. & cap. cùm olim, infrà, de offic. delegat. & l. diligenter, ff. mandat.* Alioquin eiusdem electio rata habeatur, & prædictus Berttandus priuetur præbenda, quatenus ex pacto ad huiusmodi pœnam se obligauit, si in probatione deficeret. Iure Ciuili pœnæ debentur ex stipulatu, etiamsi actoris non intersit, *l. stipulatio, §. alteri, ff. de V.O.* Etiam hoc iure licet stipulari pœnam, vt *in hoc cap. & cap. vlt. infrà, de Crim. falsi.* Licet etiam se subiicere casui ordinis, & pœnæ excommunicationis, *can. quoties 1. qu. VII.* Sed eodem iure pœnæ non debentur ex pacto, nisi quatenus actoris intersit, *cap. suam, infrà, de pœnis.* Et inde fortè deducto iure, motibus

nostris, pœnæ conuentionales locum non habent, sed honesta interpretatione rediguntur ad damna & interesse. Non obstitit quod super ætatis defectu obiectum est contra electum, cùm idem Bertrandus huic obiectioni non multum institerit, & super hoc à Metropolitano fuerit iudicatum, cuius sententia transiit in rem iudicatam, cùm intra decendium non fuerit ab ea appellatum. sententia transit in rem iudicatam quoad executionem, id est, vt executioni mandari possit, si intra decem dies ab ea non fuerit appellatum, vt *hic, & cap. significauerunt, infrà, de testib. cap. quod ad consultationem, de re iudic. & l. pen. C. de recept. arbitr.*

CAPITVLVM XXXIII.

IDEM EPISCOPO BAIOCENSI.

CVM in iure peritus existas, .·.·. Primus tuæ consultationis articulus continebat, quòd cuiusdam Decano Ecclesiæ defuncto, eiusdem loci Capitulum sub hac forma in VII. ex ipsis Canonicis compromisit, vt illum, quem ex se vel aliis de gremio ipsius Ecclesiæ omnes pariter, vel maior eorum pars nominaret, eundem Capitulum reciperet in Decanum. Vnde cùm vnus ex illis septem, à tribus ipsorum, & alius qui non erat de numero eorundem, à tribus aliis in Decanum fuerint nominati: requisisti vter eorum adsumi debeat in Decanum. Super quo taliter respondemus, quòd is, qui de numero septem à tribus eorum dignoscitur nominatus, iuxta compromissi tenorem debet in Decanum adsumi, dummodo electioni de se factæ consentiat, & aliquod canonicum non obsistat.

BAIOCENSIS Episcopus, cui nomen fuit Robertus, Auctori *Galliæ Christianæ*, consuluit Pontificem super duobus vel pluribus articulis, quorum primus continetur in *hoc cap.* alter in *cap. cùm in iure, infrà, de offic. delegat.* Hic in iure peritus memoratur ab ipso Pontifice: non aliena ab Episcopo laus peritia iuris, inter eximias virtutis & animi dotes; eo nomine celebratur Gregorius Neocæsariensis, quòd legum Romanarum fuit peritus. Socrates lib. IV. cap. XXII. Οὗτος γὰρ ἐκ τῶν Ἀθήνῃσι παιδευτηρίων ἀναχωρήσας, ἐν τῇ Βηρυτῷ νόμους ἐμάνθανε, *Iste ab Athenensibus scholis recedens, Beryti leges didicit.* consilio Rhetoris cuiusdam se legibus operam dedisse, de se testatur idem Gregorius, *in panegyrico ad Origenem*, adiecto illo quod à magistro audiuit, maximum ei viaticum fore legum studium, μέγιστον ἔσεσθαι ἐφόδιον τὴν μάθησιν τῶν νόμων. Æquè Beryti leges didicisse memoratur Seuerus Antiochenus Episcopus, de quo Euagrius lib. III. cap. XXXIII. δικανικοῖς τρίβων ἐγχωλάζειν λόγοις ἀνὰ τὴν Βηρυτόν. Petrus Pisanus Episcopus vnus è partibus Petri Leonis, legum & Canonum peritus celebratur, vitæ D. Bernardi lib. II. cap. VII. *Mittebat autem in dolo, audierat enim Petrum Pisanum eloquentissimum esse, & in legum & Canonum scientia nulli secundum.* Huiusce capitis species hæc est. Vacante Decanatu cuiusdam Ecclesiæ, quæ dignitas est electiua, Capitulum in septem ex ipsis Canonicis compromisit, vt illum quem ex se, vel aliis de gremio ipsius Capituli omnes pariter, vel maior eorum pars nominaret, Capitulum eundem reciperet in Decanum. è septem compromissariis tres elegerunt vnum ex se, & alij tres elegerunt alium qui non erat de numero eorumdem. Consultus Pontifex vter eorum assumi deberet in Decanum. respondit in hoc cap. electum à tribus è compromissariis ex his septem, iuxta compromissi tenorem debere in Decanum assumi; dummodo electioni de se factæ consentiat, & aliud canonicum non obstet impedimentum. In electione per scrutinium vox electi non computatur in numero eligentium, *cap. Cumana, infrà, hoc tit.* quia nemo potest se ipsum eligere, instituere, vel præsentare, *cap. vlt. de instit. cap. per nostras. de iure Patronat.* Sed in electione quæ fit per compromissum, si in compromisso actum est vt compromissarij possint eligere vnum ex se ipsis, rectè poterunt eligere vnum ex se, & electus potest con-

ſentire electioni de ſe factæ; & eius vox computatur, vt ex ea fiat maior numerus, & maior pars cenſeatur. Ratio eſt, quia in electione quæ fit per compromiſsũ, electio non ſumit initium ab ipſo compromiſſario, ſed ab aliis; à ſe verò tantùm perficitur & conſummatur: & conſentiens electioni de ſe factæ ex compromiſſo, non videtur eligere ſe ipſum; quia non eligit, vt idem ipſe, ſed vt alius quis à ſe, id eſt, ex perſona Capituli, cuius vice fungitur, *cap. in cauſis. ſuprà. hoc tit* Nec ambitionis vitio laborat, quia compromiſſariis licuit vnum ex ſe eligere ex formula compromiſſi, *vt hic. & cap. vlt. infrà, de fortileg.* Ait Pontifex iuxta compromiſſi tenorem, diligenter enim ſeruanda eſt formula compromiſſi, *l. ſi cùm dies, §. plenum ff. de recept. arbitr.* Hoc iure cùm eligendi poteſtas à Pariſienſi Capitulo in tres è Canonicis collata eſſet, & rurſus eadem in Mauricium vnum ex eiſdem tribus, idem Mauricius ſe ipſum elegit: de quo Cæſarius Heiſterbachenſis, lib. VI. de Miracul. cap. XIX. *Cùm noſtris temporibus Pariſiis vacaret Epiſcopatus, & electores inter ſe concordare non poſſent, tribus ſua vota commiſerunt, qui tres cùm in vnam conuenire non poſſent perſonam, magiſtro Mauritio, qui vnus trium erat, duo ſuam dederunt auctoritatem, vt quemcumque ipſe nominaret Epiſcopus eſſet. Et quia idem Mauritius, vt rei exitus probauit, magis cupiebat prodeſſe, quàm præeſſe, ſe ipſum nominauit.* Simili etiam ratione, cùm vacante Sede Apoſtolica à Collegio Cardinalium compromiſſum eſſet in Ioannem XXII. antè dictum Iacobum Cadurcenſem, hic ſe ipſum nominauit, teſte Antonino, part. III. tit. XXI. cap. IV.

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM DVCI CARINGIÆ.

VENERABILEM: .·.·. Inter cætera verò, quidam Principes hac præcipuè obiectione ſunt vſi, dicentes, quòd Apoſtolicæ Sedis Legatus aut electoris geſſit, aut cognitoris perſonam. Si electoris, in meſſem alienam miſerat falcem ſuam: & electioni ſe ingerens, Principum derogauerat dignitati. Si cognitoris, abſente altera partium videtur perperam proceſſiſſe, cùm citata non fuerit, & ideo non debuit contumax iudicari: .·.·. Vnde illis Principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus (vt debemus) ad quos de iure ac antiqua conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cùm ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica Sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos. Sed & Principes recognoſcere debent, & vtique recognoſcunt, ſicut iidem in noſtra recognouêre præſentia: quòd ius & auctoritas examinandi perſonam electam in Regem, & promouendam ad Imperium, ad nos non ſpectat, qui eum inungimus, conſecramus, & coronamus. Eſt enim regulariter & generaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat. Nunquid enim ſi Principes non ſolùm in diſcordia, ſed etiam in concordia ſacrilegum quemcunque, vel excommunicatum in Regem tyrannum vel fatuum hæreticum eligerent, aut paganum: nos inungere, conſecrare, ac coronare hominem huiuſmodi deberemus? abſit omnino. Obiectioni ergo Principum reſpondentes, adſerimus, quòd Legatus noſter adprobando Regem, & reprobando Ducem, nec electoris geſſit perſonam, vtpote qui nec fecit aliquem eligi, nec elegit: nec cognitoris, cùm neutrius electionem, quoad factum eligentium confirmandam duxerit, aut etiam infirmandam. Exercuit autem denunciatoris officium,

quia personam Ducis eiusdem indignam, & personam Regis denunciauit idoneam, quoad imperium obtinendum. non tam propter studia eligentium, quàm propter merita electorum, quamuis plures ex illis, qui eligendi Regem in Imperatorem promouendum de iure ac de consuetudine obtinent potestatem, consensisse perhibeantur in ipsum Regem, & ex eo quòd fautores Ducis absentibus aliis & contemptis ipsum eligere præsumpserunt, pateat eos perperam processisse, cùm electioni plus contemptus vnius, quàm contradictio multorum obsistat:.·.·. Nos vtique non Ducem, sed reliquum reputamus & nominamus Regem, iustitia exigente: .·.·. Quòd autem cùm in electione vota Principum diuiduntur, post admonitionem & expectationem alteri partium fauere possimus, maximè postquam à nobis vnctio, consecratio & coronatio postulantur: iure patet pariter & exemplo. Nunquid enim si Principes admoniti, & expectati vel non potuerunt, vel noluerunt, in vnum propositum conuenire: Sedes Apostolica Aduocato & defensore carebit: eorúmque culpa ipsi redundabit in pœnam? Sciunt autem Principes, quòd cùm Lotharius & Corradus in discordia fuissent electi: Rom. Pontif. Lotharium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus, eodem Corrado tunc demum ad eius gratiam redeunte. Eos igitur duximus commonendos, à præfato Duce iusto quidem à nobis iudicio reprobato recedant: & præfato Regi non abnuant adhærere: nisi tunc demum contra personam vel factum legitimum, quid ab eis obiectum fuerit, & ostensum:.·. Sunt enim notoria impedimenta Ducis, scilicet excommunicatio publica, periurium manifestum, & persecutio diuulgata, quam progenitores eius & ipse præsumpserunt in Apostolicam Sedem, & alias Ecclesias exercere. Fuit quoque à præd. nost. excommunicationis vinculo innodatus, quod postmodum recognouit, dum per nuncium suum absolutionis beneficium postulauit. Vnde patet, quòd ipse fuit excommunicatus electus:.·.·. Idem etiam contra proprium iuramentum, super quo nec consilium à Sede Apost. requisiuit, ambitionis vitio regnum sibi vsurpare præsumpsit, cùm super illo iuramento priùs Romana Ecclesia consuli debuisset. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominus super eo nos priùs consulere debuisset, quàm contra ipsum propria temeritate venire: præsertim illo exemplo, quòd cùm Gabaonitæ à filiis Israël per fraudem subripuerint iuramenta; ipsi tamen cognita fraude, contra illud venire temere noluerunt. Vtrum verò dictum iuramentum sit licitum vel illicitum, & ideo seruandum, an non seruandum extiterit, nemo sanæ mentis ignorat ad nostrum iudicium pertinere. .·. Insuper si prædictus Dux Imperium obtineret, libertas Principum in electione periret, & Imperium obtinendi de cætero cæteris fiducia tolleretur. nam si prout olim frater dicti Ducis patri eorum, sic Dux ipse fratri suo succederet, videretur Imperium non ex electione, sed ex successione deberi: & in præiudicium Principum redundaret, si non nisi de domo Ducis prædicti videretur aliquis ad Imperium adsumendus. .·. Nobilitatem ergo tuam monentes, per Apostolica scripta mandamus, quatenus à præfato Duce recedas omnino, non obstante

M iij

iuramento, si quod ei ratione regni fecisti, cùm (eo quantum ad obtinendum imperium reprobato) iuramentum huiusmodi non debeat obseruari.

SPECIES huius cap. quæ est celeberrima de electione Imperatoris, multúmque illustratur ab Abbate Vrspergensi, qui hanc ipsam Decretalem laudauit, hæc est. Mortuo Henrico VI. Imperatore, Principes electores, immemores iuramenti quod præstiterant Henrico adhuc superstiti, de eligendo Friderico eius filio adhuc in cunis vagiente, & fide ei præstanda, de electione Imperatoris tractare cœperunt. In hoc tractatu votis in diuersa diuisis, alij Philippum fratrem defuncti, alij contrà Othonem è Ducibus Saxoniæ ortum, in Regem Romanorum elegerunt. Et quod supplendum est ex Vrspergensi, Bertholdus Dux Varingiæ, seu Carinthiæ, qui antè in conuenticulo Coloniensi à quibusdam in Regem electus fuerat, rebus suis diffisus ad Philippum accessit, & in eum iure suo vltro cessit Imperij. Schismatis componendi causa Pontifex misit Legatos in Germaniam, Sutrinum Episcopum, & Abbatem S. Anastasij Cisterciensis Ordinis. Sutrinus Episcopus, causa minimè cognita, electionem Othonis confirmauit repulso Philippo. Qua de re apud Pontificem per Legatos conquesti sunt Principes Germaniæ, qui Philippi partes tuebantur, quorum rationes exponuntur *in hoc cap.* Legatus Pontificis aut electoris, aut cognitoris, id est, iudicis gessit personam: si electoris, palam falcem immisit in messem alienam, & sibi perperam arrogauit ius Principum Germaniæ, ad quos certi iuris est pertinere electionem Imperatoris: si cognitoris, perperam videtur processisse, absente, nec legitimè vocato Philippo. Auditis Legatis Principum, Innocentius electionem Ottonis, in quem propensior erat, ratam habuit, submoto Philippo per hanc epistolam decretalem, quæ hac occasione scripta est ad Bertholdum Ducem Varingiæ, quòd de numero electorum esset, & vnus è potioribus partium Philippi: ante Innocentium IV. enim, electio Imperatoris fuit non penes septemuiros, sed penes omnes Principes Germaniæ. Hoc iuris seruatum in electione Friderici Ænobarbi, de qua Guntherus Ligurin. lib. I.

Acturi sacra de successore corona
Conueniunt proceres, totius viscera regni.

Et non ante Innocentium IV. rem redactam ad septem Electores satis argumento est, quod Matthæus Paris, & Albertus Stadensis, & Hostiensis *in hoc cap.* qui per hoc tempus vixerunt, primi sunt, qui ab VII. Electoribus meminere. Ne verò Pontifex ius Electorum tentare videatur, & vt eosdem sibi conciliet, primum profitetur ius & potestatem eligendi Regem Romanorum in Imperatorem postmodum promouendum, de iure, ac antiqua consuetudine pertinere ad Principes Germaniæ. Testimonio Pontificis suffragatur Guntherus Ligurin. lib. VI.

Ad proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de iure vetusto,
Moguntinus habet.

Id iuris sibi Romanum Imperium, vt non successione, sed electione deferatur, ex singulari prærogatiua vindicare, tradit Otho Frisingens. lib. II. de gest. Frideric. cap. I. *Id iuris Romani Imperij apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Regem creare sibi tanquam ex singulari vindicat prærogatiua.* Vnde manarit ius istud electionis valde ambigitur; aliis placet huius iuris authorem fuisse Othonem III. quò inclinare videtur Martinus Polonus in Chronico, vbi postquam de Othone III. meminit, statim subdit hæc verba: *Tamen postea fuit institutum, vt per officiales imperij imperator eligeretur.* Communis sententia est electionem Imperatoris institutam constitutione Gregorij V. non sine assensu Othonis & Principum Germaniæ edita; quæ tamen non extat: & eò referri potest quod subiicitur ab Innocentio *in hoc cap.* maximè hoc ius ad Germanos Principes peruenisse à Sede Apostolica, quod iisdem verbis repetitum est in *Clem. Romani. de iureiurando.* Ait ius eligendi Imperatoris ad Germanos peruenisse à Sede Apostolica, quæ Romanum imperium à Græcis transtulit ad Germanos in persona Caroli M. id est, ad Francos, qui Germanorum nomine continentur, quòd origine sint Germani: hoc refert scilicet ad rationem

suorum temporum, quibus iam olim à Francis Imperium defecerat ad Germanos. Non est quòd intelligas Imperium electione quæsitum iam à Carolo M. in eo enim ius successionis seruatum vsque ad tempora Henrici II. omnibus notum est: sed Pontifex opportunè hoc addit, vt commemoratione insignis beneficij Germanos sollicitet ad fidem & obsequium erga Sedem Apostolicam; & vt eos remoueat à partibus Philippi, cui infensior erat. His verbis perueniſſe non plenè vsquequaque & omnino Pontifex asserit author iuris præclari de eligendo Imperatore: Peruenisse enim dicitur ab aliquo, quod etiam indirectè ab eo peruenit, *l. cogi*, §. 1. *ff. ad Trebell. l. peruenisse. de R. I.* Vnde verbum peruenisse dicitur verbum ambiguum, *l. vtrum, ff. de petit. hæredit.* Et Platina ipse refert Gregorium V. sanctionem retulisse de eligendo Imperatore haud abnuente Othone. Satis probabile est tantæ mutationi rerum interpositum nomen Pontificis, vt maior rei conciliaretur auctoritas, & inuidia facti depelleretur. sed facile est intelligere institutum istud de eligendo Imperatore fuisse consilium Othonis, qui liberis carebat, cum Germanis Principibus, & Gregorio Pontifice, qui natione Germanus erat; ne fortè Imperium à Germanis deficeret ad Italos, qui ægre ferebant Imperium sibi abreptum. E' conuerso subdit Pontifex non esse, quod Principes inficientur, quin examinatio & confirmatio electi pertineat ad Romanum Pontificem; cùm ad eundem pertineat & consecratio, id est, inunctio, & coronatio. ad Germanicos Principes spectat electio, ad Coloniensem Archiepiscopum Regia inunctio, ad Romanum Pontificem Imperialis coronatio. Gunthetus loco modò laudato,

> *Pastori prima recentis*
> *Agripina suo conceditur unctio Regis.*
> *Imperij nitidam summo sacrare coronam*
> *Pontifici ius est, vt vero nomine possis*
> *Non dator Imperij, sed confirmator haberi.*

Et Fridericus ipse, apud Radeuicum lib. 1. de gest. eius. cap. XVI. *Debitam patri nostro reuerentiam libenter exhibemus; liberam Imperij nostri coronam diuino tantùm beneficio ascribimus; electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde quod superest cæteris secundùm ordinem Principibus recognoscimus; regalem vnctionem Coloniensi, supremam verò, quæ Imperialis est, Summo Pontifici.* Ad Romanum Pontificem spectare Imperatoris electi confirmationem, vnctionem, & coronationem, æquè comprobatur in *can. in nomine Domini* XXIII. *dist. & d. Clem. Romani.* Immo, & vacante Imperio Rom. Pontifex succedere dicitur in iurisdictione Imperiali, *cap. licèt, infrà, de foro competent. Clem. Pastoralis*, §. *fin. de re iudicat.* Electum Pontifex per manus Hostiensis Episcopi inungit, per se coronam imponit, vt docet Ioannes Andreas in *hoc cap.* His præmissis. Pontifex respondet ad obiectiones Principum, Legatum confirmando Othonem, & reiiciendo Philippum, non Electoris functum officio; quippe qui neminem elegit, aut eligi curauit: nec cognitoris, seu iudicis; quia neutrius electionem quo ad factum eligentium, id est, ex facto eligentium censuit confirmandam, vel infirmandam: sed functum esse denunciatoris officio, quod est magis facti quàm iuris; quia Philippum indignum, & Othonem Imperio dignum denunciauit, quod Otho electus esset à maiori parte Electorum, & Philippus electus esset non vocatis absentibus; quam ob causam irrita erat electio, quia electioni plus obest contemptus vnius, quàm contradictio multorum, vt dicitur in *hoc cap. & cap. bona memoria, infrà, hoc tit.* Præterea quia Philippus nec vbi debuit, nec à quo debuit fuit consecratus; nimirum coronatus fuit non Aquisgrani, sed Moguntiæ, nec à Coloniensi Archiepiscopo, sed à Tarentasiensi: è contra Otho, & à quo debuit, & vbi debuit fuit consecratus, nempe Aquisgrani, ab Hadulpho Coloniensi Archiepiscopo, vt refert Vrspergensis. His rationibus motus Pontifex Othonem confirmauit repulso Philippo. Nec non multis aliis de causis Pontifex Philippi electionem reprobauit, non ex facto seu vitio eligentium, ad quos ius eligendi spectare facilè agnoscit; sed ob notoria vitia quæ arcebant electum. Primum, quia Philippus excommunicatus erat, nempè ferebatur excommunicatus à Celestino III. ipsius Innocentij proximo decessore, dum Principatum obtineret in Thuscia, ob inuasum patrimonium Ecclesiæ Romanæ. excommunicationis non leue argumentum erat, quod idem excommunicationis absolutionem

petiit à Sutrino Episcopo: & eo nomine idem Episcopus, quòd Philippum perperam absoluisset relegatus in insulam, vt refert Vrspergensis ex integra Decretali. Secundò, quia Philippus reus erat periurij, quòd Imperium affectasset, contra fidem præstitam Henrico adhuc superstiti de Friderico eius nato eligendo. Tertiò, quia erat improbus persecutor Ecclesiæ, & susceptus è genere persecutorum, nempe è stemmate Henrici V. Friderici I. & Henrici VI. qui multas Ecclesiæ Romanæ, & Italiæ clades attulere. Postremum, quia Reipublicæ interfuit ne Philippo cederet Imperium, ne successione magis, quàm electione partum videretur; & ius electionis non vtendo tolleretur, si Philippus nullo medio germano suo succederet. His diligenter discussis Pontifex rescribit Bertholdo Duci Zaringiæ, vt à Philippo recedat, & in fidem Othonis eat: nec moueatur religione iurisiurandi, si quod fortè Philippo præstitit; quod Philippo regno abdicato iuramentum solutum sit: iusiurandum scilicet habet vim pacti, & intelligendum est rebus sic stantibus, *cap. quemadmodum, infrà, de iureiur. l. 2 §. ff. qui satisd. cog.* Hoc loco insinuat Pontifex sui iuris, ac potestatis esse, ex iusta causa deponere Imperatorem, & subditos absoluere à iuramento fidei; quæ fuit & aliorum Pontificum sententia, vt Gregorij VII. *in can. nos Sanctorum* XV. *qu.* VI. Innocent. IV. in *cap. ad Apostolicæ. de re iudicat. in* VI. quod pertinet ad depositionem Friderici II. ac itidem Clemens V. in *Clem. Pastoralis, eod. tit.* Sed hæ constitutiones Pontificiæ longè exploduntur à Principibus secularibus, qui in temporalibus alium non agnoscunt Superiorem quàm Deum. Notandum est quod addit Pontifex in *hoc cap.* si Principes post monitionem moram fecerint in eligendo, electionem deuolui ad ipsum Pontificem; ne diutina vacatio Imperij Reipublicæ, & Ecclesiæ noceat. ob moram Principum in eligendo, nominatio deuoluitur ad Rom. Pontificem, quod iuris ratione nititur, & exemplo: iuris ratione, ne diutius Ecclesia careat Aduocato & defensore; Imperator enim est Aduocatus, seu defensor Ecclesiæ. Aduocatus S. Petri primus lectus est Carolus M. de quo Ademarus in ipsius vit. *Itaque post Pipinum Pium regnauit Domnus Carolus filius eius, quem postea Romani elegerunt sibi Aduocatum S. Petri, contra Reges Longobardorum.* Hoc nomine Lotharium Imp. ad tuendam Ecclesiam Romanam aduersus Siculum, id est, Rogerium Regem Siciliæ, sollicitat Bernard. epist. CXXXIX. *Non est meum hortari ad pugnam, est tamen Aduocati Ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem; est Cæsaris propriam vendicare coronam ab vsurpatore Siculo.* Deuolutioni locus est ob moram electorum, vt & si Patroni dissentiant inter se, libera collatio deuoluitur ad Episcopum, *cap. quoniam. de iure Patronat.* quò diutinæ vacationi Ecclesiæ occurratur. Dixi exemplo, cùm scilicet Lotharius Saxo, & Conradus in discordia essent electi, Lotharius coronæ apicem meruit ab Innocent. II. & sic rerum potitus est, vt narratur hìc, & apud Vrspergensem. Immo diuisis votis Principum in electione, Pontifex ait se gratificari posse ei quem maluerit. in electione, in pari causa, & paribus meritis, locus est gratificationi; vt & in aliis casibus iuris, *l. si plura. ff. de religios.* & aliis multis legibus, quas ibi Accursius conglobauit.

CAPITVLVM XXXV.

IDEM.

CORAM dilecto fi. tit. Sanctæ Prudentianæ Presbytero Cardinali: . . . . Si verò vtriusque partis fuerit cassata electio: vos (fratribus omnibus qui fuerint in prouincia conuocatis) quæ maiori & saniori parti eorum super prædictis videritis complacere: per cens. Eccle. faciatis firmiter obseruari.

AD electionem vocandi sunt absentes qui fuerint intra prouinciam, vt ostenditur in *hoc cap. & can. quanto.* LXIII. *dist.* Aliquando etiam absentes de toto regno vocantur de consuetudine, vt in Gallia: *cap. in Genesi, infrà, hoc tit.* In electionibus maximè consuetudo spectatur, *cap. cùm dilectus, suprà, de consuet. cap. cùm Ecclesia Sutrina. de caus. possess. & proprietat.* Vbi collatio præbendarum, vel beneficiorum spectat ad Capitulum, absentes Canonici vocandi sunt ad collationem præbendarum, vel bene-

beneficiorum, si commodè fieri valeat, nisi aliud de consuetudine obtineat, *cap. cùm in Ecclesiis. de praebend. in* VI. Absentes autem ad electionem vocandi sunt, non per sonum campanae, sed per nuntium vel literas, *cap. quod sicut, & cap. cùm inter vniuersas, suprà, hoc tit.*

CAPITVLVM XXXVI.

IDEM PARMENSI EPISCOPO, ET EIVS CONIVDICIBVS.

BONAE memoriae S. Cremonen. Episcopo in extremis agente, cùm de conualescentia desperaretur ipsius, Cremon. Capitulum H. Canonicum suum Regij disciplinis scholasticis insistentem, ad certum terminum in vigilia Pentecostes pro futuri electione Pontificis citari fecerunt: .·.·. Constituto autem dicto H. pro sua electione & dilecto filio nostro I. pro electione Archipresbyteri coram nobis: electionem ab ipso H. post electionem Archipresbyteri non cassatam, licèt de viro multae literaturae, honestae vitae, & clarae famae, non tamen sine multa temeritate praesumptam, cùm de priori nostrum debetet expectare iudicium, antequam procederet ad secundam, duximus irritandam, in poenam interdicentes eidem contradictionis vocem, in primo consensu Capitulo permanente.

Electionem autem Archipresbyteri (quamuis laudabile testimonium perhibeatur de ipso) iustitia exigente cassauimus: tum quia corpore dicti Episcopi nondum tradito sepulturae, habuerunt de ipsa electione tractatum contra canonicas sanctiones: tum quia inuentus est H. fuisse contemptus, licèt vnus solus extiterit: cùm plus in talibus consueuerit contemptus vnius obesse, quàm multorum contradictio in praesenti. Nec praedicta debet dici citatio valuisse, quia cùm Episcopi mortem praeuenerint, temeraria nimis extitit: & ideo non potuit arcere citatum.

HVIVS cap. species haec est. Cremonensi Episcopo in extremis agente cùm de ipsius salute desperaretur, Cremonense Capitulum Hugonem vnum ex Canonicis Rhegij studiorum causa degentem, ad diem citari curauit pro electione Episcopi: post diem Episcopo defuncto, Capitulum ante sepulturam Episcopi absente Hugone, potestatem eligendi Episcopi ex compromisso contulit in quosdam è Capitulo, & clero ciuitatis: compromissarij etiam ante sepulturam tractatu inito de electione Pastoris, alij quorum erat maior pars Archipresbyterum, alij Archidiaconum elegerunt, post funus mutato consilio omnes in vnum, id est, in Archipresbyterum consenserunt: & Archidiaconus ipse electioni Archipresbyteri, cum Capitulo, & Clero ciuitatis consensit. Post haec superueniens Hugo, & sibi suasus electionem nullam esse, quòd facta foret se contempto, & ob contemptum ius eligendi ad se deuolutum, Archidiaconum praefatum elegit. Re delata ad Sedem Apostolicam, Pontifex causa cognita electionem Archidiaconi ab Hugone factam irritam pronunciauit, quòd facta esset non cassata priori electione Archipresbyteri. Secunda electio non valet, non cassata priori, vt *hîc, & cap. considerauimus, suprà, hoc tit.* In poenam interdicta Hugoni voce contradictionis, in priori consensu permanente Capitulo. Aequè & electionem Archipresbyteri cassauit idem Pontifex, tum quòd ante sepulturam Episcopi de electione tractatus initus esset contra canonicas sanctiones, intellige constitutionem Bonifacij III. ex qua electio Rom. Pontificis, vel Episcopi vetatur fieri ante diem tertium depositionis, id est, sepulturae, *can. nullus* 11. *dist.* LXXIX. & apud Platin. in Bonifacio III. quam Sabiniano tribuit Sigebertus ad ann. DCVII. Tamen id non seruatum in electione Romani Pontificis ob periculum morae, testem habemus Fridericum II. apud Petrum de Vineis, lib. I. epist. XXXIII. *O Petri Sedes*, inquit, *quanto*

tempore vacauisti, cuius successor exoluens naturale debitum, mausoleo recludi minimè consueuit, nisi successore primo concorditer substituto. & nondum sepulto Maximiano, Proclus Cyzicenus Constantinopoli in Patriarcham electus, vt tumultus occasio tolleretur, ex Socrat. lib. VII. cap. XXXI. & Nicephoro Callisto lib. XI. cap. XXXVII. Tum quòd electio huiusmodi celebrata fuit contempto Hugone: non valet electio vel vno contempto; quia plus nocet contemptus vnius, quàm contradictio multorum, vt ostenditur, *hic*, *& in cap. venerabilem, suprà, hoc tit.* Nec valuit citatio Hugonis, quia cùm præposterè facta fuerit, non potuit citatum arcere, vt subditur, *in fin. huius cap.* Citatio incongrua & incompetens non valet, & citatus non compellitur venire, *l. in ff. de iudiciis.* Ad electionem Cremonensis Episcopi, qui est Mediolanensis prouinciæ, vocandus Canonicus, qui Rhegio aberat studiorum causa; quia licèt inspecta ea ætate esset extra prouinciam Mediolanensem, nimirum in prouincia Rauennatensi, tamen inspecto initio Rhegium fuit prouinciæ Mediolanensis, vt patet ex epistola Eusebij Mediolanensis Episcopi, quæ extat inter epistolas Leonis, cui subscripsit Rhegiensis Episcopus tanquam vnus è suffraganeis. sed hæc ciuitas, vt aliæ pleræque Æmiliæ vrbes, à Valentiniano III. è Mediolanensi metropoli ad Rauennatensem translatæ, ex Blondo, decad. I. lib. II. & Hieronym. Rubeo lib. II. Hist. Rauennat. vnde Episcopos Æmiliæ à Rauennatensi Archiepiscopo consecrandos tradit Nicolaus I. in *can. Episcopos* LXVII. *dist.* & Rauennam Æmiliæ metropolim laudat Otho Frisingensis. lib. II. de gest. Frideric. cap. XIII. *Romanorum colonia vlterior Italia olim dicebatur, tribus distincta prouinciis, Venetia, Emilia, Liguria; quarum prima Aquileia, secunda Rauenna, tertia Mediolanum metropolis fuere.* Alia ratio ne etiam absens studiorum causa vocandus fuit ad electionem, licèt fortè esset extra prouinciam; quia non videtur fuisse extra prouinciam ob fauorem studiorum: absentes scilicet studiorum causa pro præsentibus habentur, & præbendarum, vel aliorum beneficiorum fructus lucrifaciunt, *cap. tua fraternitatis. de Cleric. non residentib.*

CAPITVLVM XXXIX.

IDEM.

ILLA quotidiana instantia. . . . Quia pro certo didicimus electionem canonicam extitisse, ipsam auctoritate Apostolica duximus confirmandam: supplentes de plenitudine potestatis si quis in ea ex eo fuisset defectus, quòd quidam interfuerunt electioni eiusdem, qui ex sola participatione in simplicis excommunicationis laqueum inciderunt.

EXCOMMVNICATIO alia est maior, alia minor: maior est quæ abscindit à participatione Sacramentorum, & communione fidelium; minor est, quæ arcet tantùm à participatione Sacramentorum, qualis est ea quæ contrahitur per communicationem cum excommunicatis, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. à nobis. de except. cap. pen. de sentent. excommunic. can. Engeltrudam* III. *qu.* VI. Excommunicati maiori excommunicatione neque eligere, neque eligi possunt, *cap. constitutis. de appellat. cap.* I. *de postul. prælat.* & apud ipsum Innocent. lib. II. epist. CXXX. idémque in suspensis, *cap. cùm dilectus. de consuetud.* Excommunicati minori, seu simplici excommunicatione, non vetantur eligere, & exercere ea quæ sunt iurisdictionis, vt habetur in *hoc cap. & cap. si celebrat. de Cleric. excommunic. ministr.* Sed non possunt eligi, quia non licet exercere ea quæ sunt officij, sine perceptione Sacramentorum à qua alieni sunt, *d. cap. si celebrat.*

CAPITVLVM XL.

IDEM MAGISTRO MAXIMO NOTARIO NOSTRO.

SCRIPTVM est in Apocalypsi Ioan. quòd in medio & in circuitu sedis erant quatuor animalia: . . . . Sanè ad hanc Ecclesiam, scilicet Constantinopolitanam duo animalia sunt vocata, vtinam plena oculis,

& alas habentia ſenas, videlicet Eradienſis Archiepiſcopus, & Plebanus Sancti Pauli de Venetiis, ſicut per Procuratores tam poſtulantium Archiepiſcopum, quàm eligentium Plebanum fuit propoſitum coram nobis: . · . ·.

Verùm quia de his, quæ per adſertionem partium in iudicium deducta fuerant, nobis non potuit fieri plena fides, quamuis ſuper his, quæ de numero dicta ſunt poſtulantium, per quoddam inſtrumentum publicum, necnon confeſſionem procuratoris aduerſæ partis in iudicio factam, ſed poſtea reuocatam, pars altera adſereret ſuam intentionem eſſe fundatam, cauſam diſcretioni tuæ duximus committendam. Per ap. ſcripta mandantes, quatenus ſuper his & aliis inquitas diligentiſſimè veritatem, de meritis electi & poſtulati apud Venetias, vbi nati fuerunt, & diutiùs conuerſati. De ſtudiis autem eligentium & poſtulantium, & omnibus generaliter, quæ cauſam poſſunt inſtruere apud Conſtantinopolim, vbi huiuſmodi poſtulatio & electio celebratæ fuerunt. Et ſi partes conſenſerint, procedas hoc modo: vt ſi conſtiterit de mutuo conueniſſe conſenſu, quòd ad electionem Patriarchæ ſeptem admitterentur Præpoſiti, ſiue per ſeipſos, ſiue per alios, & duo alij ex parte Vniuerſitatis pro cæteris conuentualium Eccleſiarum Prælatis, tótque tunc temporis conuentuales Eccleſias habuiſſe Prælatos, quòd eum ſeptem Præpoſitis & nouem Canonicis, quos quidem Canonicos conſtat in poſtulatione præfati Archiepiſcopi conueniſſe, duplo maiorem facerent numerum quàm XVI. electores plebani, tu vice noſtra poſtulationem admittas, niſi probatum fuerit poſtulato aliquid obuiare de canonicis inſtitutis, quod promotionem ipſius debeat impedire: ac (Plebani electione caſſata) ipſum Archiepiſcopum abſoluas à vinculo quo Eradien. Eccleſiæ tenetur: concedendo ipſum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in Paſtorem. Quòd ſi ad faciendum duplo maiorem numerum ſimul omnes prædicti minimè ſufficerent: ſiue dignus ſiue indignus fuerit poſtulatus, tu (poſtulatione repulſa) electionem Plebani auctoritate noſtra confirmes, dummodo nihil obſiſtat eidem, quod ipſum tanto præſulatu reddat indignum.

Si verò numerus poſtulantium inuentus fuerit duplo maior, quemadmodum prædictum eſt, & perſona poſtulata reperta fuerit indigna, tu tam poſtulationem, quàm electionem non differas reprobare. Niſi forſan omnes, aut maior pars poſtulantium præſumptione damnabili poſtulauerint ſcienter indignum, vt hac vice meritò debeant eligendi ſeu poſtulandi poteſtate priuari. Et hoc quoque caſu electionem confirmes, ſi eam de perſona idonea conſtiterit celebratam.

HOc cap. integrum extat in *cap.* VI. *hoc tit. in* IV. *collect.* & apud Innocent. III. *Regiſtr.* XV. *epiſt.* CLIV. Capta Conſtantinopoli à Francis & Venetis, in hac mutatione rerum electio CP. Patriarchæ reſtituta eſt ab Innocentio: ante ipſum enim hæc erat in manu & poteſtate Imperatoris, & electioni forma impoſita, vt ea eſſet penes Canonicos Patriarchalis Eccleſiæ, & Præpoſitos conuentualium Eccleſiarum CP. ciuitatis, quod Innocent. ipſe non omiſit in eadem epiſt. *Vniuerſi*, inquit, *Prælati conuentualium Eccleſiarum apud Conſtantinopolim exiſtentium, per noſtram conſtitutionem in electione Conſtantinopolitani Patriarchæ ius habent.* Vacante Eccleſia Conſtantinopoli-

tana, quæ est spec. *huius cap.* morte Thomæ Mauroceni, qui primus è Latinis electus est Patriarcha CP. Electorum vota in partes diuisa, alij postularunt Heracliensem Archiepiscopum, perperam vulgò legitur Eradiensem, alij elegerunt Plebanum S. Pauli de Venetiis. Re perlata ad Sedem Apostolicam, causæ cognitionem Pontifex demandauit Magistro Maximo Notario Sedis Apostolicæ, cui inscribitur hæc Decretalis. Non incongruum est causam tanti momenti credi Notario Apostolico, etiam Subdiaconis Ecclesiæ Romanæ vices suas Summus Pontifex committere solet, *can. valdè necessarium.* XCIV. *dist.* Et Notarij Sedis Apostolicæ non impares sunt ad defungendas vices Apostolicas, quia habent dignitatem: etiam Notarij Principum dicuntur habere dignitatem, *l. I. C. de mandat. Princip. I. maximarum, C. de excus. muner.* Notarij propriè sunt scribæ qui dictata notis excipiunt, de quibus Hieronym. in cap. XIII. Esaiæ, in Prolog. *Dictamus hæc, non scribimus currente notariorum manu scribitur oratio.* & Augustin. lib. II. de doctrin. Christian. cap. XXVI. *Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt propriè iam Notarij appellantur.* Ecclesia Romana suos habuit Notarios. Hi septem instituti à Clemente, iuxta septem vrbis regiones, vt Martyrum gesta perscriberent; vnde Notarij Regionarij dicti, vt placet Damaso & Platinæ in Clemente: vbi desiit persecutio, ne ociosi essent, eorum officium fuit litteras Apostolicas, & tabulas Ecclesiasticas conscribere, *can. quidam v. qu. I. can. II. can. cùm redemptor* XII. *qu.* II. Vnde iidem Carthularij vocitati, *can. qua de causa* II. *qu.* V. Eorumdem munus fuit scrinia, seu Archiua Ecclesiæ tueri & custodire, vnde & Scriniarij dicti, *cap. ad audientiam. de præscript.* Postremis seculis iidem Protonotarij dici amarunt. vt in pragmatic. *tit. de caus. cap. I. §. Romana. & ibi Gloss.* Dignitatis in Notario Apostolico non leue argumentum est, quòd Magistri appellatio ei præmittitur, Magister est nomen dignitatis. Agath. lib. IV. Hist. Iustinian. *μάγιςρος ὄνομα τῇ ἀρχῇ, Magister dignitatis nomen.* Maximo Notario causa CP. Patriarchatus delegata, vt diligenter inquireret de meritis tam electi, quàm postulati: & inquisitio fieri iubetur apud Venetias, vbi vterque natus dicitur, & diutius versatus. confirmatio non aliter fit quàm causa cognita, eiusdem est examinatio, cuius & confirmatio, *cap. venerabilem, suprà, hoc tit.* Confirmationem præcedit inquisitio de vita & moribus electi, ea debet fieri vbi quis educatus, vel conuersatus, vt *hoc loco, & cap. postquam, suprà, hoc tit.* Ibi enim notiores sunt mores eius de quo quæritur. id genus inquisitionis ab electione Episcoporum deflexum ad creationem magistratuum. Hac de re insignis est locus Lampridij in Alexandro Seuero. *Vbi aliquos voluisset, vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis. dicebatque graue esse, quum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Inquisitio verò de studiis eligentium & postulantium & aliis omnibus, quæ caussam possunt instruere, facienda imperatur apud Constantinopolim, vbi electio & postulatio celebrata est: & si partes consentiant, vult delegatum Apostolicum procedere hoc modo, vt si ei constiterit de mutuo consensu actum esse, vt ad electionem Patriarchæ admitterentur septem Præpositi Conuentualium Ecclesiarum per se, vel per alios; & duo alij nomine Vniuersitatis, pro omnibus Prælatis conuentualium Ecclesiarum, & tunc temporis, tot essent Prælati, quot erant Ecclesiæ conuentuales; ita vt cum septem Præpositis & nouem Canonicis, quos constabat in postulationem Heracliensis Archiepiscopi consensisse, duplo maiorem fecerint partem, quàm sexdecim electores Plebani; vice Apostolica postulationem admittat, dummodo postulatus sit idoneus. Summa cognitionis est, verum duplo maior fuerit numerus postulantium, quàm eligentium; nimirum vbi electio concurrit cum postulatione, duplo maior debet esse postulantium numerus, quia postulatio est de gratia, & contra ius commune, *cap. bona memoriæ, & II. suprà de postulat. Prælat.*

Byzantium vrbs à Seuero expugnata dirutáque. & Perinthus in seruitutem tradita, teste Herodiano lib. III. ab eo tempore Perinthus, quæ & Heraclea, fuit Metropolis Byzantinæ Ecclesiæ, etiam post Constantinum, vsque ad Synodum Constantinopolitanam I. in qua Constantinopolitanus Episcopus factus est primus Patriarcha post Romanum Pontificem, ex quo secutum vt CP. ordinaretur ab Heracliensi Archiepiscopo, vt refert Balsamo, in can. III. Synod. Constantinopolitanæ, & Nicephor. Gregor. lib. VI.

CAPITVLVM XLI.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

NE pro defectu Pastoris gregem dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata graue dispendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus prouidere: Statuimus, vt vltra tres menses Cathedralis Ecclesia vel regularis Prælato non vacet. Intra quos (iusto impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice. Ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, deuoluatur. Is verò, ad quem fuerit deuoluta potestas, Deum præ oculis habens non differat vltra tres menses cum consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere vltionem.

IN Ecclesiis Cathedralibus electio debet fieri intra tres menses. Conc. Calchedonens. *can.* XXV. *can. quoniam* LXXV. *dist.* Vormaciens. *can.* LXXVI *Turonens. can.* XVII. *Tolet.* XII. *can.* VI. qui refertur in *can. cùm longè.* LXIII. *dist.* & Constitutionibus Gregorij I. & Innocent. II. *can. postquam.* L. *dist. can. obeuntibus* LXIII. *dist.* quod statutum est, vt occurratur periculo diutinæ vacationis, maximè periculo schismatis; & locum habet non modò in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in Ecclesiis regularibus non Cathedralibus, ex Conc. generali Lateranensi habito sub Innocent. III. *in hoc cap.* In beneficiis collatiuis datur laxius tempus ad conferendum, nempe semestre tempus, *cap. nulla, infrà, de concess. præbend.* quia minus habet periculum. Quòd si electio facta non fuerit intra tres menses cessante iusto impedimento, electores ea vice eligendi potestate priuantur, & potestas prouidendi deuoluitur ad proximum Superiorem. Ex eodem Lateranensi Conc. *in hoc cap.* vbi electores amittunt ius eligendi ob culpam, id est negligentiam, potestas deuoluitur ad proximum Superiorem; deuolutio sua natura fit gradatim, vt appellatio, *cap. dilecti* II. *de appellat.* Rei electores amittunt ius eligendi ob delictum, vel ipso iure, vt scientes eligentes indignum; vel per sententiam, vt non seruantes formam, *cap. quia propter.* tunc electio deuoluitur ad Summum Pontificem, *cap. quamquam, hoc tit. in* VI. Electio debet fieri intra tres menses cessante iusto impedimento; quandoque enim ex necessitate tempus prorogatur, *can. de Syracusana* XXVIII. *dist.* Is autem ad quem deuoluta est potestas, vacanti Ecclesiæ debet prouidere intra alios tres menses de persona idonea ex gremio ipsius Ecclesiæ, vel alterius si non reperiatur idonea, vt subditur *in hoc cap.* Electio debet fieri à Capitulo de gremio ipsius Ecclesiæ, sed tamen valet electio facta de alia Ecclesia, *cap. cùm inter, suprà, hoc tit.* quia licet Capitulo renunciare iuri suo: scilicet Superior ad quem deuoluta est potestas cessante Capitulo, non potest extraneum assumere, donec idoneus reperitur; quia non potest tollere ius proprium Ecclesiæ, vt rectè adnotat Hostiensis, & post eum Panormitan. *in hoc cap.*

CAPITVLVM XLII.

IDEM IN EODEM.

QVIA propter diuersas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis: Statuimus, vt cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè in-

tereſſe : adſumantur tres de collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: nullo prorſus adpellationis obſtaculo interiecto : vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars Capituli conſentit. Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ prouideant de Paſtore. Aliter electio facta non valeat: niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata. Qui verò contra præſcriptas formas eligere adtentauerint: eligendi ea vice poteſtate priuentur.

TRIPLEX eſt canonica forma electionis Conc. generali Lateranenſi comprobata. Prima eſt per ſcrutinium, ſecunda per compromiſſum, tertia per inſpirationem. Electio per ſcrutinium fit hoc modo, videlicet præſentibus omnibus qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumuntur tres de Collegio fide digni, qui tacitè & ſigillatim vota ſingulorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi appellatione remota: vt is demum collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars Capituli conſenſerit. Electio per ſcrutinium dicitur, quia in ea fit ſecreta ſcrutatio, & collectio ſuffragiorum per ſcrutatores ſelectos de Collegio. Hoc ſenſu ſcrutinium in electionibus ſumitur. Io. Saresber. epiſt. LXIV. *Nam prædictus Archidiaconus ſcrutiniis, & deliberationibus interfuit vniuerſis, & vota ſingulorum, & omnium explorauit nobiſcum.* Et in nuptiis fit ſcrutinium conſenſus contrahentium. Io. Monach. in vit. Gaufredi Ducis. *Traditur itaque nuptui filia Regis Andegauorum Comitis filio, fit ab Epiſcopis mutui conſenſus ſcrutinium.* Etiam in ordinatione Epiſcoporum & Clericorum fit ſcrutinium, id eſt, probatio & examinatio ordinandorum, *can. ordinationes.* LXXV. *diſt.* cuius forma præſcribitur *in tit. de ſcrutin. in ordin. faciend. & in ordine Romano.* Solemne quoque fuit ſcrutinium in baptiſmo, id eſt, probatio & inſtitutio baptizandorum, *cap. his quæ. de maior. & obed. cap. dilectus. de capell. Monach.* Electio debet fieri vocatis omnibus, qui debent & volunt & poſſunt commodè intereſſe, id eſt, vocatis omnibus qui habent ius eligendi. Ad electionem enim non ſunt vocandi excommunicati & ſuſpenſi, *cap. cùm inter, ſuprà, hoc tit.* Neque in ſacris ordinibus non conſtituti, *Clem. vt ij qui. de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* Scrutinij cauſa aſſumuntur tres de Collegio fide digni, impari numero, vt diſcordia vitetur, qui ſecretè ſcrutentur vota ſingulorum, vt libera ſint ſuffragia: ſcrutinium mox ſequitur publicatio, nullo alio actu interpoſito; cuius effectus hic eſt, quòd publicato ſcrutinio electores variare nequeunt, *cap. publicato, infrà hoc tit.* Publicationem ſcrutinij excipit collatio, id eſt, examinatio ſuffragiorum, quæ fit comparatione meriti ad meritum, zeli ad zelum, numeri ad numerum, *cap. in Geneſi, cap. Cumana, hoc tit.* Vbi tamen electio fit à duabus partibus, ceſſat collatio zeli & meriti, *cap. ſi quando, hoc tit. in* VI. Electio per compromiſſum fit, cùm eligendi poteſtas confertur in aliquos viros idoneos, qui vice omnium eligant, vt in *hoc cap. & cap. in cauſis, ſuprà, hoc tit.* Per compromiſſum poteſt tribui, vel libera poteſtas eligendi, vt *in hoc cap. & cap. cauſam, infrà, hoc tit.* vel poteſt coërceri, vt compromiſſarij teneantur ſecretè ſcrutari vota ſingulorum, & illum eligere in quem conſenſit maior & ſanior pars Capituli, vt *in cap. cùm dilectus, ſuprà, hoc tit.* Quod nequaquam correctum eſt *per cap. quia propter.* vt diſertè proditur *in cap. cùm expediat, hoc tit. in* VI. Super electione compromitti poteſt non modò in eos qui ſunt de Capitulo, ſed etiam in extraneos, dummodo non ſint laici, *d. cap. cauſam, & cap. cùm inter, hoc tit. cap. poſt tranſlationem. de renun. cap. ſi compromiſſarius, hoc tit. in* VI. Super electione compromitti non poteſt, niſi omnes conſentiant, & compromiſſum non valet, vel vno contradicente; quia ius eligendi non poteſt tolli his ad quos ſpectat, ſine ipſorum conſenſu, vt docent Compoſtellanus, Hoſtienſis, & alij *in hoc cap.* Electionis per compromiſſum vſus, iampridem notus in Eccleſiis Gallicanis: diuiſis votis Bituricenſium, tota electionis poteſtas compromiſſo collata in Sidonium Aruernenſem Epiſcopum, teſtis ipſe lib. I. epiſt. V. VIII. & IX. in concione. Tertia electionis forma eſt per inſpirationem, cùm electio communiter ab omnibus ce-

lebratur, vno consensu, nemine discrepante, sine præcedenti tractatu, quasi per afflatum Spiritus sancti. Hoc pacto creati Fabianus Pontifex, Eusebio lib.vi. cap. xxii. Nicolaus Myrensis, Sutio, Dec.vi. Seuerus è textore in Rauennatem Archiepiscopum, Surio, Februar 1. Euurtius Aurelianensis, eidem, Sept. vii. Rusticus Aruernensis, Gregor. Tur. lib. ii. cap. xiii. Quamuis vsu solemne sit, vt in omni electione prius Spiritus sancti gratia inuocetur, *cap. cùm terra, cap. cùm inter vniuersas, hoc tit. cap. cùm Ecclesia Sutrina. de caus. possess.* Propriè tamen ea electio dicitur fieri per inspirationem, quæ fit vno consensu, sine vllo præuio tractatu; quasi per afflatum numinis: electionis per inspirationem nulla certa est formula, quia qui spiritu Dei aguntur sunt lege soluti, vbi Spiritus Dei, ibi libertas, *cap. nisi cùm pridem. vers. verùm. de renunciat. cap. licèt quibusdam. de regularib.* Qui contra formam huiusce cap. electionem tentauerint, eligendi ea vice potestate priuentur, ait Canon Lateranensis; scilicet non priuantur ipso iure, sed per sententiam, *cap. Cumana, suprà, hoc tit.* Aliàs eligentes scienter indignum, eligendi potestate ipso iure priuantur, *cap. cùm in cunctis, suprà, hoc tit.* Electio facta contra formam *cap. quia propter*, puta non vocatis absentibus, non est nulla ipso iure, sed venit annullanda; quia vocatio absentium non est de substantia electionis, sed de solemnitate, *cap. quod sicut, hoc tit.* Et quod notandum, forma *cap. quia propter*, locum habet in electione Episcoporum & Abbatum, per quos Ecclesia dicitur viduata, vel quasi viduata; sed non seruatur in inferioribus dignitatibus, vt teste docet Gloss. *hoc cap. verb. Ecclesiis viduatis.*

Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negocio Procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat aduocari, iustóque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento. Et tunc si voluerit, vni committat de ipso Collegio vicem suam.

Absens non potest eligere per literas, *cap. si quis iusto, hoc tit. in* vi. neque per procuratorem, nisi absit ex iusta causa, & electioni adesse nequeat, quo casu potest constituere procuratorem ad eligendum vnum de Capitulo, vt in *hoc* §. *& cap. congregato, infrà hoc tit. & d. cap. si quis iusto.* Absens constituere non potest procuratorem, nisi sit legitimè impeditus; & quod scriptum est *in cap. constitutis. de appellat.* etiam non impeditum posse eligere per procuratorem, intelligendum est consentiente Capitulo. Ait vnum è Capitulo, absens enim non potest constituere extraneum procuratorem ad eligendum, nisi consentiente Capitulo, *d. cap. si quis iusto.* Vbi verò procurator constitutus est vnus è Capitulo, duplex suffragium feret vnum suo nomine, alterum nomine domini, *d. cap. si quis iusto.* Exemplo electionis canonicæ, etiam electio Imperatoris potest celebrari per procuratorem: Ludouicum Bauarum electum à Principibus absentibus per procuratorem eligentibus, retulit Paulus Langius in Chronic. Citicens.

Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, vt quàm citò electio fuerit celebrata, solenniter publicetur.

Post scrutinij publicationem, & collationem suffragiorum, statim, id est, nullo alio actu interposito, electio debet solemniter publicari; quia electio clandestina reprobatur, vt ostenditur *in hoc* §. *cap. cùm post. cap. Ecclesia vestra, hoc tit.* Electio est actus canonicus & solemnis, debet publicè fieri in Ecclesia, vel Capitulo, *cap. cùm terra, hoc tit.* Clam facta, suspicione non carent, *l. vlt. ff. de ritu nupt.* etsi locus non est de substantia electionis, vt rectè notat Hostiensis hoc loco. Athanasio imponebant Arriani, eum à sex, aut septem Episcopis electum esse λάθρᾳ ἐν ἀποῤῥήτῳ, clam & in loco obscuro. Verùm Patres Synodi Alexandrinæ amplissimè testati sunt Synodica epistola ad omnes Episcopos scripta, eum ritè & canonicè electum, vt narrat ipse Athanas. in Apolog. ii. de fuga. Vrsini electio aduersus Damasum reiecta, quòd facta fuisset ἐν τόπῳ ἀποκρύφῳ. Socrat. lib. iv. cap. xxiii. Maximo itidem obiectum, quòd à Timo-

theo Alexandrino lectus esset in Constantinopolitanum Episcopum aduersus Gregorium Nazianzenum ἐν παραβύστῳ, in loco abdito, in domo scilicet cuiusdam Choraulæ. Nicephor. Callisto lib. XII. cap. XI. Eadem ratione electio debet confirmari in Ecclesia, non in Palatio, nec Camera Pontificis, multo minus in Camera Principis, *cap. qua fronte. de appellat.* Et Seleuciense Concilium damnatum ab Acacio Cæsariensi, quòd huius authores ei subscripsissent occlusis Ecclesiæ foribus: quæ enim in occulto geruntur non sunt probanda, & plena admodum sunt suspicionis, τὰ γὰρ ἐν παραβύστῳ φησὶ γιγνόμενα ἀδόκιμα, καὶ ὑποψίας εἰτός. vt scripsit Socrates lib. II. cap. XXXII.

CAPITVLVM XLIII.

IDEM IN EODEM.

QVISQVIS electioni de se factæ per secularis potestatis abusum consentire præsumpserit, contra canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui verò electionem huiusmodi, quam ipso iure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare: ab officiis & beneficiis penitus suspendantur (per triennium) eligendi tunc potestate priuati.

ELECTIO facta per abusum secularis potestatis nulla & irrita est, quia pugnat contra canonicam libertatem, ex Conc. generali Lateranensi *in hoc cap.* cui congruit quod scriptum est in *cap. sacrosancta, infrà, hoc tit.* Ius eligendi in collegiata Ecclesia, non cadere in laïcum. Et hoc ita certi iuris est, vt edicto perpetuo prohibitum dicatur, ne per laïcos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur, *cap. Massana, infrà, hoc tit.* Hoc iure Patroni laïci in conuentuali Ecclesia seculari, vel regulari, non habent ius suffragij in electione facienda; sed post electionem ipsorum desideratur assensus, nisi aliter de sua iurisdictione obtineant, *cap. vobis. de iure patronat.* Ait ex sua iurisdictione, id est, ex lege dicta in fundatione ab initio, vel ex priuilegio Pontificio, vel ex consuetudine, seu prærogatiua dignitatis Regiæ, aut Principalis; vt rectè interpretantur Innocentius, Hostiensis, & Ioannes Andreas. Ex propria iurisdictione descendere dicitur ius suffragij, quod competit ex lege fundationis: in donatione, vel traditione rei, pactum quodcumque vim legis habet, *l. in traditionibus, ff. de pact. l. legem, C. de donat.* Indéque oritur species quædam iurisdictionis, nam & ipsum ius suffragij quodammodo in se habet iurisdictionem. Seneca de beneficiis, lib. II. cap. XXXV. *His ipsis quos vocamus insanos, suffragium, & iurisdictionem committimus.* Ius eligendi datur laïcis ex fundatione, vel priuilegio: sic in Monasterio Augustodunensi, quod à Brunichilde Regina, & Syagrio Augustodunensi Episcopo exædificatum est, ex speciali priuilegio à Gregorio I. Regi Francorum ius eligendi cum Monachis Abbatis, *can. hinc est etiam* XVI. *qu.* I. Ex priuilegio pariter Marchio Magdeburgensis, habuit ius eligendi Præpositi collegiatæ Ecclesiæ, à se extructæ in solo recens armis parto à Paganis, vt videre est apud Innocent. III. registr. epist. XXI. Sic ex consuetudine Comes Flandrensis electionem Præpositi Sicliuiensis sibi vindicabat, *cap.* I. *de re iudicat. in* III. *Collect.* Vt ex consuetudine Gallicana, milites beneficiarij Cathedralium, vel aliarum conuentualium Ecclesiarum feudi nomine, ius suffragij habuere in electione Prælatorum: de militibus Rhemensis Ecclesiæ, testatur Frodoard. in Chronic. ad ann. DCCCCXXV. *Heribertus Comes Remis venit, & vassallos ipsius Ecclesiæ, sed & Clericos de electione Rectoris ad suum consilium intendere fecit.* Idem de Casatis (ij sunt Vassi, seu Feudatarij) Cameracensis Ecclesiæ, Baldricus Nouiomensis in Chronic. Cameracens. lib. III. cap. LXIII. *Porro sepulto honorabiliter, sicut decebat Gerardo Pontifice, Henricum Regem Lothariensium adeunt, Domnus Præpositus & Archidiaconus, aliique Archidiaconi, cùm Casatis Cameracensis Ecclesiæ, reportantes baculum Pontificalem, & nunciantes Episcopi sui depositionem.* Eodem iure vsi ministeriales, seu beneficiarij Monasterij S. Galli apud Heluetios, in electione Abbatis, Burkard. de Casib. Monast. S. Galli, cap. XII. *Huic*

igitur

igitur (loquitur de Vodalrico Abbate) *suus Præpositus Heinricus de Klingen communi consensu omnium fratrum, ac ministerialium, & totius populi assensu substitutus est.* In Collegiata Ecclesia etsi laïci Patroni non remoueantur ab electione, si id iuris habeant ex fundatione, non est ferendum si id sibi vindicent ex pacto, seu compositione inita post fundationem. Leges quidem in fundatione dictæ semper seruandæ sunt, *can. Eleutherius* XVIII. *qu.* II. quo faciliùs laïci prouocentur, ad bene de Ecclesia merendum; sed post fundationem noua lex, noua seruitus indici nequit, *can. nouerint* X. *qu.* I. Hoc iure Honorius III. nullam, & irritam duxit compositionem factam ab Abbate Cluniacensi, cum Comite Varennæ Anglico, vt ei liceret eligere Priorem S. Pancratij de Leuues; & vnum optare è potioribus Prioribus Cluniacensis Ordinis, exceptis Cluniacensi, & de Caritate Prioribus: quia huiusmodi compositio facta fuerat post fundationem Monasterij, iam enim fundatum erat Monasterium à Guillelmo Comite Varennæ ab anno MLXXVIII. ex Willelmo Malmesbur. lib. II. de Gest. Pontif. Anglor. in fin. & Matthæo Westmonaster. ad annum prædictum.

CAPITVLVM XLIV.

IDEM IN EODEM.

NIHIL est, quòd Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni adsumantur Prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo adhibere necessariam medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cùm quisquam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet & electionis processum, & personam electi: vt cùm omnia rectè concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm deiiciendus est indignè promotus, verùm etiam indignè promouens puniendus. Ipsum quoque decernimus hac animaduersione puniri: vt cùm de ipsius constiterit negligentia, maximè si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ adprobauerit: non solùm confirmandi primum successorem illius careat potestate, verumetiam (ne aliquo casu pœnam effugiat) à perceptione proprij beneficij suspendatur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò conuictus fuerit in hoc per maliciam excessisse, grauiori subiaceat vltioni.

Episcopi quoque tales ad sacros Ordines & Ecclesiasticas dignitates promouere procurent, qui commissum sibi officium dignitate valeant adimplere, si & ipsi canonicam cupiunt effugere vltionem. Cæterum qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem: ad percipiendam sui confirmationem officij, eius se conspectui (si commodè fieri potest) personaliter repræsentent, aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus & electis possit haberi: vt sic demum per ipsius circumspectionem consilij, sui plenitudinem officij adsequantur, cùm eis nihil obstiterit de canonicis institutis: ita quòd interim valde remoti, videlicet vltra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensatiuè propter necessitates Ecclesiarum, & vtilitates in spiritualibus & temporalibus administrent, sic tamen vt de rebus Ecclesiasticis nihil penitus alienent. Munus verò benedictionis, seu consecrationis recipiant, sicut hactenus recipere consueuerunt.

O

OMNIS electio canonica indiget confirmatione proximi Superioris, *cap. III. huius tit.* Ab hac regula excipitur electio Rom. Pontificis, quæ confirmationem non recipit, cùm non habeat Superiorem à quo confirmetur, *cap. licet, suprà, hoc tit. can. in nomine Domini* XXIII. *dist.* Confirmatio electionis petenda est intra tres menses ne diutiùs vacet Ecclesia, *cap. quam sit, cap. cupientes. init. h. tit. in* VI. Confirmatio autem electionis non debet fieri nisi causa cognita, id est, habita diligenti inquisitione de electionis processu, & persona electi, id est, de moribus electi, an sit idoneus ætate scientia & moribus; & ratione natalium, vt ostenditur *in hoc cap. & d. cap.* III. *& cap. scriptum, suprà, hoc tit. & can. cùm longè* LXIII. *dist.* Idcirco confirmatio electionis facienda est solemniter, & in Ecclesia. eo nomine notatur Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, quod contra solemnem iuris ordinem, & contra Pontificalis officij dignitatem Episcoporum electiones confirmaret, non in Ecclesia, non etiam in palatio, sed in camera sua, *cap. qua fronte. de appellat.* Confirmatio electionis non solemniter facta sine causæ cognitione, nulla est & irrita; & si electus incautè, id est, per negligentiam causa non cognita confirmetur, confirmans priuatur potestate confirmandi primum successorem, & suspenditur à perceptione proprij beneficij, quoad Superiori visum fuerit: quòd si dolo malo indignum confirmauerit, grauiùs coërcetur, vt *in hoc cap. & cap. vlt. huius tit. in* VI. Eodem iure confirmatio Imperatoris, quæ fit à Rom. Pontifice, non fit, nisi præmissa inquisitione tam de forma electionis, quàm de persona electi, *cap. venerabilem, suprà, hoc tit.* Confirmatio pertinet ad proximum Superiorem: exempti, qui immediatè pertinent ad Summum Pontificem, confirmationem ab eo petere debent per se vel procuratores idoneos, vt subditur *in hoc cap.* Et quidem si electio in concordia celebrata fuerit non confirmatur, nisi ad minus duo de his, qui electioni interfuere præsentes adsint, per quos de electione canonica fiat fides. Quòd si electio in discordia facta fuerit, non confirmatur nisi præsentes sint duo ex singulis partibus Capituli, *cap. cupientes, §. ad hac, hoc tit. in* VI. Ante confirmationem electus non potest ministrare: excipiuntur exempti remotiores, qui sunt extra Italiam constituti, si electi sint in concordia nemine discrepante; dispensatiuè, id est, ex tacita dispensatione quæ fit à Canone, ob necessitatem & vtilitatem Ecclesiæ possunt ministrare in spiritualibus & temporalibus; dempta alienatione rerum, vt docetur *in fin. huius cap.* Et hoc iure vtuntur Angli, Franci, Germani, & alij Cismontani ob periculum moræ, vt traditur *in cap. quod sicut, suprà, hoc tit. in antiqua.*

TIT. VII. *De Translatione Episcopi.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. ANTIOCHENO PATRIARCHÆ.

CVM ex illo generali priuilegio, quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, Canonica postmodum manauerint instituta continentia maiores Ecclesiæ causas ad Apostolicam Sedem perferendas, ac per hoc translationes Episcoporum ac sedium mutationes ad Summum Apostolicæ Sedis Antistitem de iure pertineant, nec super his quicquam præter eius adsensum debeat immutari: Miramur quòd L. Apameo. electum in Tripolitanam Ecclesiam transtulisti, & nouo quodam mutationis genere paruificasti maiorem, & magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum, imò potiùs dearchiepiscopare præsumens. Licèt enim dictus L. nondum fuisset in Archiepiscopum consecratus, confirmationis tamen munus receperat, & Archiepiscopalia (quantum ei licuit) ministrarat, sicut nobis ipsius relatione innotuit, qui, se Valien. Episcopum adseruit

confirmasse. Ne igitur perpetrandi similia cæteris audacia tribuatur, te ab Episcoporum confirmatione duximus suspendendum.

EX generali priuilegio Ecclesiæ Romanæ, maiores causæ sunt reseruatæ Sedi Apostolicæ, vt translatio Episcoporum, eorumdem depositio, & sedium Episcopalium mutatio, vt *in hoc cap. & can. mutationes, can. temporis qualitas* VII. *qu.* I. Et hæc tria non tam ex constitutione canonica, quàm ex institutione diuina Sedi Apostolicæ reseruata esse ait Innocent. in *cap. seq. & lib.* I. *epist.* CCCCXVIII. Translatio Episcoporum est de maioribus causis, quæ omnino pertinent ad Romanum Pontificem, ex Conc. Nicen. *can.* XV. Sardic. *can.* I. *can. non oportet* VII. *qu.* I. *cap.* I. *infrà, de Cleric. non resid.* quod imprimis institutum fuit, ad compescendum ambitum Arrianorum, qui crebris, & desultoriis mutationibus, ea tempestate, omnes Orientis Ecclesias perturbabant, malo exemplo Eusebij eorum fautoris, qui primùm Beryti Episcopus, inde ad Nicomediensem Episcopatum præter legem se transtulit; tum ad Sedem Constantinopolitanam, vt authores sunt Athanas. Apolog. II. de fuga, & Theodorit. lib. I. cap. XIX. Nicænos & Sardicenses Canones secuti sunt Conc. Antiochen. *can.* XXI. Calched. *can.* V. *can. Episcopum, can. propter* VII. *qu.* I. Carthag. III. *can.* XXXVIII. *can. non licet. de consecr. dist.* IV. Hinc si quis Episcopus propria auctoritate ad aliam Ecclesiam migrauerit, & post monitionem ab ea discedere contemnat, per secularem potestatem depellendus est, Synod. Carthag. *can.* LII. apud Balsamon. Et ex epist. Damasi, ij qui ab Ecclesia sua ad aliam se transtulerint, à communione arceantur, quoad suam ad Ecclesiam redierint, Theodorit. lib. V. cap. XI. Translationes demum admissæ iustis ex causis, ob vtilitatem & necessitatem Ecclesiarum. *d. can. mutationes. d. can. temporis qualitas.* Ab initio in translatione Episcoporum non desiderabatur auctoritas Pontificis, sed translatio fiebat causa cognita ἐν πλείᾳ συνόδῳ, in Synodo perfecta prouinciæ, id est, plena Synodo præsentibus Metropolitano, & Episcopis totius prouinciæ, ex Conc. Antiochen. *can.* XVIII. *&* XXI. *can. si quis Episcopus* XCII. *dist. can. Episcopum* VII. *qu.* I. Carthag. IV. *can.* XXVII. *ead. caus. & quæst.* Gregorius Nazianzenus è Nazianzo, aut veriùs è Sasimis ad CP. sedem translatus, licèt ex iusta causa, & decreto complurium Episcoporum, cùm intelligeret quosdam sibi obstrepere, quasi minus solemniter translatus esset, vltrò se abdicauit; & hac occasione canon Nicænus sancitus est, *can.* II. Conc. Constantinopolitani I. ne quis Episcopus de vna ciuitate migraret ad aliam, vt refert Socrat. lib. V. cap. VIII. Abdicato Macedonio in Conc. Constantinopolitano Eudoxius Antiochenus Episcopus translatus est in Sedem CP. ex ipso Socrate lib. II. cap. XXXIII. & quod legitur in *d. can. mutationes*, translationes vetitas esse absque auctoritate Romani Pontificis, supposititium, & adulterinum est. Ea enim tempestate liberæ erant mutationes, quoties necessitas Ecclesiæ deposcebat ob furorem persecutionis, vt patet ex eodem Socrat. lib. V. cap. VIII. & lib. VII. cap. XXXV. Procedente tempore Patriarchæ ius translationum vsu suum fecerunt. Hoc iure Sylnanus Philippopolis, quæ est Thraciæ vrbs, Episcopus, ob frigidi cæli impatientiam Troadem translatus ab Attico CP. Socrat. d. lib. VII. cap. XXXV. memorantur, & à Socrate complura exempla translationum, quarum in vnica, nimirum in translatione Perigenis è Patrensi oppido in Corinthi metropolim, quæsita auctoritas Romani Pontificis. Alexander cuiusdam Cappadociæ vrbis Episcopus, à Narcisso Hierosolymitano Episcopo translatus, & in Episcopatu adiutor adscitus. Eusebio lib. VI. cap. IX. & Socrat. d. lib. VII. cap. XXXV. Euphronius Coloniensis Episcopus in Nicopolitanam Sedem, quæ erat metropolis, translatus inuitis Clericis suæ Ecclesiæ; hisque rem ægrè ferentibus, & iactantibus se prouocaturos ad tribunalia iudicum, Basilius eos hortatus vt acquiescerent, testis ipse epist. CCXCI. Amoto Nestorio Proclus Cyzicenus Episcopus repulsus prælato Maximiano, multis qui authoritate valebant eum respuentibus, ob canones quibus vetabantur translationes; sed altero pòst anno mortuo Maximiano, idem statim suffragante Theodosio iuniori collocatus est in sede Episcopali; & quod notandum, hac in re plurimum valuere litteræ Celestini Episcopi vrbis Romæ, quibus ferebatur nihil obstare, quominus vnius ciuitatis Episcopus ad aliam ex causa transferretur, author est idem Socrat. loco mox laudato. & Nicephor. lib. XIV. cap. XXXVII. In Oriente

post Nicænum Conc. frequentiores fuere translationes Episcoporum, in Occidente seriùs admissæ. Formosus Papa post mortem à Sergio successore damnatus, quod è Portuensi Episcopo Romanam Sedem exambiisset, Luitprando Ticinens. lib. I. cap. VIII. & Sigebert. ad ann. DCCCCXCVII. Notatur Manasses Arelatensis Episcopus, quod Hugonis Regis Italiæ gratiâ, dimissâ suâ Ecclesiâ Veronensem, Tridentinum, & Mantuanum Episcopatus occupasset; indéque Mediolanensem metropolim, sibi indulgens de exemplo D. Petri, qui de Antiochia Romam transiit, Luitprand. lib. IV. cap. V. Guicmanni Siccensis Episcopi in Ecclesiam Magdeburgensem à Friderico I. factam translationem reiecit Eugenius III. sed eum postea ratam habuit Anastasius proximus eius successor, ac eidem pallium concessit, Othoni Frisingensi lib. II. de gest. Frideric. cap. VIII. & X. Quid in Gallia? Sedi Apostolicæ id obsequij proniùs delatum, ne translationes fierent præter auctoritatem Sedis Apostolicæ. Frotharius Burdegalensis Episcopus, cùm in Pontigonensi Synodo petiisset se transferri in Bituricensem Ecclesiam, adducta hac causa, quòd sibi tutum non esset Burdegalæ ob infestationem Paganorum, Normannos intellige, non est auditus; & rursus frustra rem tentauit in Synodo Trecensi, vt narrat Continuator Aimonij lib. V. cap. XXXIII. & XXXVII. sed tandem Ioannes VIII. translationi adnuit, intercessione & gratia Caroli Calui, vt liquet ex epist. VIII. XIII. & XXXVII. ipsius Pontificis. Galo quoque è Beluacensi Episcopo in Parisiensem Sedem translatus, non sine auctoritate Pascalis II. testem habemus Iuonem Carnotens. epist. CXLIV. & CXLVI. Translationi Herueι Bangorensis Episcopi in Lexouiensem Ecclesiam fortiter intercessit Anselmus Cantuariensis, quòd deesset consensus Archiepiscopi & Episcoporum eiusdem prouinciæ, & Sedis Apostolicæ, vt testatur ipse epist. CXXVI. In Italia maximè hoc ius obseruantius inualuit, ne translatio Episcoporum fieret absque auctoritate Sedis Apostolicæ. reconciliationem Innocentij II. cum Mediolanensibus olim Petri Leonis fautoribus in schismate, hoc argumento probat Bernardus Clareuallensis, quòd Pontifex adnuisset translationi Episcopi; intellige Roboaldi Albensis Episcopi, in Archiepiscopum Mediolanensem. *Bene vobiscum*, inquit ille in epist. CXXXI. ad Mediolanenses, *facit Deus, bene vobiscum facit Romana Ecclesia, si voluistis licuisse vobis quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri Canones indicant, translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopum, concessum est.* In Oriente Patriarchæ translationum iure ægriùs abstinuere. Syria per Latinos Principes à Sarracenis recepta Antiochenus Patriarcha, etsi lubentiùs pareret Sedi Apostolicæ, vtpote vnus è Latinis, hoc ius tueri enixè non desiit. Nimirum Laurentius Antiochenus Patriarcha L. Apameensem electum nondum consecratum ad Tripolitanam Ecclesiam transtulit, secutus exemplum prædecessoris, qui propria auctoritate Mamistanensem Archiepiscopum in Tharsensem Archiepiscopatum transtulerat, re cognita Pontifex à Patriarcha factam translationem rescidit, ac eundem pœnæ causa ab Episcoporum confirmatione suspendit, ne successu facinoris similia patrandi audacia foueretur. & hæc est species *huius cap.* quod sumptum est ex Innocentio lib. I. epist. L. cui coniungenda ep. LI. & CCCCXCVIII. eiusdem libri. Translationis rescindendæ duplex fuit ratio. Prima quòd facta esset à Patriarcha sine consensu Romani Pontificis: solus Rom. Pontifex potest transferre Episcopum de sede ad sedem; Patriarcha id non potest. Secunda, quia translatio fuit facta de maiori ad minorem Ecclesiam; Apamiensis Archiepiscopus fuit translatus ad Episcopatum Tripolitanum, & nouo quodam mutationis genere minoratus, seu capite minutus. Translatio fieri debet de minori ad maiorem Ecclesiam, quia fit propter vtilitatem Ecclesiarum, non propter commodum personarum: in transitu ad maiorem Ecclesiam occurrit vtilitas Ecclesiæ, *cap. vlt. huius tit. cap. I. de Cleric. non resid.* quia Ecclesiæ interest ne idoneus ad maiorem Ecclesiam hæreat in minori. naturaliter translatio debet fieri de minori ad maiorem; maioribus honoribus functos ad minores deuocari rationis non est, *l. Maioribus, C. quemadm. ciuil. munera indic.* nec licet Episcopo descendere, cui semel à Domino dictum est, *amice ascende superiùs, Luc.* XIV. non licet migrare de maiori ad minorem, ne occasio detur ambitioni, & ne quis tædio tenuioris Episcopatus cogitet de pinguiori: & si quando de Episcopatu ad Episcopatum translatio indulgetur; hoc fit vtilitatis caussa: vt cùm Maurilius Nannetensis Episcopus ad Pictauiensem Ecclesiam translatus est, translationi assensit In-

nocent. III. quòd transferretur de minori ciuitate ad maiorem. *Vtile cognouimus*, ait ille lib. I. epist. CCCCLXXXVI. *& necessarium, vt de minori ciuitate ad maiorem, de populosa diœcesi ad populosiorem, & de nobili ad nobiliorem Ecclesiam Apostolica debeas auctoritate transire, vbi talentum tibi creditum domino tuo valeas reddere duplicatum.* Translatio à Patriarcha facta inconsulto Pontifice rescinditur, licèt Apamiensis electus nondum esset consecratus, quoniam is erat confirmatus, & post confirmationem Valiensem, lege Valeniensem, Episcopum confirmarat, & quatenus licebat Archiepiscopalibus functus erat. Certè à facto Patriarchæ aberat inuidia, quia hoc iure hactenus vsi erant Patriarchæ Orientis; & Patriarcha ipse secutus erat exemplum prædecessoris, qui propria auctoritate Mamistanensem Archiepiscopum in Tharsensem Archiepiscopum transtulerat. Insuper translatio facta fuerat de electo nondum consecrato, nec videbatur hic casus reseruatus Summo Pontifici; cùm nusquam, vt ait Innocentius ipse in hac specie d. epist. CCCCXCVIII. lib. I. expressum fuerit vsque ad nostra tempora de electo, quod de Episcopis fuerat institutum; quod & ab eodem repetitur iisdem verbis, *in cap. seq. hoc tit.* Videbatur absque iniuria Rom. Pontificis electus nondum consecratus à Patriarcha transferri ad aliam Ecclesiam, quia nondum coniugali vinculo alligatus erat Ecclesiæ: per electionem & confirmationem non contrahitur propriè vinculum coniugale inter electum & Ecclesiam, cùm in Canone Ecclesia dicatur viduata ante consecrationem electi, vt scribit Pontifex in *cap. sequent. hoc tit.* quo intelligitur *can. quoniam, C. dist.* sed translatio electi nondum consecrati reseruatur Summo Pontifici, quia exemplo carnalis coniugij spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, non potest dissolui nisi diuino iudicio: diuinum intelligitur, quod fit auctoritate Rom. Pontificis, tamquam Dei Vicarij, vt scribit Innocent. in *cap. seq. huius tit.* Per electionem & confirmationem coniugium spirituale contrahitur inter electum & Ecclesiam quoad quædam, puta quoad ea quæ sunt iurisdictionis, non quoad ea quæ sunt ordinis: & in hanc sententiam rectè Pontifex scribit in *cap. vlt. huius tit.* coniugium spirituale per electionem initiari, per confirmationem ratum effici, per consecrationem impleri.

CAPITVLVM II.

IDEM DECANO ET CAPITVLO ANDEGAVENSI.

INTER corporalia & spiritualia eam cognouimus differentiam, quòd corporalia faciliùs destruantur, quàm construantur. Spiritualia verò faciliùs construantur, quàm destruantur. Vnde iuxta Canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque à metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt, nisi per Rom. Pontif. condemnari. Cùm ergo fortius sit spirituale vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantùm iudicio reseruauerit dissoluendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugij, quod est inter virum & fœminam, suo tantùm iudicio reseruauit: præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo non separet. Non enim humana, sed potiùs diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Rom. Pontif. quem constat esse Vicarium Iesu Christi, Episcopus ab Ecclesia remouetur: & ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione Canonica, quàm institutione diuina, soli sunt Rom. Pontif. reseruata. Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Rom. Pontif. suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic & electus confirmatus: cùm non debeat in dubium reuocari, quin post electio-

nem & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium & electi coniugium ſit ſpirituale contractum, cui profectò Epiſcopalis dignitas nihil addit: cùm quis Epiſcopali præditus dignitate, nullius tamen Eccleſiæ poſſit eſſe Epiſcopus: quemadmodum de illo contingit, qui oneri Pontificali renunciat, non honori. Vnde cùm non ſit maius vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quàm electi, maximè cùm fuerit confirmatus, imò idem penitus & non aliud, idem iuris obtinet in vtroque. Sicut ergo Epiſcoporum tranſlatio, depoſitio, & ceſſio, ſic & electorum poſt confirmationem (ſpiritualis coniugij ratione) ſoli eſt Romano Pontifici reſeruata. licèt vſque ad tempora iſta, quod cautum fuerat de Epiſcopis, expreſſum non fuerat de electis: propter expreſſam tamen ſimilitudinem, vel identitatem potiùs nemini poterat videri dubium ſubtiliter intuenti: cùm de ſimilibus idem iudicium ſit habendum. Sed neque iſtud, quod in Canone legitur de electo, vt ſi vltra ſex menſes per ſuam negligentiam retinuerit Eccleſiam viduatam, nec ibi, nec alibi donum conſecrationis accipiat, imò Metropolitani ſui cedat iudicio: aliter intelligentibus poterat ſuffragari: cùm non intelligatur Eccleſia viduata, quaſi ſponſum non habeat, ſed quia ſponſus eius nondum ſit conſecratus, adhuc quoad quædam quaſi viri maneat ſolatio deſtituta: ſicut iuxta communem modum loquendi illa dicitur Eccleſia viduata, quæ licèt Epiſcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de ceſſione ſubſequitur, & ſtatutum fuit ad pœnam, trahi debet ad gratiam: vt ſicut Metropolitani iudicio electus deiicitur, ita etiam ad aliam Eccleſiam poſſit transferri, præſertim cùm nec ſine auctoritate Romani Pontificis fiat ceſſio vel deiectio memorata: qui vt hæc poſſent, ex illo Canone, Metropolitano, indulſit. Vnde ſi circa tranſlationem idem fieri voluiſſet, quod de ceſſione dixerat: de tranſlatione poterat expreſſiſſe: & quod non eſt Sanctorum Patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinuentionibus præſumendum: præſertim cùm nonnunquam intelligatur prohibitum, quod non inuenitur conceſſum. Sanè quoniam Turonen. Archiepiſcopus electum Abriecen. per Metropolitanum ſuum confirmatum, in Eccleſiam veſtram præter auctoritatem Sedis Apoſtolicæ transferre præſumpſit, & in Epiſcopum conſecrare, quem Rothomagen. Archiepiſcopus citra mandatum noſtrum abſoluit, & ei licentiam tribuit tranſeundi: prædictos Archiepiſcopos à conſecratione & confirmatione Pontificum, Epiſcopum verò ab executione Pontificalis officij, Bituricen. Archiepiſcopus iuxta mandati noſtri tenorem ſuſpendit. Et quamuis iidem Archiepiſcopi tanquam maiores plus exceſſerint in præmiſſis, præfatus verò Epiſcopus minus (vtpote illorum tanquam maiorum errorem ſecutus) nos tamen intellecta eorum confeſſione ſpontanea, & ſupplicatione deuota, veniam errori dedimus, quòd non ex malignitate, ſed ex ſimplicitate peccauerunt. Et quoniam præfatus Epiſcopus, qui minùs peccauerat, ſeueriùs fuerat caſtigatus, reatum ſuum recognoſcens humiliter & deuotè, ac miſericordiam poſtulans, & iudicium non requirens: nos intuentes, quòd licèt ſibi munus conſecrationis impenſum, nec prioris

Ecclesiæ ipsum Pontificem fecerit, nec secundæ, cùm ad primam non fuerit consecratus, & ad secundam (priori vinculo perdurante) non potuerit canonicè consecrari, adhuc coniugaliter alteri alligatus: ei tam à vinculo prioris Ecclesiæ, quàm à pœna suspensionis penitus absoluto, de benignitate Sedis Apostolicæ duximus concedendum, vt priori consensu hactenus perdurante, Andegauen. Ecclesiam studeat gubernare.

EIVSDEM argumenti est *cap.* II. *huius tit.* quod integrum extat apud Innocent. lib. I. epist. CXXVI. Vacante Andegauensi Ecclesia Willelmus de Chimelcio, ex Abrincensi electo confirmato postulatus est in Andegauensem Episcopum. Postulatum Turonensis Archiepiscopus sine auctoritate Sedis Apostolicæ, in Andegauensem Episcopatum transtulit, & consecrauit; & Rothomagensis Archiepiscopus eundem à vinculo quo tenebatur illigatus Abrincensi Ecclesiæ absoluit. His commotus Pontifex vtrumque Archiepiscopum suspendit à consecratione & confirmatione Episcoporum; Episcopum verò ab executione Pontificalis officij, quia quâ ratione consecratus Episcopus non potest transferri sine licentia Summi Pontificis, electus etiam confirmatus non potest; quòd per electionem & confirmationem spirituale coniugium contrahatur inter electum, & Ecclesiam. Non negat Pontifex quod cautum fuerat de Episcopis, nondum expressum fuisse de electis; ideo Pontifex mitiùs agit cum translato, & ex dispensatione indulget, vt Andegauensem Ecclesiam retineat. Idem iuris est in electo confirmato, quod in Episcopo consecrato, vt translatio fieri nequeat sine auctoritate Summi Pontificis; quia per electionem & confirmationem spirituale coniugium contrahitur inter electum & Ecclesiam: non impletur, sed contrahitur quoad quædam, puta quoad ea quæ sunt iurisdictionis: at exemplo carnalis coniugij spirituale non dissoluitur, nisi diuino iudicio seu Apostolico. non humanum, sed potiùs diuinum iudicium est iudicium Rom. Pontificis, quem certum est esse Vicarium Christi. Hac analogiâ Dei iudicium accipe pro iudicio Ecclesiæ, in *can. inter baptismales* XVI. *qu.* I. Ait Pontifex, quod cautum fuerat de Episcopis, ante hæc tempora non fuisse expressum de electis; tamen Innocentium huius iuris authorem non habemus. Proclus enim Cyzici Episcopus nominatus tantùm, repulsus dicitur à sede Constantinopolitana propter Canonem Ecclesiasticum, qui vetabat nominatum Episcopum de sede ad sedem transferri, Socrates lib. VII. cap. XXXIV. κανόνα ἐκκλησιαστικὸν κωλύειν, τὸν ὀνομασθέντα τινὸς πόλεως ἐπίσκοπον, εἰς ἑτέραν μεταφέρεσθαι πόλιν. *Canonem Ecclesiæ vetare Episcopum alicuius ciuitatis nominatum, ad alteram ciuitatem transferri.* Etsi electi confirmatio & consecratio pertineat ad Metropolitanum, electi & confirmati, nondum tamen consecrati, translatio est reseruata Summo Pontifici, tamquam vna è maioribus causis: nimirum inter corporalia & spiritualia hoc interest, quòd corporalia faciliùs destruuntur, quàm construuntur, spiritualia verò faciliùs construuntur, quàm destruuntur: vnde ex Canone Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest, vt scribit Pontifex initio huius cap. quod sumptum est ex *can. Episcopus* LXVII. *dist.* Ita verò translatio Episcoporum est propria Summo Pontifici, vt licèt ab initio non possit quis inuitus promoueri ad Episcopatum, *can. gesta, can. vbi ista didicisti* LXXIV. *dist.* tamen ex quo semel consensit, etiam inuitus potest transferri à Pontifice de vna Ecclesia ad aliam, vt existimant Hostiensis, & Ioannes Andreas in *cap. vlt. suprà, de postulat. prælat. ex can. scias frater.* VII. *qu.* I. Notatur Henricus III. Rex Anglorum, quòd Notuicensi Episcopo infensior fuerit, eo quòd consensisset postulationi, & translationi de se factæ in Wintoniensem Episcopatum; & quòd chirographum ab eo exigeret, se transferri numquam passurum, cùm etiam inuitus & renitens posset transferri à Pontifice. Matthæus Paris. ad ann. MCCXLI. *Nec voluit aliquo modo Rex, vt iureiurando affirmabat, à talibus grauaminibus desistere, nisi prædictus Episcopus chartam conficeret, quod numquam ad Episcopatum Vvintoniensem transferri se permitteret: quod omnino dissonum fuit rationi, & Episcopali contrarium professioni. Quia si dominus Papa in virtute obedientiæ id ei præciperet, nullo modo si filius esset obedientiæ, aliquatenus posset contradicere.*

CAPITVLVM III.

IDEM BAMBERGENSI EPISCOPO, ET PETRO SCHOLARI MAGVNTINEN.

QVANTO personam Hildesen. Episcopi:.·.·. Ipse verò relicta Hildesen. Ecclesia, ad Hiperbolen. Ecclesiam auctoritate propria se transtulit. Non attendens quod veritas in Euangelio protestatur. Quos Deus coniunxit, homo non separet. & potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit dominus & magister, quòd soli Beato Petro Vicario suo, & per ipsum successoribus suis speciali priuilegio tribuit, & concessit: sicut testatur antiquitas, cui Decreta Patrum sanxerunt reuerentiam exhibendam: & euidenter adserunt sacrorum Canonum sanctiones. Non enim homo, sed Deus separat, quos Rom. Pontif. (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel vtilitate pensata, non humana, sed diuina potiùs auctoritate dissoluit. ·.·.·. Ne autem facti peruersitas transeat præsumptoribus in exemplum (quod quidem, si verum est, non potest non esse notorium) sibi præcipimus vt administrationem Herbipo. Ecclesiæ penitus derelinquat: .·.·. Cæterùm quoniam Herbipo. Ecclesiæ Canonici vota sua in ipsum prorsus illicitè contulerunt, volentes (sicut dignum est) vt in eo puniantur, in quo peccauerunt, eligendi eos hac vice suspendimus potestate. ·.·.·. Quia verò Hildesen. Ecclesiam, cui fuerat alligatus, vnde (secundùm Apostolum) solutionem quærere non debebat, nimis improbè dereliquit: ne ad ipsam redeat vlteriùs, districtiùs prohibemus: cùm secundùm traditiones canonicas, qui ad maiorem se plebem transtulerit, à Cathedra repelli debeat aliena, & carere propria: vt nec illis præsideat, quos per superbiam spreuit, nec illis, quos per auaritiam concupiuit.

CAPITVLVM IV.

IDEM BAMBER. EPISCOPO, ET SCHOLASTICO MAGVNTINENSI.

LICET intantum: .·.·. Sicut legitimi matrimonij vinculum, quod est inter virum & vxorem, homo dissoluere nequit, Domino dicente in Euangelio: Quos Deus coniunxit, homo non separet: sic & spirituale fœdus coniugij, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate solui non potest, qui successor est Petri, & Vicarius Iesu Christi. Hoc autem C. quondam Hildesen. Episcopus non attendens, ad Herbipolen. Ecclesiam propria temeritate transiuit: .·.·.·. Nec illa præd. no. indulgentia præsumptionem excusat ipsius, sed ambitionem accusat: cùm in ea sit expressum: quòd si ad maiorem vocaretur forsitan dignitatem, eam sibi liceret adsumere, dum tamen nihil ei de statutis canonicis obuiaret. Vnde licèt forsitan aliquibus videatur, vt indulgentiæ occasione ipsius ad dignitatem possit transire maiorem, ad parem tamen ipsi transire non licuit: cùm in maiori dignitate propter maiorem vtilitatem faciliùs soleat dispensari.

pensari. Præterea cùm postulatio sicut & electio examinari soleat diligenter, & tenor illius indulgentiæ non solùm videatur postulationis examinationem, sed personæ etiam reseruare, subiungens dummodo nihil de canonicis obuiet institutis: antequam per eum postulatio examinata fuisset, cui fuerat facienda: nulla ratione debuerat transisse.

CAP. III. & IV. *huius tit.* coniungenda sunt, quorum prius sumptum est ex Innocent. III. lib. I. epist. CCCXXX. & posterius ex libr. II. epist. CCLXV. quibus etiam connecti debent *cap. illud. de maior. & obed. & cap. illud. de Cleric. excomm. minist.* quæ omnia pertinent ad eandem speciem, cui & illustrandæ multum proderunt Abbas Vrspergens. in gest. Philippi, & Othonis, Albert. Krantz. lib. VII Metrop. cap. IX. & XVII. & Trithemius in Chronic. Hirsaug. ad ann. MCCI. Horum capp. species hæc est. Vacante Herbipolensi Ecclesia, quæ & Wirtzburgensis appellatur, de qua hoc singulare tradit Albertus Argentinens. in Chronic. ciuitatenses seu plebeios in ea non admitti in Canonicos; Conradus Hildesemensis Episcopus, olim Cancellarius aulæ Imperialis sub Friderico I. à Canonicis Herbipolensibus postulatus est in Episcopum: eâ enim ætate plerique Episcopi ex aula assumebantur, Gunterus Ligutin. lib. III.

Curia sæpe suos Cathedræ transmittit alumnos.

Postulatus propriâ auctoritate, non obtentâ, nedum postulatâ licentiâ, à Romano Pontifice, Herbipolensem Ecclesiam occupauit, & temporalibus se immiscuit: contumacem Pontifex vtrâque Ecclesiâ multauit, & propriâ quam per superbiam spreuit, & alienâ quam per auaritiam concupiuit: ex Canonicis enim sanctionibus, qui ad maiorem se plebem transtulerit, & propriâ priuatur, & ab aliena repellitur, quod sumptum est ex *can. si quis Episcopus* VII. *qu.* I. Idem & Canonicos Herbipolenses, qui Conradum postulauerant, eligendi pro hac vice potestate priuauit; non eo quòd postulassent, haud quaquam illicita fuit postulatio, sed quòd eum recepissent ante admissam postulationem. Immo & Conradus ob contumaciam excommunicatus est à Magdeburgensi Archiepiscopo, ex mandato Pontificis, *d. cap. illud. de Cleric. excommunic. minist.* Conrado nihil profuit indulgentia, seu dispensatio quam à Celestino proximo decessore Innocentij obtinuerat, per quam ei tribuebatur facultas transeundi ad maiorem Ecclesiam, si fortè ad eam vocaretur; dispensato vt transiret ad maiorem, non licuit transire ad parem vel minorem: quamuis enim omnes Episcopatus dignitate pares existant, *can. legimus* XCIII. *dist.* tamen vna Ecclesia est maior alia in ordine Hierarchico, quatenus vna est subdita alij, vt Episcopalis Archiepiscopali; & standum est terminis dispensationis, quia priuilegium est stricti iuris, & tenor priuilegij spectandus est, *cap. porro. de priuileg.* Præterea dispensatio concessa erat sub clausula, dummodo nihil de Canonicis obuiaret institutis; vnde huiusmodi dispensatio desiderabat tam actus postulationis, quàm personæ examinationem, quæ defuit in hoc casu: Conradus enim expetitâ nedum obtentâ, confirmatione postulationis, Herbipolensem in Ecclesiam se intrusit. Meritò igitur nulla & irrita pronunciatur postulatio, & translatio Conradi, quòd facta esset sine auctoritate Summi Pontificis; quia translatio Episcoporum est vna è maioribus causis, quæ sunt reseruatæ Sedi Apostolicæ.

TIT. VIII. *De auctoritate, & vsu pallij.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. C. PRESBYTERO CARD. APOST. SED. LEGATO.

NISI specialis dilectio illa: .·.·. Sanè si postulatio Troiani Episcopi ad Panormitanam Ecclesiam fuisset per nos etiam adprobata, non tamen deberet se Archiepiscopum adpellare priùs, quàm à nobis pallium suscepisset, in quo Pontificalis officij plenitudo, cum Archie-

piſcopalis nominis adpellatione confertur. Tu ergo quod factum eſt, ſic ſtudeas palliare, vt id in confuſionem tuam, & Sedis Apoſt. opptobrium non redundet.

Quoniam ſi oporteat vt nos, vel tu, ex hoc negocio confundamur, eligemus potiùs te confundi, quàm lædamus Sedis Apoſt. dignitatem.

HVIVS cap. cui connecte *cap.* III. *&* IV. *infrà, de offic. legat.* ſpecies eſt huiuſmodi. Galterus Troianus Epiſcopus, & Regni Siciliæ Cancellarius (Troia eſt vrbs Epiſcopalis Regni Neapolitani) poſtulatus eſt ad Panormitanam Eccleſiam, quæ eſt metropolitana in Sicilia, & ad eandem tranſlatus à Sancio Cardinali, & Legato Sedis Apoſtolicæ in Sicilia; inconſulto Pontifice, quod à iure alienum fuit. Tranſlatio enim Epiſcoporum eſt vna è maioribus cauſis, quæ ſunt reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ; & fieri nequit à Legato ſine mandato ſpeciali Pontificis, *cap.* III. *&* IV. *infrà, de offi. legat.* Antequam huiuſmodi poſtulatio admiſſa fuiſſet à Pontifice, & pallium conceſſum, Galterus Archiepiſcopi nomen aſſumpſit, & tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus miniſtrauit. Re cognitâ Pontifex dignitatis Pontificiæ acerrimus propugnator Legato acriùs ſuccenſuit, iuſſitque vt quod geſtum erat ſic ſtuderet palliare, id eſt, emendare, vt id in probrum Sedis Apoſtolicæ non verteretur, vt oſtenditur *in hoc cap.* Interim Galtero ex ſingulari gratia conceſſit Pontifex, vt Panormitanæ Eccleſiæ procurationem gereret, tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. Quandoque à Summo Pontifice vacantibus Eccleſiis extra ordinem prouidetur per viam œconomatus, *can. illud* XII. *qu.* II. *cap. cùm nos. de off. ordinar.* vel per viam procurationis cum libera adminiſtratione, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, *cap. cùm nobis in fin. infrà, de elect.* Sed Galterus huiuſmodi gratiam ſpreuit, vnde ob contumaciam vtrâque Eccleſiâ & Panormitanâ, & Troianâ ſubmotus; quæ omnia referuntur in geſt. Innocent. III. pag. XVIII. XX. XXIV. Galterus arguitur, quòd Archiepiſcopum ſe geſſiſſet re & nomine, ante pallium ſuſceptum à Summo Pontifice; quia per pallium Archiepiſcopalis nominis appellatio, & Pontificalis officij plenitudo confertur, vt habetur *in hoc cap.* Vnde electus, vel poſtulatus & conſecratus antequam pallium acceperit, non poteſt ea quæ ſunt ordinis, vel iuriſdictionis exercere, puta Archiepiſcopi nomen aſſumere, Epiſcopos conſecrare, Clericos ordinare, chriſma conficere, dedicare baſilicas, Synodum celebrare, *cap. ſignificaſti, cap. quod ſicut, ſuprà, de elect.* Pallium eſt inſigne dignitatis Pontificiæ: etiam ciuiles magiſtratus ſua inſignia habuere, Chryſoſtom. in Marth. Homil. IV. τὰ μὲν γὰρ τῶν ἔξωθεν ἀξιώματα εἰκότως ἀπὸ τῶν ἔξωθεν περικειμένων τεκμηρίων ἐστὶ κατάδηλα· τὰ δ' ἡμέτερα, ἀπὸ τῆς ψυχῆς εἶναι γνώριμα χρή. *Nam ſecularium quidem decora dignitatum, conſequenter ab extrinſecus poſitis cernuntur inſignibus, noſtra verò intelligi oportet ex mentibus.* & hoc eſt quod honoris appellatione intelligit Vlpian. in *l. apud Labeonem*, §. *vnde quærit. ff. de iniur.* cùm ait magiſtratum non teneri iniuriarum, ſi ſeruum honorem, ornamentáque attemptantem cæciderit. Pallium eſt plenitudinis officij Pontificalis inſigne, *cap. bonæ memoriæ* XXIII. *de elect.* Ex lana non lino contextum; eſt enim typus ouiculæ illius quam Dominus & paſtor noſter aberrantem quæſiuit, & inuentam humeris reportauit. Iſidor. Peluſiot. lib. I. epiſt. CXXXVI. Id non modò eſt ornamentum, & inſigne dignitatis, ſed etiam inſigne poteſtatis. per conſecrationem Epiſcopus fit ſponſus Eccleſiæ, & Eccleſia deſinit eſſe viduata, *can. quamuis, C. diſt.* ſed non apiſcitur plenitudinem Pontificalis officij, antequam ei pallium tradatur. per conſecrationem Archiepiſcopus acquirit plenitudinem Pontificij poteſtate, non actu; quoad ordinem, non quoad executionem ordinis: quia ante pallij ſuſceptionem, Pontificalia munia obire prohibetur. alia ratione pallium eſt inſigne plenitudinis Pontificalis officij; quia in traditione pallij concedi ſolent priuilegia Eccleſiis, *can. rationis, C. diſt.* & concedendo pallium Pontifex ſolet concedere vices Apoſtolicas. Cyrillo Alexandrino Patriarchæ pallium miſit Celeſtinus I. idémque ei vices ſuas credidit, quibus fungeretur Epheſina in Synodo. Balſam. in Nomocan. Phot tit. VIII. cap. I. Et Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ vices ſuas in Illyrico commiſit Gregor. I. *can. pallium, C. diſt.* Pallium eſt inſigne plenitudinis Pontificalis officij, cum quo Archiepiſcopi nomen, & poteſtas confertur: vnde Archiepiſco-

palis infula dicitur, Frodoard. in Chronic. ad ann. DCCCXXIII. *Seulfo Archiepiscopo Archiepiscopalis infula, qua pallium nominatur, ab Iohanne Papa transmittitur.* Pallium, inquam, non modò est ornamentum & insigne dignitatis, sed & potestatis; vnde titulus hic inscribitur, *de vsu, & auctorit. Pallij.* His adde pallium esse symbolum confessionis, & vnionis cum Ecclesia Romana. Hinc pallium non datur, nisi post solemnem fidei professionem, *can. optatum, c. dist.* & pallium assumitur de B. Petri corpore, *cap. significasti, suprà, de elect.* id est, de altari S. Petri, sub quo quiescunt corpora SS. Apostolorum Petri & Pauli. Ita Radulpho Antiocheno Patriarchæ dimisso pallio, quod ipse sibi sumpserat de altari Antiochenæ Ecclesiæ, pallium traditum de corpore D. Petri. W. Tyrius lib. XI. de bell. sacr. cap. XIII. *Interea resignato pallio, quod idem Patriarcha, de altari Antiochena Ecclesia sua in sumpserat auctoritate, in iniuriam vt dicebatur Sedis Apostolica, & Cardinalibus tradito, aliud ei sumptum de corpore Beati Petri, more suo per priorem Diaconorum traditur.* Hac de causa Leandro Episcopo Hispalensi pallium ex benedictione S. Petri direxisse Gregorium I. refert Regino II. Chronic.

CAPITVLVM IV.

IDEM.

AD honorem Dei: .·.·. Sanè solus Rom. Pontifex in missarum solemniis pallio semper vtitur, & vbique: quoniam adsumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur. Alij autem eo nec semper, nec vbique, sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent vti diebus. Quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

AB initio solus Romanus Pontifex pallio vtebatur, quia id est insigne plenitudinis Pontificalis officij: postea id communicari cœpit Archiepiscopis, non ex Ecclesiæ instituto, sed ex consuetudine, vt signatur in *cap. significasti, suprà, de elect. in antiq.* Solus verò Rom. Pontifex semper, & vbique pallio vtitur in missarum solemniis; quia assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur, vt traditur *in hoc cap.* Aliis autem non semper, nec vbique permittitur pallio vti, sed dumtaxat in Ecclesia sua in qua habent iurisdictionem, & certis diebus quos gloss. hic enumerat; quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, vt subditur in calce *huius cap.* quod desumptum est ex *can. qui se scit* II. *qu.* VI. Quod dicitur hic solum Rom. Pontificem semper pallio vti in missarum solemnibus, recens est institutum: olim enim Archiepiscopus sine pallio missam celebrare vetabatur, Synod. Matisconens. II. *can.* VI. *Vt Archiepiscopus missas sine pallio non dicat.* Ex singulari priuilegio Agapitus II. Brunoni Coloniensi Archiepiscopo pallium misit, quo si vellet quotidie vteretur, authore Rotgero in ipsius vita apud Surium XI. Octobr. Hincmaro Rhemensi Episcopo Lotharij precibus pallium ad quotidianum vsum concessit Leo IV. id nulli se antè concessisse, vel deinceps concessurum obtestatus; teste Flodoard. lib. III. Rhemens. Hist. cap. X. Archiepiscopo demum non licet pallio vti nisi intra Ecclesiam suam; quod laxiùs intellige, non modò intra Ecclesiam Cathedralem, sed & intra quamlibet Ecclesiam prouinciæ suæ, *cap.* I. *hoc tit.*

CAPITVLVM V.

IDEM COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

EX tuarum tenore literarum accepimus, quòd cùm fuerit in concessione pallij tibi dictum, vt ipso intra Ecclesiam tuam vtereris: & tibi pro Ecclesiæ tuæ negociis frequenter extra tuam prouinciam commoranti, verecundum sit absque pallio ministrare (cùm consuetudo sit in

Hispania generalis, quòd Archiepiscopi extra suas prouincias, pallio indifferenter vtantur) vt extra tuam prouinciam vti pallio valeas, indulgeri tibi à Sede Apost. postulasti.

Licèt autem talis consuetudo dicenda sit potiùs corruptela, nos tamen de speciali gratia indulgemus tibi, vt si necessitate aliqua præpeditus, ad Ecclesiam tibi subiectam accedere fortè nequiueris pro consecrandis suffraganeis tuis, vel Clericis ordinandis, & ad Ecclesiam alienam propter hoc te contigerit declinare: dummodò is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat, vtendi pallio in iam dictis casibus liberam habeas facultatem.

CAPITVLVM VI.

IDEM.

CVM sis:.·.·. Vbicumque fueris in missarum celebrationibus constitutus: diebus solemnibus vsum pallij, per quod plenitudo Pontificij designatur, poteris liberiùs exercere.

TEMPORIBVS Innocentij III. tota ferè Compostellana prouincia à Sarracenis est recepta, vt testatur ipse in epist. quæ est directa Petro Compostellano Episcopo, *cap. super eo, infrà, de censib.* Hac occasione cùm Petrus Compostellanus Episcopus frequentiùs abesset extra prouinciam suam pro Ecclesiæ suæ negotiis, & graue ei esset absque pallio ministrare, postulauit ab Innocentio vt extra prouinciam suam, vti pallio ei liceret: ad mouendum Pontificem, in medium adducebatur consuetudo generalis Hispaniæ, quòd Archiepiscopi extra prouinciam indifferenter pallio vterentur. His motus Pontifex, licèt huiusmodi consuetudo dicenda esset potiùs corruptela, ex speciali gratia ei indulsit, vt pallio vti liceret in aliena Ecclesia, si fortè ad eam declinaret necessitate præpeditus suffraganeos consecrandi, vel proprios Clericos ordinandi causa, de consensu scilicet diœcesani. Episcopus enim extra suam diœcesim non potest ordines celebrare sine consensu ordinarij, *can. Episcopi* VII. *qu.* I. *can. nullus* IX. *qu.* II. Archiepiscopo non licet vti pallio extra prouinciam suam. Ita Celestinus III. in *cap. ad supplicationem, seq. tit.* cùm permisisset Ragusiensi Archiepiscopo ob vitæ periculum propriæ sedi renunciare, sanxit vt ille in Eboracensi Archiepiscopatu degens, proprio Metropolitæ subiaceret; & sic in Episcopali ornatu diuina perageret mysteria, vt tamen pallij vsu abstineret. Quod verò scriptum est *in cap.* V. *cùm sis.* vsum pallij vbicumque concedi Archiepiscopis, determinatur à iure, id est, intra quamlibet Ecclesiam suæ prouinciæ, *cap.* I. *cap. ex tuarum, hoc tit.*

TIT. IX. *De Renunciatione.*

CAPITVLVM VIII.

INNOCENTIVS III. NIDROSIEN. ARCHIEPISCOPO.

QVOD in dubiis.·.·. Hi prætetea, qui beneficium Ecclesiasticum sibi collatum spontè in manum laicam resignantes, illud denuo à laico susceperunt, eodem sunt beneficio spoliandi, licèt resignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem.

SICVT magistratus non potest se abdicare sine nutu & auctoritate Principis, ita vt abdicando se non amittat imperium, *l. legatus, ff. de off. præsid. l. vlt. C. de defens. ciuit.* sic & beneficiatus non potest renunciare beneficio, nisi in manibus collatoris;

& si renunciet coram alio, non amittit beneficium, *cap. admonet. cap. vlt. huius tit.* Speciale est odio laicorum, quòd etsi renunciatio beneficij facta in manibus laici sit nulla & irrita, tamen valet in pœnam renunciantis; ita vt qui in manu laici renunciauerit priuetur beneficio, vt ostenditur *in hoc cap.* quod ductum est ex Innocent. III. lib. I. ep. CCCCXVI. sicut nefarium est accipere beneficium de manu laici, *can. si quis deinceps* XVI. *qu.* VII. ita & renunciare beneficio in manibus eiusdem. Non obest quod in *can. Gonsaldus* XVII. *qu.* II. renunciatio beneficij facta proponitur in manu Aduocati; quia Aduocatus hic non est censendus pro merè laico. Aduocatus hoc loco est custos, seu defensor Ecclesiæ, cui ex consuetudine, vel priuilegio ius præsentandi competebat, de quo in *can. Saluator, qu.* III. *cap. præterea, cap. cùm autem, infrà, de iur. patron. cap. generali. de elect. in* VI.

CAPITVLVM IX.

IDEM EBORACEN. ARCHIEPISCOPO.

AD supplicationem Ragusien. Archiepiscopi, cum à cura, qua tenebatur Ecclesiæ Ragusien. duximus absoluendum, eo quòd ibi non poterat securè morari: & si accessum haberet ad illam, mortis sibi periculum imminebat: . ·. ·. Ne verò idem in vituperium ministerij nostri, defectum in rebus temporalibus patiatur: mandamus quatenus beneficium quod de liberalitate regia, ac concessione tua in Episcopatu Carleoli, & Ecclesia de Malebros est illi collatum, ad sustentationem conserues ipsius. Cui concessimus, vt in ipso Episcopatu, absque vsu pallij officium Episcopale valeat exercere, tibi tanquam Metropolitano reuerentiam & obedientiam impensurus.

HVIVS cap. species est huiusmodi. Ragusiensis Archiepiscopus ex iusta causa renunciauit Archiepiscopatui, de consensu Summi Pontificis, nempe ob ingruens vitæ periculum, & Ecclesiæ suæ vinculo solutus secessit in Angliam. Hic est Bernardus Ragusiensis Archiepiscopus, quem coronationi Ioannis Regis, & colloquio eiusdem cum Willelmo Rege Scotorum interfuisse memorat Roger. Houeden. in Iohanne. Eidem beneficium collatum de liberalitate Regia, & concessione Archiepiscopi Eboracensis in Episcopatu Carleoli, & Ecclesia de Malebron. Carleolum est sedes Episcopalis sub metropoli Eboracensi, de qua *in cap. cùm venissent, infrà, de institut. in antiqua.* & apud ipsum Houedenum in Henrico I. ad ann. MCXXXIV. In collatione beneficij opus fuit beneficio Principis, quòd Ragusiensis Archiepiscopus esset homo peregrinus: alienigenis beneficia conferri non possunt sine beneficio Principis, *cap. bonæ memoriæ* II. *de postul. Prælat.* vel quòd fortè speciali iure collatio beneficij spectaret ad Principem, quod à iure non abhorret, *cap. dilecto, infrà, de præbend.* Subditur ex concessione Metropolitani, quia etsi collatio beneficij spectet ad ordinarium, *can. omnes Basilicæ, can. nullus* XVI. *qu.* VII. conueniens fuit hoc casu Metropolitani consensum desiderari, ne in ipsius prouincia par in parem videretur extolli. Hinc fortè cùm Ragusiensis Archiepiscopus nonnihil controuersiæ pateretur super possessione beneficij, ne in opprobrium, & pudorem Ordinis egeret, Pontifex mandauit Archiepiscopo Eboracensi vt collatum beneficium ad sustentationem ei conseruaretur; necnon eidem Archiepiscopo Ragusiensi concessit, vt in Episcopatu Carleolensi, Episcopale officium liceret exercere absque vsu pallij, ita vt Eboracensi tamquam Metropolitano reuerentiam & obedientiam impenderet. Episcopi sede sua pulsi solebant in aliis vacantibus Ecclesiis incardinari, id est, in Presbyteros Cardinales constitui, vt patet ex variis locis Gregorij I. *can. fraternitatem* LXXI. *dist. can. Pastoralis* VII. *qu.* I. *can. relatio* XXI. *qu.* I. vel viciniorum Episcoporum ope foueri, & sustentari, vt de Quintiano Rutenensi Episcopo à Gothis sede sua depulso, eum ab Euphrasio Aruernensi Episcopo comiter susceptum, & sustentatum refert Gregor. Tur. lib. II. cap. XXXVI. & lib. III. cap. II. Nonnumquam & Episcopis qui hostili iniuria sedium

ſuarum damnum paſſi erant, ἀδελφᾶτα, ſeu præbendæ alimentariæ adſcribebantur in luculentioribus monaſteriis, ex Nou. Alexij Comnen. quam edidit Balſam. in can. XIX. Synod. VII. Iidem muneris & honoris Epiſcopalis expertes non fuere, ita vt Epiſcopalia eis exercere liceret, Synod. Ancyr. *can.* XVII. Antiochen. *can.* XVIII. Trullenſ. *can.* XXXVII. *can. ſi quis ordinatus. can. ſi quis Epiſcopus,* XIII. *diſt.* quod cautè velim intelligas, nimirum de conſenſu diœceſani Epiſcopi, vt rectè ſubmonuit Balſam. his locis.

CAPITVLVM X.

IDEM EPISCOPO ARELATENSI.

NISI cùm pridem: .·.·. Si in huiuſmodi ceſſione frugem tibi melioris vitæ promittis, ſcire te debes non eſſe ſanctificato in vtero ſanctiorem, & ideo non oportet te prædicationis iam ſuſceptæ deſerere miniſterium, cùm ille, cuius fieri baiulus recuſabat, tandem prædicandum receperit verbum Dei. Quòd ſi forſan humilitatis cauſa de culmine quæris Pontificali deſcendere, eo ipſo humilitatis videris eligere malè verticem, quòd te nimis in reſignandi propoſito exhibes pertinacem: quia tunc in te veram humilitatem cuſtodies, cùm & per eam locum ſublimem fugies, & per obedientiam non dimittes. Intueri te itaque volumus, quòd hæc ſunt illa, per quæ cedendi Epiſcopus licentiam poteſt poſtulare, conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, irregularitáſque perſonæ. ſed in his omnibus eſt obſeruanda cautela. Propter conſcientiam enim criminis, cedendi poteſt licentia poſtulari, & forſitan non cuiuſlibet, ſed duntaxat illius propter quod ipſius officij executio poſt peractam pœnitentiam impeditur: cùm ſi omnes quos arguit conſcientia cuiuſlibet culpæ cederent, pauci vel nulli in illo miniſterio remanerent: .·.·. Alia verò cauſa eſt debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex ſenectute procedit: nec tamen omnis, ſed illa ſolummodo per quam impotens redditur ad exequendum officium paſtorale. nam ſi pro qualibet corporali debilitate, ſuſceptæ ſeruitutis officium poſſet deſeri, fruſtra fateretur ſe Apoſtolus in ſuis infirmitatibus gloriari: cùm interdum non plus hortetur ſenilis debilitas aliquem cedere, quàm moralis maturitas (quæ in ſenibus eſſe ſolet) ipſum in ſuo ſuadet officio permanere. pro talibus enim de ſe dicit Apoſtolus: Cùm infirmor, tunc fortior ſum. quia nonnunquam corporis infirmitas, fortitudinem cordis augmentat. Pro defectu quoque ſcientiæ plerumque poteſt quis petere ceſſionem: quia cùm ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimùm neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna, Præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere in vtriſque, ſalubriter ei renunciat, ſi ſcientiam (in qua ipſam regat) ignorat. Tu enim (inquit Dominus) ſcientiam repuliſti, & ego te repellam ne Sacerdotio fungaris mihi. quanquam & ſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda: quia ſecundùm Apoſtolum, Scientia inflat, charitas autem ædificat: & ideo imperfectum ſcientiæ, poteſt ſupplere perfectio charitatis. Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Prælatus ab ipſius regimine declinare, quando plebs adeò duræ

ceruicis exiſtit, vt proficere nequeat apud ipſam, ſed propter eius duritiam, quo magis ſatagit, eò magis iuſto iudicio deficere permittatur: dicente Domino per Prophetam: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo: quia domus exaſperans eſt. Et Apoſtoli leguntur dixiſſe Iudæis: Ecce conuertimur ad gentes: quia verbi Dei vos indignos feciſtis. Non tamen pro qualibet culpa paſtor debet gregem deſerere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: ſed de Superioris licentia, tunc demum poteſt non tam timidè fugere, quàm prouidè declinare, cùm oues conuertuntur in lupos: & qui debuerant humiliter obedire, iam irreuocabiliter contradicunt. cùm etſi tales ſint grauiter pro crimine puniendi, ſunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi: quia ſanguinem elicit, qui nimis emungit. Pro graui quoque ſcandalo euitando (cùm aliter ſedari non poteſt) licet Epiſcopo petere ceſſionem: ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur adfectare ſalutem, memor illius quod dicit Apoſtolus: Si eſca ſcandalizauerit fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. Sed inter ſcandalum & ſcandalum eſt ſubtiliter diſtinguendum: ſic Dominus ipſe diſtinxit, cui cùm dixiſſent Apoſtoli: Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizantur? Reſpondit: Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Alibi verò dixit: Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Perſonæ verò irregularitas (vt ſi fortè ſit digamus, vel viduæ maritus) eſt cauſa, propter quam petere poteſt licentiam aliquis reſignandi, adteſtante Apoſtolo, qui dicit: Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum. Non tamen propter quamlibet irregularitatem perſonæ debet ei, qui regulariter miniſtrauit, cedendi licentia indulgeri, vtpote ſi de legitimo matrimonio non ſit natus: quia licèt irregularitatem huiuſmodi non potuerit ſubticere, ſi tamen & culpa latet & cauſa, cum eo, qui laudabiliter ſuum impleuit officium (iniuncta ſibi pœnitentia competenti) poteſt non minùs vtiliter, quàm miſericorditer diſpenſari. Ego ſum, inquit, Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios, vſque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me, id eſt, in illis qui contra me paternum odium imitantur. Vnde patet quòd illis, qui paterna vitia non ſequuntur, propriè poſſunt in talibus ſuffragari virtutes, illo diſcretionis adhibito modetamine, vt inter nothos & manzeres, naturales & ſpurios diſtinguatur. . . . Verùm ſi propter alias cauſas ceſſionem adfectes, non eſt in hoc tibi poſtulanti fauendum: cùm huiuſmodi poſtulatio videatur non eſſe diſcreta, quoniam (vt id tanquam notiſſimum omittamus, quòd ocioſitas & voluptas arma ſunt hoſtis antiqui ad miſeras animas captiuandas) propter laboris anguſtias, aut perſecutionis incurſus non debes deſerere ſponſam tuam, cui deſigendo manum apud extraneum te fide media copulaſti, ſciens quòd, Beati ſunt illi, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam cùm probati fuerint, accipient coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Sed dices: Spiritus vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat, & ideo non eſt, qui poſſit vias illius

Spiritus perscrutari. qui verò Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege: quoniam vbi Spiritus Dei, ibi libertas. quare si cedendi tibi licentia data ab homine non fuerit, nihilominus tamen cedes: quia data est tibi libertas cedendi à Deo. Certè desipis, si sic sapis. nam quomodo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit? si enim vera sunt, quæ præmisimus (imò quia indubitanter sunt vera) proculdubio contra Spiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem adtentat, quoniam ipse est Spiritus veritatis. Porro si dicas, quòd forsan alia est causa latens, propter quam cedendi voluntas tibi cælitus inspiratur: & nos si quidem respondemus, tu quomodo scis quòd talis inspiratio sit cælestis? nonne recolis quid ille gloriosus Pontifex dixit, cùm cœpisset viribus corporis repente destitui: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. illius exemplum secutus, qui dixit: Cupio dissolui, & esse cum Christo, manere autem in carne necessarium est propter vos: .·.·.

Quippe si quantocunque virtutum flore refulgeas, & in te non habeas charitatem, nihil te comprobaris habere. Nulla siquidem maior poterit esse charitas, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Cùm autem propter hanc te deceat animam tuam pro subditis tuis ponere, nulla occasione (dummodo proficere illis possis, & si non omnibus, tamen multis) ab eorum regimine te conuenit excusare: quoniam si laboris causam prætendis, exemplum te Apostoli subleuabit, qui suadet tibi laborem huiusmodi non refugere, dum se adserit pro communi salute plus cæteris laborasse, quia licèt non semper sequatur laborem effectus, nihilominus tamen ipse labor est meritorius apud Deum: iuxta quod legitur: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum: .·.·. Nec putes quòd ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima satagebat: quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: quoniam licèt illa sit magis secura, ista tamen est magis fructifera: & licèt illa sit magis suauis, hæc tamen magis vtilis: cùm in fœcunditate sobolis lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini sit prælata: quamuis simul in vnum & contemplatiuus esse valeas, & actiuus, Legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: nunc verò descendebat in castra, vt cum vtilitate maiori necessitatibus populi prouideret. quapropter faciliùs indulgetur vt ascendat monachus ad præsulatum, quàm Præsul ad monachatum descendat: .·.·. Monemus itaque vt laborem pastoralis regiminis non recuses, ne fortassis ad pedes suos cum Maria sperneret te accipere, qui sibi apud te diuertenti spreuisses cum Martha sollicita ministrare: .·.·. Quia verò in postulando cedendi licentiam institisti, tibi te duximus relinquendum, vt distinctis causis, propter quas cedere oporteat: si propter aliquam causam vtilem & honestam in huiusmodi proposito perseueres, de licentia nostra cedas: alioquin cedendi licentiam auctoritate Apostolica tibi scias esse penitus interdictam: quoniam si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem auolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, vt liberum non habeas absque nostra permissione volatum.

CAPI-

EPISCOPVS non poteſt cedere Epiſcopatu ſine iuſta cauſa, & de conſenſu Summi Pontificis, *cap. 1. ſuprà, hoc tit.* & fuſiùs in *hoc cap. licet. de regularib. can. denique* VI. *qu.* III. Ratio optima eſt, quia per electionem & conſecrationem inter Epiſcopum & Eccleſiam contrahitur coniugium ſpirituale, quod ſoluitur ſolummodo Dei iudicio, id eſt, ſententiâ Pontificis, qui Dei vices gerit in terris, *cap. quanto, ſuprà, de tranſlat. Epiſcop.* In hoc verò cap. percenſentur ſex cauſæ, quibus ceſſio Epiſcopatus admittenda eſt, nimirum hæ, conſcientia criminis, debilitas corporis, defectus ſcientiæ, malitia plebis, graue ſcandalum, & irregularitas perſonæ; ſed in his omnibus diligens eſt adhibenda cautela: ſingulas expendamus ſigillatim. Iuſta cauſa cedendi eſt conſcientia criminis, non cuiuſlibet, ſed huiuſmodi, propter quod executio Epiſcopalis officij, etiam poſt peractam pœnitentiam, impeditur, vt ſunt homicidium, maximè homicidium qualificatum quod vocatur aſſaſſinium, ſimonia, hæreſis, *can. miror* L. *diſt. cap. inquiſitionis. de accuſat. cap. vlt. de temp. ordinat. cap. inter. de purg. canonic. cap. 1. §. ſacri. de homicid. in* VI. Alia cedendi cauſa eſt debilitas corporis, quæ oritur, vel ex infirmitate, vel ſenio, non quælibet, ſed huiuſmodi per quam Epiſcopus impotens redditur ad exequendum Paſtorale officium, vt *in hoc cap. & cap. 1. ſuprà hoc tit. can. qualiter, can. quamuis triſte, can. petiiſti.* VII. *qu.* I. Ob cæcitatem Epiſcopatum abdicauit Hugo Dolenſis Epiſcopus coram Legatis Sedis Apoſtolicæ: Robert. Montenſ. in ſupplem. Sigebert. ad ann. MCLXII. *In capite ieiunij apud Cenomannos Hugo Archiepiſcopus Dolenſis cæcitate debilitatus, præſentibus Henrico Rege Anglorum, & duobus Legatis Romanæ Eccleſiæ Henrico de Piſis, & Vvillhelmo de Papia, reddidit Archiepiſcopatum.* De quo & in Chronic. Normann. ad ann. MCLX. Ob ætatem & molem corporis Epiſcopatu ceſſit Gaufridus Syluanectenſis Epiſcopus non ſine licentia Summi Pontificis, de quo Rigord. in geſt. Philippi Auguſti ad ann. MCCXIII. *Gaufridus Syluanectenſis Epiſcopus ſentiens ſe, tam ætate, quàm corpulentia ponderoſa inſufficientem oneri quod iam per* XXX. *annos portauerat, impetratâ à Summo Pontifice ſicut in iure cautum eſt licentiâ, renunciauit Epiſcopatui, & tranſtulit ſe ad monachos Karoli loci Ciſtercienſis Ordinis.* Ob infirmitatem, vel ætatem Epiſcopus non cogitur cedere, ſed ſi vltro non petat cedendi licentiam, etiam inuito datur Coadiutor. *cap. ex parte. de Cleric. ægrot. vel debilit.* Cauſa quoque cedendi eſt defectus ſcientiæ, quæ in Epiſcopo valde neceſſaria eſt in ſpiritualibus, & temporalibus. In Epiſcopo enim etſi deſideretur eminens ſcientia, competens toleratur, alioqui vix ad culmina dignitatum reperies viros eminentis ſcientiæ, *cap. venerabilis, infrà, de præbend.* Cedendi cauſa eſt etiam malitia plebis, quæ ita infenſo animo eſt erga Epiſcopum, vt ei conciliari non valeat, ne ſcilicet inuitis ſine fructu præſit Epiſcopus, *can. nullus inuitis* LXI. *diſt.* Ob huiuſmodi cauſam Martyrius Antiochenus Epiſcopus concione conuocata eiurauit Epiſcopatum, verbis hiſce memoria digniſſimis, *Clero rebelli, populo inobedienti, & Eccleſia contaminata nuncium remitto, ſeruata mihi Sacerdotij dignitate*, de quo Nicephor. Calliſt. lib. XV. cap. XXVIII. & Zonar. in Leone maiore. Ob moleſtias à Principe, & Capitulo illatas Epiſcopatum dimiſit Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus, quo à conſilio eum remouere niſus eſt Petrus Bleſenſ. epiſt. XLIV. ad eundem hac de re ſcripta. *Quòd ſi Principis indignationem, aut Capituli veſtri vexationem, aut alias huius vitæ moleſtias formidatis, & ideo pacem eligitis & quietem, hominem degeneris, & deiecti animi decet hæc facere* &c. Ob inſidias & periculum vitæ licentiam cedendi obtinuiſſe memoratur Raguſienſis Archiepiſcopus *in cap. prox.* Inter cedendi cauſas refertur & graue ſcandalum. Auguſtin. lib. II. contra Creſcon. cap. XI. *Denique nonnulli ſancta humilitate præditi viri propter quædam in ſe offendicula quibus piè religioſéque monebantur, Epiſcopatus officium, non ſolùm ſine culpa, verùm etiam cum laude poſuerunt.* Ob vitandum ſcandalum, & ſtudium pacis Gregorius Nazianzenus cùm intelligeret Ægyptios Epiſcopos non ferre tranſlationem ſuam quaſi factam contra Canones, vltro dimiſit ſedem Conſtantinopolitanam, habita priùs luculenta oratione ad CL. Epiſcopos, qui tam Conſtantinopoli conuocati erant, quæ inter eius opera extat, de non affectata Cathedra Conſtantinopolitana: de quo & Gregor. Presbyt. in eius vita, & ipſe in carmine de vita ſua, & Theodorit. lib. V. cap. VIII. Poſtrema cauſa cedendi eſt irregularitas perſonæ, puta ob digamiam, vel matrimonium contractum cum vidua. Non quælibet irregularitas præbet cauſam

cedendi, veluti defectus natalium; quia hoc casu potest dispensari, quod spectat ad solum Pontificem: solus Pontifex potest dispensare cum illegitimo, *cap. 1. de fil. Presbyt. in VI.* Episcopus verò non potest abdicare Episcopatum studio tranquillioris vitæ, vt ingrediatur monasterium, vt subiungitur *in hoc cap. & can. suggestum, can. Sciscitaris VII. qu. 1.* quia status Episcopalis est status perfectionis, Episcopo non licet descendere de maiori gradu ad minorem, *can. legimus* XCIII. *dist.* Nonnunquam tamen dispensat Pontifex, vt Adelpertum Sclauorum Episcopum, abdicato Episcopatu de licentia Summi Pontificis Cassinense monasterium ingressum refert Leo Ostiens. in Chronic. Cassinens. lib. II. cap. XVII. *Eodem tempore Adelpertus Sclauorum Episcopus relicto Episcopatu, ex licentia Romani Pontificis ad hoc monasterium venit.*

CAPITVLVM XI.

IDEM EPISCOPO FAVENTI IN ARCHIEPISCOPVM RAVEN. ELECTO.

POST translationem tuam ad Ecclesiam Rauennaten. cùm Præpositus & Canonici Fauentin. in I. eorum concanonicum liberam eligendi auctoritatem vnanimiter contulissent, ipse I. sancti Fridiani Lucan. Canonicum olim Episcopum Sartan. in Fauentin. Episcopum postulandum elegit. Porrò à sancti Fridiani Priore super hoc requisito & obtento consensu, Præpositus & alij postulationem eandem adprobari à nobis humiliter petierunt. Verùm postulationi huiusmodi videbatur Concilij Constantinopolitani capitulum obuiare, in quo statutum est, vt quicunque de Pontificali dignitate ad monachorum vitam & pœnitentiæ locum descenderit, nequaquam vlteriùs ad Pontificatum resurgat. vnde contra dictum Concilium (cùm sit vnum ex quatuor principalibus, quæ sicut quatuor Euangelia Ecclesia Catholica veneratur) nullatenus videbatur eorum postulatio admittenda. Cæterùm speciales quidam casus inueniuntur, in quibus (prædicto Concilio non obstante) is, qui vitam monachalem elegit, rursum licitè potest ad Episcopatum adsumi. si enim quisquam persecutionis rabie sæuiente, vel præpediente inualitudine corporis: cùm proficere nequeat in regimine Pastorali, de Superioris auctoritate ad monasticam vitam descendat: persecutionis vel ægritudinis impedimento cessante, ad Episcopalem poterit resurgere dignitatem. Item si quis propter literaturæ defectum (ne tanquam cæcus cæco ducatum præbeat) locum regiminis auctoritate Apostolica deserendo, ad ocium se contulerit monachale, ac per exercitium lectionis, scientiæ repererit margaritam, proculdubio poterit denuo vocatus à Domino Cathedram reascendere Pastoralem. Rursus, si quis cupiditate parentum (eo tamen penitus ignorante) fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto Episcopatum de licentia Superioris dimittens, obseruantiam elegerit regularem: etsi ad Episcopatum eundem redire postmodum nequeat, iuxta canonicas sanctiones, ad alium tamen poterit licitè readsumi. Quanquam autem in his & consimilibus casibus is, qui Episcopatu dimisso monasticam vitam elegit, resurgere valeat ad officium Pastorale, nihil tamen in his contra præscriptum intelligitur Concilium adtentari, quod in eo loquitur casu, cùm propter aliquod crimen Episcopatum quis deserens, ad vitam monasticam, pœnitentiæ causa, descendit. Vnde quidam in eo casu loqui dixerunt capitulum su-

prà dictum cùm quis pro crimine, de quo conuictus fuerat vel confesſus, ab Epiſcopali dignitate depoſitus in monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus: vel cùm aliquis propter graue crimen, pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtentâ licentiâ vitam monachalem elegit. Aliis adſerentibus ſic intelligendum eſſe Capitulum antedictum, vt per ſe reſurgere nequeat, id eſt repetere quaſi debitum, quod tali modo dimiſit, quanquam eligi poſſit, præſertim, ſi locum tantùm, & non ordinem reſignauit. Cùm ergo nobis conſtare nequiuerit, ob quam cauſam prædictus I. Epiſcopatui olim ceſſerit, mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quòd propter aliquam ex præmiſſis cauſis, ſeu conſimilibus, idem I. Epiſcopatui ceſſerit memorato, tu auctoritate noſtra (dummodo neceſſitas, vel vtilitas, id expoſcat) licentiam ei tribuas aſcendendi ad regimen Eccleſiæ Fauentinenſis, maximè ſi veritate ſubnititur, quòd dictus I. loco tantummodo ceſſerit memorato, & non ordini, vel etiam dignitati. tunc enim eſſet vehementiſſimè præſumendum, quòd non propter crimen aliquod ab ipſo commiſſum, ſed cauſâ pœnitentiæ ad vitam migrauerit regularem, præſertim cùm Apoſtolica Sedes poſt ceſſionem multo minùs, quàm antea permiſiſſet eidem tali crimine irretito, in Pontificali ordine miniſtrare, alioquin (cùm durum nimis extiterit, contra tam ſolemne conſilium huiuſmodi poſtulationem admittere) Præpoſito & Canonicis memoratis iniungas, vt aliam perſonam ſibi idoneam eligant in Paſtorem.

ANNO MCCVIII. extincto Egidio Rauennatenſi Archiepiſcopo, in eius locum poſtulatus eſt Hubaldus Epiſcopus Fauentinus, vt oſtenditur initio *huius cap.* & in ipſa inſcriptione, cui addendus eſt Hieronym. Rubeus lib. VI. Hiſt. Rauennat. Hoc pacto vacante Eccleſia Fauentina, Præpoſitus & Canonici eiuſdem Eccleſiæ in Ioannem vnum è Canonicis liberam eligendi poteſtatem vnanimiter contulerunt: dico vnanimiter, quia electio per compromiſſum fieri non poteſt, niſi omnes conſentiant, vt ſuprà adnotatum eſt, *cap. cùm dilectus. de elect.* Hic Ioannem S. Fridiani Lucanenſis Canonicum, intellige regularem, olim Epiſcopum Saſſinatem, ſic lege pro Sartanum, in Fauentinum Epiſcopum poſtulauit: qui enim potuit eligere, potuit poſtulare, *cap. in cauſis, ſuprà, de elect.* & ille poſtulandus fuit, non quatenus monachus, ſed quia erat Epiſcopus. Præpoſitus cum Capitulo, requiſito priùs & obtento Prioris S. Fridiani conſenſu, poſtulationem approbari petiit à Rom. Pontifice. Re agitata valde dubitauit Pontifex an poſtulationem confirmaret; poſtulationi obſtare videbatur *can.* II. Conc. Conſtantinopolitani, qui refertur hîc, & in *can. hoc nequaquam* VII. *qu.* I. ex quo ſi Epiſcopus dimiſſo Epiſcopatu ad monachiſmum & pœnitentiæ locum deſcenderit, vlterius non valet aſſurgere ad Epiſcopatum: vnde non videbatur poſtulatio admittenda contra Concilium, quod eſt vnum è quatuor œcumenicis, quæ vt quatuor Euangelia coluntur. Verùm ab hoc Canone excipiuntur certi caſus, quibus ſi Epiſcopus abiecto Epiſcopatu monachum profeſſus ſit, poteſt rurſus eligi ad Epiſcopatum; puta ſi Epiſcopatu ceſſerit ob perſecutionem, vel aduerſam valetudinem, rurſus poteſt redire ad Epiſcopatum. Renuncians beneficio ob infirmitatem, vel ingreſſum monaſterij, ſi conualuerit, vel propoſitum religionis mutauerit ante profeſſionem, recipit beneficium ſuum, *can. Gonſaldus* XVII. *qu.* II. *cap. beneficium. de regular. in* VI. Renunciatio beneficij facta ab ægro, vel ingreſſo monaſterium, tacitam habet conditionem, ſi mors vel profeſſio ſequatur; ac huiuſmodi renunciatio non incongruè comparatur donationi mortis cauſa, quæ reuocatur nuda pœnitentia, vel conualeſcentia, *l. qui mortis, ff. de mort. cauſ. donat. l. cùm quis* XII. *ff. de condict. cauſ. dat.* Vnde in-

gressus monasterium non debet renunciare beneficio, nisi de consensu Superioris, & sub professionem, nimirum duobus antè mensibus, Conc. Tridentin. *sess* xxv. *de regularib. cap.* xvi. Item si quis per simoniam à parentibus se ignorante commissam Episcopatum adeptus sit, & re comperta Episcopatum dimiserit labis purgandæ causa, & transierit ad monasterium; etsi ad eundem Episcopatum non habet regressum iuxta canonicas sanctiones, ad alium eligi non prohibetur: mitiùs agitur cum eo qui ignorans per simoniam culpa parentum beneficium adeptus est, etsi enim beneficium amittat ipso iure, tamen cum eo dispensari potest à Summo Pontifice vt id retineat, *can. præsentium* I. *qu.* v. *cap. ex insinuatione, cap. nobis. de simon.* His casibus non obstat can. Synodi Constantinopolitanæ, cuius casus specialis est de Episcopo qui dimisso Episcopatu propter delictum, transiit ad monasterium pœnitentiæ causâ; & hoc est quod insinuant verba illa Canonis, *& pœnitentiæ locum descenderit.* Vnde sunt qui existiment hunc Canonem accipiendum esse, cùm quis pro crimine, de quo conuictus, vel confessus est, Episcopatu depositus, pœnitentiæ causâ detrusus est in monasterium: vel cùm quis ob conscientiam occulti criminis vltro dimisso Episcopatu ex consensu Pontificis monasticam vitam elegit pœnitentiæ causâ. Aliis sic accipitur hic can. vt per se quis non repetat Episcopatum, quem hoc pacto dimisit, etsi ad eundem rursus eligi possit, maximè si locum tantùm non ordinem, id est, executionem ordinis resignauit. Aliquando renuncians Episcopatui renunciabat loco, id est, cathedræ non ordini, & dignitati; id est, renunciabat cathedræ saluo ordine, salua dignitate Episcopatus, non tamen liberam habebat executionem ordinis, seu Episcopalium, nisi vocatus vel rogatus ab Episcopis regionis, *cap.* I. *infrà, de ordinat. ab Episcop. cap. ad supplicationem, suprà, hoc tit.* Ita Martyrius Antiochenus abdicauit Episcopatum salua Sacerdotij dignitate, vt proximè obseruatum est; & Eustathius, cùm renunciasset Episcopatui, restitutus est in Synodo Ephesina, non quidem in sedem Episcopalem, sed in ordinem Episcopalem, id est, in nomen & honorem Episcopi, vt patet ex epist. Synod. Ephesinæ apud Balsamonem. Quia non constabat quânam ex causa prædictus I. cessisset Episcopatu, Pontifex mandauit Rauennatensi electo, tamquam Metropolitano, vt si ei constaret hunc Episcopatui renunciasse ob aliquam ex præmissis, vel consimilibus causis, tribuat ei licentiam transeundi ad Fauentinam Ecclesiam; maximè si loco tantùm cesserit, non ordini vel dignitati; quia hoc casu præsumitur eum, non ob delictum pœnitentiæ causâ, sed vltro studio sanctioris vitæ transiisse ad vitam regularem: alioquin, quia nimis durum esset, contra Concilium, postulationem admitti, iniungat Capitulo Fauentino vt alia persona idonea eligatur.

CAPITVLVM XII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

QVIDAM cedendi licentiam cum instantia postulantes, eâ obtentâ, cedere prætermittunt. Sed cùm in postulatione huiusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videatur propriam attendisse (quorum neutrum suasionibus aliquorum, quærentium quæ sua sunt, seu etiam leuitate qualibet nolumus impedire) eos ad cedendum decernimus compellendos.

QVI semel vltro renunciauit beneficio, non potest pœnitere, *can. quàm periculosum* VII. *qu.* I. *cap. ex transmissa, cap. in præsentia, hoc tit.* qui semel inquam renunciauit beneficio, non potest redire ad beneficium proprio iure, per viam regressus; remittentibus actiones suas non est dandus regressus, *l. quæritur, §. si venditor, ff. de Ædil. edict.* Idem tamen potest rursus eligi, vel de eodem beneficio inuestiri ex mandato Pontificis, etiam qui iuratus renunciauit, *cap.* II. *hoc tit. cap. ex insinuatione, infrà, de Simon.* Nec obest exceptio iurisiurandi, quia beneficium consequitur ex noua causa, ex nouo titulo. Qui semel quoque petiit licentiam cedendi, ex quo eam obtinuit, cedere compellitur, vt ostenditur in *hoc cap.* quod optima ratione constitutum est, ne illudatur Superiori. illusio & variatio maximè vitandæ sunt in personis Ecclesiasticis.

Clem. VII. *de renunc.* Eadem ratione vbi postulatio semel præsentata est Pontifici, postulantes ab ea recedere nequeunt, ne illudatur Pontifici, *cap. bonæ memoriæ* II. *de postulat. Prælator.* Renunciatio tamen reuocari potest re integra, id est, antequam admissa sit à Superiore, *d. Clem.* VII. beneficium non vacat per renunciationem, antequam admissa sit à Superiore.

TIT. X. *De supplenda negligentia Prælatorum.*

CAPITVLVM II.

SICVT nobis tua fraternitas intimauit, Monachi quidam & Canonici regulares Ecclesias, quæ ad præsentationem eorum pertinent, in tuo Episcopatu habentes, propriis vsibus deputare nituntur: nec volunt ad eas cùm vacauerint vocare personas: quin potiùs occasione concessionis quorumdam Episcoporum, Vicarios in eis pro sua instituunt & destituunt voluntate, admissos ita pensionibus onerantes, quòd nec Ecclesiis competenter possunt in paupertate nimia deseruire, nec Episcopo in Episcopalibus respondere, neque hospitalitatem (sicut conuenit) transeuntibus impertiri. Nolentes autem, vt status Ecclesiæ debitus & antiquus, per insolertiam alicuius subuertatur: mandamus, quatenus (nisi à iurisdictione tua exemptæ sint Ecclesiæ supradictæ) prædictos excessus studeas rationabiliter emendare. Et nisi prædictæ personæ intra tempus Lateranensis Concilij constitutum, ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas præsentauerint: extunc tibi liceat (adpellatione remota) in eisdem ordinare rectores, qui eis præesse nouerint & prodesse, ita tamen quòd ex hoc nullum patronis præiudicium in posterum generetur.

PERPERAM à collectoribus Clementi III. tribuitur hæc decretalis, reddenda enim est Innocentio III. vt patet ex registro ipsius lib. II. epist. V. vbi iisdem verbis editam inuenies inscriptam Episcopo S. Andreæ, is est in Scotia. Patrono laïco dantur quatuor menses ad præsentandum, patrono Ecclesiastico sex, *cap. cùm propter, cap. eam te decet, infrà, de iur. patronat. cap. vnic. eod. tit. in* VI. Quòd si patronus laicus, vel Ecclesiasticus cessauerint in præsentando intra tempus præscriptum, collatio libera deuoluitur ad Episcopum, vt ostenditur *in hoc cap. & d. cap. cùm propter, d. cap. eam te decet, & cap. quoniam, eod. tit.* Similiter si plures sint Patroni, & diuisis in diuersa votis in concordiam deduci nequeant, vel plures contendant de iure Patronatus, & lis non terminetur intra quadrimestre tempus, collatio itidem deuoluitur ad Episcopum, *d. cap. quoniam, & cap. cùm vos. de off. ordin.* quod optimè ratione constitutum est, ne diutius beneficia vacent, & ne ex mora, vel discordia Patronorum Ecclesia damnum patiatur.

CAPITVLVM III.

LICET magister H. & R. Procurator R. de Sancto Cadimundo, super Archidiaconatu Richemundiæ diutiùs litigauerint coram nobis:.·. Ne igitur ius nostrum negligere videamur, qui alios in sua iustitia confouemus: mandamus, quatenus si vobis constiterit Archidiaconatum Richemundiæ vacasse per annum (tempore semestri, quo vel ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum donatio pertinebat, non à vacatione, sed à notitia computato) cùm pro eo, quòd Eboracen. Archiepiscopus alium Superiorem non habet, ex tunc fuerat ad nos donatio deuoluta, vtrique super eo silentium imponatis.

ARCHIDIACONATVS Richemundiæ est dignitas post Decanatum primaria Ecclesiæ Eboracensis in Anglia, de qua celebris quæstio fuit variè agitata in *hoc cap. & cap. constitutus. de testibus. cap. cùm venissent. de institut. & cap. post electionem de concess. præbend.* & apud Roger. Houeden. in Ioanne. quàm pingue & luculentum sit beneficium, signat Matth. Parif. ad ann. MCCLV. *Eisdémque diebus obiit Ioannes Romanus Archidiaconus Richemundiæ, quamplurimis signatus, reditibus, & thesauris hominum auarissimus, vnus de nobilioribus Canonicis Eboracensis Ecclesiæ.* Vacante huiusmodi Archidiaconatu, quæ est species huius cap. Archiepiscopus Eboracensis eum contulit Honorio Clerico suo, & mandauit Capitulo vt ei stallum præberent, Decanus cui nomen fuit Simon Apulus, eum non admisit, hoc obtentu quòd in Archiepiscopi literis non fieret mentio de Decano; quod ratione non carebat, cùm etiam Pontificias literas moris sit dirigi Decano & Capitulo, *cap. cùm inter, suprà. de consuetud. cap. 4. de postulat. Prælat. cap. inter corporalia. de transl.* Capitulum verò eundem Archidiaconatum contulit Rogerio de Sancto Edmundo, quasi iure deuoluto ex Conc. Lateranensi, & priuilegio quodam Celestini III. ob cessationem & moram Archiepiscopi Eboracensis, qui seriùs eam dignitatem Honorio contulerat, nempe post sex menses, post quos mora purgari non potest, & collatio ipso iure nulla est, vt ostenditur *in hoc cap. & cap. seq.* De huiusmodi Archidiaconatu diutius certatum apud Summum Pontificem, ac quia ex Conc. Lateranensi Episcopo dantur sex menses ad conferendum; & si Episcopus cessauerit intra sex menses, collatio deuoluitur ad Capitulum; & vtroque cessante, ad proximum Superiorem, id est ad Metropolitanum; ac denique hoc quoque cessante, ad Romanum Pontificem, *cap. nulla, infrà, de concess. præbend.* quod tempus computatur non à die vacationis, sed à die notitiæ, *vt hic, & cap. quia diuersitatem, eod. tit. de concess. præbend.* & Capitulum hanc dignitatem seriùs contulerat, nempe post sex menses, collatione iam deuoluta ad Rom. Pontificem: Pontifex ne videatur ius suum contemnere, dum aliorum iura tuetur, rescripsit vt si constaret Archidiaconatum per annum vacasse, semestri tempore quo ad Archiepiscopum, vel ad Capitulum collatio pertinebat, non à die vacationis, sed à die notitiæ computando; quia ex eo ius conferendi deuolutum erat ad Romanum Pontificem, cùm deuolutio fiat gradatim ad proximum Superiorem, & Archiepiscopus Eboracensis alium non agnoscat Superiorem quàm Rom. Pontificem: vtrique, id est Honorio, & Rogerio silentium imponatur. Regulariter deuoluitur ab Ordinario ad proximum Superiorem, *cap. ne pro defectu, suprà, de elect.* negligentiam Prælati supplet Superior, *can. cùm simus* XX. *qu.* II. tamen collatio deuoluitur ab Episcopo ad Capitulum in casibus expressis à iure, vt *in hoc cap. & cap. cùm in cunctis, §. vlt. de elect. d. cap. nulla, & can. volumus* LXXXIX. *dist.* nec iniuriâ hoc casu negligentia Episcopi videtur suppleri, & emendari à se ipso; quia Capitulum vnum corpus constituit cum Episcopo, *cap. nouit, infrà, de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* collatio gradatim deuoluitur ad proximum Superiorem, *d. cap. nulla,* & in Pragmat. *tit. de collat. §. quod si quis, cuiuscumque verb. gratiam,* & in Concordat. *§. si quis verò. de collat.* quòd si proximus Superior sit exemptus, collatio deuoluitur ad Romanum Pontificem, vt probatur *hoc loco, & cap. cùm singula in fin. de prebend. in* VI.

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS MAGISTRO P. DE CASTRO NOVO, ET R. MONACHO Fontis frigidi Apostolicæ Sedis Legato.

LITERAS vestræ discretionis accepimus, quòd cùm in quibusdam Ecclesiis legationi vestræ subiectis quædam beneficia & dignitates tanto tempore vacauissent, quòd tam Prælati, quàm Capitula secundùm tenorem Lateranensis Concilij essent iure instituendi priuati: postquam aduentus vester innotuit, in beneficiis illis personas minùs idoneas instituere præsumpserunt: . . . Disc. v. mandamus, quatenus si

beneficia & dignitates noueritis personis idoneis adsignatas: & eas de patientia permittatis ab ipsis pacificè possideri: alioquin personas amouentes prorsus ab ipsis, eas de personis idoneis auctoritate nostra suffulti, non differatis quantocyus ordinare.

CAPITVLVM V.

IDEM EPISCOPO SAMO.

DILECTO filio P. tit. Sancti Marcellini Presbytero Card. S. & R. Procuratoribus P. & G. apud Sedem Apostolicam constitutis, auditore concesso: .·.·. Quia nobis constitit à Salamantino Decano & eius sequacibus, post elapsum sex mensium spacium, intra quod Episcopus & Capitulum (prout communiter spectabat ad eos) procedere ad electionem Cantoris neglexerant, electionem supradicti P. minùs canonicè celebratam, eandem decernimus irritam & inanem: & adpellationem à Decano & suis fautoribus interpositam, factum Archiepiscopi (ad quem iam erat eligendi auctoritas deuoluta) nequiuisse aliquatenus impedire: .·.·. Mandamus, quatenus nisi dicto G. aliquod canonicum obuiet: electionem de ipso factam, sublato adpellationis obstaculo, confirmetis.

IN beneficiis merè electiuis, purà Episcopatu, Abbatia, vel Prioratu conuentuali, electio debet fieri intra tres menses, *cap. ne pro defectu, suprà, de elect. can. postquam* L. *dist. can. obedientibus* LXIII. *dist.* & cessante Capitulo intra tres menses, electio deuoluitur ad proximum Superiorem, *d. cap. ne pro defectu*, quo derogatum est *cap. dilectus. de concess. prabend.* ex quo cessante Episcopo intra tres menses, electio Episcopi vel Abbatis non deuoluitur ad Metropolitanum; quia Concilium Lateranense non pertinet ad Episcopatus, vel Prælaturas regulares, sed ad minora beneficia Ecclesiastica. In beneficiis electiuis collatiuis, qualia sunt dignitates Cathedralium Ecclesiarum, quæ non sunt electiuæ de iure, sed ex priuilegio, vel consuetudine, *cap. dudum, suprà, de elect.* dantur sex menses ad eligendum, perinde ac in beneficiis collatiuis ex Conc. Lateranensi: & si ij ad quos spectat electio non eligunt intra sex menses, electio deuoluitur ad Superiorem: deuolutio fit ipso iure, & collatio facta post ius deuolutum ab inferiori est nulla, vt ostenditur in vtroque *hocce cap.* Posterioris species huiusmodi est. Vacante Cantoria Ecclesiæ Salamantinæ, cuius electio communiter spectabat ad Episcopum & Capitulum, elapso semestri tempore Decanus cum sequacibus, P. in Cantorem elegit; & mox appellauit, ne quid contra electionem tentaretur: Archiepiscopus Compostellanus iure deuoluto H. in Cantorem elegit; re perlata ad Sedem Apostolicam, Pontifex electionem factam à Decano & sequacibus irritam & inanem pronunciauit, vtpote factam post sex menses, eligendi iure iam deuoluto ad Superiorem; & electionem factam ab Archiepiscopo confirmauit, si nihil canonicum ei obstaret. Idémque iudicauit appellationem à Decano interpositam facto, id est, collationi Archiepiscopi ad quem iam deuoluta erat eligendi potestas, impedimento non fuisse; quia deuolutio fit ipso iure lapsu semestris temporis, & collatio facta ab Ordinario post ius deuolutum est nulla: ea vis est deuolutionis, vt non impediatur vel suspendatur per appellationem; quia fit ipso iure, id est, potestate legis, à qua appellare non licet, *l. si qua pœna. de reg. iur.* In huiusmodi beneficiis, quæ sunt impropriè electiua, post sex menses electio deuoluitur ad Superiorem, ex interpretatione Concil. Lateranensis: quod etsi cauerit tantùm de beneficiis collatiuis, iusta interpretatione porrigitur ad huiusmodi beneficia quæ electiua collatiua dicuntur; quia magis sunt collatiua, quàm electiua; eligendo enim conferuntur, & in his electio habet vim collationis, nec indiget confirmatione Superioris, *Cle. quia contingit*, §. *vt*

autem, suprà, de religios. domib. Vnde in his Pontifex solet vti præuentione, sicut in collatiuis, quia Pontifex est Ordinarius Ordinariorum, *cap. antiqua, infrà, de priuileg.* & concurrit cum quolibet ordinario collatore, *cap. si à sede. de præbend. in* VI. Non omittendum *hoc cap. pen.* integrum extare in ipso registro Innocentij XIII. epist. CLVII.

TIT. XI. *De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS III. ABBATI ET CONVENTVI CARILOCI.

EX parte vestra, nostro fuit Apo. referatum, quòd quidam monachus vester, se ad nigros monachos transferens, & habitum eorum adsumens, ad Sacerdotij ordinem in ipso habitu est promotus. Vnde quia dubitastis, vtrum in adsumpto taliter ordine ministrare debeat: Mandamus, quatenus (nisi canonicum aliud obuiet) ipsum monachum, officium Sacerdotis liberè exequi permittatis.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. lib. I. epist. CCXXXI. Huius species hæc est: Monachus professus monasterij Cari-loci. Duplex est in Gallia monasterium Cari-loci Cisterciensis Ordinis; vnum in Syluanectensi diœcesi, de quo in *cap. ex parte, suprà, de rescript. & cap. cum dilecti. de empt. & vendit.* alterum in Bisuntina diœcesi, de quo in vita Bernardi Clareuallens. lib. IV. cap. IV. *Venerat Pater Sanctus ad monasterium in diœcesi Bisuntina, cui nomen est Carus-locus.* & in epist. CXCVI. & seq. ipsius Bernardi: Monachus inquam professus monasterij Cari-loci Cisterciensis Ordinis, vtrum sit, vix est dicere, ad nigros monachos se transtulit, id est, ad Benedictinos. Nigri monachi sunt Benedictini, albi monachi sunt Cistercienses, quia hi alba, illi nigra veste vtuntur, vt *hîc, & cap. ex parte. de decim.* Petrus Cluniacens. in Apologia aduersus Cistercienses lib. I. epist. XXVIII. *Et vos sancti, vos singulares, vos in vniuerso orbe verè monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundùm nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis; vnde & habitum insoliti coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius ferè mundi monachorum inter nigros vos candidos ostentatis?* Translatus ad nigros ibidem in ipso habitu ad Sacerdotij ordinem promotus est, & postea rediit ad Cistercienses. Dubitatum est vtrum in suscepto ordine ei ministrare liceret. Consultus Pontifex respondit liberam ei esse executionem ordinis, nisi aliud canonicum obesset. Ratio subdubitandi erat, quòd Cisterciensis sese ad nigros monachos transferens, videretur apostatasse, quasi transiisset ad laxiorem religionem. Ea ætate Cistercienses districtioris disciplinæ studio Benedictinis præstabant. Quare Bernardus Clareuallens. Robertum nepotem suum, cùm à Cisterciensibus emigrasset Cluniacum, quasi præuaricatorem reuocare nisus est eleganti epistola, quæ est prima inter eius epist. Et Cistercienses odio erant Benedictinis, tamquam Samaritani Iudæis. Petrus Cellensis lib. VIII. epist. IX. *Fortè dicitis, quid ad te de Clareuallensibus, cùm Samaritani non coütantur Iudæis, & nigra Æthiopissæ facies, & vestis differat ab illa veste, & facie, quæ apparuit Apostolis in transfiguratione Domini?* Monacho autem non licet transire ad laxiorem religionem saltem sine venia Summi Pontificis, *cap. licet. de regular.* Monachum tamen à Benedictinis redeuntem ad Cistercienses, in susceptis apud Benedictinos ordinibus ministrare nihil vetat; quia ritè suscepti ordines; nec quicquam præclusit transitum ad Benedictinos: non arctior videri potest Cisterciensium religio, quàm Benedictinorum, cùm Cistercienses non aliam quàm B. Benedicti regulam profiteantur, & sint propagines Ordinis B. Benedicti.

CAPI-

CAPITVLVM XI.

IDEM C. PRESBYTERO CARDINALI, APOSTOL. SED. LEGATO.

QVOD ad translationem Pontificis: .·.·. Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd cùm Clericus Græcus, Episcopo Latino subiectus, à Græco Pontifice ordinatur: nisi de mandato vel licentia sui Episcopi fiat, interdicenda est ei ordinis executio sic suscepti, tanquam ab alieno Pontifice sine mandato vel licentia sui Episcopi ordinato. Si verò de mandato vel licentia sui Præsulis, à Græco Pontifice, secundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licèt culpandus sit Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco facit Antistite ordinari: quamdiu tamen talis mos ab Ecclesia toleratur, impediri non debet ab executione ordinum taliter susceptorum.

DIVERSI sunt ritus ordinationum inter Græcos & Latinos. Ex consuetudine Ecclesiæ Romanæ sacri ordines non conferuntur extra quatuor tempora; damnatúrque consuetudo Scotiæ & Walliæ, quæ inoleuerat, vt extra ieiunia quatuor temporum ordinationes fierent, in dedicationibus Ecclesiarum, vel altarium, *cap. 11. hoc tit.* Apud Græcos ex consuetudine sacri ordines passim quolibet die conferuntur, *cap. cùm secundum, hoc tit. in antiq.* Ideo Latini à Græcis, & Græci à Latinis suo quisque ritu ordinandi non sunt, ne inde oriatur commixtio & confusio rituum in ordinibus, *d. cap. cùm secundum.* Vbi Clerici Græci sunt subiecti Episcopo Latino, si Clericus Græcus Episcopo Latino subiectus ordinetur à Græco Antistite sine mandato & licentia sui Episcopi, ei interdicitur executione suscepti ordinis. Ordinatus à non suo Episcopo, recipit quidem characterem, sed non habet executionem ordinis, *can. Lugdunensis* IX. *qu.* II. Quòd si Clericus Græcus de licentia Ordinarij, ordinetur à Græco Antistite, culpandus est Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco Antistite Græco ritu facit ordinari; sed quamdiu toleratur talis consuetudo, ordinari non sunt impediendi ab executione ordinum susceptorum, vt ostenditur *in hoc cap.* Vbi etiam in eadem diœcesi commixti sunt varij populi, putà Græci & Latini, Episcopus si sit Latinus debet sibi constituere Vicarium Græcum Episcopum, qui Græcis ritu patrio ordines conferat, *cap. quoniam, infrà, de off. ordinar.*

CAPITVLVM XII.

IDEM MVTINENSI EPISCOPO.

CVM in distribuendis: ·.·.·. Meminimus à nobis fuisse suppliciter postulatum, & clementer indultum, vt quia præfatus A. Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus erat, mandaremus ipsum per Bononiensem Episcopum promoueri.

ORDINATIO à non suo Episcopo facta, irrita est ipso iure, *can. infrà, & seqq.* LXXI. *dist. can. nullum* IX. *qu.* II. Singulare est quòd de qualibet diœcesi Clericus ordinari potest à Summo Pontifice, *can. nunc verò, can. perprincipalem* IX. *qu.* III. Et semel ordinatus à Romano Pontifice, ad superiores ordines ab alio Episcopo promoueri non potest, vt ostenditur *in hoc cap.* Hoc iure Gregorius I. Epiphanium ab Helia Presbytero & Abbate missum, à se ordinatum retinuit, testis ipse lib. IV. epist. XXX. *in can. filium* I. *qu.* I. Sed quisquis semel in hac Ecclesia ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlteriùs licentiam non habet: inde querela Vrbani II. in Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, quòd Ioannem Clericum Ecclesiæ Romanæ monacha-

re, & ad altiores ordines promouere præsumpsisset, apud Anselmum lib. II. epist. XXXII. *Sanè monachum tuum Ioannem nostræ Ecclesiæ filium, apud nos retinere noluimus, super quo in vos querela Romana pendet Ecclesia, quòd ipsius Clericum monachare, & altioribus gradibus prouehere præsumpsisti.* Semel ordinatus à Summo Pontifice non potest recipere superiores ordines ab alio Antistite sine mandato ipsius Pontificis, propter reuerentiam Pontificis, post cuius manus impositionem, inferior suam imponere præsumere non debet; quo pacto ob reuerentiam Episcopalis dignitatis, in altari in quo Episcopus missam celebrauit, Presbyter eodem die missam celebrare prohibetur, *can. vlt. de consecr. dist.* II. Præcipui iuris est & illud, quòd inuitus potest ordinari à Pontifice. Iuo Carnorens. epist. CLXXVIII. ad Clerum Dolensem. *Si ergo studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestra declinare non vultis, non à nobis, sed à Summo Pontifice est quærendus, cui concessum est inuitos ad hæc officia cogere, & de volentibus, & de nolentibus Ecclesia Dei Pontifices ordinare.* Aliàs Episcopo inuitos ordinare non licet, *can. Episcopus, can. vbi ista* LXXIV. *dist.* Sanè Clerici volentes semel initiari, etiam inuiti ad altiores ordines promoueri possunt pro necessitate Ecclesiæ: *can. si qui. can. placuit. can. consuluit,* LXXIV. *dist.* Tamen id ex priuilegio indultum Trecensi Episcopo, vt Clericos suos pro necessitate Ecclesiæ ad maiores ordines inuitos promouere liceret; tradidit Innocent. noster lib. I. epist. CXC. *Clericos verò Ecclesiæ tuæ, quos necessitas postulauerit ad sacros ordines promoueri, secundùm priuilegium M. prædecessori tuo, & successoribus tuis, à felicis record. Alexandro PP. prædecessore nostro indultum, liceat tibi, si idonei fuerint, nec de canonica poterunt institutione repelli, ad eosdem ordines suscipiendos, secundùm Canonum instituta compellere; vel si inobedientes fuerint, animaduersionis Ecclesiasticæ sententia cogere, nisi contra hoc alicui fuerit Sedis Apostolicæ auctoritate indultum, vt ad suscipiendos ordines non cogatur.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM EIDEM ET MAGISTRO H. SVBDIACONO NOSTRO.

LITERAS vestras recepimus super inordinata ordinatione Immolensis electi, quem Bonon. Episcopus præcedenti sabbato in Diaconum, & sequenti die Dominico (continuato ieiunio) in Presbyterum ordinauit. In quo, quantum vterque deliquerit, euidenter intelligit, qui prudenter attendit. Si enim vtrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione, vnum ordinem vno die, & alium altero (ieiunio continuato) conferri: cùm propter continuationem ieiunij fictione canonica, siue manè diei Dominicæ trahatur ad sabbatum, siue vespera sabbati ad diem Dominicam referatur: profectò manè cum vespera, seu vespera cum manè ad eundem diem pertinere dicetur. nam si quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, manè ad vnum diem, & vespera referatur ad alium, cur esset continuatio ieiunij necessaria, cùm & sabbato ante cœnam, & Dominica ante prandium intelligantur esse ieiuni?

Præfatum itaque Bonon. Episcopum (vt puniatur in quo deliquit) à collatione ordinum, Diaconij scilicet & Presbyterij; alterum verò ab executione officij Sacerdotalis tandiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus.

ORDINES non conferuntur nisi seruatis interstitiis, *can. in singulis, & seq.* LXXVII. *dist. can. monachos* XVI. *qu.* I. Quàm longa interstitia obseruarentur in singulis ordinibus fidem faciunt iidem Canones, & Caro Presbyter apud Gregor. Turonens. lib. IV. cap. VI. *Nam & ipsos Clericatus gradus canonica sum semper institutione sorti-*

tus; Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministraui, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui; Presbyterij autem iam honore viginti annis potior: quid enim mihi nunc restat, nisi vt Episcopatum, quem fidelis seruitus promeretur accipiam? Hodie interstitiorum alia est ratio, & sacri ordines possunt conferri, seruato in singulis, anni interuallo; adeóque Episcopo licet dispensare in interstitiis, ex Conc. Trident. *sess.* XXIII. *de reform. cap.* XI. XIII. XIV. Duo etiam sacri ordines non conferuntur eodem die, vel duobus diebus consequentibus continuato ieiunio, quia fictione iuris duo dies pro vno habentur ob continuationem ieiunij; & sic ordinatus suspenditur ab executione ordinum, ordinator à collatione ordinum, donec à Pontifice eum eo dispensetur, vt docetur *in hoc cap. & cap. dilectus, infrà, hoc tit.* Etiam de mandato Metropolitani Episcopus non potest conferre duos sacros ordines eodem die, quia huiusmodi dispensatio minimè ei est permissa à Canone, *d. cap. dilectus*, & certum est Episcopum non posse dispensare, nisi in casibus expressis à iure, vt probat Hostiens. *in cap. nisi cùm pridem, suprà, de renunc. ex d. cap. dilectus.* Soli Romano Pontifici licet conferre omnes ordines eodem die extráque statuta tempora, *cap. de eo, suprà, hoc tit.*

TIT. XII. *De scrutinio in ordine faciendo.*

CAPITVLVM VNICVM.

EX parte tua fuit propositum: .·. ·. F. t. t. res. quòd cùm aliquem in Diaconum, vel Presbyterum promouemus, prior Diaconorum, qui nobis adsistit, dicit: Postulat sancta Mater Ecclesia hunc Diaconum vel Subdiaconum, ad onus Presbyteratus vel Diaconatus adsumi. & nobis interrogantibus, si eum cognouerit esse dignum, idem respondet, quòd quantum humana fragilitas nosse sinit, & scit, & testificatur illum ad huiusmodi onus officij esse dignum. Vnde in tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter illum adserit esse dignum, sed inquantum humana fragilitas nosse sinit: cùm illum, quem indignum esse non nouit, dignum debeat æstimare. Huiusmodi ergo responsione securè vti poteris, nisi fortè de indignitate tibi constiterit consecrandi. Si autem illum indignum esse cognoscis: Metropolitano (priùs quàm ad huiusmodi scrutinium veniatur) secretè studeas nunciare, vel intimare: quamuis nos interrogationem huiusmodi, non in consecratione Pontificis, sed in ordinatione Diaconi vel Presbyteri faciamus.

IN ordinatione Clericorum obseruatur scrutinium, id est, solemnis inquisitio de ætate, scientia, moribus, & idoneitate ordinandorum, *can. ordinationes* LXXV. *dist.* cuius formula statuitur in ordine Romano, & *in hoc cap.* cuius rubrica appositè inscribitur *de scrutinio in ordine faciendo.* Vnde ordinationes non fiebant ab Episcopo, nisi adhibito consilio Cleri, *can. reliqui* LXVII. *dist.* Cyprian. epist. v. ad Presbyteros & Diaconos de ordinationibus Clericorum, *Solemus vos antè consulere, & mores ac merita singulorum communi consilio ponderare.* Etiam ordinandorum nomina publicè proponi solebant, vt vnicuique de eorum vita & moribus referre liceret, quod è ritu Christianorum ab Alexandro Seuero assumptum dicitur ad magistratus ex Lampridio Seuero: tamen multis antè seculis de seligendis in Decurias iudicum inquisitionem factam per parietes, id est, secretò per priuatos parietes, testis mihi Plinius lib. XXIX. cap. I. *Decuria pro more censuris Principum examinantur, inquisitio per parietes agitur.* Cùm ordinationes fiunt à Romano Pontifice, prior Diaconorum, id est, Archidiaconus Ecclesiæ Romanæ interrogatur, an nouerit ordinandum esse dignum, & sufficit vt Archidiaconus respondeat illum esse dignum quantum humana fragilitas nosse sinit, vt

exponitur *in hoc cap.* & eò se refert auctor quæst. vtriusque testam. cap. c. *Sed testimonio*, inquit, *Diaconi fit Presbyter.* Et paulò pòst: *Ita & Diaconi creandis Presbyteris in obsequium mittuntur, vt dignos eos fieri Sacerdotes omnes intelligant.* Vnde & ordinandorum examinatio & præsentatio pertinet ad Archidiaconum, *cap. ad hæc, cap. vt nostrum, infrà, de off. Archidiac.* Hodie etiam ad sacros ordines non est quis promouendus sine testimonio Parochi, Conc. Trident. *sess.* XXIII. *de reform. cap.* V. *&* VII. Non peccat autem Archidiaconus, qui interrogatus an ordinandus dignus sit respondet esse dignum, si non nouit indignum, quia dignus præsumitur, qui non probatur indignus, vt subditur *in hoc cap.* vt idoneus quis præsumitur, si contrarium non probetur, *cap. vlt. infrà, de præsumpt.*

TIT. XIV. *De ætate, & qualit. & ordine præficiendorum.*

CAPITVLVM IX.

A Multis multoties an Subdiaconus in Episcopum eligi valeat, hæ-
» sitatur. Si quidem Vrbanus Papa primus decreuit, vt nullus in Epi-
» scopum, nisi in sacris ordinibus religiosè viuens inuentus fuerit, eliga-
» tur. sacros (inquit) ordines Diaconatum dicimus, & Presbyteratum. hos
» siquidem solos primitiua Ecclesia legitur habuisse. Subdiaconis verò
» (quia etiam ipsi ministrant altaribus) opportunitate exigente concedi-
» mus in Episcopos eligi, si tamen præclaræ scientiæ, ac religionis exi-
» stant. quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licen-
» tia fieri permittimus. In quibus verbis innuitur, quòd Vrbanus ad statum primitiuæ Ecclesiæ se referens, (in quo Subdiaconatus ordo sacer minimè dicebatur) instituit vt de Subdiacono (nisi vtilitatis causa, & tunc etiam de permissione Metropolitani, vel Romani Pontificis) non possit electio celebrari. Verùm cùm hodie Subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Vrbanus Papa II. sub his verbis expressit: Eru-
» bescant impij, & intelligant iudicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris or-
» dinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu, sunt positi: si castè non
» vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. Et ite-
» rum. Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo,
» aut probatæ castitatis existat, & qui vsque ad Subdiaconatum vnicam,
» & virginem habuit vxorem. Et ad similitudinem Diaconi & Presbyteri, Subdiaconus debet continentiam obseruare: sicut & in sexta Synodo constitutum est, vt si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali iure mulieri voluerit copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat. Et Beatus Gregorius statuisse legitur, vt nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se castè victurum promiserit. Nos volentes super hoc articulo disceptationis materiam amputare, statuimus, vt Subdiaconus in Episcopum valeat liberè eligi, sicut Diaconus vel Sacerdos.

CAPITVLVM VII. *Tit. de seru. non ordin.*

MIRAMVR non modicum, cùm certum sit in constitutionibus antiquorum, quando serui in gradus Ecclesiasticos ordinati, debeant in seruitutem vel non debeant reuocari: .·.·. De Subdiaconali ordine,

quia de eo non fit mentio in Patrum ſtatutis expreſsè, videtur nobis, quòd & is cum Diaconali gradu priuilegio gaudet eodem. Nam licèt ſacer ordo non reputaretur in Eccleſia primitiua, tamen à conſtitutione Gregorij atque Vrbani ſecundùm moderna tempora ſacer gradus eſſe minimè dubitatur.

OLIM Subdiaconatus non erat inter ſacros ordines, *can. non oportet, can. miniſtrum* XXIII. *diſt. & cap. miramur, infrà, de ſeru. non ordinand.* Eius rei varia argumenta ſunt: I. quòd Subdiaconatus non confertur per manuum impoſitionem, ſed per traditionem inſtrumentorum miniſterij, *can. Subdiaconus. ead. diſt. can. quia iuxta* V. *qu.* VI. II. quòd Subdiaconi potuere ordinari à Chorepiſcopis, *can.* X. Synodi Antiochenæ, *can. quamuis* LXVIII. *diſt.* III. quòd Subdiaconus non poterat olim eligi in Epiſcopum, niſi ex diſpenſatione Metropolitani, vel Pontificis, ob vtilitatem Eccleſiæ, ex conſtitutione Vrbani I. quæ refertur *in hoc cap.* & *in can. vlt.* LX. *diſt. can.* III. & IV. LXXIX. *diſt.* Sed ex quo Subdiaconatus redactus eſt in album ſacrorum ordinum, nimirum à conſtitut. Gregorij I. *can. nullum* XXVIII. *diſt. can. ante triennium* XXXI. *diſt. & d. cap. miramur.* Subdiaconus in Epiſcopum eligi poteſt, vt ſubditur *in hoc cap. & cap. auditis, ſuprà, de elect.* ita vt non conſecretur in Epiſcopum, antequam Presbyter initietur, quia Pontificale officium ſine altaris miniſterio non poteſt adimpleri, *cap. ex litteris, infrà, de exceſſ. Prælat.* Singulare fuit multis ſeculis in Eccleſia Alexandrina, vt Epiſcopus non legeretur, quàm ex ordine Presbyterorum: Hieronym. ad Euagr. *Nam & Alexandriæ, à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS TIT. S. CRVCIS PRESBYTERO CARDINALI.

TVAM in Domino diligentiam commendamus, quam ſuper monaſterio Sancti Quirici reformando dignoſceris adhibere. Mandamus, quatenus ſi non potes eidem monaſterio de perſona idonea meliùs prouidere, tu monachum illum, quem literis tuis de honeſtate ac induſtria commendaſti, per quem ſtatus eiuſdem loci creditur reformandus (nullum prorſus habens reſpectum ad petitionem illicitam, quam quidam laïci faciebant, ſed ex tuæ duntaxat prouiſionis officio) inſtituas in Abbatem: ita videlicet, quòd ad ſacros ordines non aſcendat, cùm inſtante neceſſitatis articulo poſſit in Abbatem adſumi, etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, & laïci memorati non ſint conſanguinitate, vel adfinitate coniuncti monacho memorato, vt ex ipſorum petitione debeat contra eum aliqua ſiniſtra ſuſpicio ſuboriri.

ANTE conſtitutionem Syricij monachi fuere extra Clerum, *can. monachos* XVI. *qu.* I. Ea ætate laïcus potuit Abbas fieri, *can. à Subdiacono* XCIII. *diſt.* Ex quo conſtitutione Syricij monachi allecti in Clerum, etiam in minoribus ordinibus poſitus, ex diſpenſatione poteſt in Abbatem aſſumi, ita vt ad ſacros ordines aſcendere non compellatur, vt probatur *in hoc cap.* ſed hic non poteſt minores ordines conferre, vel benedictionem impertiri, niſi ſit Presbyter, *can.* XIV. Synodi VII. *can. quoniam videamus* LXIX. *diſt.* Dixi, ex diſpenſatione conſtitutum in minoribus ordinibus, Abbatem fieri poſſe, quia regulariter hodie Abbas Presbyter eſſe debet, *cap.* I. *hoc tit. cap. Canonica, infrà, de ſentent. excommunic.* quòd habeat iuriſdictionem, & curam animarum, *cap. cùm in cunctis,* §. *inferiora, ſuprà, de elect.*

CAPITVLVM XI.

IDEM ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO.

CVM contingat interdum, quòd laïci ad monasteria conuolantes, à suis Abbatibus tonsurentur: requisiti, an Clericatus ordo in tonsura huiusmodi conferatur. Super hoc tibi t. respon. quòd cùm in VII. Synodo sit statutum, vt Lectores per manus impositionem licentia sit vnicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, dummodo ipsis ab Episcopo (secundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impositio facta noscatur, & constet eum existere Sacerdotem: per primam tonsuram, iuxta formam Ecclesiæ datam, à talibus Clericalis ordo confertur.

ABBAS si fuerit Presbyter & benedictus, potest conferre tonsuram, & alios minores ordines in proprio monasterio, vt probatur hîc ex *can.* XIV. Synodi VII. qui refertur in *can. quoniam videmus* LXIX. *dist.* ex quo Abbati licet per manus impositionem Lectorem facere in proprio monasterio. Hoc iure Gallum, postea Aruernensem Episcopum, ab Abbate Cremonensi in Clericum tonsum refert Gregor. Turonensis in eius vita apud Surium I. Iul. *Tunc Abbas ista nunciis referentibus puerum Clericum fecit.* Quod ait Canon in proprio monasterio, ita intellige, vt Abbas non aliis ordines minores conferat, quàm subditis regularibus; quod apertiùs definiit Conc. Trident. *sess.* XXIII. *de reform. cap.* X. Etiam Presbyteris olim licuit conferre primam tonsuram, vt colligitur ex eo quòd eisdem ius esset ordinandi Psalmistam, & Lectorem, *can. Psalmista* XXIII. *dist. cap. vt quisque, infrà, de vit. & honest. Cleric.* Eiusdem rei argumentum est quod Ammianus refert lib. XXII. Diodorum quendam à Iuliano iussum necati, quòd dum ædificandæ præesset Ecclesiæ circos puerorum licentiùs detondebat. Per primam tonsuram Clericalem ordinem conferre subditur in calce *huius cap.* non abs iure: per primam nimirum tonsuram, qui tonsuratur, in album Clericorum adscribitur, & fit capax beneficij Ecclesiastici, *cap. cùm adeò. de rescript. cap. ex litteris. de transact.* Hac ratione Græci tonsuræ signaculum vocant παπαλήθραν, id est, coronam Clericorum: minores enim Clerici iisdem πάπαι dictitantur, vt docet Balsamo in *can.* XXI. Synodi VI. in Trull. hoc pacto, & primam tonsuram primitias Clericatus, & signum Clericatus nuncupat Petrus Cellensis lib. VII. epist. XVI. *Præ cæteris hoc vnum ad præsens postulat, vt de manu vestra primitias Clericatus, id est, coronam accipiat; hoc etenim signo accepto magis se obligatum erga obsequium vestrum, non immeritò deinceps arbitrabitur, & vos tanquam plantæ vestræ bonum iure prouidebitis.* & idem epist. XVIII. eiusd. libri: *Habeat itaque vos Dominum, & signo Clericatus à vobis suscepto, patronum & auctorem huius ordinis habeat.* Quamuis Theologi aliter sentiant, nempe primam tonsuram non esse ordinem, sed dispositionem & præparationem ad ordines.

CAPITVLVM XII.

IDEM.

INTELLEXIMVS, quòd cùm in monasterio tuo fueris laudabiliter conuersatus, ad monasterium sancti Innocentij talis Ordinis accessisti: vbi cùm aliquandiu in ipso Ordine permansisses, demum ad cor reuersus, de Metropolitani & aliorum consilio ad primam domum redire curasti: in qua tandem sub regularis obseruantiæ disciplina taliter Deo & hominibus placuisti, quòd per tuorum exigentiam meritorum fratres tui præfecerunt te vnanimiter in Abbatem. Ne igitur occasione moræ,

quam in præscripto monasterio contraxisti (quasi conscientia tua te remordeat) in susceptæ administrationis cura tepescas, adtendens quòd cautum est in Canone, ne quis Canonicus regularis, nisi fortè publicè lapsus sit (quod absit) efficiatur monachus: & si factus fuerit, ad Canonicatus ordinem reuertatur vltimus in choro manendo, cucullam ad memoriam delaturus.

Dil. t. mandamus, quatenus circa curam tibi commissam sollicitudinem exercere studeas indefessam, & taliter sequentia bona continuare prioribus, quòd dignum à Deo possis meritum expectare.

SPECIES *huius cap.* quod integrius extat in regist. ipsius Innocentij XIII. epist. IV. huiusmodi est. R. Canonicus regularis monast. S. Martini Laudunensis Præmonstratensis Ordinis. Præmonstratenses sunt Canonici regulares positi sub regula B. Augustini, Roberto Montensi in Supplem. Sigeberti ad ann. MCXVI. & Iacob. à Vitriac. Hist. Occidental. cap. XXII. R. inquam Canonicus regularis, nescio qua de causa transiit ad monast. S. Vincentij Laudunensis nigri Ordinis, malè apud Raimundum legitur S. Innocentij. Deinde idem mutato consilio rediit ad prius monasterium, ac tandem in eo in Abbatem electus. Verùm religione motus an potuisset eligi ob transitum ad monachos, hac de re consuluit Pontificem. Pontifex consultus rescripsit, vt in Abbatis officio sedulò se gereret. Nihil mouit Pontificem quod cautum est in Canone, nimirum in decreto Vrbani II. quod refertur in *can. mandamus* XIX. *qu.* III. ne Canonicus regularis efficiatur monachus, nisi publicè lapsus fuerit, id est pœnitentiæ causa ob publicum lapsum. Quòd si monachus factus fuerit, ad Canonicum ordinem redeat, vltimus in choro mansurus, & cucullam in memoriam delaturus. Ex decreto Vrbani II. Canonicus regularis prohibetur fieri monachus, quòd Canonici religiosi non videantur à sanctorum Monachorum vita & consortio seiuncti, *can. præsens* XX. *qu.* III. Et si Canonicus regularis semel monachus factus, postea redeat ad suos, in pœnam leuitatis vltimus in choro locatur. Regradatio est pœna Canonica, *can. Presbyter* LXXXII. *dist. can. præcipimus* XCIII. *dist.* & apud Gregor. lib. I. epist. LXXXI. de quo fusiùs alio loco. Eidem cuculla memorialis imponitur in signaculum lapsus & moræ apud monachos, & huius distinctionis opprobrio Ernaldum, qui è Canonicis abierat ad monachos, & rursus ad Canonicos redierat, sanius facturum si in monachorum proposito mansisset, innuit Goffrid. Vindocinens. lib. II. epist. VIII. ad Iuonem Carnotensem olim Præpositum S. Quintini Beluacensis, & instauratorem Ordinis Canonicorum regularium B. Augustini. *Domnus Ernaldus, quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundùm iustitiam placuisset teste Flocello de capite suo, potiùs in nostra, quàm in vestra forte manere debuisset.* Idémque constitutum in Canonico S. Rufi, qui abiecto habitu Canonicorum regularium sine Abbatis licentia transierat ad monasterium Malleacense, vt ad Canonicum ordinem reuocaretur, ita vt ibi vltimus in choro staret & memorialem cucullam gestitaret, ex ipso Innocent. lib. II. epist. XI. Sed huiusmodi pœna remittitur, si eligatur ob merita in Abbatem; vel potiùs huiusmodi pœna habet suum modum, & postquam qui è monachis rediit ad Canonicos iusto pœnitentiæ tempore leuitatis maculam eluerit, non prohibetur eligi in Abbatem, si idoneus visus fuerit, quia leuitatis culpa mitiùs punitur.

CAPITVLVM XIII.

IDEM.

ACCEPIMVS, te nostris auribus intimante, quòd quidam Clerici, qui ad sacros ordines sine titulo sunt promoti, te ad Ecclesiam Bracaren. super beneficiis obtinendis infestant: .·.·. Licèt igitur in ordinationibus Clericorum illam tu ac prædecessores tui diligentiam de-

bueritis adhibere, vt minùs idonei non ordinatentur à vobis, ac ideo post promotionem eorum exceptionem non poteris prætendere contra illos, nisi fortè postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos: ex superabundanti tamen, quando scribere pro talibus nos oportet, facimus in literis nostris adponi, vt si ordinatus, pro quo scribimus, idoneus habeatur, & Ecclesiastico beneficio non indignus, ei ab ordinatore vel successore ipsius competens beneficium tribuatur, cùm & si tecum de iure agere vellemus, te possemus meritò ad prouisionem eorum compellere, quos à te vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eo præsertim quòd ad obtinendum Ecclesiasticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti. Vnde grauiter sustinere non debes, sed nobis potiùs deuotè inclinare teneris, si illos examinari per alios facimus, quos sine examinatione non credimus ordinatos, antequam ad prouisionem eorum te compellere velimus. Mandamus igitur, quatenus eis, pro quibus te contigerit recipere nostra mandata in forma communi, in maiori Ecclesia, vel aliis diœcesibus, Bracaren. prouidere non tardes. Exceptiones autem, si quas contra tales proposueris, præcipimus audiendas.

OLIM ordinatio nulla fiebat sine certo titulo, adeóque ordinatio facta absolutè ἀπολύτως sine titulo, erat inanis & irrita, ex Conc. Calchedonens. *can.* VI. & ex Conc. Placentino Vrbani II. *can. neminem. can. Sanctorum* LXX. *dist.* Hoc iure omnes Clerici locales erant, vt loquitur Conc. Valentin. Hispaniæ, *can.* VI. id est, certum locum seu titulum habebant, in quo collocabantur tempore ordinationis; & monstro penè simile erat videre Clericos sine titulo, & tales Acephali, id est, sine capite appellitabantur. Conc. Moguntin. I. can. XXII. *De Clericis vagis seu de Acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in seruitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica, vel regulari vita degentes, hos neque inter laicos secularium officiorum studia, neque inter Clericos religio tenet diuina* &c. Quem aliquantisper immutatis verbis ex Conc. Parisiensi laudauit Gratianus, *can. nulla* XCIII. *dist.* Vnde Clericum quendam ne Acephalus, id est, sine titulo abeat, Landensi Archiepisc. commendat Stephanus Tornacens. epist. CLIII. *Absit vt Acephalus exeat à vobis, & tamquam ventis expositus sine titulo Clericus, sine stipendio miles, sine solatio togatus discurrat, miraculum suis, spectaculum alienis.* vt Episcopum sine Cathedra, Acephalum appellitauit Adamus Bremens. lib. III. cap. XV. *Habuitque secum quendam Episcopum nomine Osmond Acephalum.* Hodie ordinatio sine titulo facta non est nulla & irrita, ex decreto Innocentij: sed si quis ordinatus fuerit sine titulo, ordinator, vel successor eius tenetur ei prouidere, id est, alimenta præstare, donec ei beneficium Ecclesiasticum conferat, ex *hoc cap. & cap. II. cap. Episcopus. cap. cùm secundum, infrà, de præbend.* Nec modò ordinans, sed etiam eius successor tenetur prouidere ordinato sine titulo. Non obest quòd successor in beneficio non tenetur luere æs alienum defuncti, nisi contractum sit in rem Ecclesiæ, *cap. quod in quibusdam, infrà, de fideiuss. cap. I. de solut.* Hoc enim specialiter constitutum est in gratiam ordinis, ne ordinatus absque titulo mendicare cogatur in opprobrium Cleri: ac stricto iure non potest se tueri contra ordinatum, opposita exceptione si non est idoneus. Idoneus ad beneficium Ecclesiasticum præsumitur, qui semel est ordinatus, quòd non præsumatur ordinatus sine examine; tamen ex æquitate canonica non tenetur ei beneficium conferre, nisi sit idoneus, vt subiicitur *in hoc cap. & d. cap. cùm secundum*, quia beneficia Ecclesiastica non sunt conferenda indignis, *cap. cùm adeò. de rescript.*

CAPI-

CAPITVLVM XIV.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

CVM sit ars artium regimen animarum, districtè præcipimus, vt Episcopi promouendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per seipsos, vel per alios idoneos viros super diuinis officiis, Ecclesiasticisque Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare. Quoniam si de cætero rudes, & ignaros ordinare præsumpserint, (quod quidem facilè poterit deprehendi) & ordinatores & ordinatos vltioni graui decernimus subiacere. Sanctius enim est (in ordinatione maximè Sacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foueam dilabuntur.

CLERICI non sunt ordinandi sine examine, *can. nullus, can. vlt.* XXIV. *dist. can. si qui* LXXXI. *dist.* Sed vt ordinandi ad examen paratiores se præsentent, ex Conc. generali Lateranensi, Episcopus per se, vel per alios idoneos viros, debet ordinandos diligenter instruere, & informare super diuinis officiis Ecclesiasticisque Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare, vt docetur *in hoc cap.* quo restituitur prisca disciplina. Olim enim mos viguit, vt ordinandi Presbyteris seu rectoribus Ecclesiarum, in Ecclesiastica disciplina instituendi traderentur, Conc. Vasens. *can.* II. vel etiam vt in monasterio educarentur, *can. priscis* LV. *dist.* & cùm Presbyteri ordinabantur solebat eis tradi libellus officialis, id est, codex diuinorum officiorum, ne rerum sacrarum imperiti ad suas Ecclesias accederent, ex Conc. Tolet. IV. *can.* XXV. *can. quando* XXXVIII. *dist.* & quandoque recèns ordinati ablegabantur in monasterium, Ecclesiasticæ disciplinæ ediscendæ causa. Gregor. Tur. lib. V. cap. XIV. *Post hac Meronethus cùm à patre in custodia retineretur, tonsuratus est, mutatáque veste, qua Clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cenomannicum quod vocatur Anisola dirigitur, vt ibi Sacerdotali erudiretur regula.* Ex hoc cap. ordinandi priùs diligenter instruendi sunt: optima ratione, cùm sit ars artium regimen animarum. Eadem ratione vsus est Iuo Carnotens. epist. XXXII. *Cùm ergo sit ars artium, onus onerum, regimen animarum.* Nec indigni ordinationem excusat penuria Clericorum; quia melius est pauciores bonos, quàm multos malos habere ministros, vt subditur *in hoc cap.* quod haustum est ex *can. tales* XXIII. *dist. can. monachus* LXXVII. *dist.* Multa tamen de iure remittuntur ob inopiam Clericorum; vt Clericus in villis quæ foris sunt, id est, ruri, potest duas Ecclesias regere ob inopiam Clericorum, *can. Clericus* XXI. *qu.* I.

TIT. XV. *De Sacra Unctione.*

CAPITVLVM VNICVM.

CVM venisset ad Apostolicam Sedem, Bracarensis Episcopus, qui in consecratione sua sanctam non acceperat vnctionem, quoniam apud vos non consueuerunt Pontifices cùm consecrantur inungi; nos quod illi defuerat, mandauimus in ipso suppleri, facientes caput eius & manus per Alban. Episcopum, (adsistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem Ecclesiasticum) sacro chrismate deliniri: ,·.·. Scire te volumus duas esse species vnctionis: exteriorem, quæ materialis est & visibilis: & interiorem, quæ spiritualis est & inuisibilis. Exteriore visibiliter inungitur corpus, interiore inuisibiliter inungitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait, Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini:

& oratio fidei saluabit infirmum. De secunda Ioannes Apostolus ait, Vos vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis: & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio vos docet, de omnibus ita faciatis. Vnctio visibilis & exterior, signum est interioris & inuisibilis vnctionis. Vnctio verò inuisibilis & interior, non solùm est signum, sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendum autem exteriorem & visibilem vnctionem, benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum vel infirmorum: & conficitur chrisma, quod ex oleo fit & balsamo, mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiæ designatur: iuxta quod legitur, Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Per balsamum, odor famæ exprimitur: propter quod dicitur, Sicut balsamum aromatizans, odorem dedi. Hoc ergo chrismate vngi debet Episcopus non tam in corpore, quàm in corde: vt & interiùs nitorem conscientiæ, quantum ad Deum, & exteriùs habeat odorem famæ quoad proximum. De nitore conscientiæ dicit Apostolus, Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. nam omnis gloria filiæ regis ab intus. De odore famæ idem Apostolus ait, Christi bonus odor sumus in omni loco, & aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: Debet enim Episcopus bonum habere testimonium, & ab his, qui sunt intus, & ab his, qui sunt foris, vt cortina cortinam trahat: & qui audit, dicat, veni. Hoc vnguento caput & manus Episcopi consecrentur. Per caput enim mens intelligitur, iuxta illud: Vnge caput tuum, & faciem tuam laua. Per manus opera intelliguntur, iuxta illud, Manus meæ distillauerunt myrrham. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, vt Episcopus operetur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Caput autem vngitur balsamo charitatis, vt Episcopus diligat Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente sua, & proximum suum sicut seipsum. Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, & manus propter ministerium & officium. Caput enim vngitur, vt ostendatur illius repræsentare personam: de quo dicitur per Prophetam: Sicut vnguentum in capite eius, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Caput enim viri Christus, caput Christi, Deus: qui de se dicit, Spiritus Domini super me, eo quòd vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Manus Episcopi inunguntur, vt ostendatur accipere potestatem benedicendi & consecrandi. Vnde cùm eas consecrator inungit, Consecrare, inquit, & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam vnctionem & per benedictionem nostram: vt quæcunque consecrauerint, consecrentur: & quæcunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini.

Vnde in veteri Testamento non solùm vngebatur Sacerdos, sed etiam Rex & Propheta: sicut in lib. Reg. Dominus præcepit Heliæ: Vade & reuertere in domum tuam per desertum in Damascum: cúmque peruenneris illuc, vnges Azabel in Regem super Syriam: & Iehu filium Nausi vnges in Regem super Israël. Helisæum autem filium Saphat, qui est de Abel, vnges Prophetam pro te. Sed vbi Iesus Nazarenus, quem vnxit

Deus Spiritu sancto (sicut habetur in Actib. Apost.) vnctus est oleo pietatis præ consortibus suis: qui secundùm Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius: Principis vnctio à capite ad brachium est translata, vt Princeps extunc non vngatur in capite, sed in brachio, siue humero, vel in armo, in quibus Principatus congruè designatur: iuxta illud, quod legitur, Factus est Principatus super humerum eius, &c. Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saül, cui dederat locum in capite ante eos, qui fuerant inuitati. In capite verò Pontificis sacramentalis est delinitio conseruata, quia personam capitis in Pontificali officio repræsentat. Refert autem inter Pontificis, & Principis vnctionem: quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur: vt ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem.

Quia verò Christus fecit nos in sanguine suo Deo nostro Regnum, & Sacerdotes (propter quod Apostolus ait: vos estis genus electum, regale Sacerdotium) idcirco in nouo Testamento non solùm Reges & Sacerdotes vnguntur, sed etiam omnes Christiani, bis ante baptismum, scilicet oleo benedicto: primùm in pectore, deinde inter scapulas: & bis post baptismum, scilicet chrismate sancto, primùm in vertice, demum in fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, vt per sancti Spiritus donum abiiciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam, quia iustus ex fide viuit. Inter scapulas, vt per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat: quia fides sine operibus mortua est: vt per fidei Sacramentum sit mundicia cogitationum in pectore, & per operis exercitium sit fortitudo laborum. In scapulis, quatenus fides per dilectionem, secundùm Apostolum operetur. In vertice verò baptizatus inungitur, vt sit paratus omni petenti de fide reddere rationem: quia per caput intelligitur mens, iuxta quod legitur: Oculi sapientis in capite eius, cuius superior pars est ratio, & inferior est sensualitas. vnde bene per verticem, quæ est superior pars capitis, intelligitur ratio, quæ est superior pars mentis. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur, quod credit: quia corde creditur ad iustitiam, ore verò fit confessio ad salutem: memor eius quod Dominus ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c. Ante baptismum ergo vngitur oleo benedicto: & post baptismum chrismate sancto, quia chrisma soli competit Christiano. Christus enim à chrismate dicitur, vel potius à Christo dicitur chrisma: non secundùm nominis formam, sed secundùm fidei rationem. A Christo verò Christiani dicuntur, tanquam vncti deriuentur ab vncto: vt omnes concurrant in odorem illius vnguenti, cuius nomen oleum est effusum.

Per frontis chrismationem, manus impositio designatur: quæ alio nomine dicitur confirmatio: quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur. vnde cùm cæteras vnctiones simplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur (quorum Vicarij sunt Episcopi) quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant:

quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cùm audissent, inquit, Apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem: qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. cuius aduentus per vnctionis ministerium designatur: quia columba in qua Spiritus sanctus super Christum in baptismo descendit, ad vesperum in cataclysmo reuertens, ramum retulit virentis oliuæ, cuius vtique Sacramentum Dauid Propheta prænoscens, exhilarandam faciem in oleo prædicauit.

Vngitur præterea, secundùm Ecclesiasticum morem, cùm consecratur altare, cùm dedicatur templum, cùm benedicitur calix, non solùm ex mandato legis diuinæ, verumetiam exemplo Beati Siluestri, qui cùm consecrabat altare, illud chrismate perungebat. præcepit enim Dominus Mosi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret testimonij tabernaculum, & arcam testamenti, mensámque cum vasis. Verùm vnctionis Sacramentum aliud quidem efficit, & figurat, tam in nouo, quàm in veteri Testamento. vnde non iudaïzat Ecclesia, cùm vnctionis celebrat Sacramentum, sicut antiqui mentiuntur, qui neque scripturas, neque Dei nouere virtutem. Monemus igitur vt illum in ordinandis Presbyteris, & consecrandis Episcopis morem serues, & facias obseruari, quem Apostolica Sedes obseruat: .·. ·. Licèt Romanus Pontifex non vtatur baculo Pastorali: tum propter historiam, tum propter mysticam rationem: tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris eo vti.

TIT. XVI. *De Sacramentis non iterandis.*

CAPITVLVM I.

PASTORALIS: .·. ·. Præterea nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatus adsumptus Et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus. Ad quod breuiter duximus respondendum, quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.

HVIVS cap. inscriptio quæ deest in collectione Decretalium, restituenda est ex gest. Innocent. III. ex quibus constat epistolam scriptam esse Archiepiscopo Trinonitano Primati totius Bulgariæ & Blachiæ: perperam glossa eam inscribit Patriarchæ Constantinopolitano. Acridam vrbem Pannoniæ II. natale solum de suo nomine Iustinianus, Iustinianen primam appellauit, & metropolim esse voluit totius regionis, quæ postea electa est Bulgaria; testatur ipse Iustinianus *Nov.* XI. & Gregoras lib. 11. Teruoli Episcopus vnus erat ex Episcopis, qui parebant Iustinianæ I. Archiepiscopo, à quo perpetuam is libertatem impetrauit, teste Gregora eodem loco. Hic idem qui Trinonitanus Episcopus, qui postea Archiepiscopus factus est, ac demum Primas totius Bulgariæ ab Innocent. III. vt patet ex literis, quæ extant inter eadem gesta ipsius Pontificis. Huius cap. species huiusmodi est, Brandiruberensis Episcopus (sic lege pro

Brachatensi) cùm in ordinatione non accepisset sacram vnctionem, ex consuetudine Bulgariæ, ex qua Episcopi cùm ordinabantur non solebant inungi, accessit ad Sedem Apostolicam. Pontifex iussit quod deerat suppleri, fecitque eum per Albanensem Episcopum, assistentibus ei duobus Episcopis, secundùm morem Ecclesiæ, sacro chrismate inungi, vt exponitur initio *huius cap.* Ratio dubitandi erat, quòd ordinatio sine vnctione celebrata est omnino nulla & irrita, & videtur in totum repetenda, quia nihil actum est, ex quo deest vnctio, quæ est caput ordinationis: nihil actum creditur, dum aliquid agendum superest, *l. contractus, C. de fid. instrum. l. pen. C. de his quib. vt indign.* In ordinatione quædam sunt de substantia actus, vt numerus trium consecrantium; quædam de solemnibus, vt manus impositio & vnctio: substantialia si omittantur, nihil actum est, & res de integro instauranda est, vt in baptismo, *cap. 1. infrà, de baptism.* Quòd si quid de solemnibus desit, omissum suppletur: solemnia ordinationis non iterantur, sed suppletur quod incautè, id est, per incuriam omissum est, *cap. 1. & vlt. infrà, de Sacrament. non iterand.* Solemnia quæ deerant vnctionis, Pontifex mandauit suppleri per tres Episcopos. De substantia enim ordinationis est, vt consecratio Episcopi fiat saltem à tribus Episcopis, *can. 1. & per tot.* LXIV. *dist. can. places* LXV. *dist.* Quorum vnus principaliter consecrat, & duo assistunt consecranti, vt obseruatur hoc loco, & in *cap. si Archiepiscopus cum seq. suprà, de temporib. ordinat.*

Ad §. Vnde in veteri, eiusdem cap.

Alia est vnctio Sacerdotum, seu Episcoporum, alia Principum. Episcopus inungitur in capite, & manibus; in capite propter auctoritatem & dignitatem, in manibus propter ministerium & officium; & hoc est quod ait Innocent. initio huius cap. *Caput inungitur propter auctoritatem & dignitatem, & manus propter ministerium & officium.* Episcopus inungitur chrismate quod conficitur ex oleo & balsamo. Vnctio Episcopi est sacramentalis & consecratoria: ordinatio Episcopi, & Presbyteri est Sacramentum; per eam imprimitur character indelebilis, ita vt quantumcumque degradatus Episcopus, vel Presbyter remaneat. Vnctio verò Principum fit in brachio dextro & humero, non in capite. In veteri Testamento Reges vngebantur in capite, & vnctio propria, & singularis fuit Regum Iudæorum. Augustin. in Psalm. XLIV. *Hoc nomen quod appellatur Christus vnctionis est, nec in aliquo alibi vngebantur Reges & Sacerdotes, nisi in illo regno, vbi Christus prophetabatur, & vngebatur, & vnde venturum erat Christi nomen, nusquam est alibi omnino in nulla gente, in nullo regno.* In nouo Testamento, hoc est à Christo nato, Reges vnguntur in brachio dextro & in humero, per quem Principatus designatur, iuxta illud Esaiæ, *Factus est Principatus super humerum eius*, & hoc est quod ait Innocent. in hoc §. Principis vnctio à capite ad brachium est translata, vt Princeps extunc non vngatur in capite, sed in brachio siue humero, vel in armo. Vnctio Principum non est Sacramentum, non imprimit characterem, sed est ceremonialis, & de ritu solemni; & Principes vnguntur, vt fiant augustiores & tutiores ab insidiis nefariorum; itidem Principes liniuntur oleo, non chrismate. Singulare est quòd Rex Francorum inungitur cælesti oleo. Ob cælestem vnctionem Regem Regum nuncupat Matthæus Paris in Henrico III. ad ann. MCCLIV. *Dominus Rex Francorum, qui terrestrium Rex Regum est, tum propter eius calestem inunctionem, cùm propter sui potestatem & militiæ eminentiam.* Etiam Reges Gothorum inunctos fuisse liquet ex can. 1. Concil. Tolet. XII. Seriùs vnctionem recepere Imperatores. Conradus eam non spreuit, sed quasi indignus non suscepit. Vitichind. lib. 1. rerum Saxonic. *Cúmque ei offerretur vnctio cum diademate à Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit: satis inquiens mihi est, vt præ maioribus meis Rex dicar, & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate; penes meliores verò nobis, vnctio & diadema sit; tanto honore nos indignos arbitramur.* Reges Anglorum inunctos etiam in capite nobis auctores sunt Rogerus Houedenus in Henrico II. ex epist. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi: *inunguntur enim Reges in tribus locis, in capite, in pectore & brachiis, quod significat gloriam, scientiam, & fortitudinem:* & Io. Froissard. scriptor vernaculus vol. IV. cap. CXIV. de inauguratione Henrici IV. *Et là deuant l'Autel fut deuestu de l'estat Royal, & là en present fut oingt & sacré en six lieux; c'est à sçauoir sur le chef, en la poictrine, sur les deux*

espaules, & derriere entre les deux espaules, & és mains: & puis on luy mit vn bonet sur son chef: & mox, *& là le Roy fut vestu des draps de l'Eglise, comme vn Diacre.*

A §. Quia verò, eiusdem cap.

Non modò Sacerdotes & Reges inunguntur, sed etiam omnes Christiani in baptismo, per quem fiunt compotes regni & sacerdotij; genus electum, regale Sacerdotium, vt exponirut *in hoc* §. inde laïci sunt genus Sacerdorum: Tertullian. in exhortat. ad castitatem: *Nonne & laïci Sacerdotes sumus.* & baptismum Sacerdotium laïci non inscitè appellat Hieronym. ad Euagrium, *Deponat Sacerdotium laici, id est, baptisma.* Christiani vnguntur ante baprismum oleo benedicto, & post baprismum sacro chrismate, nimirum in Confirmatione, quia vnctio chrismatis ad solum Christianum pertiner *ex hoc* §.

Ad §. Vngitur, eiusdem cap.

Frontis chrismationem quæ Confirmatio dicitur, non confert nisi Episcopus, quia per eam conferrur numen Spiritus sancti, ac de solis Apostolis quorum successores sunt Episcopi, legirur quòd per manus impositionem ab eis rraderetur Spiritus sanctus, vt docetur *hic, & cap. quanto, suprà, de consuetud.* vbi fusiùs hac de re. Alraria etiam vnctione chrismatis consecranrur, *vt hic, & can. altaria. & 11. de consecrat. dist.* 1. idque non solùm ex præcepto legis diuinæ, & exemplo B. Siluestri quem altaria non sine chrismatis vnctione consecrasse narrat hic Innocenr. Non sine vnctione & reliquiis Ecclesias consecrarunt & Græci, Balsamo in can. VII. Synod. VII. ἡ δὲ καθιέρωσις μετὰ τὸν ἀπαρτισμὸν τοῦ ναοῦ, ὅτε πλοῦνται τὰ ἐγκαίνια, τὰ ἀνοίξια, καὶ ὁ ἐνθρονισμὸς, καὶ ὁ ἅπας τούτου ἀπαρτισμὸς, ὑπὸ ἁγίου μύρου χειομένου, καὶ λείψανα μαρτυρικὰ ὑποδεχομένου. *Consecratio autem post templi perfectionem, quando fiunt encaenia & apertiones, & inthronizatio, & vniuersa eius perfectio, sacro chrismate inuncti, & Martyrum reliquias suscipientis.* Consecrationem Episcopi sequitur tradirio baculi Pastoralis, quia baculus est signum dignitaris Pastoralis, *can. nullus Episcopus. de consecr. dist.* 1. Vnde in degradatione demebatur, vt in degradatione Benedicti inuasoris, Leo VIII. legitur ei pallium discidisse, & baculum suffregisse, tamquam insignia Pontificatus. Regino II. Chronic. *Tunc Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo, eundem Benedictum Romana Sedis inuasorem, iudicio omnium ab inuaso gradu deposuit, & Pontificale pallium, quod sibi imposuerat abscidit, ferulámque Pastoralem manu eius abreptam coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris Diaconatus ei tantùm gradu vti concessit.* Et in degradarione Phorij ei ademptus est baculus in Synod. Constantinopolit. VIII. *act.* VII. & in restitutione Episcoporum eisdem reddebatur baculus, *can. Episcopus* XI. *qu.* III. Quia baculus est signum dignitaris Episcopalis, Episcopus non potest eo vri ante consecrationem; quod rectè insinuat Innocent. regiftr. XIII. ep. XLVII. vbi iubet demortuo Episcopo annulum & baculum Pastoralem seruari ad vsum successoris, cùm consecrationem acceperit: & Abbas non potest vti baculo ante benedictionem, Orderiaus Vitalis lib. x. ad ann. MXCIX. *Similiter Rogerius Sappensis plusquam septem annis fratribus præfuit; sed Episcopo pertinaciter resistente in suo sensu, Pastoralem cambutam non portauit.* Licèt in ordinatione Episcoporum & Presbyrerorum seruetur forma Ecclesiæ Romanæ, alia est ratio quoad vsum baculi Pastoralis. Rom. Pontifex non vtitur baculo Pastorali; rum propter historiam, id est, propter historiam quæ fertur de Marriale, suscitaro per baculum missum à Petro; rum propter mysticam rarionem, quia baculus Pastoralis est signum limiraræ iurisdictionis; Rom. autem Pontifex habet vniuersalem. Tamen Episcopi vrunrur baculo Pastorali, & hoc est quod ait Pontifex in calce huius cap. *Licèt Romanus Pontifex non vtatur baculo Pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem. tu tamen ad similitudinem aliorum Pontificum poteris vti.* Olim tamen Rom. Ponrificem vsum baculo Pastorali colligitur ex loco Reginonis modò laudato de Benedicti exauctoratione. Consecrationem Episcopi sequebatur eriam inuestitura Regalium, quæ fiebat à Principe per rradirionem annuli & baculi Pastoralis, Gu. Tyrio lib. 1. cap. XIII. Helmoldo Hist. Slauor. lib. 1. cap. LXX. & aliis. Inde in ordinatione Episcoporum du-

plicem baculum; nimirum ſpiritualem, quo curam Paſtoralem accipiunt, & temporalem, quo inueſtituram regalium accipiunt à Principe, agnoſcit Valtramus Naumburgenſis de inueſtitur. Epiſcopor. *Nihil refert, ſiue verbo, ſiue præcepto, ſiue baculo, ſiue alia re quam in manu tenuerit inueſtiat, aut introniZet Rex & Imperator Epiſcopum: quo die conſecrationis veniens annulum & baculum ponit ſuper altare, & in curam Paſtoralem ſingula accipit, à ſtola & authoritate S. Petri: ſed congruum magis eſt per baculum qui eſt duplex, id eſt, temporalis & ſpiritualis.*

TIT. XVII. *De filiis Presbyterorum ordinandis vel non.*

CAPITVLVM XV.

CVM decorem domus Dei: . . . Filiis Canonicorum præbendas in eiſdem Eccleſiis conferri non ſinatis, quarum ſunt Canonici patres eorum. Cùm indecorum ſit, vt in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo vnigenitus Dei Filius æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur.

CAPITVLVM XVI.

INNOCENTIVS III. IN CONCILIO GENERALI.

AD abolendam peſſimam (quæ in pluribus inoleuit Eccleſiis) corruptelam: Firmiter inhibemus, ne Canonicorum filij, maximè ſpurij, Canonici fiant in ſecularibus Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt patres eorum. Et ſi fuerit contrà præſumptum, decernimus non valere. Qui verò tales (vt dictum eſt) canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficiis ſuſpendantur.

FILIVS Presbyteri etiam legitimus non poteſt immediatè ſuccedere in beneficio paterno, *cap.* III. *cap. ad extirpandas, hoc tit.* & Conc. Trident. *ſeſſ.* XXV. *de reform. cap.* XV. Hanc corruptelam ſeculi deplorant, & Anſelmus lib. II. epiſt. XXXIII. *Canonici quidem & Presbyteri hoc illi* (Beluacenſi Epiſcopo) *faciunt, quia eos à prauis conſuetudinibus, & maximè à mulierum reproba conuerſatione vult prohibere, & filios eorum, ſiue quos ſibi ſecundùm placitum hæredes eligunt, à præbendarum hæreditaria ſucceſſione, atque à ſacrorum Ordinum promotione conatur arcere.* Et Io. Saresber. ep. XXVIII. *Inter cætera Eccleſiam de Effigeham, quam eis petente domino fundi donauit Dominus Vviaton, in iniuriam Apoſtolicæ maieſtatis, confuſionem ſanctorum Canonum, contulit cuidam publicano ferè laïco filio Sacerdotis, qui in eadem Eccleſia miniſtrauit.* Hinc religione motus Gregorius Nazianzenus Epiſcopalem Saſimorum ſedem dimiſit, quòd in ea patri ſucceſſiſſet, de quo ipſe epiſt. II. & Gregor. Presbyter in eius vit. Ne ſcilicet in beneficiis introducatur ſucceſſio hæreditaria, quam deteſtantur Canones, *can. Apoſtolica* VIII. *qu.* I. *& cap.* I. *infrà, de præbend.* Hildebertus Cenomannenſ. epiſt. LV. ad Aymericum Epiſcopum Claromontenſem. *Audiuimus autem, & vltrà quàm credi poſſit, admirati ſumus, in veſtra matre Eccleſia hæreditario iure Canonicas obtineri; pernicioſa hæc & exhæredans hæreditas: Canonici namque ſtipendium eſt gratiæ, non hæreditatis emolumentum. Perit autem gratia, vbi hæreditas principatur. Vnde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Eccleſia eſt, non Eccleſiam introire.* Et idem epiſt. LXVII. *Neque enim expedit prouinciæ noſtræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia conualeſcit, filios Sacerdotum paternis altaribus adhiberi, ne inceſtuoſi concubinatus crimen, ab ipſo, vel à nobis profuſa benignitate videatur indultum, nec ſpurcitiæ ſoboles ſanctuarium Domini, exemplo paternæ prauitatis inceſtet.* Filius legitimus Epiſcopi, id eſt, natus ante Sacerdotium, poteſt licitè ad ſacros ordines promoueri, & in eadem Eccleſia, cui præeſt, vel præfuit pater, beneficium obtinere, *cap. ad hæc, hoc tit.* Filius illegitimus

Canonici non potest in eadem Ecclesia, etiam aliam præbendam obtinere, *cap. cùm decorem, hoc tit.* De filio legitimo Canonici aliud dicendum videtur, *d. cap. ad hæc.* Tamen filium legitimum, & spurium hac in re eodem iure censeri tentatur, ex *cap. ad abolendam, hoc tit.* quo vetatur ne Canonicorum filij, maximè spurij, in eadem Ecclesia instituantur: etsi illegitimi sint deterioris conditionis quàm legitimi; tamen in hoc sunt eiusdem conditionis, quòd æquè arceantur à beneficio paterno. & simili ratione arcendi sunt, etiam ab alia præbenda in eadem Ecclesia, quòd præbendæ patris & filij licèt diuersæ sint, vnum & idem beneficium, & pars eiusdem corporis videntur, quòd delibentur ex vna & eadem mensa canonica. Capitulum enim est mensa canonica, sic notarunt veteres, ob communem vitam Clericorum, quæ fuit ab initio. Gregor. Tur. lib. x. cap. xxx. de Baudino Turonensi Episcopo. *Hic instituit mensam Canonicorum.* & idem de vit. Patrum cap. IX. apud Surium XIX. Nouemb. de S. Patroclo. *In oratione assidua ita promptus efficiebatur, vt nec ad conuiuium mensæ canonicæ cum reliquis accederet Clericis.* Tamen verius est legitimos non arceri ab alia præbenda in eadem Ecclesia, sed solùm spurios; & dictio, maximè, in *d. cap. ad abolendam*, accipitur pro tantùm, ita vt soli spurij prohibeantur, vt rectè glossa interpretatur. Asperiùs agitur cum illegitimis, vt incontinentia patris coërceatur, & vt tollatur scandalum, cùm indecorum sit, vt illegitimus ministret in eadem Ecclesia in qua pater, *d. cap. cùm decorem*, imprimis vt tolleretur pessima corruptela, quæ in pluribus inoleuerat Ecclesiis, vt Canonicorum filij, præsertim spurij, admitterentur in eadem Ecclesia, in alia præbenda; quæ est ratio *d. cap. ad abolendam.* Quod dicitur, filios illegitimos Canonicorum non admitti in eadem Ecclesia, etiam in alia præbenda, verum est in secularibus Ecclesiis, vt signanter proditum est in *d. cap. ad abolendam*; quia in regularibus Ecclesiis, in eodem monasterio vel Canonia regulari, nihil vetat patrem & filium simul admitti: etiam illegitimi admittuntur ad monachismum, & per professionem legitimantur quoad ordines & minora beneficia, ex Conc. Pictauiensi, *cap.* I. *hoc tit.* & ex Conc. Claromontensi apud Matth. Paris ad ann. MXCV. quod transfusum in constitutionem Vrbani II. *can. eos qui*, I. *qu.* V. quòd professio monastica detergat omnem maculam, Nou. Iustiniani V. Nec est incongruum, patrem & filium esse monachos, vel Canonicos regulares in eodem monasterio, quia monachatus, seu portiones monachales non sunt beneficia, sed ἀδέλφατα, id est, alimenta, Balsamoni in *can.* XIX. Synodi VII. Solus autem Summus Pontifex potest dispensare cum illegitimis quoad ordines & beneficia, *cap. vlt. huius tit. can. Cænomannensem* LVI. *dist.* quia soli Pontifici licet dispensare contra Concilium, *cap. significasti, suprà, de elect.* Haud tamen moribus nostris potest Pontifex derogare statutis Ecclesiarum, ex quibus illegitimi arceantur, vt in Ecclesia Carnotensi. Iuo Carnotens. epist. CXLVII. *Iam enim tandem crebris persuasionibus, publicis & priuatis precibus, multa mora, multa lima, ad hoc Carnotensium Clericorum corda, Deo donante, inflexi mus, quatenus apud paternitatem vestram fideliter intercedant, vt conditionarios de familia Carnotensis Comitis, qui de legitimo coniugio nati fuerint, & regios fiscatinos pro quibus similis perturbatio fieri posset, de priuilegio quod eidem Ecclesiæ fecistis de non admittendis conditionariis excipiatis, & in eundem statum, in quo erant ante priuilegium redire iubeatis.* Et in aliis Ecclesiis Gallicanis Stephanus Tornacens. epist. XCIX. *Et quoniam in Regno Francorum aliquæ Ecclesiæ quadam scrupulosa nobilitate gloriosam, vt æstimant, sibi consuetudinem assumpserunt, ne aliqui nisi ex licito complexu geniti promoueantur in eis, meritorum & virtutis excellentiam origini postponentes.*

TIT. XVIII. *De seruis non ordinandis, & eorum manumissione.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. VARIN. EPISCOPO.

EO libentius: . . . Adiecisti aliam quæstionem, an illorum filij, qui Ecclesiæ seruili conditione tenentur, traditi à parentibus militiæ Clericali cum suorum conniuentia dominorum, vt in eadem Ecclesia debeant deseruire, adsequentes propterea libertatem, post tempus ea

relicta

relictâ possint ad aliam se transferre? In quo credimus distinguendum, vtrum eo tenore fuerint manumissi & obligati ordini Clericali, quòd manumittenti Ecclesiæ, dum vixerint, deberent impendere famulatum in obsequiis diuinorum; & tunc transferendi se ad aliam, est eis licentia deneganda: vel manumissi extiterint absolutè; sícque libertatem habeant ad aliam transeundi.

ECCLESIA habuit prædia & seruos proprios, quorum alij colebant agros Ecclesiæ, alij dabant operam ad custodiam vel refectionem sacrarum ædium, Synod. Meldens. can. LXII. *Serui autem Ecclesiarum, quibuscumque potestatibus subditi, saltem viginti diebus in anno eidem Ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas, absque molestia seruire sinantur.* Alij ad obseruanda sepulcra fidelium, Synod. Paris. III. can. IX. *De degeneribus seruis, qui sepulchris defunctorum pro qualitate ipsius ministerij deputantur, hoc placuit obseruari, vt sub qua ab actoribus fuerint conditione dimissi, & sine hæredibus siue Ecclesiis, pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat conseruari.* Alij censum capitis Ecclesiæ pendebant, non alij seruitio obnoxij, Flodoard. lib. IV. Rhemens. Hist. cap. XLIX. *Familiámque vxori delegatam, eidem addicens Ecclesiæ, hanc eis dedit legem, vt capitis censum ibidem dependerent, nullique præter id obnoxij seruitio forent.* Serui Ecclesiæ quandoque manumittebantur, vt promouerentur ad ordines, vt *in hoc cap. & cap.* II. *de success. ab intestat. & can. Diaconi* XII. *qu.* I. Etiam ex vero seruum ægrum à domino manumissum, vt ordinaretur in Clericum si conualuisset, refert Gregor. Turonens. lib. II. de mirac. S. Martin. cap. IV. Serui non sunt ordinandi inuito domino, ne obtentu religionis iniuria fiat dominis, nec promouentur ad ordines, priusquam à domino manumittantur, *l. iubemus*, § *seruos*, *l. seruis*, *C. de Episc. & Cleric.* Nou. Iust. CXXIII. *cap.* XVII. *can. vlt.* LI. *dist. can.* I. *& per tot.* LIV. *dist.* Synod. Aurelian. III. *can.* XXI. & Constitut. Ludouici P. quæ extat in ipsius vita, & Continuator Aimoin. lib. V. cap. X. & Capitul. *lib.* I. *cap.* LXXXVIII. & hoc est quod in quodam Conc. Toletano laudatur ex pacto Francorum, *cap.* I. *hoc tit.* Non ineptè lex Regia pactum Francorum dici potuit, quia leges sancitæ fuere in Conuentu Francorum. Serui autem Ecclesiæ si manumittantur eâ lege, vt promoueantur ad ordines, & manumittenti Ecclesiæ dum vixerint inseruiant, non possunt discedere ab Ecclesia, & ad aliam transire: quòd si absolutè, id est, sine conditione manumissi sint, non vetantur transire ad aliam Ecclesiam, vt distinguitur *in hoc cap.* Etsi ordinatio sit actus legitimus, qui conditionem non recipit, *can. quam pio.* I. *qu.* II. *cap. vlt. de pact.* Tamen manumissio, & ordinatio non prohibetur fieri sub onere spirituali, puta sub onere obsequij præstandi in certa Ecclesia, vel sub onere recitandi horas canonicas, *cap. nullus, hoc tit. d. cap.* II. *de success. ab intest. can. frequens* LIV. *dist.* vt & in collatione præbendæ potest spirituale onus imponi, *cap. significatum. de prabend.* Serui semel manumissi & ordinati non tenentur præstare patrono præter operas spirituales, *d. cap.* II. *& d. can. Diaconi.* Absolutè manumissi & ordinati non vetantur transire ad aliam Ecclesiam, quia absolutè manumissi, & postea ordinati, ratione libertatis non debent obsequium Ecclesiæ, & hi sunt qui directa manumissione absoluti dicuntur, in *can. quicumque* LIV. *dist.* Iidem certè ratione ordinationis debent obsequium Ecclesiæ, in qua semel ordinati sunt; & licèt absolutè manumissi, non possunt transire ad aliam Ecclesiam, nisi consentiente Episcopo. Clerici enim semel in vna Ecclesia ordinati, non possunt per se transire ad aliam Ecclesiam, *can. Clericos, can. fraternitatem* LXXI. *dist.* Conc. Hispal. II. *can.* III. Eapropter Theodulfus Diaconus à Ragnemodo Parisiensi Episcopo excommunicatus, quòd dimissâ Parisiensi Ecclesiâ, Audoëno Andegauensi Episcopo se subdidisset, & ad Parisiensem Ecclesiam, in qua Diaconus ordinatus fuerat, redire differret: auctore Gregorio Turonensi lib. X. cap. XIV.

TIT. XX. *De corpore vitiatis ordinandis, vel non.*

CAPITVLVM V.

EX parte M. Presbyteri fuit propositum, quòd cùm sibi sentiret lepræ periculum imminere, de consilio medici virilia fecit sibi abscindi, vt posset à tam graui infirmitatis vitio liberari: .·.·. Quoniam igitur Canones Sanctorum Patrum hunc à sacri altaris administratione non prohibent, mandamus, quatenus si est ita, & memoratus M. est aliàs idoneus: vt sui ministerij officium exequatur, liberam ei tribuas facultatem.

QVI semel se abscidit, id est, virilia sibi amputauit, arcetur à sacris ordinibus; quia sui homicida est, & Dei conditionis, id est, diuini opificij inimicus, can. Apostolor. XXI. & Conc. Arelat. II. *can.* VII. *can.* IV. *&* V. LV. *dist.* & creaturam Dei deformare religio est, vt ait Leo Nou. LX. Ac frustra tentatur curationis remedium, vt extinguantur faces libidinis, quæ potiùs latet in anima, quàm in corpore; & cauendum est ne huiusmodi sectio magis professionem infirmitatis, quàm firmitatis laudem secum trahat: Ambros. de viduis: *Sunt enim qui virtutis loco ponant ferro culpam compescere, de quibus etsi nostram nolumus proferre sententiam, quamuis sint statuta maiorum, considerent tamen, ne quis id ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam.* Ex Conc. Nicæn. can. I. qui vltro se abscidit sine necessitate, repellitur à sacris ordinibus: sed si per vim ab hostibus exsectus sit, vel ob morbum à medicis, à sacris ordinibus non submouetur, *can. si quis à medicis* IV. *dist.* Quam distinctionem secutus est Clemens III. *in cap. ex parte, hoc tit.* Nicæno Canoni causam dedisse fertur Leontius Presbyter, qui à gradu Presbyterij amotus, quòd sanus se abscidisset, vt stupri cum puella quadam suspicionem à se amoueret, de quo Athanas. Apolog. de fuga, & Socrat. lib. II. cap. XXI. Iuxta hanc distinctionem Presbyter, qui sectus est consilio medici ob imminens lepræ periculum, non depellitur à sacro ministerio, ex *hoc cap.* Ait ob lepræ periculum; sectione elephantiasim, & alia morborum genera curari ferunt. Hoc remedio puerum, qui postea fuit in obsequiis sacrarum Virginum monasterij S. Radegundis apud Pictauos, curatum narrat Gregorius Turonens. lib. X. cap. XV. *Tunc ego sicut quondam apud vrbem Constantinopolitanam, medicos agere conspexeram, incisis testiculis puerum sanum genitrici restitui.* De monacho qui se epilepsiæ curandæ causa abscidit, meminit Iuo Carnotens. epist. CCXXXI. *De cætero si monachi illius transgressionem, qui se propter epilepsiam curandam eunuchizauit, secundùm rigorem Canonum animaduertere vultis, nec ad altiorem gradum promoueri poterit, nec in eo in quo erat ordine ministrabit, quod sicut bene nostis ei non interdiceretur, si esset sectus à medicis.* Qui se sanus abscidit, fit irregularis & submouetur à sacris ordinibus, tamquam sui homicida, & salutis suæ contemptor, quòd è multis qui castrantur vix pauci seruentur, vt ait Iustinian. Nou. CXLII. Fuere primitus apud Christianos, qui vt venerem cohiberent sibi virilia præscindebant, perperam accipientes verbum Domini: *Sunt qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* Quo errore deceptus Origenes se ipsum exsecuit; testes Euseb. lib. VI. cap. VII. Epiphan. hæres. LXIV. Suidas in verb. ὠριγένης. Constitutionibus Principum etiam vetitum est eunuchi ne fierent, *l.* I. *&* II. *C. de Eunuch.* Et qui se ipsos castrarunt inter famosos habentur, Hieronym. in epist. ad Galat. lib. III. cap. V. *Tam enim detestanda abscisionis est passio, vt & qui inuitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, & qui seipsum castrauerit, infamis habeatur.*

CAPITVLVM VI.

MILITENSI EPISCOPO.

EXPOSVISTI nobis, quòd prædecessor tuus H. in Abbatem promouit, nesciens quòd ipse esset manu altera mutilatus: .·.·. Nos igitur f. t. respond. quòd cùm pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoueri, & in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatiæ officio est non immeritò amouendus.

CORPORE vitiati, id est, mulcati vitio corporis, quod deformitatem notabilem pariat, arceentur à sacris ordinibus, *can.* I. XLIX. *dist. can. non confidat* I. *dist. cap.* I. *&* II. *hoc tit. cap.* II. *infrà, de Cleric. ægrot. vel debilit.* Ob id si manu mutilatus electus sit in Abbatem, quòd ob tam enormem defectum non possit promoueri ad sacros ordines, ab Abbatiæ officio est amouendus, ex *hoc cap.* Ammonius dextram aurem sibi abscidit, quo deformitate corporis effugeret dignitatem Episcopalem. Socrat. lib. IV. cap. XVIII. Sozomen. lib. VI. cap. XXX. Pallad. Lausiac. hist. cap. XXX. Nicephor. lib. XI. cap. XXXVII. Apud Ethnicos etiam tanta est religionis reuerentia; mancos & debiles à Sacerdotio explosos, auctorem habemus Plinium lib. VII. cap. XXVIII. de M. Sergio manco: *Cùm in pratura sacris arceretur à collegis vt debilis.* Solus verò Pontifex potest dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex vitio corporis, *cap. significauit, hoc tit.* & ibi Innocent. & Hostiens. vt & in irregularitate, quam contrahit suspensus, vel excommunicatus ministrans, *cap.* I. *de re iudicat. in* VI. Olim hac in re dispensasse Episcopos argumento est, quod cùm Origenes se exsecuisset, à Theoctisto Cæsariensi Episcopo, & Alexandro Hierosolymitano nihilominus ad presbyteratus gradum promotus est, de quo licèt Demetrius Alexandrinus Episcopus grauiter succenseret, res rata permansit. Euseb. lib. VI. cap. VII.

TIT. XXI. *De digamis non ordinandis.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. RATISPA. EPISCOPO.

NVPER à nobis: .·.·. Tertius articulus videbatur habere non modicum quæstionis: quoniam cùm in matrimoniis contrahendis non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur, vnde illum comitatur infamia, qui duas simul vxores habet: quod partim ad factum conuenit retorqueri: sicut in Canone legitur de Presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur: eâdem censurâ tales videntur inter digamos reputandi. Licèt obuiet ex aduerso quòd opinioni sit veritas præferenda, & quòd iuxta præmissa, qui nullam vxorem habuit, foret digamus reputandus: quod contingeret, si quis de facto contraheret cum diuersis, quibus de iure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione t. resp. quòd cum huiuscemodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum digamis non liceat dispensari, licèt in veritate digami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter adfectum intentionis cum opere subsecuto.

CAPITVLVM V.

IDEM METENSI EPISCOPO.

DEBITVM Pastoralis officij: .·. F. t. duximus respondendum, quòd cùm duo sint in coniugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & iustam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus: Qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo: reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Euangelista testatur: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: profectò coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum, iuxta quod Paulus exponens illud quod dixerat protoplastus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. statim subiungit, Hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia. Cùm ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit, ne digamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoueri, quoniam nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius: profectò vbi deficit inter huiusmodi coniuges commixtio corporum, non deest huiusmodi signaculum Sacramenti. Vnde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam, duxit vxorem: quia nec illa, nec ipse carnem suam diuisit in plures: propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoueri.

CAPITVLVM VI.

IDEM LVGDVNEN. ARCHIEPISCOPO, APO. SED. LEGATO.

QVIA circa minima: .·.·. Sanè postulasti per Sed. Apost. edoceri, si Presbyteri plures concubinas habentes, digami censeantur. Ad quod duximus respondendum, quòd cùm irregularitatem non incurrerint digamiæ, cum eis tanquam simplici fornicatione notatis, quoad executionem Sacerdotalis officij poteris dispensare.

CAPITVLVM VII.

IDEM.

A Nobis fuit: .·.·. Ille autem, qui in Subdiaconatus ordine constitutus de facto tantùm (quia de iure non potuit) duxit viduam in vxorem, profectò digamus non existit: sed nec viduæ potest in veritate dici maritus, cùm inter ipsum & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen contra doctrinam Apostoli tanquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed adfectum intentionis cum opere subsecuto.

DIGAMI non sunt promouendi ad ordines, tamquam incontinentiæ labe notati, *can. Lector* XXXIV. *dist. can. quicumque*, L. *dist.* & ex Nicæno canone, qui non legitur inter vulgatos canones, memoratur tamen ab Ambrosio epist. LXXXII. ad Vercellenses, quæ refertur apud Gratianum, in *can. cognoscamus* XXXIV. *dist. Cognoscamus non solùm hoc de Episcopo, & Presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Patres in Concilij Nicæni tractatu addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* Huius disciplinæ cultum obseruat Tertullianus in exhortat. ad Castitat. cap. VII. *Inde igitur apud nos pleniùs, atque strictiùs præsumitur vnius matrimonij esse oportere, quos adlegi liceat in ordinem Sacerdotalem, vsque adeò quosdam memini digamos loco deiectos.* Et Sidonius lib. VII. in concione de eligendo Episcopo: *Sed præsentem iam modò ad causam illi ex canone non requiruntur, qui ambo ad secundas nuptias transierunt.* Hinc Ioseph Tiberiadensis, ne ab Arrianis inuitus Clericus fieret, secundas nuptias iniit, Epiphanio authore hæres. XXX. Etiam ante baptismum iteratum coniugium irregularitatem inducit, & est impedimentum ordinationis, Ambros. lib. I. offic. cap. vlt. *De castimonia autem quid loquar, quando vna tantùm nec repetita permittitur copula, & in ipso ergo coniugio lex est non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem, quod plerisque mirum videtur; cur etiam ante baptismum iterati coniugij ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur, cùm etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento? sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest; in coniugio non culpa, lex est.* Nec modò digami exploduntur à Sacerdotio, sed etiam viduæ, quas Græci πρεσβυτίδας, quæ inscriptæ sunt in matricula Ecclesiæ, & ipsius sumptu aluntur, non admittuntur, nisi vniuiræ, Conc. Laodicen. can. XI. *can. vlt.* XXXII. *dist.* Nimirum stipe Ecclesiæ quasi indignæ iudicantur, quæ ad secundas nuptias deuolutæ sunt. Hieronym. ad Gerontiam: *Simúlque considera quòd vidua non eligatur, nisi vnius viri vxor, & nos putamus Sacerdotum hoc tantùm esse priuilegium, vt non admittatur ad altare, nisi qui vnam habuerit vxorem: non solùm enim ab officio Sacerdotis digamus excluditur, sed & ab eleemosyna Ecclesiæ; dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda coniugia deuoluta est.* & idem lib. I. aduerſ. Iouinian. *Quàm sancta sit digamia hinc ostenditur, quòd digamus in Clerum eligi non potest, & ideo Apostolus ad Timotheum, Vidua, inquit, eligatur, non minùs* LX. *annorum, quæ fuerit vnius viri vxor; hoc omne præceptum de his est viduis, quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis.* Inter bigamos autem habetur, non modò qui secundas nuptias contraxit, sed & qui viduam, vel ab alio dimissam vxorem duxit, *can. lector* XXXIV. *dist. can. si quis viduam* L. *dist. cap. nuper à nobis, hoc tit.* & quicumque non virginem vxorem duxerit, *can. curandum* XXXIV. *dist. cap.* II. *de Cleric. coniugat.* pro digamo habetur, & cuius vxor adulterium perpetrauit, *can. si cuius, ead. dist.* vt & inter digamos ducuntur, qui virginitatem pollicitam præuaricati sunt. Synod. Ancyran. can. XVIII. *can. quotquot* XXVII. *qu.* I. Olim inter bigamos habebatur qui geminas concubinas habuisset; sed hoc remissum est, *propter defectum nostrorum temporum*, ait Pelagius, *can. fraternitatis* XXXV. *d.* Mitiùs agi visum est, quòd concubinatus esset quasi vitium ætatis potiùs quàm hominum. Exinde qui duas vel plures concubinas habet, non incurrit irregularitatem bigamiæ, cùm simplici fornicatione notetur, *cap. quia circa, hoc tit.* Irregularitas bigamiæ non contrahitur, nisi sit matrimonium de iure, vel de facto, & copula secuta, *cap. debitum, cap. vlt. hoc tit.* Fornicatione non contrahitur vitium bigamiæ, quia fornicatio non est matrimonium, neque initium matrimonij, ἡ πορνεία γάμος οὐκ ἔστι, ἀλλ᾽ οὐδὲ γάμου ἀρχή, eleganter ait Basil. epist. III. ad Amphiloch. Digamiæ in vitium incidit, qui demortuâ vxore promotus ad sacros ordines de facto secundam vxorem duxit, & eam cognouit; licèt matrimonium nullum sit, habetur pro bigamo, etsi reuera bigamus non sit, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, *cap. nuper à nobis, cap. vlt. hoc tit.* Qui secundam vel viduam vxorem duxit, non est bigamus, vbi non est secuta commixtio corporum: vnde qui mulierem alij nuptam, sed nondum cognitam, vxorem duxit, non tenetur bigamiæ vitio; quia illa carnem suam non diuisit, *can. Valentino* XXXIV. *dist. cap. debitum, hoc tit.* Cum Bigamis solus Pontifex dispensat, *cap.* II. *huius tit.* Conc. Trident. *sess.* XXIII. *de reform. cap.* XVII. Olim etiam Episcopi id iuris sibi asciuerunt: Phœniciæ Episcoporum decreto Irenæum digamum

Episcopum ordinauit Theodoritus Episcopus Cyri, secutus consuetudinem, & exemplum Alexandri Antiocheni Episcopi, & Acacij Berœæ Episcopi, qui Diogenem digamum ordinarunt, & exemplum Præstij, qui Domninum Cæsariensem itidem digamum ordinauit, testem ipsum habemus epist. cx.

TIT. XXII. *De Clericis peregrinis.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. CONSTANTINOP. PATRIARCHÆ.

INTER quatuor:.·.·. Vtrum Clericos ad te sine suorum ordinatorum litteris venientes, & offerentes iuramentum, quòd sint in quouis Ecclesiasticorum ordinum constituti, debes ad superiores ordines promouere. Inquisitioni t. t. r. quòd nisi de ipsorum ordinatione canonica, per idonea tibi constiterit argumenta: eos nec in illis suscipere, nec ad maiores debes ordines promouere, præsertim antequam conuersatio eorum fuerit adprobata.

ORDINATIO Clericorum à non suo Episcopo facta, nulla & irrita est, ex Nicæn. Conc. *can.* XVI. Sardicens. *can.* XVIII. *can. illud quoque, can. si quis ausus* LXXI. *dist.* Vetatur ordinatio alieni Clerici sine litteris dimissoriis proprij Episcopi, ne inde oriantur discordiæ, *d. can. illud quoque, & can. primatus, ead. dist.* Concil. Brachar. I. *can.* XXVI. Adeóque transmarini, id est, Afri non sunt promouendi ad ordines sine litteris, & quinque Episcoporum eorum sigillis munitis, *can.* I. *& per totum* XCV. *dist. cap.* I. *hoc tit.* Iure nouo si Episcopus alienum Clericum ordinauit sine litteris dimissoriis proprij Episcopi, ordinatus recipit characterem, sed est irregularis & suspensus ab executione ordinum, *can. nullum, can. Lugdunensis* IX. *qu.* II. *cap. eos qui. de tempor. ordin. in* VI. Hinc Epiphanio obiectum quòd Diaconum ordinasset, & Missas celebrasset in suburbio Constantinopolis siue permissu Ioannis Chrysostomi. Socrat. lib. VI. cap. XIV. Et Augustinus non potuit suaderi, vt cuipiam iuniori à quo Bonifacius Presbyter stupri insimulatus erat, ordines conferret, vel ei litteras dimissorias daret, vt ab alio promoueretur. Testatur ipse epist. CXXXVII. *Sed cùm promoueri in Clericatu, siue illic per me, siue alibi per litteras meas vehementissimè conaretur: ego autem nullo modo adducerer, ei homini de quo tantum mali existimarem, manus ordinationis imponere, aut per commendationem meam alicui fratri meo eum subintroducere, turbulentiùs agere cœpit,* &c. Patriarchæ Constantinopolitano, & Carthaginensi Episcopo id iuris proprium fuit, vt liceret alienos Clericos suscipere, etiam sine litteris dimissoriis ordinatorum, vt tradit Balsamo in *can.* XVII. Synodi VI. in Trull. & can. x. Synodi VII. seu Nicænæ II. Non derogatur priuilegio Patriarchæ Constantinopolitani in *hoc cap.* quod est pars constitutionis quæ integra extat inter gesta Innocentij III. sed priuilegij modus exponitur, ne extranei, qui se Clericos dicunt, à Patriarcha suscipiantur in ordine, quem dicunt se habere, vel ad superiores promoueantur, nisi per idonea argumenta constet de eorum ordinatione, ita vt non stetur eorum iuramento. Non negatur Patriarchæ Constantinopolitano permissum esse alienos Clericos suscipere, etiam sine dimissoriis litteris eius qui ipsos ordinauit, dummodo litteras commendatitias afferant, quibus se ordinatos probent, vt rectè explanat Balsamo in *d. can.* x. Synodi VII. Ait per idonea argumenta, id est, per ipsas litteras ordinationis, vel litteras commendatitias eius qui ipsos ordinauit, vel per testes in casu, *cap. seq.* aliàs Clericatus non probatur, nisi per litteras, *can. legum* II. *qu.* I. vt neque professio monastica, *can. vidua* XX. *qu.* I. *& can. omnes fœminæ* XXVII. *qu.* I.

CAPITVLVM III.

IDEM PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANO.

TVÆ fraternitatis: .·.·. Vtrum Clericos, qui ad partes Hierof. fine commendatitiis litteris veniunt, permittere debeas celebrare diuina: .·.·. Respondemus quòd nisi legitimè tibi constiterit, siue per litteras, siue per testes, de illorum ordinatione canonica, qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis plebibus celebrare: sed si forsitan eorum aliqui secretò ex deuotione celebrare voluerint, poteris sustinere.

CLERICI non debent de vna diœcesi ad aliam migrare sine litteris commendatitiis sui Episcopi, ne detur occasio euagandi, *can. duæ sunt* XIX. *qu.* II. *can. monachum* XX. *qu.* I. & Clerici alieni non sunt admittendi, vt ministrent in aliena diœcesi, sine litteris commendatitiis sui Episcopi, Conc. Calched. *can.* XIII. *can. extraneo* LXXI. *dist.* Vnde secuta lex *si qua, C. de Episc. & Cleric.* ne Clerici & Monachi accedant ad vrbem sine litteris commendatitiis sui Episcopi. Hinc Hieronymus in Sabinianum Diaconum: *Quis non susciperet eum qui se monachum promittebat, præsertim ignorans tragœdias tuas, & Episcopi tui commendatitias ad cæteros Sacerdotes epistolas legens.* Clericis peregrinantibus dabantur commendatitiæ litteræ commendationis causa, Conc. Calchedonens. can. XI. Carthaginens. can. XXVI. Bonifacium Presbyterum de stupro accusatum, purgationis causa peregrinaturum ad sepulcrum B. Fœlicis Nolani, humilitatis studio huiusmodi litteras commendatitias à suo Episcopo non accepisse, teste Augustino in præd. epist. *Bonifacius tamen hanc humilitatem suscepit, vt nec litteras acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret.* In hanc sententiam quærenti Patriarchæ Hierosolymitano, an Clericis qui Hierosolymam venirent sine commendatitiis litteris proprij Episcopi, permittendum esset sacra celebrare; respondit *in hoc cap.* non esse iis permittendum publicè coram plebe celebrare, sed secretò seu priuatim. Consultationi materiam dedit, quòd eâ ætate frequens fuit religionis causâ peregrinatio Hierosolymitana, maximè Clericis, & monachis, quibus interdictum huiuscemodi peregrinatione ne daretur materia euagandi. De monachis testatur Goffridus Vindocinensis lib. IV. epist. XXI. *Hierusalem etenim ire sicut indictum est laicis, sic interdictum est monachis ab Apostolica Sede; quod noui ego ipse, sicut ille, cuius aures erant ad os domini Vrbani Papæ, cùm & eundo Hierusalem peregrinari præciperet laicis, & ipsam peregrinationem monachis prohiberet.* Eandem ob causam & Clericis vetitum, ne Romam aut Turonum irent sine litteris commendatitiis sui Episcopi, Conc. Cabillonens. II. can. XLIV. & seq. & Salegunstad. can. XVI. Alia ratione & ereptis Hierosolymis peregrinationem Hierosolymitanam ab Apostolica Sede sub pœna anathematis vetitam obseruo, quòd Sarracenis eo nomine vectigal penderetur, in Appendice Othonis Frisingens. cap. XL. *Itaque pace constituta pagani Hierusalem duplici muro antemurali opposito, ac fossatis profundissimis cingentes inexpugnabilem reddiderunt, dato Christianis securissimo conductu visendi sepulcrum Dominicum quæstus gratia; quod Dominus Apostolicus, ne pagani oblationibus Christianorum abutantur, omnimodis interdixit, transgressoréſque anathematis vinculo innodauerunt.* Quàm frequens fuerit peregrinatio Hierosolymitana, & prioribus seculis, testatur Gregor. Nyssenus proprio libello, quem scripsit de euntibus Hierosolymam. In laude fuit Hierosolymam adiisse, de quo Hieronymus ad Paulinum: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est, can. gloria* XII. *qu.* II. Eapropter redeuntes ab Hierosolyma ramos palmarum reportarunt, in signum impletæ sacræ expeditionis: vnde & palmarij dicti. Guillelm. Tyrius lib. XXI. de bello sacro cap. XVII. *His ita gestis dictus Comes, cùm Hierosolymis, quasi per quindecim dies fuisset, completis orationibus, & sumpta palma, quod est apud nos consumpta peregrinationis signum, quasi omnino recessurus Neapolim abiit.* & Abbas Vrspergens. in Chronic. *Nonnulli etiam palmati, de Hierosolyma redeuntes, Acris, quæ & Accaron, à nostris expugnatam nuncient.* His

adde vocari hîc Clericos gyrouagos per prouincias discursantes sine commendatitiis litteris sui Episcopi, quos ea ætas Trutanos vel Truanos vocauit. Cæsarius Heisterbacsens. lib. I. de miracul. cap. III. *Quemdam Clericum actu Trutanum, quales per diuersas vagari solent prouincias.* Trudennes vocat Guibert. lib. II. hist. Hierosolym. cap. XX. *Thatur autem apud Gentiles dicuntur, quos nos, vt minùs litteraliter loquar, Trudennes vocamus, qui ex eo sic appellantur, quia tendunt, id est, leuiter transigunt, quaquaversum peragrantes annos.* Huiusmodi Clerici venientes Hierosolymam sine litteris commendatitiis sui Episcopi, publicè celebrari vetantur, non in occulto. Ob leuius scandalum, cautiùs Ægyptios monachos à Theophilo Alexandrino iniuriâ pulsos Ioannes Chrysostomus ad communionem precum admisit; tamen Sacramentorum communionem eis denegauit, ante causæ cognitionem, Socrat. lib. VI. cap. VII. VIII. & IX. Sozom. lib. VIII. cap. XIII. Nicephor. Callist. lib. XIII. cap. II.

TIT. XXIII. *De officio Archidiaconi.*

CAPITVLVM VII.

AD hæc nos dicimus: . · . · . Sanè consuluit nos tuæ fraternitatis deuotio, quid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in quibus per ipsum cura Episcopalis solicitudinis debeat releuari: & nos prout possumus respondemus. Archidiaconus (secundùm statuta beati Isidori) imperat Subdiaconis & Leuitis: parœciarum solicitudo & earum ordinatio ad ipsum pertinet: & audire debet iurgia singulorum: Archipresbyteri, qui à pluribus Decani nuncupantur, eius iurisdictioni se nouerint subiacere. Secundùm verò Romani ordinis constitutionem maior post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur: omnem solicitudinem & curam, tam in Clericis, quàm in Ecclesiis eorum (prout meliùs secundùm Deum poterit) impendendo, cùm super his sit redditurus rationem in districti examinis iudicio. Item in epistola beati Clementis Papæ p. n. oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, vt loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet: nisi adeò fuerint ardua negocia, quæ absque maioris sui præsentia nequeant terminari. In quadam verò nostra constitutione iam alia vice nos meminimus expressisse, quòd institutio corporalis, tam super beneficiis, quàm etiam dignitatibus ad ipsum debeat pertinere, examinatio etiam Clericorum si fuerint ad sacros ordines promouendi: & hoc idem in collationibus beneficiorum credimus obseruandum, vt qui beneficiis Ecclesiasticis præficiendi fuerint, à suo priùs examinentur Archidiacono, & per ipsum postmodum Episcopo præsententur.

Subsequenter postea quæsiuisti, vtrum Decani rurales, qui pro tempore statuuntur, ad mandatum tuum solum, vel Archidiaconi, vel etiam vtriusque institui debeant, vel destitui, si fuerint amouendi. Ad hoc breuiter respondemus, quòd cùm ab omnibus, quod omnes tangit, adprobari debeat, & commune eorum Decanus officium exerceat: communiter est eligendus, vel etiam amouendus.

CAPITVLVM IX.

VT nostrum: . · . · . Nec fuit sufficienter probatum, quòd Cancellarius ex officio suo exerceat spiritualia memorata, cùm ea potiùs de

de iure communi ad Archidiaconi ſpectent officium, repræſentare videlicet ordinandos Epiſcopo, & illos examinare, ponere Abbates & Abbatiſſas in ſede.

VARIA fuit iuriſdictio & poteſtas Archidiaconorum, ſecundùm varia tempora, & conſuetudines Eccleſiarum; in dignitatibus enim Eccleſiaſticis magis ſpectatur conſuetudo, quàm ius commune, *cap. cùm olim, ſuprà, de conſuetudine.* Olim proprium Archidiaconi officium fuit Eccleſiæ opes curare, eiuſdémque reditus in Clericos diſtribuere, Nou. Iuſtinian. CXXIII. cap. III. Hinc Iſidorus, qui Archidiaconi, & aliorum miniſtrorum Eccleſiæ partes diligenter proſecutus eſt, in epiſt. ad Ludifredum, quæ legitur in *can. perlectis* XXV. *diſt.* de Archidiacono ait: *Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & Clericis proprias partes idem diſtribuit.* Et Laurentium Sixti Pontificis Archidiaconum de fide in tuendis & diſpenſandis Eccleſiæ opibus commendat Prudentius Hymn. II. Periſteph.

Clauſtris ſacrorum præerat,
Caleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clauibus,
Votáſque diſpenſans opes.

Eiuſdem erat curare viduas, pauperes, peregrinos, & de peregrinis refouendis Epiſcopo ſuggerere, *can. Diaconi* XCIII. *diſt.* Et ideo Archidiaconus ſub prætextu officij non debet frequentiùs inire ædes matronarum, *can. Clericus* LXXXI. *diſt.* Archidiaconi vices ſunt etiam ſacrorum ſolemnia procurare, *d. can. perlectis, & cap.* II. *huius tit.* Epiſcopo ſacra facienti præſto eſſe. Hinc votum Laurentij, Sixto ſe martyrij ſocium, vt fuerat ſacrorum optantis, apud Ambroſ. lib. I. offic. cap. XLI. *Quò, Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas, numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueueras? cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* Et ſine Diacono Epiſcopum ſacrificare non poſſe inſinuat Epiphan. in Panar. hæreſ. LXX. ἄνευ δὲ διακόνου ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι, *Sine Diacono Epiſcopum eſſe non poſſe.* Quod enim dicitur de commiſſa Archidiacono Dominici ſanguinis conſecratione cautè intelligendum eſt, ita vt Archidiaconum non comminiſtrum conſecrationis, ſed teſtem & obſeruatorem dicamus; quia Diaconus non habet Sacerdotium, ſed nudum miniſterium. Et pari cum religione accipiendus eſt can. XV. Conc. Arelat. I. cùm vetat ne deinceps offerant Diaconi. Cùm enim de ſacrificio Miſſæ non poſſit accipi, quod non cadit in Diaconum, intelligendum eſt de precum publicarum litatione, quas pro plebe etiam Archidiaconum obtuliſſe docet Chryſoſtom. Homil. XIV. in epiſt. ad Galat. τοῦ καὶ νῦν σύμβολόν ἐστιν ὁ διάκονος, τὰς ὑπὲρ τοῦ δήμου ἀναφέρων εὐχάς, *Cuius & nunc ſignum Diaconus eſt, pro populo preces Deo offerens.* Iure communi Archidiaconus non habet propriam & ordinariam iuriſdictionem, ſed Epiſcopalem exercet vt Vicarius Epiſcopi, *cap.* I. *huius tit.* non cognoſcit tamen de arduis negotiis, id eſt, de maioribus cauſis, quæ abſque maioris ſui præſentia nequeunt terminari, vt ex epiſt. Clementis Papæ ait Innocent. *in cap. ad hæc.* Puta Archidiaconus non poteſt ferre ſententiam excommunicationis, *cap. Archidiacono, hoc tit.* quòd excommunicatio ſit maior pœna, & Eccleſia non habeat vltrà quid faciat, *cap. cùm non ab homine. de iudic.* Idem non poteſt in aliquo diſpenſare, *cap.* I. *de eo qui furtiu. ordin. ſuſcepit.* Maiores cauſæ reſeruantur Epiſcopo, vt grauiora delicta referuntur ad Epiſcopum agente Archidiacono, Iſidor. in *d. can. perlectis.* Ab Archidiacono nunciantur Epiſcopo exceſſus Diaconorum. Presbyteros monachos, in Synodo Sueſſionenſi damnatos à Rothado Sueſſionenſi Epiſcopo, agente Archidiacono, refert Regino Abbas II. Chronic. *Eiectos iuſſu venerabilis Rothadi Sueſſionum Epiſcopi, ad Synodi audientiam Archidiaconus deduxit, & partim confeſſi, partim conuicti conſpirationis malum perpetraſſe canonum ſeueritate depoſiti ſunt, Presbyteri quippe erant, & ſeparatim in monaſteria ſui Ordinis longè diſtantia relegati.* Abſente tamen Epiſcopo Archidiaconus cognitionem habet de cauſis matrimonialibus, *cap. litteras, infrà, de reſtit. ſpoliat.* De conſuetudine Archidiaconus habet propriam & ordinariam iuriſdictionem, de conſuetudine ſuſpendit, excommunicat, abſoluit, interdicit, *cap. dudum* II. *de elect. cap. dilecto, hoc tit. cap. ſignificantibus. de*

V

non. oper. nunciat. cap. licet. de pœn. Et tunc ab Archidiacono appellatur ad Episcopum, nec potest appellari ad Archiepiscopum, omisso medio, *cap. Romana. de appellat. in* VI. Vbi Episcopus non habet ordinariam iurisdictionem, sed vicariam, à sententia Archidiaconi non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, *cap. referente, infrà, de prabend.* Alioquin idem à seipso appellari videretur. Archidiaconus etiam habet propriam diœcesim, & ius visitationis intra fines sui Archidiaconatus, *cap. mandamus, hoc tit. cap. pen. de maior. & obedient. cap. ad hac. de excess. Pralat.* Idem licèt ordine minor antecedit Presbyteros, tamquam locum tenens Episcopi, Synod. VI. in Trull. can. VII. *can. pracipimus* XCIII. *dist.* eiúsque iurisdictioni subiacent Archipresbyteri seu rurales Decani, vt traditur in *hocce cap. ad hac, & cap. 1. de offic. Archipresbyter.* Ad Archidiaconum pertinet etiam Clericorum ordinandorum examinatio & præsentatio, *can. ostiarius* XXIII. *dist.* & in hoc *cap. ad hac.* Et Diaconi vnà & Presbyteri ordinantur fide & testimonio Archidiaconi, Hieronym. ad Euagrium, ex *can. legimus* XCIII. *dist. Sed dicis quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur.* & Auctor quæst. vtriusque Testam. cap. c. *Sed testimonio*, inquit, *Diaconi fit Presbyter.* Nec modò ad Archidiaconum pertinet promouendorum examinatio, & præsentatio in ordinatione, sed etiam in collatione beneficiorum, *cap. ad hac, cap. vt nostrum, hoc tit.* Ad eundem spectat & inuestitura Ecclesiarum, *cap. in tantum. de simon.* & institutio parochorum, *cap. super eo. de offic. delegat.* necnon personarum, *cap. cùm venissent. de institut.* id est, institutio corporalis, seu missio in possessionem: quo iure Hunfredus Presbyter Honhamiensis tuendæ suæ possessionis causâ affirmabat apud Io. Saresber. epist. 1. *Se per Archidiaconum Episcopi, vt mos est, in possessionem liberam canonicè introductum.* Ad Archidiaconum itidem spectat solemnis installatio Abbatum & Abbatissarum, in *hoc cap. vt nostrum.* Immo & ad Archidiaconum pertinet collatio beneficiorum intra metas sui Archidiaconatus, *cap. ad aures. de excess. Pralat.* Quod de consuetudine potiùs quàm de iure intelligendum est, nam de iure Archidiaconus non confert curam animatum sine iudicio Episcopi, *can. nullus* XVI. *qu.* VII. Insuper electio Archipresbyteri fuit iuris Archidiaconi vnà cum Clero & plebe, ex Isidoro, *can. si in plebibus* LXIII. *dist.* verùm per Episcopum confirmanda fuit: & hoc iure vsos Archidiaconos Pictauiensis Ecclesiæ testatur Arnulph. Lexouiens. epist. XXVII. ad Alexandr. III. Et congruenter in *hoc cap. ad hac*, docetur institutionem & destitutionem Archipresbyteri seu Decani ruralis communiter spectare ad Episcopum & Archidiaconum; additâ ratione, quòd commune vtriusque Decanus officium exerceat, & Pontificem se referre ad consuetudinem Franciæ. Rei in aliquibus Ecclesiis huiusmodi Decani constituuntur per Episcopum & Archidiaconum; rectè adnotauit Innocent. IV. & post eum Hostiens. in *hoc cap. ad hac.* Tot dignitatis titulis aucti Archidiaconi nimis superbière in Episcopos: quam ob causam, vt coërcerentur prospectum est, vt ad tempus instituerentur, ac in nonnullis Ecclesiis, vt in Ecclesia Romana & Constantinopolitana, Archidiaconi dignitas penitus extincta est, in aliis diuisa in plures, quo turba vilesceret: ex quo contigit, vt eâ ætate Archidiaconi officium penè obsoletum esset, & incertum esset, quænam pertinerent ad officium Archidiaconi. Vnde super hac re consultus Pontifex valde laborauit: *Et nos*, ait, *prout possumus respondemus.* De Archidiaconis plura dixi lib. 1. dissertat. Iur. Canonic. cap. X. & seqq. quæ hîc repetere ociosum esset.

CAPITVLVM VIII.

SIGNIFICASTI: .·.·. Interdicas Archidiacono tuo ne sine conscientia tua & auctoritate litteras suas promouendis concedat. Et eis etiam districtè prohibeas, ne ad ordines audeant conuolare. Qui si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, executionem eis ordinum susceptorum totaliter interdicas.

ARCHIDIACONVS non potest dare dimissorias litteras ad ordines, vt docetur *in hoc cap.* hoc enim est proprium munus Episcopi. Vnde & Chorepiscopo non licet dare formatas, quia Pontificatus apicem non habet, *can. quamuis* LXVIII. *dist.*

Neque Abbatibus, martyrariis, id est, æditu is ædium, quæ dicatæ sunt martyribus, vel presbyteris permittitur dare apostolia, seu epistolia, id est, litteras dimissorias, Conc. Aurelian. II. can. XIII. *Abbates, martyrarij, reclusi, vel Presbyteri apostolia dare non præsumant.* & Conc. Turon. II. can. VI. *Vt nullus Clericorum, vel laicorum præter Episcopum epistolia facere præsumat.* Solus etiam Episcopus potest dare litteras commendatitias, Conc. Calchedonens. can. XIII. *can. extraneo* LXXI. *dist.* Commendatitiæ dabantur Clericis suspectis, puta accusatis commendationis causa, quo in ordine susciperentur ab aliis Episcopis. Hodie etiam Abbates, & alij vetantur dare litteras dimissorias ad ordines, Conc. Trident. *sess.* XXIII. *de ref. cap.* X.

TIT. XXVIII. *De officio Vicarij.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. ABBATI S. EVGEN. ET PLEBANO S. PETRI.

SVA nobis: .·. ·. Nos igitur Vicarij litteras æstimantes per surreptionem obtentas. Quoniam iurisdictio Vicarij, quem Romanus Pont. in vrbe reliquit, non extenditur extra illam, nisi ei specialiter sit concessum: Præsertim cùm ipse moratur in sua prouincia speciali, videlicet inter Capuanam prouinciam & Pisanam. Mandamus, quatenus quicquid occasione litterarum illarum actum est, in irritum reuocetis.

PRÆFECTI Prætorio Italiæ Vicarij tres fuere; primus Vicarius vrbis, secundus Italiæ, tertius Africæ. Vicarius vrbis iurisdictionem habuit intra vrbem, & quadragesimum lapidem, seu milliare, Cassiodor. lib. VI. epist. XV. in formula Vicarij vrbis: *Intra quadragesimum sanctissimæ vrbis iura custodis.* Præter ditionem quam Vicarius habuit in vrbe, ei paruere decem prouinciæ Italiæ, Campania, Tuscia, Vmbria, & aliæ, quæ enumerantur in Notitia occidui Imperij. Restitutam per Pontifices dignitatem Vicarij vrbis, & præter iurisdictionem quam habuit in vrbe, eundem habuisse propriam diœcesim in illo tractu, qui iacet inter Capuanam & Pisanam prouinciam, nobis indicat Innocentius *in hoc cap.* Ex quo iurisdictio Vicarij vrbis non porrigitur extra vrbem, nisi specialiter ei concessum esset, præsertim cùm ipse moratur in sua speciali prouincia. Ioannem in vrbe Præfectorum locum tenentem memorat Gregor. III. dialog. cap. III. *Ioannes quoque vir magnificus, in hac vrbe locum Præfectorum seruans,* &c. A Pontificibus etiam restitutam dignitatem Præfecti vrbi, & Petrum Præfectum vrbi Innocentio III. statim post consecrationem fidem, & hominium ligium præstitisse, & præfecturæ inuestituram ab eo recepisse per traditionem manti, testis ipse Innocent. lib. I. epist. XXIII.

TIT. XXIX. *De officio & potestate iudicis delegati.*

CAPITVLVM XXII.

INNOCENTIVS III. RHEGINEN. ARCHIEP. ET EPISC. CEPHADVLENSI.

CVM causa, quæ vertitur inter Montis Regalis, & Rosan. Archiepiscopos; super quibusdam decimis, Panormitano & Capuano Archiepiscopis, & tibi fratri Rhegin. commissa fuisset à nobis fine debito terminanda, prædictus Archiepiscopus Montis Regalis (sicut accepimus) ad primam Panormitani & Capuani Archiepiscoporum citationem accessit, in quorum præsentia excipiendo proposuit, quòd pro duabus causis eorum non deberet stare iudicio: tum quia ipsa causa tribus fuerat iudicibus delegata, & idem ab illis duobus tantùm (te frater Rheginen.

inconsulto, nec vices tuas super hoc committente) ad judicium fuerat euocatus: tum quia ante ipsorum citationem & notitiam litterarum, pro eadem causa nuncium suum ad Apost. Sedem transmiserat, in quo decretalem Alexandri Papæ præ.n. sibi adfirmabat apertiùs suffragari. At iidem Archiepiscopi exceptiones ipsius nolentes admittere, contra eum vt responderet, interlocutoriam sententiam protulerunt: propter quod ad Sedem Apostolicam àdpellauit: .·.·. Fraternitati vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictos Archiepiscopos exceptiones prædictas nullatenus admisisse: non obstante eo, quod per ipsos factum est, decimas ipsas, quibus prædictus Montis Regalis Archiepiscopus se, postquam nuncius suus propter hoc ad Sedem Apostolicam accesserat, adserit spoliatum, præcipuè cùm easdem, tam sibi, quàm Ecclesiæ suæ à Sede Apostolica adserit confirmatas, siue per laïcalem potentiam, siue per eosdem iudices factum sit, cum fructibus inde perceptis restitui faciatis, audientes postmodum quantum de iure poteritis quicquid fuerit quæstionis.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CCCLXXXVIII. Huius species hæc est. Lis erat inter Archiepiscopos Montis Regalis, & Rossanensem super quibusdam decimis; à Pontifice causa commissa est Panormitano, Capuano, & Rhegiensi Archiepiscopis; Archiepiscopus citatus à duobus è tribus iudicibus datis, nimirum à Panormitano & Capuano apud eos comparuit, hisque exceptionibus vsus, se non teneri stare eorum iudicio, duabus de causis; Prima, quòd causa fuerat tribus delegata, & à duobus è tribus, nempe Panormitano, & Capuano fuerat citatus, præsente, & inconsulto, nec eis vices suas committente Rhegiensi: si enim tres iudices dati sint, duo non possunt procedere sine tertio, *l. item si vnus*, §. *vlt. & l. seq. ff. de recept. arbitr. l. duo ex tribus. de re iudicat. l.* IV. *C. quando prouocare non est necess. cap. causam, infrà, hoc tit.* & vbi duo vel plures iudices dati sunt simpliciter, non adiectâ clausulâ, *Si non omnes*, vnus è delegatis potest eis vices suas committere, vel cui voluerit, *cap. quamuis, cap. super quæstionum*, §. *si verò, hoc tit.* Secunda, quòd ante citationem nuncium miserat ad Sedem Apostolicam. Destinatio, seu missitatio nuncij ad Sedem Apostolicam habet vim & effectum appellationis, ex constitutione Alexandri III. *cap. ad hæc sicut. de appellat.* Explosis huiuscemodi exceptionibus Capuanus & Panormitanus interlocuti sunt, vt responderet, de quo cùm Archiepiscopus Montis Regalis appellasset ad Sedem Apostolicam, Pontifex causam appellationis commisit Archiepiscopo Rhegiensi, & Episcopo Cephadulensi, vt si constaret de causis appellationis, decimas ipsas, quibus Archiepiscopus Montis Regalis asserebat se spoliatum post appellationem, facerent ei restitui cum fructibus medij temporis. Attentata enim post appellationem reuocantur, *can. post appellationem* II. *qu.* VI.

CAPITVLVM XXIII.

IDEM CONVENTVI DE CONCHIS.

CVM super Abbatia monasterij vestri, inter vos & S. quondam Abbatem vestrum, fuisset quæstio agitata, demum super ea ad Lesionen. Episcopum, & Abbatem de Becco nostræ fuerant litteræ destinatæ: .·.·. Quamuis solus Abbas antequam adpellaretur ab eo, iuxta formam litterarum nostrarum procedere potuisset, quia tamen pro eo, quòd cum ipso Episcopo interlocutus est, adpellationem priùs ab eodem Episcopo interpositam non tenuisse: de iure sine ipso cùm posset & nollet

negocio interesse, per consequentiam confessus est, se non posse mandatum Apostolicum adimplere, nec suæ intentionis extitit, vt sine coniudice suo aliquid definiret, & cum eo, qui iam iudex esse desierat, aliquid super prædicto negotio ritè disponere non valebat, voluntate ac potestate sibi mutuò aduersantibus, cùm noluerit, quod potuerit, & quod voluerit adimplere, nequiuerit: quod à duobus factum fuerat, effectum non potuit de iure obtinere.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. lib. II. epist. XXXVIII. & illustratur epist. CCXCVII. lib. I. eiusdem Pontificis. Huius verò species hæc est: Quæstio vertebatur inter monachos cœnobij de Conchis, id est in Normannia, aliàs Castellionis dictum, de cuius fundatione Ordericus Vitalis lib. III. *Igitur Rogerius de Zoenio cœnobium Castellionis, aliàs de Conchis construxit, vbi Gilbertus Abbas vir magnæ honestatis & sapientiæ laudabiliter floruit.* Quæstio vertebatur, inquam, inter monachos cœnobij Conchensis, & Abbatem, super Abbatia ipsius monasterij, de qua ipse amotus legitur ob incontinentiam, & dilapidationem: post varias disceptationes tandem causa à Pontifice delegata Lexouiensi Episcopo, & Abbati Beccensi, vel potiùs, vt legitur in integra Decretali Abbati Vallis Richerij; idque cum clausula, *Quòd si non ambo*, &c. Partibus citatis, pars altera, id est, R. qui dicebatur intrusus, seu sublatus in locum S. Abbatis depositi, Lexouiensem Episcopum recusauit certis de causis: non admissa recusatione ab eo appellauit: post appellationem ab Episcopo interpositam Episcopus & Abbas coniunctim interlocuti sunt, appellationem non tenere, & per interlocutoriam S. Abbatem in locum restituerunt. Re rursus ad Apostolicam Sedem delatâ Pontifex pronunciauit, quod à duobus factum est post appellationem non tenere: processus vnius è iudicibus cum coniudice recusato nullus & irritus est; quia licèt solus Abbas posset procedere ob clausulam, *si non omnes*, cuius effectus talis est, vt quoties duo vel plures iudices dantur cum clausula, *si non omnes*, vno absente vel impedito alter solus possit cognoscere, *cap. coram, hoc tit.* quia iurisdictio tota in vnum refunditur, *cap. licet, hoc tit.* eius intentionis non fuit, vt solus procederet; & sic actus non potuit valere vltra intentionem agentis, vt *hic, & l. non omnis, ff. de reb. cred. l. 1. §. eum qui. de constit. pecun.* & non potuit procedere cum Episcopo recusato, quia is iudex esse desierat per appellationem, vt *hic, & cap. ex insinuatione. de appellat.* Et ita quod potuit noluit, & quod voluit adimplere nequiuit, quod sumptum est ex apicibus Iuris Ciuilis, *l. multum interest, C. si quis alteri vel sibi, l. si genero, C. de iure dot.*

CAPITVLVM XXIV.

IDEM ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

CONSVLVIT nos t.f. vtrum cùm ad recipiendos testes, depositiones publicandas eorum, vel sententiam proferendam peremptoriè citatas partes, & earum altera se absentat contumaciter die data, an circa vltimam partem saltem diei sit in negocio procedendum, vel in diem expectandum potiùs subsequentem. & si expectaueris, vtrum contumax iterum sit citandus, cùm non fuerit die partibus adsignatâ processum? Nos autem credimus distinguendum, vtrum iurisdictio duret post terminum peremptorium, an expiret in illo. Si durat, in diem alteram, æquitate suadente, poteris expectare: nec erit pars contumax peremptorio elapso citanda, nisi gratiam fecerit ei benignitas iudicantis. Si autem expiret, nisi partes, cùm id nouerint, se tibi præsentauerint eâ horâ, quâ congruè possis procedere ad exequendum id, propter quod eis legitimè terminum peremptorium adsignasti: ex tunc exequi pote-

ris quod intendis, ne frustra iudicialis instantia euanescat. Ne verò iudicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris, quia iuxta testimonium veritatis, qui malè agit, odit lucem. licèt enim secundùm consuetudinem & constitutiones legitimas more Romano dies à medietate noctis incipiat, in medio noctis desinat subsequentis, (vnde quod in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur) nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere quod incumbit. Porrò discretus iudex in adsignatione peremptorij, non debet iurisdictionem suam (nisi necessitas exigat) adeò coarctare.

IN iurisdictione ordinaria, si reus trino edicto citatus, iudicio absit per contumaciam, datur quartum edictum quod dicitur peremptorium; & post edictum peremptorium, cùm dies eius venerit, iterum absens citandus est, non per litteras, sed voce præconis, & siue respondeat, siue non respondeat, causa agitur, & causa cognita sententia pronunciatur, *l. & post edictum, cum dd. preced. ff. de iudic. l. diuus. de in integr. restit. l. properandum, §. & si quidem, C. eod.* Ordinem trium edictorum seruatum in citatione Rolandi Cancellarij, id est, Alexandri III quæ facta est à Victore pseudopontifice, refert Radeuicus lib. II. de gest. Frideric. cap. LXX. *Deinde venerabiles Episcopi &c. in conspectu Concilij testimonium perhibuerunt, quòd Rolandum Cancellarium, & partem eius trinis edictis per interualla peremptoriè, & solemniter ad præsentiam Ecclesiæ Papiæ congregandæ, remoto omni seculari iudicio vocauerunt.* In iurisdictione delegata distinguendum est, si iurisdictio delegati expirat in termino peremptorio, quem partibus assignauit, in termino peremptorio, nisi partes se præsentauerint horâ congruâ, potest procedere ad sententiam, ne frustra iudicialis instantia euanescat: quòd si iurisdictio durat post diem termini peremptorij, iudex ex æquitate poterit sustinere in alteram diem, nec erit contumax elapso termino peremptorio de nouo citandus, nisi hoc ei concedatur de gratia iudicantis, vt ostenditur *in hoc cap.* Ratio huius distinctionis est, quòd in negotiis Ecclesiasticis rigor Iuris Ciuilis non seruetur, *cap. dilecti. de iudiciis, cap. sæpe, de restit. spoliat. cap. I. de dol. & contumac. cap. interposita in fine. de appellat.* Licèt Iure Ciuili dies incipiat à media nocte, & desinat in mediam noctem subsequentem, ita vt quicquid in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde sit, ac si qualibet parte lucis agatur, *l. de more, ff. de feriis.* Tamen hoc iure procedendi hora congrua intelligitur, ex qua iudex possit ante noctem perficere quod incumbit, vt subdit Pontifex *in hoc cap.* ratione præmissa, ne iudicium Ecclesiasticum exerceatur in tenebris: & hoc iure restituitur vetus Ius Ciuile, quo iudicium soluebatur Solis occasu in XII. Tabulis, apud Gellium lib. XVII. cap. II. & Macrob. lib. I. cap. III. *Solis occasus suprema tempestas esto*, id est supremum tempus diei, quo iudicandi potestas sit: quò pertinet illud Iuuenalis Satyr. XIII. de Præfecto vrbi,

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus vrbis
Vsque à Lucifero, donec lux occidat, audit.

Porro discretus iudex non debet terminum peremptorium adeò coarctare, vt subditur in fine *huius cap. & cap. vlt. infrà, de dilat.*

CAPITVLVM XXV.

IDEM ABBATI DE BORDELLIS, ET PRIORI SANCTI SEPVLCHRI.

INSINVANTE R. rectore Sancti Saldati, ad audientiam nostram peruenit, quòd cùm causam, quæ super iure parœciali inter ipsum & T. vertebatur, Vigori. Episcopo & coniudicibus suis à nobis obtinuerit delegari, postmodum (licèt fuerit in eadem quæstione processum) tractu temporis ante diffinitiuæ sententiæ calculum idem Episcopus dictum

R. in familiarem admisit: sine quo alij coniudices (secundùm quod in nostris litteris mandabatur) in causa procedere non valebant, & alter ipsorum coniudicum Officialis est Episcopi supradicti: propter quod aduersæ parti poterat suspectus haberi. Vnde cùm tam Episcopus, quàm Officialis prædictus (vtpote quos idem R. in iudices postularat, & ipse familiaris eorum postmodum est effectus) ab aduersa parte possent meritò recusari, decisionem ipsius causæ vestræ petiit discretioni committi. Quocirca mandamus, quatenus si est ita (nisi postquam familiaris eius est effectus, litigare consenserit coram illo) in causa, secundùm priorem continentiam litterarum (ratione præuia) procedatis; alioquin partes ad priorum iudicum reuertantur examen.

IVRE Ciuili iudex datus recusari potest ante litem contestatam, post litem contestatam non admittitur recusatio iudicis, *l. apertissimi, C. de iudic. l. vlt. C. de sentent. & interlocut.* Quia litis contestatione iudex approbari, & in eum omnino consentire videntur litigatores, & recusationibus renunciare; semel probatum reprobare non possum, *l. Pomponius, ff. de negot. gest.* Præterea exceptio recusationis est dilatoria, & opponenda est ante litem contestatam, *l. pen. & vlt. C. de except. cap. inter monasterium. de re iudicat.* Hoc iure recusari potest post litem contestatam ex noua causa, id est, ex causa, quæ superuenerit de nouo, vel litigatoribus ab initio nota non fuerit; vt si post litem contestatam aduersarius fuerit factus familiaris iudicis, id est, commensalis, vt ostenditur *in hoc cap.* cuius species hæc est. Quæstio agitabatur inter Rogerium Rectorem S. Saldati, & Thomam Presbyterum super iuribus parochialibus, puta decimis: causa commissa est Episcopo Wigorniensi & coniudicibus, puta Officiali ipsius, vt exponitur in sequentibus, id est, Vicario: in Anglia, vbi lis agebatur, Officialis nomine intelligitur Vicarius Episcopi, *cap. ex frequentibus. de institut. cap. in tantum. de Simon.* Causa, inquam, commissa est Wigorniensi Episcopo, & coniudicibus cum clausula, *quòd si non omnes:* lite contestata, ante definitiuam sententiam Episcopus Wigorniensis Rogerium in familiarem, seu commensalem recepit, & ex eo suborta est causa recusandi tam Episcopum, quàm Officialem. Quocirca rem aliis iudicibus demandatam traditur *in hoc cap.* Iusta causa recusationis est, si alter ex litigatoribus fuerit factus familiaris, id est, commensalis iudici, *vt hîc & cap. accedens* I. & II. *infrà, vt lit. non contestat.* Familiaritas repellit iudicem, vt testem, *cap. in litteris. de testib. can. accusatores* III. *qu.* V. Itidem recusationis iusta causa est, si iudex sit consanguineus alterius litigatorum, vel in eadem causa aduocati officio functus est, *cap. postremo. de appellat.* Vel si sit collega aut socius, vt Canonicus in causa Concanonici, *cap. cùm R. Canonicus, hoc tit.* Vel si habet consimilem causam, *cap. causam quæ. de iudic.* Si sit dominus impetrantis, *cap. causam quæ, suprà, hoc tit.* vel vassallus eiusdem, *d. cap. accedens, infrà.* Iure Ciuili recusatio fit porrecto libello iudici, qui recusatur, *d. l. apertissimi, gloss. in l. quia poterat, ff. de Trebell.* non expressa causa recusationis. Olim reiectio iudicum fiebat postquam iudices sortitò missi essent in vrnam, & permittebatur accusatori, & reo reiicere quos putarent sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore, vt docuit Asconius in orat. pro Scauro. Fiebat autem recusatio his verbis solemnibus, Eiero illum iudicem, quia iniquus est. M. Tull. II. de Orator. *Cùm ei* (Scipioni) *M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset, eiero, inquit, iniquus est.* Dixit eiero, quia reiectio iudicum fiebat interposito iureiurando, non addita causa; sufficiebat iurisiurandi religio, nec erant probandæ, vel adferendæ causæ suspicionis. Q. Cicero de petit. consulat. *Vocem audiuimus iurantis se Romæ iudicio æquo cum homine Græco certare non posse.* Reiecto autem iudice, partes coguntur eligere arbitros, & coram eis litigare, *d. l. apertissimi:* sed hoc iure causa recusationis est alleganda coram iudice, & facta recusatione coguntur litigatores eligere arbitros, apud quos causæ recusationis examinentur, *cap. secundò requisiti, cap. cùm speciali. de appellat. cap. licèt de foro competent.* Qua re decepti sunt Iuris Canonici auctores, qui credidere, *d. l. apertissimi*, eligi arbitros recusationis iudicandæ causa, cùm palam sit eligi litis definiendæ gratiâ,

in summa Iure Ciuili solus iudex datus recusari potuit, *d. l. apertissimi.* Quia magistratus iure ordinario non iudicabant, sed iudices dabant ante constitutionem Diocletiani, quâ constitutum est, vt ipsi iudicarent, *l. II. C. de ped. iudic.* Ex quo etiam iudices ordinarij recusari potuere, iure verò Pontificio recusari potest, tam iudex ordinarius, quàm delegatus, *can. quod suspecti* III. *qu.* V. *cap. suspicionis, hoc tit. cap.* IV. *de foro compet. cap. postremo. de appellat.* Recusari potest iudex ex noua causa, puta superueniente familiaritate, vel inimicitiis post litem contestatam, quia quæ de nouo emergunt nouo indigent auxilio, *l. si pariter, ff. de liberal. caus. l. de ætate, §. ex causa, ff. de interrogat. in iure fac.* Et recusato Episcopo, eius Officialis, seu Vicarius per consequentiam recusari potest, vt definitur hîc, quia Episcopi & Officialis vnum est tribunal, & timendum est ne Officialis trahatur in sententiam Episcopi. Quòd si postquam vnus è litigatoribus iudici familiaris effectus est, alter coram iudice vltro & sciens contestatus sit, non est ampliùs locus recusationi, quia semel probatus reprobari non potest.

CAPITVLVM XXVI.

IDEM PRIORI SANCTI PHRIDIANI.

QVÆRENTI quid per censuram Ecclesiasticam: . ·. ·. Si verò delegatus à nobis excommunicet illum, qui rei iudicatæ parêre contemnit: licèt aliquibus videtur, quòd suo sit functus officio, vt alterius non habeat ex delegata sibi iurisdictione processum: alij autem dicant, quòd iurisdictio eius duret donec sententiæ pareatur: vt interim absoluere possit parere volentem. Nos tamen per æquitatis semitam incedentes, præsentium auctoritate statuimus, vt delegatus à nobis non solùm vsque ad quadrimestre tempus, quod ad soluendum debitum à lege reo conceditur, sed vsque ad integrum annum iurisdictionem sibi commissam, ad exequendum sententiam valeat exercere. sicut obseruatur in illo, qui ante litis contestationem contumax inuenitur.

IVRE Ciuili iudex datus à magistratu non habet executionem sententiæ, sed executio illius pertinet ad magistratum qui iudicem dedit, *l. à Diuo Pio tantùm, ff. de re indicat. l. properandum, §. sin autem, C. de iudiciis.* Quia iudex datus statim atque sententiam dixit desinit esse iudex, semel functus est officio suo, *l. iudex. de re iudic.* Iure Pontificio delegatus à Pontifice habet executionem sententiæ suæ per annum integrum, & si delegatus post sententiam excommunicet reum nolentem parere sententiæ, prout potest exequi sententiam suam per excommunicationem, *can. si quis deinceps* XVII. *qu.* IV. *cap. Odoardus. de solut.* Arnulph. Lexouiens. epist. ad Abbatem S. Ebrulfi de soluendo ære alieno sui decessoris. *Studij itaque vestri sit infra proximum Pentecosten satisfacere, sicut in nostra fuit præsentia constitutum, alioquin ex ea die fraternitatem vestram ab officio altaris noueritis ex qua præminemus auctoritate suspensam*, &c. Idem potest excommunicatum si sententiæ parere paratus sit, absoluere, non modò intra quadrimestre tempus quod datur condemnatis iudicati faciendi causa, *l.* II. *&* III. *C. de vsur. rei iudic.* & ex eo fonte, *hîc & cap. quod ad consultationem. de re iudicat.* sed per annum integrum, vt statuitur *in hoc cap.* Diuersæ hac in re fuêre sententiæ, vt hodie Pontifex *in hoc cap.* Nonnullis videbatur iudicem delegatum omnino non habere executionem suæ sententiæ, quòd sententiâ dictâ desinat esse iudex, & functus sit suo officio: aliorum laxior erat sententia, iurisdictionem iudicis delegati durare, quousque sententia executioni mandata sit; cuius sententiæ authorem deprehendimus Alexandrum III. *in cap. in literis, hoc tit.* In quo traditur iurisdictionem iudicis delegati cessare, ex quo sententiam executioni mandauit, quia semel functus est officio suo. Innocentius mediam sententiam secutus, quam plerumque amplectuntur Iuris auctores, vt in *l. adeò, §. cùm quis, ff. de acquir. rerum dom.* imbuti scilicet principiis

Stoicorum

Stoïcorum, qui medias sententias propensiùs sequuntur: vnde Stoïcos ercíscundos, id est, medium sequentes, vocauit Seruius III. Æneid. Innocentius, inquam, mediam sententiam secutus constituit *in hoc cap.* iudicem delegatum habere executionem sententiæ, non modò vsque ad quadrimestre tempus, quod condemnatis datur iudicati faciendi causa, sed in annum integrum. Actio iudicati perpetua est, & durat vsque ad triginta annos, *l. miles in fin ff. de re iudicat. l. sicut in rem, C. de præscript.* XXX. *annor.* sed executio rei iudicatæ iudici non datur vltra annum, *cap. plerumque. de rescript.* saltem absque litteris surannationis, quo iure vtimur in Gallia. Iudex datus quatenus habet sententiæ executionem, intra annum potest reum non parentem sententiæ excommunicare, & eundem absoluere intra annum si paratus sit parere; idémque obseruatur in illo, qui ante litem contestatam contumax inuenitur, vt subditur in calce *huius cap.* id est, iudex delegatus potest intra annum excommunicatione multare, cùm qui trino edicto conuentus, per contumaciam iudicio adesse contemnit, & eundem absoluere si paratus sit contumaciæ noxam expiare. Executioni iudicati præfigitur angustior terminus, nempe anni spatium, ne lusoria, & inania fiant iudicia, si mora fiat executioni rei iudicatæ, ex qua pendet auctoritas rei iudicatæ. Vnde ius dicenti non patere videtur, qui extremum in iurisdictione non impleuit, *l. vnic. ff. si quis ius dicent.* id est, qui frustratur moraturve executionem rei iudicatæ, quæ est extrema linea iurisdictionis. In executione sententiæ excommunicato datur annus quo absoluatur. Si enim excommunicatus quilibet, siue Clericus, siue laïcus, si in excommunicatione vltra annum insorduerit, non restituitur, *can. rursus, can. quicumque* XI. *qu.* III. Hoc iure à legatis Saxonum & Sueuorum Henrico V. Imp. à Gregorio VII. excommunicationis diris percusso obiectum pœnitentiæ locum non fore, nisi intra annum resipisceret, apud Lambert. Scaphnaburgens. libr. de gest. Germanor. *Quòd si ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio, excommunicatione non absoluatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus vltrà administrare annuam passus excommunicationem non posset.*

Capitvlvm XXVII.

IDEM CANTVARIEN. ARCHIEPISCOPO.

Svper quæstionum articulis, de quibus nos consulere voluisti, ti respond. quòd per constitutionem nostram consultationi Alex. Papæ nullatenus derogatur, sed illa per istam exponitur, imò in ista veriùs, quæ in illa fuerant prætermissa supplentur. Ipse namque respondit, quòd si super causa, quæ alicui ex Apostolica delegatione committitur, à personis Ecclesiasticis vna vel pluribus, quibus delegatus (vt parcat laboribus partium & expensis) causæ cognitionem ipsius, & testium examinationes, sententiâ sibi reseruatâ, committit, adpellatio fuerit interposita: huiusmodi adpellationis intuitu causam indefinitam relinquere non tenetur. Nos autem statuimus, quòd licèt is, cui causa committitur, remotâ adp. non possit eam aliis sine prouocationis obstaculo delegare: si tamen delegatus à nobis vel iudex quicunque non tam cognitorem, quàm executorem ad aliquem certum articulum, quempiam deputauerit, ab eo (nisi modum excedat) non liceat adpellari, dummodo de partium deputetur, vel recipiatur adsensu. Quòd si delegatus à nobis vel litis exordium vel causæ finem, necdum totum negocium ei duxerit committendum, ab ipso tanquam à iudice licitè prouocetur: cùm & lis ante iudicem debeat contestari, & causa per iudicem definiri. Intentionis igitur nostræ fuit (sicut ex tenore constitutionis præ-

missæ potest liquidè deptehendi) quòd vt iudicialis auctoritas liberiùs valeat exetceri delegatus à nobis licitè possit, & principium & finem, & medium causæ sibi commissæ, non solùm coniunctim, sed etiam diuisim alij delegare, non obstante quod dieitur, quòd iudex debet cognoscere per se ipsum in principio, in medio, & in fine: cùm antequam ferat sententiam, vniuersa, quæ acta sunt in iudicio, inuestigare debeat diligenter.

Verùm cùm totam causam committit alicui, vel principium aut finem ipsius: ab eo, tanquam à iudice potest licitè prouocari. Cùm autem alicui medium tantùm committit, ab ipso tanquam ab auditore prouocari non potest: nisi mandati fines excedat, vel meritò sit suspectus: vnde ne valeat recusari, prouidè statuimus, vt de partium detur vel recipiatur adsensu.

Porrò cùm delegatus à nobis iurisdictionem suam in alium transferr totam, si fuerit adpellandum, non ad eum, sed ad nos adpellari debebit. Cùm autem sibi aliquid de iurisdictione reseruat: si causa sit ei adp. re. commissa: non ad nos, sed ad eum poterit de iure adpellari. Vnde si forsan adpellaretur ab eo, cui media causæ committit, siue cognitor vel executor dicatur, vel (quod melius est) auditor, pro eo quòd mandati fines excedat, vel meritò sit suspectus, nihilominus tamen delegatus à nobis iuxta consultationem præmissam, causam poterit definire: vt parcatur laboribus partium & expensis.

Eum verò quem delegatus à nobis deputauerit auditorem, neutra partium poterit recusare, nisi coram eo iustam recusationis causam ostendat.

Si verò duo sunt à principe delegati, & vnus committit vices suas alteri, ille nec potest nec debet adpel. re. procedere, nec causam alij delegare, quamuis in commissione facta duobus contineatur, expressum, vt adp. re. alter possit procedere sine reliquo, si non possunt ambo pariter interesse. Quia quod potest ex sola iurisdictione sibi à Principe delegata, non potest cum iurisdictione sibi à condelegato commissa. Vnde si ab eo fuerit adpellatum, licèt aliquibus visum fuerit, quòd ad condelegatum valear adpellari: nobis tamen videtur, quòd ad primum duntaxat adpellandum est delegantem, propter rationem superiùs adsignatam.

Eius ergo adpellatio, de quo tua fraternitas nobis scripsit, si nostræ constitutionis occasione ad nostram audientiam adpellauit, pro eo quòd delegatus à nobis reseruatâ sibi definitiuâ sententiâ, audientiam causæ commisit quibusdam, qui de partium adsensu nec dati sunt, nec recepti: nisi contra eos iustam recusationis causam ostenderit, vel paratus fuerit ostendere coram iudice delegato: non debuit impedire, quo minus procederent auditores. Qui etiam si tanquam suspecti fuissent meritò recusati: delegatus tamen à nobis nihilominus potuisset, sublato adpellationis diffugio, causam iudicialiter expedire. Quòd si iustam recusationis causam noluit admittere delegatus, sed coram suspectis eum litigare cogebat, à tali grauamine licitè potuit ad nostram audientiam adpellare: quódque post adpel. huiusmodi est præsumptum, iudicari debet irritum & inane.

ALII sunt iudices ordinarij, alij delegati; ordinarij sunt qui iurisdictionem propriam exercent iure suo, iure magistratus, seu officij, non alieno beneficio, *l. more maiorum, ff. de iurisdict. l. cùm prætor. de iudic. l. vlt. C. vbi & apud quem cogn. it. in integr.* quales sunt in foro ciuili Præfectus vrbi, Prætor, & alij magistratus vrbani, *d. l. cùm Prætor.* Procunsules & Præsides in prouinciis, *l. omnes, C. de Episcop. & Cleric. l. 11. C. de proxim. sacr. scriniar.* Trebell. Pollio in Floriano: *Omnis prouocatio Præfecti vrbis erit, quæ tamen à Proconsulibus & ab ordinariis iudicibus emerserit.* Iudices delegati sunt qui à Principe, vel à magistratu seu iudice ordinario mandatam habent iurisdictionem, *d. l. more maiorum.* Delegata sunt mandata, quæ manant à Principe, vel alio Superiori. Hoc sensu delegata Domini accepit Augustin. sermon. LXXVI. de tempore: *Cæterum dispendium magnum est, si cùm tibi Dominus ad hoc dederit, vt dispenses, eius delegata non serues.* Hinc iudices ordinarij semper distinguuntur à delegatis, & potestas delegatorum curatio dicitur, alia à magistratu. M. Tullius Verrina IV. *Magistratus curationes sacerdotia:* & idem II. in Rullum: *Omnes potestates, imperia, curationes ab vniuerso populo Romano proficisci conuenit.* Vel procuratio Adherbal ad Senatum, apud Sallustium de bell. Iugurth. *Micipsa pater meus moriens mihi præcepit, vt regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam, cæterum ius & imperium eius penes vos esse.* Iure Ciuili magistratus, seu iudex ordinarius potest iurisdictionem suam mandare in totum, vel ex parte, *d. l. more maior. & d. l. cùm Prætor.* Magistratus olim non iudicabant, sed iudices dabant, nisi in quibusdam causis, de quibus extra ordinem cognoscebant. Hodie ea constitutione Diocletiani, magistratus de quibus causis quòd ipsi non cognoscerent iudices dabant, notionis suæ examen adhibere debent, ita vt si propter publicas occupationes, vel causarum multitudinem, non possint ipsi cognoscere, iudices dandi habeant potestatem; exceptis causis de quibus olim extra ordinem cognoscebant, puta de causis status, id est, ingenuitatis, vel libertinitatis, de quibus ipsi per se cognoscere iubentur, *l. 11. C. de pedaneis iudic.* quia causa status requirit maiores iudices, *l. non distinguemus, §. de liberali, ff. de recept. arbitr. l. vlt. C. vbi caus. stat.* Magistratus seu iudex ordinarius potest arbitrum, seu iudicem dare, etiam interdum viatorem, id est, apparitorem vice arbitri dare potest, re vrgente, *l. vlt. ff. de indic. & l. v. §. ne tamen. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt.* Iudex, inquam, ordinarius potest iudicem dare litis instruendæ gratia, puta potest mandare alij examinationem testium, aliis locis degentium, *l. iudices, C. de fide instrument.* Potest & mandare custodiarum cognitionem, id est, reorum qui custodiâ tenentur auditionem; sed hoc genus mandati extraordinarium est, *l. solent, ff. de offic. Proconsul.* Custodiarum auditionem dixit Tertullian. Apologetic. cap. IX. *& vtique non deesset nobis in auditione custodiarum, & damnatione sanguis humanus.* Et ex Nouella constitutione Iustiniani iudex ordinarius, reseruatâ sibi litis contestatione & sententiâ, cætera litis potest assessoribus delegare, ob publicas occupationes. Nou. LX. cap. II. *Auth. ad hæc, C. de iudic.* Et hoc verum est in ciuilibus causis. In criminalibus enim iudex per se testes audire, & cætera exequi debet, Nou. XC. cap. V. *Auth. apud, C. de fid. instrument.* Iudex verò delegatus non potest subdelegare, nisi sit delegatus à Principe, *l. à iudice, C. de iudic. l. vnic. C. qui pro sua iurisd. cap. Pastoralis, infrà, hoc tit. cap. cùm causam, de appell.* Iudex delegatus à Principe, vel Summo Pontifice potest subdelegare; quia propter dignitatem delegantis habet quasi propriam & ordinariam iurisdictionem, Cassiodor. VI. variar. epist. XV. *Propria iurisdictio est quæ datur à Principe.* Iudex delegatus à Pontifice potest subdelegare non passim, & sine causa, sed ex iusta causa; puta si ob valetudinem, vel publicas occupationes non possit rei delegatæ operam dare; nec potest quamcumque causam delegare, putà causam grauiorem quæ absque eo non possit commodè definiri, qualis est inquisitio, seu ordinario Ecclesiæ; quia eius industria & fides electa est, *cap. si pro debilitate. cap. quoniam Apostolica, §. is autem, hoc tit.* quæ ratio hausta est ex *l. inter artifices, ff. de solut.* Porro iudex delegatus à Summo Pontifice, ex constitutione Innocentij III. quæ continetur *hoc cap.* non modò totam causam, sed & principium, medium, & finem causæ sibi commissæ coniunctim vel diuisim, seu separatim alij potest subdelegare. Litis exordium est litis contestatio, nec potest dici iudicium antequam lis contestata sit, *l. amplius, ff. rem rat. haber.* Medium, testium examinatio; finis, sententia quæ liti finem

imponit. Neque obſtat quod Iure Ciuili iudex debet cognoſcere per ſe ipſum in principio, in medio, & in fine, *d. auth. ad hæc.* Cùm antequam ferat ſententiam, vniuerſa acta iudicij diligenter debeat recenſere, vt ſtatuitur initio *huius cap.* & perinde eſt ac ſi totius cauſæ cognitionem pet ſe habuiſſet. Iudex autem datus à Pontifice appellatione remotâ non poteſt alium ſubdelegare, abſque prouocatione, vt additur initio *huius cap.* Alius quàm Princeps non poteſt iudicem dare appellatione remotâ, *l. 1. in fin. ff. à quib. appell. non lic.* Si tamen delegatus à Pontifice, vel quilibet iudex ordinarius, non tam cognitorem, quàm executorem ad aliquem certum articulum litis quempiam delegauerit, ab eo, niſi modum excedat, non licet appellare, dummodo de partium conſenſu fuerit delegatus; à iudice appellatur, ab executore non appellatur, niſi rei iudicatæ modum excedat, *l. ab exſecutore. ff. de appell. l. quoniam, C. eod. tit. l. ab executione, C. quor. appell. non recipiant.* Quòd ſi delegatus à Sede Apoſtolica, vel litis exordium, vel cauſæ finem, necdum totum negotium cui delegauerit, ab ipſo tamquam à iudice appellatur, cùm & lis ante iudicem debeat conteſtari, & cauſa per iudicem definiri. Et quod conſtitutione Alexandri III. quæ refertur hîc, extátque in *cap. cùm te conſulente, ſuprà, hoc tit.* iudex delegatus à Pontifice cauſæ cognitionem, & teſtium examinationem poteſt delegare, reſeruatâ ſibi ſententiâ; & ſi à tali ſubdelegato appellatum fuerit, non vetatur obtentu huiuſmodi appellationis ſententiam ferre: non corrigitur, ſed ſuppletur hac conſtitutione Innocentij III. qua iudex delegatus à Summo Pontifice non modò totam cauſam, ſed & principium, medium & finem poteſt ſubdelegare, hoc colore vt parcatur laboribus partium & expenſis; quod repetitur in §. *porro huiuſce cap. & cap. vt debitus, infrà, de appellat.* Et res ſuppletur adhibitâ hac diſtinctione; aut iudex delegatus totam cauſam, vel principium & finem ſubdelegauit, & ab eo tamquam à iudice appellatur; aut iudex delegatus medium litis, puta teſtium examinationem commiſit, & tunc ab eo tamquam à nudo executore non licet appellare, niſi mandati fines excedat, dummodo datus ſit de partium conſenſu, quia examinatio teſtium poſtquam iudex recepit teſtes, & eos iuramento adegit, non eſt actus iuriſdictionis, ſed meræ executionis, & nudi miniſterij, vt docet Panormit. initio *huius cap.*

Ad §. Verum, eiuſdem cap.

A iudice appellatur, non ab executore, niſi modum excedat. Si iudex delegatus à Pontifice deleget totam cauſam, vel principium, aut finem ipſius, à ſubdelegato tamquam à iudice poteſt appellari. Si autem delegatus medium tantùm ſubdeleget puta examinationem teſtium, ab ipſo tamquam ab auditore prouocari non poteſt, quia examinatio teſtium non eſt actus iuriſdictionis, ſed nudæ executionis & miniſterij; excipitur, niſi mandati fines excedat, quo caſu etiam ab executore appellatur, *d. l. ab executione*, vel niſi meritò ſit ſuſpenſus: vnde ne poſſit recuſari dandus eſt ex conſenſu partium; iudex datus ex conſenſu partium non poteſt recuſari, *cap. inſinuante, ſuprà, hoc tit.* Semel probatus reprobari non poteſt, *l. Pomponius, ff. de negot. geſt.* Ab eo tamen appellari poteſt, *l. ex conſenſu, ff. de appellat.* Neque obſtat quòd à iudicibus in quos partes conſenſerint non licet prouocari, *can. à iudicibus 11. qu. VI.* Quia hic can. eſt de iudicibus compromiſſariis, à quibus appellare non licet propter vinculum compromiſſi, *l. diem, §. ſtari autem, l. non diſtinguemus, §. cùm quidam, ff. de recept. arbitr.* In d. verò *l. ex conſenſu*, agitur de iudice dato ex conſenſu litigatorum citra compromiſſum.

Ad §. Eum verò, & §. vlt. eiuſdem cap.

SI ordinarius, vel delegatus à Summo Pontifice recuſatur, cauſa recuſationis proponenda eſt coram eo, & eliguntur arbitri, coram quibus cauſa recuſationis probanda eſt, *cap. ſuſpicionis, hoc tit. cap. ſecundo requiris, cap. cùm ſpeciali. de appellat.* Non recurritur ad ſuperiorem, vt parcatur laboribus partium, & expenſis. Idem ſeruandum eſt vbi delegatus ordinarij recuſatur, cauſa recuſationis proponenda eſt coram ipſo, & probanda coram ordinario, *cap. ſi contra vnum, hoc tit. in VI.*

Ad §. Porro, eiusdem cap.

Ex hac constitutione delegatus à Summo Pontifice potest subdelegare, vel totam causam, vel principium, medium aut finem, cum hoc discrimine, vt si integrum causæ subdelegauerit, non ad eum, sed ad primum delegantem, id est ad Pontificem appelletur. Sin autem partem delegauerit, si delegatus sit appellatione remotâ, ab eo non appellatur ad Pontificem, sed ad eum qui subdelegauit, vt exponitur in *hoc* §. *& l.* 1. §. *fin. ff. quis à quo appelletur*. Ratiò discriminis est, quòd priori casu delegatus totam iurisdictionem à se abdicauit, & desiit esse iudex, vnde ad eum tamquam non ampliùs iudicem prouocari non potest; posteriori verò cùm adhuc iudex perseuerat, rectè ad eum appellatur, regulariter à delegato appellatur ad delegantem, *cap. si duo, cap. si delegatus, hoc tit. in* VI. His aduersari videtur *l. vnic. C. qui pro sua iurisd.* Ex qua constituitur, si delegatus à Principe alium subdelegauerit, appellationis iure iudicium remeare ad ipsum. Sed hæc lex accipienda est iuxta distinctionem Pontificis; quando scilicet causa non est subdelegata in totum. Non idem obseruandum est in iudice ordinario, vt si is totam causam delegauerit, non prouocetur ad ipsum, sed ad Superiorem; quia Ordinarius committendo totam causam iurisdictionem retinet, abdicando se non amittit iurisdictionem, *l. legatus, ff. de off. Proconf.* Ita vt causam delegatam possit reuocare ad se, cùm voluerit, *l. iudicium soluitur, ff. de iudic.* A delegato naturaliter iurisdictio redit ad delegantem; & hoc est quod innuitur in *d. l. vn.* cùm dicitur à iudice dato appellationis iure iudicium remeare ad delegantem. Vnde iudex ordinarius iudicis à se dati sententiam exequitur, *l. à Diuo Pio init. ff. de re iudicat.* Ex quo satis colligitur ordinarium delegatione causæ iurisdictionem à se non abdicare.

Ad §. Si verò, eiusdem cap.

Si duo sint delegati à Principe, vel à Summo Pontifice, appellatione remotâ, adiectâ vulgari clausulâ, *quòd si ambo, vel si non omnes*, & vnus è duobus vices suas alteri commiserit, ille non potest procedere appellatione remotâ, nec alium subdelegare appellatione remotâ, quamuis in mandato Principis nec Pontificis expressum sit, vt si ambo pariter interesse non possint, alter possit procedere sine socio, appellatione remotâ; quia quod licet ex mandato Principis, non licet ex mandato condelegati: vnde si ab eo appelletur, non appellatur ad condelegatum, sed ad primum delegantem, id est, ad Principem, vel Pontificem. Ratio est, quia cùm delegatus à Pontifice in totum mandat alij iurisdictionem suam, ab eo non appellatur is qui mandauit, sed Pontifex, vt traditum est in §. *porro*. Et hoc loco simpliciter committens vices suas totam iurisdictionem mandasse videtur, *cap. venerabili, infrà, hoc tit.* In quo dicitur iudicem delegatum à Pontifice, committendo vices suas functum esse officio suo. Iudex delegatus à Pontifice potest alium subdelegare exemplo delegati à Principe; sed subdelegatus non potest alium subdelegare, *cap. cùm causam quæ, infrà, de appellat.* Non obstat *cap. cùm Bertholdus. de re iudicat.* in quo proponitur subdelegatos ab iis, qui delegati erant, à Legato Apostolicæ Sedis testes recepisse; quia hoc proponitur de facto, non de iure, vt satis patet ex eo quòd ab iis appellatum est ad Pontificem. Ergo si vnus è iudicibus delegatis iurisdictionem suam mandauerit iudici condelegato, ab eo non appellatur ad condelegatum, quia à pari ad parem non appellatur, *l.* 1. §. *denique, ff. de appellat.* Ac nimis absurdum esset appellari ad subdelegantem, quia subdelegatus cognosceret de facto sui collegæ, quod à iure abhorret. Par in parem non habet imperium, *l. est receptum, ff. de iurisd.* & appellatio deuoluitur ad Superiorem, non ad parem, *cap.* 11. *de consuetud. in* VI.

Capitvlvm XXVIII.

IDEM EPISCOPO HELIEN.

PAstoralis officij: .·.·. Consul. t. duximus respondendum; quòd cùm delegata à Principe iurisdictio dandi inuicem sit à lege concessa (dummodo ipse exonerare seipsum malitiosè non quærat) potest compellere renitentem, eo quòd iurisdictio illa nullius videretur momenti, si coërcitionem aliquam non haberet. Delegatus tamen debet solicitè prouidere, vt si personis superioribus (exigente necessitate) negocium duxerit delegandum: in coactionibus inferendis dignitati deferat & personæ.

Item cùm totum negocium alij possit committere delegatus, sicut superiùs est expressum: citationis officium potest cuilibet (discretione præuia) demandare, ac punire meritò contemptorem.

Præterea postulasti, si cùm à sententia lata auctoritate literarum nostrarum, in quibus adpellatio est inhibita, fuerit adpellatum, & literæ post adpellationem ad iudices alios emanauerint: an ad mandatum posteriorum iudicum executio sententiæ à prioribus delegata debeat retardari, vt priores iudices ipsam neque per se, neque per alios exequantur. Nos autem inquisitioni t. t. r. quòd cùm adpellationis causam ex certa scientia iudicibus aliis committimus cognoscendam, adpellationem videmur recipere, ac iurisdictionem priorum iudicum reuocare, vt interim executio sententiæ suspendatur, donec adpellationis merita pleniùs sint discussa: .·.·.

Quia verò sæpe contingit, quòd executio sententiæ Ordinario demandatur: quæsiuisti, an si ipsam iniustam esse cognouerit, debeat eam executioni mandare? an sit ei potiùs subsistendum? Attendentes itaque quòd non cognitio sed executio tantùm demandatur eidem: respondemus, quòd cùm Ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat: .·.·.

Cùm autem sæpe contingat, ad diem, quam iudex delegatus à nobis partibus adsignauit: earum alterâ procurante, vt negocium prorogetur, iudicem ipsum à Rege vel Archiepiscopo euocari. Nos peruersorum volentes malignitatibus obuiare, decernimus vt si delegato constiterit hoc fuisse alicuius partis malitiâ procuratum, ipsam puniat animaduersione condignâ: & (ne aliquod lucrum ex huiusmodi fraude reportet) personæ neutri parti suspectæ, quantum ad diem illum, committat ipsum negocium audiendum: quæ in ipso, adpellatione remotâ, procedat: nisi fortè partes consenserint negocium prorogari.

DElegatvs à magistratu non potest subdelegare, *l. à iudice, C. de iudic.* Hoc distat ab ordinario iudice, quòd omnino litem per se peragere debet cum consiliariis, id est, assessoribus suis, *auth. ad hæc, C. eod.* Singulare est, quòd delegatus à Principe subdelegandi potestatem habet à lege, vt hic, & *d. l. à iudice.* Quia habet quasi propriam & ordinariam iurisdictionem, propter prærogatiuam dignitatis eius qui mandauit. De-

legatus à Principe iudicem dare potest etiam inuitum, vt probatur hîc, quia iudicis officium est munus personale & necessarium, *l. proponebatur, ff. de iudic. l. vlt. §. iudicandi. de munerib. & honorib.* In hanc rem M. Tull. pro Muren. *Cogendi iudices inuiti, retinendi contra voluntatem.* Delegatus à Principe potest subdelegare, dummodo malitiosè seipsum non exoneret. Neque enim malitiis est indulgendum, *l. in fundo, ff. de rei vindicat.* Et renitentem potest compellere, putà captis pignoribus, vel multæ dictione, quæ duo spectant ad modicam coërcitionem quam habuere magistratus municipales, *l. quemadmodum, §. magistratus, ff. ad l. Aquil. l. III. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt, l. 1. §. an tamen. de damn. infect. l. II. §. vlt. de iudic.* Iudex datus renitens compellitur, vt iudicandi munus suscipiat captis pignoribus, vel multâ pecuniariâ. Hoc pacto & Senatores cogebantur adesse Senatui, M. Tull. Philipp. 1. *De supplicationibus referebatur, quo in genere Senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratiâ.* Iudex delegatus à Principe habet modicam coërcitionem, vt compellat iudicem renitentem, & detrectantem munus iudicandi; quia iurisdictio nulla est sine modica coërcitione, vt traditur hîc: quod haustum est ex *l. vlt. ff. de offic. eius cui mandat. est iurisd.* Delegatus à Pontifice potest subdelegare superiores personas, vt probatur hic, & in *cap. ex litteris, infrà, hoc tit.* quia delegatus à Pontifice in causa delegata maior est Ordinario, *cap. sanè quia, suprà, hoc tit. cap. Pastoralis, infrà, de offic. ordinar.* Delegatus à Pontifice debet subdelegare idoneas personas, nec alias quàm quales solet ipse Pontifex delegare, putà dignitate præditas, vel personatum obtinentes, aut Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, *cap. statutum. de rescript. in VI.* Delegatus tamen debet cauere, vt si superioribus personis exigente necessitate negocium duxerit delegandum, in coactione inferenda, id est, in modo coërcitionis dignitati deferat & personæ. Dignitatis enim ratio semper habenda est, *can. contumaces 1. dist.* Iure Ciuili etiam magistratus non potest viatorem, id est, apparitorem arbitrum seu iudicem dare, ne humilitate personæ, iudicis munus vilescat, vel iudicis imperitia damnum inferat litigatoribus: & si nonnumquam ei permittitur viatorem vice arbitri dare, hoc rarius & nonnisi re vrgente faciendum est, *l. vlt. ff. de re iudic.* idque in rebus quæ cognitionem non desiderant, sed nudam executionem.

Ad §. Item cùm totum, eiusdem cap.

DELEGATVS à Pontifice cùm totam causam alij possit demandare, citationis officium potest cuilibet committere & detrectantem coërcere, putà suspensione, vel multâ pecuniariâ. Vnicuique iudici concessum est iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio, *l. vn. ff. si quis ius dicent. non obtemperan. l. nullum, C. de testib. cap. dilecto. de sentent. excommun. in VI.* Delegatus à Principe exemplo magistratus suos apparitores & nuncios sibi assumit, *l. pen. C. de fructib. & lit. expens.* Nec cogitur citare partes per apparitorem seu nuncium iudicis ordinarij, sed potest assumere nuncium, & cuilibet committere citationis officium, ac detrectantem coërcere. Omnes iudices habent potestatem apparitores suos ob culpam, vel delictum coërcendi, *l. omnes, C. de offic. rect. prouinc. l. ne diu, C. de pœn. l. nulli, C. quor. appell. non recipiat.* Delegatum suum nuncium habere decretum est in Conc. Londinensi habito MCCXXXVII. apud Matth. Paris. *Statuimus ne per impetrantes, vel eorum nuncios, in causis Ecclesiasticis Regni Angliæ, litteræ citatoriæ de cætero non mittantur, sed iudex moderatis sumptibus impetrantis, per suum fidelem nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat.*

Ad §. Præterea, eiusdem cap.

REGVLARITER appellatio suspendit executionem rei iudicatæ, etiam priusquam recepta fuerit, *l. 1. ff. nihil innou. appell. interpos. l. furti, §. 1. de his qui not. infam. l. chirographis, §. ab eo. de admin. tut.* Singulare est quòd delegatus à Pontifice appellatione remotâ impunè potest procedere ad executionem sententiæ, etiam appellatione interpositâ, quò vsque recepta sit appellatio à Pontifice, & ab eo alij iudices dati super causa appellationis. Ex quo verò à sententia iudicis dati à Pontifice appellatione remotâ appellatum est, & iudices alij dati à Pontifice ex certa scientia super causa

appellationis, executio sententiæ à priori latæ suspenditur, donec appellationis merita pleniùs sint discussa, vt probatur *hoc loco, & cap. dilectus* 11. *suprà, de rescript.* Dixit appellationis merita, id est, causas appellationis: eodem sensu merita causarum dicuntur in *l.* 1. *C. de offic. ciuil. iudic. His horis quibus causarum merita, vel fata panduntur.*

Ad §. Quia verò, eiusdem cap.

DELEGATVS à Principe sententiam suam exequitur per se, vel per alium, *cap. quærenti, suprà, hoc tit.* & potest mandare executionem sententiæ suæ Ordinario, quia delegatus in causa delegata est maior Ordinario, *cap. sanè quia, suprà, hoc tit.* Et hoc moris esse, vt delegatus executionem sententiæ demandet Ordinario, ait Pontifex in *hoc* §. Vnde est quòd intelligamus hoc ius moribus introductum esse. Multa enim è consuetudine transierunt in ius, *l. pen. C. de fideiuss.* Et Ordinarius, cui à delegato mandatur executio sententiæ, etiamsi ipsam iniustam esse cognouerit, eam exequi compellitur, nisi apud ipsum efficere, id est, precibus obtinere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat. Ratio est quòd executor non habet cognitionem, sed executionem, vt Pontifex ait in *hoc* §. Rei iudicatæ executor datus non potest cognoscere de litibus rei iudicatæ, id est, an rectè iudicatum sit, *l. si vt proponis, C. de execut. rei iudicat.* Summatim tantùm potest cognoscere de his quæ incidunt in executione rei iudicatæ, *l. à Diuo Pio, § si rerum, ff. de re iudic. l. & si non cognitio, C. si contra ius, vel vtilitat. public.* Et si in executione laboret, seu hæsitet, rem remittere solet ad superiorem qui commisit.

Ad §. vlt. eiusdem cap.

IVDEX delegatus à Principe, vel à Summo Pontifice, appellatione remotâ, non potest alium subdelegare appellatione remotâ, vt probatum est, *cap. super quæstionum init. vers. nos autem, & §. si verò.* Singulare est, quòd si delegatus à Pontifice appellatione remotâ, die statutâ partibus, quam Græci *κυρίαν* vocant, dolo alterius litigantium euocetur à Principe, vel ab Archiepiscopo vt negotium prorogetur, potest interim dare iudicem, vel cognitorem appellatione remotâ, nisi partes consentiant negocium prorogari, vt definitur in *hoc* §. Quod constitutum est in odium doli artificis. Malitiis enim est obuiandum, nec lites sunt protelandæ. Non obstat *cap. cùm R. infrà, hoc tit.* ex quo delegatus à Principe, ex iusta causa potest subdelegare appellatione remotâ; hoc enim obtinet ex rescripto Pontificis, non ex mandato delegati.

CAPITVLVM XXIX.

IDEM ABBATI SANCTI HILARII, ET MAGISTRO G. CA. TERVIS.

EX litteris Patriarchæ Granden.. . . Mandamus, quatenus, nisi vobis constiterit, quòd litteræ quæ secundo loco ad Archipresbyterum Paduanum impetratæ dicuntur, de prioribus litteris ad Primicerium Granden. & plebanum sanctæ Sophiæ obtentis expressam fecerint mentionem, vt per secundas primæ adpareant reuocatæ: cùm primos iudices auctoritate litterarum nostrarum iurisdictionem non sit dubium habuisse, quam potuerunt postmodum Patriarchæ, quoad executionem sententiæ demandare, ex qua coërcitionem etiam idem Patriarcha receperat: cùm huiusmodi demandata iurisdictio delusoria videretur, si subdelegatus huiusmodi coërcitionem aliquam non haberet: interdicti sententiam ab eodem Patriarcha in Castallan. Archi. promulgatam pro eo quòd eiusdem Patriarchæ executionem impediens, eius litteras, quibus mandatum prædictorum iudicum nunciabat, legi in publicum non permisit: tamdiu faciatis inuiolabiliter obseruari, donec eidem Patriarchæ de

de iniuriis irrogatis sufficienter fuerit satisfactum. Si verò constiterit primas litteras, per secundas legitimè reuocatas: cùm adpareat primos iudices iurisdictionem nullam penitus habuisse: & ita constet per consequentiam Patriarcham ipsum non recepisse iurisdictionem, vel coërcitionem aliquam ab eisdem, prædictam interdicti sententiam denuncietis irritam & inanem.

CONTROVERSIA vertebatur inter Alananum Presbyterum & Canonicos S. Iustinæ, id nomen oppido Istriæ Episcopali, sede insigni sub Patriarchio Aquileiensi, super canonicatu, seu præbenda ipsius Ecclesiæ. Causa primùm ad petitionem Canonicorum commissa est Primicerio Gradensi, & Plebano S. Sophiæ de Venetiis. Plebanus, seu Parochus est idoneus executor rescripti Apostolici, vt probatur hic, quia habet personatum, *cap. ex parte. de rescript. cap. personas. de appellat. cap. vlt. vt clerici, vel Monach.* Quæ qualitas, seu conditio sufficit in executore rescripti Pontificij, *cap. statutum. de rescript. in* VI. Postea eadem causa fuit commissa Archipresbytero Paduano, non factâ, vt dicebatur, in posteriori rescripto prioris mentione. Archipresbyter Paduanus vi huiusce rescripti Canonicos S. Iustinæ excommunicatione mulrauit, quòd Presbyterum non reciperent in Clericum, & in fratrem. Primicerius Gradensis, & Plebanus S. Sophiæ, priores delegati, Gradensi Patriarchæ mandarunt, vt Canonicos non excommunicatos nunciaret, cùm in posteriori rescripto de priori mentio non fieret. Rescriptum posterius non derogat priori, nisi in eo expressa mentio fiat de priori, *cap. caterum. de rescript.* Cùm Patriarcha Gradensis vellet exequi mandatum delegatorum priorum Pontificis; delegatus enim à Pontifice potest mandare executionem sententiæ suæ Ordinario cuilibet; quia est maior Ordinario in causa delegata, *cap. sanè quia, suprà, hoc tit.* Archidiaconus, Capellanus, idémque Plebanus Ecclesiæ S. Sophiæ in qua huiusmodi nunciationem fieri mandatum erat, rem impediuit: quam ob causam Patriarcha Archidiaconum & Ecclesiam supposuit interdicto. Re delatâ rursus ad Sedem Apostolicam, Pontifex mandauit aliis iudicibus, vt si eis constaret priores litteras non esse expressè reuocatas per posteriores, sententia dicta in Archidiaconum rata haberetur; alioquin eadem sententia nulla & irrita diceretur. Hæc est species *huius cap.* ex quo stante priori rescripto Gradensis Patriarcha, tamquam subdelegatus à delegatis Pontificis, potuit coërcere inobedientes & contumaces: subdelegatus à delegatis Pontificis potest coërcere contumaces excommunicatione, suspensione, vel interdicto; quia habet modicam coërcitionem, sine qua lusoria & inanis esset iurisdictio. etiam delegatus Ordinarij habet modicam coërcitionem, *can. pervenit* XI. *qu.* I. & minores magistratus putà municipales etiam habent modicam coërcitionem, *l. Magistratibus, ff. de iurisd. l. item apud.* §. *vnde quarit. ff. de iniur.*

CAPITVLVM XXX.

IDEM EPISCOPO PICTA.

LICET vndique: . · . ·. Cùm igitur duxeris requirendum, si causam tribus iudicibus delegamus, adponi in litteris nostris illam clausulam facientes, quòd si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrûm nihilominus eam exequantur: & vnus postquam commiserit cuidam ex aliis, vices suas, de medio sit sublatus, tertius vt suspectus meritò recusetur: an collega superstes suo nomine ac defuncti possit negocium definire? Inquisitioni t. t. r. quòd si iurisdictione à suo sibi collega delegatâ eo viuente vti non cœperit, quia mandatum huiusmodi re integrâ morte mandatoris expirauit: non habet solus officium iudicandi. si verò ante mortem illius iurisdictione vti cœperit taliter demandatâ: vices suas & alius poterit adimplere.

de appellat. Vnde sumprum est *cap. intimasti, infrà, de appellat.* Lege Cornélia falsi tenetur qui viui testamentum aperuerit, *l. 1. §. is qui aperuerit. ff. de leg. Cornel. de fals. l. si quis aliquid, §. qui viui, ff. de pœn.* Notatur Augustus quod Antonij testamentum pro concione aperuerit, recitaritque. Hoc factum ἀλλόκοτον καὶ δεινόν, *indignum & graue visum*, ait Plutarch. in Anton. Dio lib. 1. παρανομώτατον ἔργον, *factum iniustissimum.* Filio quoque obiectum quòd matris litteras quas amatorias credebat, in foro apud Proconsulem recitasset. Apul. Apolog. II. *Huc vsque vobis miserum istum puerum deprauatum, vt matris suæ epistolas quas putat amatorias, pro tribunali Proconsulis recitet, apud virum sanctissimum Claudium maximum, ante has Imperatoris Pij statuas, filius matris suæ pudenda exprobret stupra, & amores obiectet.*

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM ABBATI, ET CAPELLANO SANCTÆ M. BON.

CORAM dilecto filio M. Diacono Cardinali, quem tibi & H. nuncio, & clerico sanctæ Agathæ aduersario tuo, qui cum instrumentis eiusdem Ecclesiæ, sed absque litteris de ratihabitione, ad Apost. Sed. accesserat; sed de rató cauerat, sub fideiussoria cautione, concessimus auditorem: proponere curauisti, quòd cùm quidam in parœcia sanctæ M. in honorem beatæ Agathæ Ecclesiam construxisset, Alexand. Papa prædec. no. causam super hoc Abbati sancti Stephani, & Priori sancti Victoris commisit terminandam: qui pro Ecclesia sanctæ M. definitiuam sententiam protulerunt: verùm Capellanus sanctæ Agathæ sententiæ parere contempsit. Cúmque super eadem causa coram Ferrarien. Episcopo, per annum discrepatum fuisset, pars Ecclesiæ sanctæ Agathæ horum veritate suppressa, magistrum L. Bon. Canonicum obtinuit eidem Episcopo in causæ decisione adiungi: qui cùm causæ interesse non posset, prædictus Episcopus cui per sequentes litteras mandabatur, vt si ambo interesse non possent mandatis Apostolicis exequendis, ea ipse nihilominus adimpleret: sententiam prædictam confirmauit: .·. Nuncius verò Ecclesiæ sanctæ Agathæ inter alia proposuit, quòd cùm dictus Magister L. vices suas alij delegasset, Episcopus admittere noluit subdelegatum, sed post adpellationem ad nos interpositam solus in causæ cognitione processit: .·.·. Sed econtrà fuit responsum quòd Ferrarien. Episcopus solus procedere potuit, cùm in vltimæ commissionis litteris fuisset insertum, quòd si ambo interesse non possent, prædictus Episcopus nihilominus exequi procuraret: quod non intelligitur, vt si per se, vel per alios interesse non possent: quia id raró, vel nunquam contingeret, sed si non posset personaliter interesse. Idem igitur Cardinalis latam ab eodem Ferrarien. Episcopo sententiam confirmauit, & aduersæ parti super hoc perpetuum silentium duxit imponendum. Nos ergo, quod ab eo factum est, auctoritate Apostolica confirmamus.

SI primo iudici delegato post litem contestatam secúndus adiunctus sit cum clausula *quòd si ambo*, vel *quòd si non omnes*; hoc casu si secundus vices suas alij commiserit, primus non tenetur admittere subdelegatum à secundo, & potest solus procedere; quia clausula *si ambo*, non intelligitur, si per se, vel per alium interesse non possint, quia vix est, vt quis per alium interesse non possit; sed ita demum, si non possint personaliter interesse, vt ostenditur *in hoc cap.* Effectus huius clausulæ, *quòd si ambo*,

testationibus publicatis, cùm super dictis testium inter partes fuisset postmodum disputatum: Tandem pars Comitis proposuit, quòd de damnis in nemoribus & rebus aliis datis, super quibus testes deponere videbantur, cognoscere non debebant, cùm in rescripto nostro nulla de damnis mentio haberetur: .·.·. Iudices autem interlocuti sunt, quòd super damnis datis à Comite, ad eos cognitio pertinebat. Quo audito Comes ad adpellationis beneficium conuolauit. Vnde ipsum iudices euocatum, & nec per se nec per responsalem idoneum comparentem, excommunicationis vinculo constrinxerunt: .·.·. Quia verò super damnis datis, antequam lis fuerit contestata, nequaquam ad dictos iudices cognitio pertinebat, cùm in rescripto nulla de illis mentio haberetur; nec ad ipsos potuerit iurisdictio prorogari, cùm procurator ad illa solummodo intelligatur constitutus, quæ in commissionis litteris inueniuntur expressa; & postquam Comes publicatis adtestationibus intellexit super his fuisse depositum, protinus contradixit: nos eosdem iudices pronunciauimus minùs iustè interlocutos fuisse, ac sæpe dictum Comitem qui ob hoc ad adpel. beneficium conuolauit, excommunicationis sententia non fuisse ligatum.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Petrus Comes Altissiodorensis cœpit construere molendinum & stagnum & domum seu castrum in fundo, qui dicebatur proprius Abbatis, & monasterij Vezeliacensis, sic lege pro Vergiliacensis. Vezeliacense cœnobium est fundatum in diœcesi Æduensi à Girardo Comite Rossilionco, & Bertha eius vxore; cuius priuilegia confirmauit ipse Innocent. lib. I. epist. CXXXVII. XLIX. & L. Agentibus monachis causa demandata est Episcopo & Thesaurario Niuernensi, lite contestatâ super petitione monachorum receptis hinc inde testibus, & publicatis attestationibus Comes proposuit, quòd de damnis in nemoribus & rebus aliis datis, super quibus testes deposuere, cognoscere non debebant iudices, præter fines mandati seu commissionis suæ, in qua nulla de his mentio habebatur; iudices interlocuti super damnis datis à Comite cognitionem ad se pertinere. Quo audito Comes statim ad Sedem Apostolicam appellauit, spretâ appellatione iudices ipsum vocatum, nec per se, nec per alium comparentem excommunicationis sententiâ multarunt. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, Pontifex rescripsit sententiam, tamquam à non competente iudice latam, nullam & irritam esse; quia super damnis datis antequam lis fuerit contestata, subaudi sciente domino, nequaquam ad dictos iudices cognitio pertinebat; cùm nulla de illis mentio fieret in litteris Pontificiis; nec procurator potuerit prorogare iurisdictionem iudicum ad illa sine mandato, cùm ad illa solùm constitutus intelligeretur, quæ in commissionis litteris continerentur. Nec iurisdictio fuerit prorogata consensu partis; quia statim atque intellexit testes auditos super damnis datis prouocauit ad Sedem Apostolicam. Litis seu controuersiæ materia fuit constructio castri & molendini cœpta à Comite in fundo monasterij Vezeliacensis. Eâ enim ætate Principes & Comites iure regalium sibi vindicabant ius construendi munitiones & molendina vbique in territorio & districtu suo, etiam in proprio fundo Ecclesiæ, & molendina sita in fluminibus nauigij patientibus eodem iure, quo ipsa flumina inter regalia censebantur: & hoc iure ea venere in restitutione regalium, quæ facta est Friderico ab Episcopis proceribus, & ciuitatibus Italicis. Guntherus Ligurin. lib. VIII.

Ac primùm Ligures super hoc à Rege rogati
Vectigal, portus, cudendæ iura monetæ,
Cúmque molendinis telonia, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et Capitolitium certo sub tempore censum:
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

ab eo impetrauit litteras, quibus mandabatur iudici antè delegato, vt R. Canonico optionem relinqueret iudicis, quem maluerit in ciuitate, vel diœcesi Ianuensi, exceptis Canonicis Ianuensibus, qui cùm essent eius socij meritò habebantur suspecti. Canonicus in causa Concanonici, vt iudex suspectus recusari potest ob societatem, quæ est inter Canonicos eiusdem Ecclesiæ. Canonici eiusdem Ecclesiæ sunt socij & fratres, *cap. nouit, infrà, de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* Societas ius fraternitatis quodammodo in se habet, *l. verum est, ff. pro soc.* Societas commilitij caritatem, & affectum auget in LV. fratres & agnatos, *l. de hæreditate. ff. de castrens. pecul. l. cùm allegas, C. eod. lib.* XII. Quælibet societas parit amicitiam, ob id amici præsumuntur commilitones, & connauigantes. Aristotel. Ethic. lib. VIII. cap. XI. ἐν ἁπάσῃ γὰρ κοινωνίᾳ δοκεῖ τι δίκαιον εἶναι, καὶ φιλία δέ· προσαγορεύουσι γοῦν ὡς φίλους, τοὺς σύμπλους, καὶ τοὺς συστρατιώτας. *Nam in omni societate aliquod ius & amicitia esse videtur, itaque quasi amicos appellant connauigantes & commilitones.* Quod vni è litigatoribus datur optio eligendi iudicis, quem maluerit, exceptis Canonicis eiusdem Ecclesiæ, hoc intelligendum de consensu alterius litigantium, qui litteras impetrauit; alioquin nimis durum & iniquum esset, dari iudicem quem vnus è litigatoribus maluerit. Non datur iudex, quem altera pars nominatim petat: id enim iniqui exempli est, ex rescripto D. Adriani, *l. obseruandum, ff. de iudic.* & id genus iudicum hi sunt quos ædilitios vocat M. Tull. pro Plancio: *Neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi ædilitios iudices es secutus; quod genus iudiciorum, si est æquum, nulla in re, nisi hac tribunaria non intelligo.* & idem pro Murena: *Idem ædilitios iudices esse voluisti.* Dandus, inquam, non est iudex, quem vnus è litigatoribus poscit, nisi hoc specialiter permittatur à Principe, vt consulatur verecundiæ petiti iudicis, *d. l. obseruandum*, vel nisi alter litigatorum consentiat, vt contigit in hoc casu, & nonnumquam eueniebat, vt vnus è litigatoribus fiduciâ sui iuris, & litis celeriùs expediendæ studio, consentiret in iudicem quem aduersarius vellet, & ita Damœtas Palæmoni apud Virgil. Eclog. III. *Nec quemquam fugio*, id est, vt rectè subnotat Seruius, *Consentio in eum iudicem, quem tu eligis.* Meritò autem P. Ciuis Genuensis, locum S. Dominici, vt suspectum recusauit, ob graues inimicitias ciuitatis suæ, ob quas tutus eò non erat accessus: locus vt suspectus recusari potest in iudiciis, *l. quid tamen, §. pen. ff. de recept. arbitr. cap. ex parte. de appellat.* Ex quo in causis, quæ sunt inter Anglos dandi non sunt iudices in Wallia constituti, quòd Anglis ad eos tutus non sit accessus ob graues inimicitias & frequentia bella, quæ exurgunt inter Anglos & Wallenses, vt exponitur in *antiqua Decretali.* Walli seu Wallenses sunt Britanni indigenæ, qui ab Anglis pulsi in eam Insulæ partem se recepere, quæ Wallia dicitur, & dolore ereptæ patriæ in Anglos adeò alienis animis fuere, vt monachi Bangotienses, qui erant in Wallia, Anglos in fide Christiana instituere, & ipsi Augustino primo Anglorum Episcopo in prædicando Euangelio præsto esse noluerint, vt retulit Beda lib. II. cap. II. Polydor. Virgil. lib. IV. Hist. Anglican. ac tanta fuit animorum dissensio, vt Britones qui iidem sunt ac Wallenses, abstinerent à communione Anglorum, perinde ac si essent pagani. Idem Beda lib. II. cap. XX. *Quippe cùm vsque hodie moris sit Britonum, fidem religionémque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare quàm paganis.* Si tutus igitur non sit accessus ad iudices delegatos, locus vt suspectus recusari potest; & si recusatio non admittatur, iusta est causa appellandi, etiamsi causa delegata sit appellatione remotâ. Neque enim hæc clausula, *appellatione remotâ*, remouet omnem appellationem, sed tantùm frustratoriam, & moratoriam, *cap. Pastoralis, eod. tit.* & hoc ita procedit, nisi iudices dati assignent partibus locum idoneum & securum, *d. cap. ex parte:* & si locus non sit tutus, iudices debent prouidere partibus de loco tuto & securo, *cap. accedens, infrà, vt lit. non contestat. cap. cùm locum. de sponsalib. can. fine. de coniugy* XXXII. *qu.* II. Dixi Canonicum in causa Concanonici, vti suspectum iudicem recusari. Idem tamen potest testis audiri in causa Concanonici, *cap. litteras. de præsumpt.* quia maior est copia iudicum quàm testium.

CAPITVLVM XXXVI.

IDEM ROTHOMAGEN. ARCHIEPISCOPO.

CVM contingat interdum, quòd laici:.·. ·. Insuper requisiti sumus, cùm quis conqueritur in se à suo Episcopo post adpella. ad nos legitimè interpositam, vel aliàs, iniustè excommunicationis sententiam promulgatam, & nos iudicibus damus in mandatis, vt si est ita, iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium illi impendant, vel eandem sententiam denuncient esse nullam: ac Episcopus paratus sit probare se in illum, antequam vocem adpellationis emitteret, vel aliàs, iustè huiusmodi sententiam protulisse, an probationibus non admissis liceat iudicibus excommunicatum absoluere, vel denunciare sententiam esse nullam? Ad quod t.r. quòd cùm quis conqueritur se post adpella. ad nos legitimè interpositam excommunicatione fuisse innodatum, semper vtriusque partis probationes sunt admittendæ, antequam ad decernendum super hoc aliquid procedatur; per quas denique adparebit, an absolutione indigeat conquerens, vel denunciandus sit potiùs non ligatus. In eo verò casu, cùm excommunicatum quis se adserit iniustè, vix vel nunquam est eius (antequam absolutus fuerit) probatio admittenda, nisi tunc tantùm, cùm adserit in excommunicationis sententia intolerabilem errorem fuisse patenter expressum: ad quod probandum admittitur antequam absolutionis gratiam consequatur. Verùm si proponat se simpliciter excommunicatum iniustè, ac Episcopus ad probandum, quòd iustè ipsum excommunicauit, suas postulet probationes admitti, non est ante absolutionem ipsius aliquatenus audiendus, cùm etsi pro certo constaret rationabiliter in illum excommunicationis sententiam promulgatam, nihilominus esset ei absolutio impendenda humiliter postulanti: & ideo in hoc casu illum credimus iuxta formam Ecclesiæ protinus absoluendum: vt sic demum probationibus vtriusque partis admissis, vtrum iustè vel iniustè ligatus fuerit, decernatur.

SI quis conquerarut se non ritè ab Ordinario excommunicatum, putà post appellationem, à iudicibus datis non est absoluendus, nisi causâ priùs cognitâ, id est, admissis vtriusque partis probationibus, per quas appareat, an absolutione indigeat, vel denunciandus sit non ligatus. Sed si quis conqueratur se iniustè excommunicatum, vix aut numquam eius probationes admittendæ sunt, ptiusquam absolutus fuerit, nisi asserat excommunicationis sententiam latam per errorem supinum & intolerabilem. Quòd si dicat simpliciter se iniustè excommunicatum, probationes contra eum non sunt admittendæ, priusquam absoluatur: nam etsi planè & liquidò constaret excommunicationis sententiam temerè latam esse, nihilominus absolutionis beneficium esset impendendum humiliter postulanti: igitur priùs absoluendus, tum admittendæ probationes. Excommunicatus enim non est audiendus, ante absolutionem, vt probatur *in hoc cap. & cap. per tuas. de sentent. excommunicat.* In hoc casu necessaria erat causæ cognitio, ante absolutionem; quia non petebatur absolutio ad cautelam: post appellationem tamen petenti non denegatur absolutio ad cautelam, causâ nondum cognitâ, præstitâ cautione iuratoriâ de parendo mandato Ecclesiæ, *d. cap. per tuas, cap.* II. *cap. venerabilibus, §. porro, §. potest, eod. tit. in* VI. *cap. qua fronte. de appellat.* Et huiusmodi remedium absolutionis ad cautelam non est recens inuentum, vt credidere nonnulli,

nonnulli, ſed manauit ex conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, vt teſtatur ipſe Pontifex, in *d. cap. per tuas*, hoc loco, *quamquam Apoſtolica Sedes etiam tales conſueuerit abſoluere ad cautelam.* Et huius veſtigia extant in act. x. Conc. Calched. & Conc. Agathenſ. can. III. apud Gratianum *can. Epiſcopi* XI. *qu.* III.

TIT. XXX. *De officio Legati.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. C. TI. S. LAVRENTII IN LVCINA PRESBYTERO Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato.

NISI ſpecialis illa dilectio, quam ad perſonam tuam habuimus & habemus, iuſtum motum animi noſtri temperaret, pœnâ docente, cognoſceres, quantum exceſſeris, qui ſpretis canonicis ſanctionibus, & conſuetudine generali, motu proprio præſumpſiſti Troianum Epiſcopum de Troiana Eccleſia ad Panormitanam de facto transferre.

CAPITVLVM IV.

QVOD tranſlationem: .·.·. Licèt in regno Siciliæ generalis ſit tibi commiſſa legatio, ad ea tamen ſine ſpeciali mandato noſtro non debuiſti manus extendere, quæ in ſignum priuilegij ſingularis ſunt tantùm Summo Pontifici reſeruata: & ſi quædam ex his, quæ de ſpeciali conceſſione ſæpe fuere Legatis indulta, vt illorum videlicet abſolutio, qui propter ſacrilegas manuum iniectiones in clericos, incidunt in Canonem promulgatæ ſententiæ, videantur ex ipſo legationis officio iam licere Legatis: an exiſtimas, quia vices noſtras tanquam Legato tibi commiſimus exequendas, quòd Panor. Eccleſiam poſſes ſubiicere Meſſan. vt illam præficeres iſti, conceſſo ſibi priuilegio primatiæ? An putas ex eadem cauſa tibi licere, duos Epiſcopatus vnire, vel vnum diuidere ſine licentia ſpeciali?

TRIPLEX eſt genus Legatorum Sedis Apoſtolicæ: alij ſunt Legati, qui aſſumuntur è Collegio Cardinalium, qui dicuntur à latere, quòd mittantur à latere, & è ſinu Pontificis, *cap. 1. huius tit. in* VI. Laterales vocitauit Iuo Carnotenſ. epiſt. CIX. *Inde eſt quòd multi præpoſitorum facta, gladio lingua ferire cupientes, dicunt Sedem Apoſtolicam non ſubditorum quærere ſanitatem, ſed ſuam, aut lateralium ſuorum quærere commoditatem.* Huiuſmodi Legatos ἐκ προσώπου mitti eleganter dixit Balſamo in præfat. Synodi VI. in Trull. λεγάτοι δ' εἰσὶν οἱ ἐκ προσώπου λεγόμενοι, οἵ τινες καὶ μερικὴν δικαιοδοσίαν ἔχουσι. *Sunt autem Legati, qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent iuriſdictionem.* A latere dicti exemplo Legatorum Principis, quos à latere, id eſt, comitatu Principis proficiſci multis locis obſeruatur, vt apud Poſſid. in vita Auguſt. cap. XIII. *Marcellinum ab Honorio Imperatore à latere miſſum Tribunum, & iudicem in Africam, vt intereſſet collationi cum Donatiſtis apud Carthaginem:* & in vita Ludouici P. *fideles ac credituri os à latere ſuo miſit.* Huiuſmodi non ſolent mitti à Pontifice, niſi ob grauiores cauſas: inde nouum & indecens viſum, quòd à Ioanne XVIII. Pontifice Petrus Cardinalis Legatus in Galliam miſſus, vt conſecraret Lucacenſem baſilicam, petente Fulcone Comite Andegauenſi, authore Glabro Rodulpho lib. II. cap. IV. Alij ſunt Legati minores, putà Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, qui vices Apoſtolicas ſuſcipiunt in certa prouincia, vt in *vtroque hocce cap.* idque ratione perſonæ non Eccleſiæ, *cap. mandata. de præſumpt. can. ſeruatis* XXV. *qu.* II. Et hi ſunt, qui τοποτηρηταί

dicuntur; id est, locum tenentes Pontificis, Balsamoni in præfat. Synodi Carthaginenſ. Alij ſunt Legati nati, qui legationis munus obtinent ex priuilegio Eccleſiæ ſuæ, vt Cantuarienſis Archiepiſcopus in Anglia, *cap.* I. *hoc tit.* Arelatenſis in Gallia, *can. in Galliarum* XXV. *qu.* II. Piſanus in Corſica ex priuilegio Gregorij VII. teſte ipſo lib. VI. epiſt. XII. Vtrumque hoc cap. pertinet ad Legatum à latere miſſum in Siciliam. Innocentius II. Rogerium donauit regno Siciliæ, ſimul & priuilegio de non mittendo Legato in Siciliam, niſi quem ipſe peteret, vt docet nos epiſt. Romanorum ad Conradum, quæ eſt apud Othonem Friſingenſ. lib. I. de geſt. Frideric. cap. XXVIII. *Papa conceſſit Siculo virgam & annulum, dalmaticam & mitram, atque ſandalia, & ne vllum mittat in terram ſuam Legatum, niſi quem Siculus petierit.* Hoc priuilegium reuocaſſe videtur Innocent. III. epiſt. CCCCXLVII. ad Epiſcopos Siciliæ lib. II. *Nos etiam quoties neceſſitas poſtulauerit, Apoſtolicæ Sedis Legatos ad vos curabimus deſtinare, qui quæ plantanda ſunt plantent, & euellant, quæ fuerint euellenda, quorum obediatis monitis & præceptis, nullo prorſus in omnibus præſcriptis capitulis obſtante priuilegio vel reſcripto, quod à Sede Apoſtolica fuerit impetratum.* Legato à latere in Siciliam miſſo ſuccenſet Pontifex hic, quòd motu proprio præſumpſiſſet Troianum Epiſcopum de Troiana Eccleſia ad Meſſanam metropolim transferre, & Eccleſiam Panormitanam ſubiicere Meſſanæ, conceſſo illi iure Primatus. Legatus à latere non poteſt ſine ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ transferre Epiſcopum de vna ſede ad aliam, vel vnam Eccleſiam alteri ſubiicere; quia ea ſunt de maioribus cauſis, quæ ſunt reſeruatæ Sedi Apoſtolicæ. Maiores cauſæ reſeruatæ ſunt Summo Pontifici; vt tranſlatio Epiſcoporum, *can. mutationes, can. Epiſcopus* VII. *qu.* I. Mutatio ſedium Epiſcopalium, *can. temporis qualitas, ead. cauſ. & qu.* Vnio & diuiſio Epiſcopatuum, *can. & temporis qualitas, can. poſtquam* XVI. *qu.* I. *cap. ſicut vnire. de exceſſ. Prælat.* Exemptio Epiſcoporum à iuriſdictione Metropolitani, *can. frater noſter* XVI. *qu.* I. Depoſitio, & reſtitutio Epiſcoporum, *can. ideò* II. *qu.* VI. *can. quamuis* III. *qu.* VI. Quæſtio fidei, *can. quoties* XXIV. *qu.* I. *cap. maiores. de baptiſm.* Conuocatio Concilij generalis, *can.* I. XVII. *diſt.* Nec mouet quòd Legatus à latere, ex legationis officio, poteſt abſoluere excommunicatos, ob ſacrilegam iniectionem manuum in Clericos, vt in *cap. quod tranſlatione, & cap. ad eminentiam. de ſentent. excommunic.* Quædam ſunt quæ ſpecialiter ſolent Legatis concedi, & ex conſuetudine tranſierunt in ius, & videntur iam licere Legatis, ex ipſo legationis officio; vt abſolutio excommunicatorum, ob percuſſionem Clericorum, etſi à Canone reſeruata ſit Sedi Apoſtolicæ, *can. ſi quis ſuadente* XVII. *qu.* II. *cap. non dubium. de ſentent. excommun.* Abſolutio excommunicatorum ob manuum iniectionem in Clericos venit in mandato generali legationis, quia Legatis mandari ſolet, vt Iure Ciuili quæ contractibus bonæ fidei apponi ſolent, ſi fortè omiſſa ſunt, ineſſe videntur, *l. quod ſi nolit.* §. *quia aſſidua, ff. de ædil. edict.* Sed hoc non eſt trahendum ad alios caſus, in his quæ ſunt iuriſdictionis, vel iuris ſingularis: argumentum non ducitur ab vno caſu ad alium. Ac demum ea quæ ſpecialiter reſeruata ſunt Sedi Apoſtolicæ, non tranſeunt in Legatum ſine ſpeciali mandato: generali mandato non transferuntur ea, quæ quis ſpecialiter conceſſurus non fuit, *l. qui peculij, ff. de pecul. cap. in generali. de R. I. in* VI. vt obligatione generali non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter obligaturus non fuit, putà veſtis, vel ſupellex, *l. obligatione, & ſeq. ff. de pignorib.*

CAPITVLVM V.

IDEM BONON. EPISCOPO ET M. CAPELLANO SVBDIAC. NOSTRO.

LICET Tranen. Canonici ab initio diſſenſiſſent, tandem vnanimiter conſenſerunt, G. fratrem Caſſinen. Abbatis in Archiepiſcopum eligentes, cuius electionem Portuen. Epiſcopus tunc Legatus, examinari præcepit: .·.·. Nuncius præfati Abbatis nobis litteras præſentauit, grauem contra iam dictum Legatum querimoniam continentes, quòd poſtquam electionem examinauerat, & eam ad noſtræ deliberationis examen tranſtulerat, nunciis iam directis, electionem eandem

malitiosè nimis examinare præsumpsit: . . . . De consilio fratrum nostrorum examinationem secundam, tanquam à non suo iudice factam, postquam negocium ad nostrum fuerat translatum examen, censuimus irritam & inanem.

VACANTE Ecclesia Tranensi, quæ est Archiepiscopalis Apuliæ, Canonici vnanimiter elegerunt in Archiepiscopum G. fratrem Abbatis Cassinensis, vel, quæ lectio probabilior est, ipsum Cassinensem Abbatem. Portuensis Episcopus tum Legatus in illis partibus electionem examinauit, & dubitans an confirmaret, ea de re retulit ad Principem, & gestis relationis missis ad Principem iterum electionem examinauit. Hac de re questo Abbate Cassinensi, Pontifex causâ cognitâ, secundam examinationem factam à Legato post relationem missam ad Principem, censuit irritam esse, & inanem: & hæc est species *huius cap.* Examinatio & confirmatio electi spectabat ad Legatum à latere; quia confirmatio exemptorum & immediatè pertinentium ad Summum Pontificem spectat etiam ad Legatum à latere, *cap. si Abbatem. de elect. in* VI. Tamen ex quo Legatus semel examinauit electionem, & de ea retulit ad Pontificem, non potest rursus electionem examinare. In dubio iudex debet consulere Principem vel Pontificem, & si ad eum retulerit, interim nihil de hac re iudicare debet, & expectandum est Superioris responsum, *l. inter, §. deportandi, ff. de interd. & relegat. l.* I. II. *&* III. *C. de relat. l. ex illo, C. de appellat. cap. intimasti, infrà, eod. tit. can. nomen Presbyteri* II. *qu.* I. Augustin. epist. CXXXVII. *Si illius iudicium meo vellem iudicio praeuenire, quod nec in iudiciis secularibus iudices faciunt, quando causa dubitatio ad maiorem potestatem refertur, vt pendente relatione, aliquid inde audeant commutare.*

CAPITVLVM VI.

IDEM SANCTI P. ET S. LEONIS ABBATIBVS, ET R. ARCH. TVLLEN.

DILECTVS filius R. Metensis Canonicus intimauit, quòd cùm Prænestinus Episcopus Apost. Sed. Legatus Ecclesiam sancti Trudonis contulisset eidem: Meten. Archid. ad quem illius Ecclesiæ præsentatio pertinebat, adserens quòd eodem inconsulto conferri non potuit à Legato, Canonicum ipsum super eadem Ecclesia molestare præsumit. Cùm igitur plus iuris habeat in concessione prælatus, quàm in præsentatione patronus, nec præiudicetur prælato, si quando per Apost. Sed. Legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur: mandamus, quatenus dictum Archid. vt ab eius super hoc molestatione desistat, adpel. rem. cogatis.

HVIVS cap. species hæc est, Prænestinus Episcopus, vnus è sex Cardinalibus Episcopis, Apostolicæ Sedis Legatus in Gallia, contulit Ecclesiam S. Trudonis R. Canonico Metensi. Est monasterium S. Trudonis in Hasbania Leodiensis diœcesis, in quo quiescit D. Eucherius Aurelianensis Episcopus, de quo in *can. quia iuxta* XVI. *qu.* I. & apud Adreuald. lib. I. de mirac. S. Bened. cap. XIV. Metensis Archidiaconus, ad quem illius Ecclesiæ præsentatio pertinebat, Canonicum illum super eadem Ecclesia molestare non dubitauit, ratus quòd eodem inconsulto conferri non potuit à Legato. Re cognitâ, Pontifex mandauit, vt Archidiaconus desineret molestiam inferre dicto Canonico. Motus est Pontifex hac ratione, quòd plus iuris habet in concessione, seu collatione Prælatus, quàm in præsentatione Patronus. Per præsentationem acquiritur ius ad rem, non in re, vt hic per institutionem seu collationem beneficij acquiritur ius in re, *cap. si tibi. de prabend. in* VI. *cap. vlt. in fin. de concess. prabend. eod.* Nec præiudicatur Prælato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum, eo inconsulto beneficium confertur: id est, Legatus à latere potest conferre beneficium etiam inconsulto patrono Ecclesiastico, vt *hic, & cap. officij, hoc tit. in* VI. *cap. dilectus. de iur.*

patronat. cap. vlt. de confir. vtil. Nec per huiusmodi collationem præiudicatur collatori ordinario; subaudi in futurum. Collatio enim Summi Pontificis, vel Legati non mutat statum benefici): ergo cùm Legatus à latere possit conferre beneficium inconsulto Ordinario, non facit iniuriam patrono, si beneficium conferat eodem inconsulto. Non debet queri patronus, beneficium conferri per Legatum se inconsulto; cùm conferatur etiam inconsulto Ordinario, qui pinguius ius habet in beneficio, quàm patronus.

CAPITVLVM VII.

IDEM ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

NOVIT ille, qui nihil ignorat: .·.·. Ex parte tua querimoniam accepimus, quòd cùm tibi Legatus esset certâ ratione suspectus, extra fines regni Francorum in terram tuam interdicti sententiam promulgauit: .·. Tuæ magnificentiæ respondemus, quòd etsi fines regni Francorum exierat, nondum tamen fuerat terminos suæ legationis egressus: cùm non solùm in regno Francorum, sed in Vien. Lugdun. & Bisuntin. prouinciis iniunctam sibi à nobis legationis sollicitudinem suscepisset.

MAGISTRATVS extra prouinciam, vel territorium ius dicere non potest. Ex quo enim prouinciæ, vel territorij fines excesserit, priuatus est, *l. III. ff. de offic. præsid. l. vlt. ff. de iurisd.* & Legatus Apostolicæ Sedis extra prouinciam officium legationis exercere non potest, *cap. dilecto. de præbend. in IV. collect.* Ob id Paulus cùm ad Hebræos scriberet, se Apostolum Hebræorum non inscripsit, ne cùm esset gentium Apostolus ἐκ περιουσίας præter officium ad Hebræos scribere videretur, vt scripsit Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων, apud Euseb. lib. VI. cap. XI. Legatus autem in pluribus prouinciis, in vna potest res, quæ pertinent ad aliam, expedire, vt *in hoc cap.* Cùm Legatus in regno Francorum, & finitimis prouinciis, extra fines regni Francorum positus, sacris interdixisset regno Francorum: is fuit Petrus Cardinalis & Legatus Sedis Apostolicæ, qui sententiam interdicti promulgauit extra fines regni Francorum, de qua Auctuarium Aquicinctiot. ad ann. MCC. *Petrus Cardinalis pertransiens Burgundiam transcendit Apenninum montem, sententiam quam in Francia ex domni Papæ præcepto dare debuerat, ibi dedit, & Regem sacris cum sua terra interdixit,* &c. & Philippus Augustus Rex Francorum appellasset ab ea sententia interdicti, tamquam irritâ, & inani, quòd extra fines regni Francorum prolata esset; Pontifex pronuntiauit, sententiam à Legato dictam ratam esse; quia licèt à Legato lata fuerit extra fines regni Francorum, non tamen extra fines suæ legationis, quia Legatus vices sacras gerebat non modò in regno Francorum, sed & in Viennensi, Lugdunensi, & Bisuntinensi prouinciis, quas olim non Regni, sed Imperij fuisse notum est, ex quo regnum Burgundiæ cuius caput erat Arelate, quo continebantur Lugdunum, Vienna, & Bisontium, delatum est Conrado I. Imperatori, testamento Rodolphi Regis liberis orbi, vt commemorant Sigebertus ad ann. MXXXIV. Abbas Vrspergensis in Conrado I. & Otho Frisingensf. lib. II. de gest. Frideric. cap. XXIX. & Auctuarius Frisingensf. cap. XXI. Legatus in pluribus prouinciis, potest in vna res pertinentes ad aliam explicare; quia plures prouinciæ quoad Legatum, & legationem, pro vna & eadem habentur, vt acutè sensit Innocentius hoc loco, quem secuti sunt Hostiensis, Io. Andreas & alij; & hoc ob vinculum potestatis, quòd plures prouinciæ eiusdem Legati potestate, & legationis mandato continentur, vt fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vinculo patriæ potestatis, & subiectionis vniti sunt, *l. frater à fratre, ff. de condict. indebit. & l. cum bonis. de adqu. hered.*

TIT. XXXI. *De officio iudicis ordinarij.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. AVSITANO ARCHIEPISCOPO.

QVANTO deuotio religioſorum: ·.·. Ad audientiam noſtram noueritis perueniſſe, quod Monachi, Canonici, & alij Regulares tuæ prouinciæ cùm deberent potiùs in clauſtro iuxta regularia conſtituta diuinis obſequiis vigilare, de obedientiis & reditibus, quorum curam geſſerunt pecuniâ congregatâ, clauſtrum abhorrentes, per curias principum & potentum diſcurrere non verentur: .·.·. Mandamus, quatenus quoſcunque tales inueneris, niſi ad commonitionem tuam reſipuerint, vt proprium in manibus prælatorum ſuorum ſine difficultate reſignent, conuertendum in vtilitatem domus ſecundùm Abbatis conſilium, & regularem vitam obſeruent: ſi prælati eorum poſt ſuam commonitionem id exequi negligenter omiſerint, per ſuſpenſionem officij & beneficij adpellatione remotâ compellas.

HOc cap. integrum petendum eſt ex epiſt. LXXX. lib. I. Innocentij: eius ſcopus eſt, vt coërceantur monachi vagi & proprium habentes Auxitanæ prouinciæ; inſcribitur enim Auxitano Archiepiſcopo, qui eſt Metropolitanus Aquitaniæ III. ſeu Nouempopulaniæ, quæ hodie Vaſconia dicitur, in vita D. Bernardi lib. IV. cap. I. *In ciuitate Auxitanorum, quæ metropolis eſt Vaſconiæ, miles quidam infirmabatur.* Correctio regularium primùm pertinet ad Abbatem, vt *hîc, & cap. ad noſtram, cap. reprehenſibilis. de appellat.* nimirum in his quæ pertinent ad regulam: ſed ſi in aliquo deliquerint extra regulam, iudicium ſpectat ad Epiſcopum, *can. hoc tantum, can. Abbates* XVIII. *qu.* II. & in maioribus grauioribúſque delictis, cùm ordine iudiciario criminaliter agitur, cognitio eſt fori Epiſcopalis, non Abbatis, *can. corripiantur* XXIV. *qu.* III. vt in delictis commiſſis extra clauſtrum, Ordinarius de his cognoſcit in monachos tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus, Conc. Trident. *ſeſſ.* VI. *de reform. cap.* III. *& ſeſſ.* XXV. *de regular. cap.* XIV. Correctio, inquam, regularium primùm pertinet ad Abbatem in his quæ pertinent ad regulam & diſciplinam. Quòd ſi Abbas ſit in mora, putà ſi vagos & diſcurrentes per curias principum monachos, & proprium habentes, reuocare neglexerit, poſt monitionem, Ordinarius putà diœceſanus, vel metropolitanus poteſt eos compellere per ſuſpenſionem ab officio & beneficio, appellatione remotâ, vt definitur *in hoc cap.* Ait appellatione remotâ, quia à correctione ſeu diſciplina non appellatur, *cap. ad noſtram, infrà, de appell.* Abbatis eſt monachos vagos, & fugitiuos ſollicitè annuatim requirere, *cap. vlt. de regular.* Euagationis tollendæ causâ his vetitum ne ad regiam vrbem, ſeu comitatum Principis accedant, ſine licentia proprij Epiſcopi, vel Superioris, quòd hac occaſione turbas cierent, & ſtatum Eccleſiæ perturbarent, Conc. Calched. can. XXIII. *can. quidam monachorum* XVIII. *qu.* II. *Clem. ne in agro, §. quia verò. de ſtat. monach.* Monachos vagos, & reliquiarum nundinatores, meritò damnauit Auguſtin. de oper. monach. cap. XXVIII. ſed de his omnibus plura obſeruatu digna dicemus in Aſceticis, ſi Deus vitam dederit.

CAPITVLVM VIII.

IDEM ROTHOMAGEN. ARCHIEPISCOPO, ET EIVS SVFFRAGANEIS.

AD reprimendam malitiam peruerſorum pœnæ certæ ſunt in Canonibus conſtitutæ: quas ſicut latas à vobis interdum in ſubditos vultis inuiolabiliter obſeruari, ita latas ab aliis debetis inuiolabiliter ob-

seruare. Ideóque mandamus, quatenus sententias, quas Lexonen. Episcopus duxerit in subditos suos canonicè promulgandas: & vos ipsi seruetis, & à vestris subditis faciatis inuiolabilier obseruari. Tu verò frater Archiepiscope (cùm excommunicationis sententia per adpellationis non suspendatur obiectum) si quis excommunicatus ab ipsa de iniusta tibi fuerit excommunicatione conquestus: ad ipsum (ei quasi Coëpiscopo deferens) absoluendum secundùm Ecclesiæ formam remittas: qui si noluerit ipsum absoluere: tu (receptâ cautione iuratoriâ) absolutionis munus ei poteris exhibere: ita tamen, quòd nisi legitimè tibi constiterit eum contra iustitiam excommunicatum fuisse, ex debito sibi iuramenti præcipias, vt super eo, de quo fuerit excommunicatione innodatus, eidem Episcopo satisfaciat competenter. Quod si facere contempserit, eum in excommunicationis sententiam, adpellatione remotâ, reducere non omittas.

EXCOMMVNICATVS à suo Episcopo, non est ab aliis recipiendus, nisi priùs à suo sit receptus Episcopo. Conc. Antioch. can. VI. *can. si quis à proprio* XI. *qu.* III. Et hoc est quod Iuo Carnotensis repetit multis locis, vt epist. LX. LXII. LXXVI. CXI. CLXXII. & CXCIV. & Pontifex proponit initio *huius cap.* Hoc iure Marcion Ponticus à parente eodémque Episcopo Ecclesiâ pulsus ob stupratam virginem, Romam profectus pœnitentiæ impetrandæ causâ hoc responsum audiuit, teste Epiphanio hær. XLII. ὅτι οὐ δυνάμεθα, ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τοῦ τιμίου πατρός σου, τοῦτο ποιῆσαι, μία γὰρ ἐστὶν ἡ πίστις, καὶ μία ἡ ὁμόνοια, &c. *Nobis iniussu venerandi Patris tui, facere istud non licet, vna siquidem fides, & animorum vna consensio.* Eâdem religione Dioscorum, & fratres monachos Ægyptios, à Theophilo Alexandrino, notoriè iniuriâ excommunicatos Constantinopolim aduentantes comiter ac benignè suscepit, & precum communione dignatus est. Vetumtamen sacramentorum communionem ante causæ cognitionem eis denegauit. Socrat. lib. VI. cap. IX. μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ Ἰωάννης, ἐν τιμῇ μὲν εἶχε τοὺς ἄνδρας, καὶ τῶν εὐχῶν μετέχειν οὐκ ἐκώλυσε, κοινωνίας δὲ τῶν μυστηρίων οὐκ ἔφη, πρὸ διαγνώσεως μεταδώσειν αὐτοῖς, *De quibus certior factus Ioannes viros illos honorificè excepit, & precum participes esse non vetuit, sed communionem mysteriorum se minimè illis concessurum dixit, ante causæ cognitionem.* Excommunicatus à suo Episcopo meritò non recipitur ab aliis, quia excommunicatus ab vna Ecclesia, intelligitur excommunicatus quoad omnes, quòd vna sit Ecclesia, vnus Episcopatus, vt eleganter ait Cyprianus in *can. Nouatianus* VII. *qu.* I. & per sententiam excommunicationis ligat Deus, non homo, vt ex Petro Hispano ait Hostiens. *in hoc cap.* Si quis verò excommunicatus à suo Episcopo, per simplicem querelam conquestus sit apud Metropolitanum, de iniusta excommunicatione, Metropolitanus non debet eum absoluere, sed absoluendum remittere ad suum Episcopum, vt ei satisfaciat: quòd si Episcopus noluerit absoluere, tunc Metropolitanus poterit eum absoluere, receptâ cautione iuratoriâ, de præstanda ei idonea satisfactione: quòd si post absolutionem Episcopo suo satisfacere neglexerit, in excommunicationis sententiam poterit eum retrudere appellatione remotâ, vt additur *in hoc cap. & cap. sacro. de sentent. excomm.* Quòd si excommunicatus à suo Episcopo appellauerit ad Metropolitanum, à sententia excommunicationis Metropolitanus debet eum absoluere, nisi maluerit deferre suffraganeo suo, *cap. per tuas, eod. tit.* Metropolitanus non potest cognoscere de causis suffraganeorum, nisi per querelam, vel per appellationem, *can. conquestus* IX. *qu.* III. *cap.* I. *de offic. legat.* Hoc discrimen obseruatur inter querelam & appellationem, quòd appellatio interponitur ad Superiorem per libellum appellatorium, *can. Synodum* XVII. *dist. can. Lotharius* XXXI. *qu.* II. querela vtpote actus minùs solemnis defertur ad Superiorem verbo, vel per nuntium, aut per epistolam. Item per querelam adiri potest non modò Superior, putà Metropolitanus, sed etiam æqualis, vt vicinus Episcopus eiusdem prouinciæ, *can. Episcopi* XI. *qu.* III. Ac fortius est remedium appellationis, quàm simplicis querelæ: nam si Me-

tropolitanus aditus ſit ab excommunicato per ſimplicem querelam, excommunicatus non eſt abſoluendus, ſed remittendus ad Ordinarium: quòd ſi Metropolitanus aditus ſit per appellationem, excommunicatum poteſt abſoluere. Appellans per appellationem interim eximitur à poteſtate iudicis, à quo appellauit, *cap. directa, cap. Paſtoralis. de appellat.* ſed per querelam non transfertur iuriſdictio ad Superiorem, ſaltem niſi lite conteſtata.

CAPITVLVM IX.

IDEM TYRENSI ARCHIEPISCOPO.

DVo ſimul: .·.·. Conſult. t. t. r. quòd cùm ſit in Canonibus definitum Primates vel Patriarchas nihil iuris præ cæteris habere, niſi quantum ſacri Canones concedunt, vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo: ita vt ſecundùm Nicænas regulas ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis, præterquam ſi Apoſt. Sed. aliquam Eccleſiam vel rectorem ipſius quolibet ſpeciali priuilegio decreuerit honorare: quamdiu clerici tui coram te voluerint ſtare iuri, compelli non debent iudicium Patriarchæ ſubire, niſi cauſa per appel. ad eius audientiam perferatur; aut ei aliquid ſuper hoc à Sede Apoſtol. ſit indultum.

HOc caput pertinet ad Tyrenſem Archiepiſcopum, vt habetur in III. collect. & apud Innocent. ipſum lib. I. epiſt. DXI. Perperam id in collectione Raimundi inſcribitur Turonenſi Archiepiſcopo, vt facilè euincitur ex ſerie ipſius capitis, in quo Archiepiſcopus conqueritur aduerſus Patriarcham Hieroſolymitanum; quod alij aptari nequit quàm Tyrenſi Archiepiſcopo, qui olim primum locum obtinuit inter Metropolitanos, qui parebant Antiocheno Patriarchæ; at Syriâ à Sarracenis per Latinos receptâ factus eſt ditionis Patriarchæ Hieroſolymitani ſaluo honore gradus, vt refert Guillelmus Tyrius lib. XIV. cap. XII. Archiepiſcopus Tyrenſis, quæ eſt ſpecies huius capit. conqueſtus eſt apud Pontificem, quòd Patriarcha Hieroſolymitanus compelleret ſubditos ipſius Tyrenſis, coram ſe reſpondere, omiſſo ſuo Archiepiſcopo coram quo parati erant reſpondere. Ad hæc Pontifex reſpondit *in hoc cap.* Patriarchas & Primates non poſſe cognoſcere de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum ſuorum, niſi per appellationem, vel ex ſpeciali priuilegio. Primas vel Patriarcha non poteſt cognoſcere de cauſis ſubditorum ſuffraganeorum ſuorum, niſi per appellationem, *can. conqueſtus* IX. *qu.* III. vel ex ſpeciali priuilegio, putà iure legationis, *cap. I. de off. legat.* Ratio elegans ſubiicitur *in hoc cap.* quia Primates vel Patriarchæ nihil iuris habent præ cæteris, niſi quantum ſacri Canones, vel priſca conſuetudo, quæ tribuit iuriſdictionem illis permittit: ita vt ſecundùm Nicænos Canones ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis, quod refertur ex *can. mos antiquus, & ſeq.* LXV. *diſt.*

CAPITVLVM X.

IDEM TVRONENSI ARCHIEPISCOPO.

QVod Sedem Apoſt. : .·.·. Nos ſiquidem conſuluiſti, vtrum ſi aliquâ infirmitate, vel aliâ iuſtâ causâ detentus, aliquem ſuffraganeorum tuorum conſecrare non poſſes, alicui Coepiſcoporum tuorum vices tuas committere licitum tibi eſſet: .·.·. Conſult. t. t. r. quòd in tali articulo conſtituto & tuas vices (vt dictum eſt) tibi committere licet, & conſecrandus munus debet ab eo conſecrationis accipere: cui eas duxeris committendas, dummodo Catholicus habeatur, & impedimentum ei ex ſubtractione gratiæ Apoſt. Sed. non obſiſtat.

SICVT confirmatio electi pertinet ad Metropolitanum, ad eundem pertinet & consecratio, quæ fieri debet intra tres menses à confirmatione, *can. cùm longè* LXIII. *dist. can. quoniam* LXXV. *dist. can. quoniam* C. *dist.* Consecratio Episcoporum pertinet ad Metropolitanum, & celebranda est saltem à tribus Episcopis, reliquis per litteras consentientibus, Nicæn. Synod. can. IV. *can. Episcopi* LXIV. *dist.* Antiochen. can. XIX. *can. Episcopus* LXV. *dist.* Quòd si fortè in ea prouincia vnus Episcopus tantùm, vel pauciores tribus supersint, finitimi vocentur, Sardic. can. V. *can. si fortè* LXV. *dist.* Quod obseruatum fuisse in ordinatione Biruricensis Episcopi ob defectum Prouincialium Episcoporum, Gothicæ persecutionis iniuriâ, tradit Sidon. lib. VII. epist. V. Quid si Metropolitanus dolo malo frustretur, id est, moretur, electum consecrare, tunc consecratur à Romano Pontifice, saluo in aliis Metropolitani priuilegio, *can. Artaldus* VIII. *qu.* III. *& can. hunc verò* IX. *qu.* III. Et sic Iuo Carnotensis Episcopus ab Vrbano II. consecratus, detrectante Richerio Archiepiscopo Senonensi, vt de se testis est Iuo ipse præter Vrbanum epist. I. II. VIII. & XII. Quid si Metropolitanus valetudine, vel aliâ iustâ causâ impediatur, potest committere vices suas vni ex Coëpiscopis suffraganei consecrandi causâ, modò sit Catholicus, habeátque gratiam Sedis Apostolicæ, vt definitur *in hoc cap.* Consecratio Episcopi celebranda est à Metropolitano, vel eius mandato à comprouincialibus, *can. comprouinciales, can. extra* LXIV. *dist.* Hoc pacto Faustinianus Aquensis Episcopus ordinatus à Palladio Santonensi, & Oreste Vasatensi, mandato Bertrami Burdegalensis Episcopi causantis lippitudinem oculorum. Gregor. Tur. lib. VII. cap. XXXI. *Bertchramnus autem Episcopus, qui erat Metropolis, cauens futura Palladium Sanctonicum iniungit, qui eum benediceret: nam & oculi ei eo tempore à lippitudine grauabantur: fuit autem ad hanc ordinationem & Orestes Vasatensis Episcopus, sed negauit hoc coram Rege.* Ordinatio Episcopi à Metropolitano potest mandari vni è suffraganeis Episcopi; quia ea quæ sunt ordinis Episcopalis, possunt mandari Episcopo, non inferioris gradus Clericis, *cap. aqua. de consecr. Eccles. vel altar.* & ordinandus tenetur consecrationis munus accipere ab Episcopo cui mandatum est, dummodo sit Catholicus, & habeat gratiam Sedis Apostolicæ, id est, non sit schismaticus, excommunicatus, vel suspensus, *cap. quia diligentia, §. de elect. cap. fraternitatis. de schismatic.* Alioquin iusta esset causa reiiciendi ordinatoris, si hæreticus vel schismaticus fortè esset, vel excommunicatus. Meritò Moses monachus, designatus Sarracenorum Episcopus, consecrationis munus recusauit à Lucio Pseudoepiscopo Alexandrino, Socrat. lib. IV. cap. XXIX. Theodorit. lib. IV. cap. XXI. & Antiochus ordinandus in Episcopum Ioannis Pergensis manus à se repulit, eidem Theodorit. lib. IV. cap. XV.

CAPITVLVM XI.

IDEM EPISCOPO HELIENSI.

PASTORALIS officij: .·.·. Ex parte tua fuit insuper quæsitum, vtrum si aliqua causa fuerit ad Archiepiscopum per adpel. delata, possit eandem iure ordinariæ potestatis suffraganei sui subdito delegare, vel animaduertere in eundem si causam renuerit suscipere delegatam? Ad quod respondemus, quòd Archiepiscopus ipsum ad suscipiendam delegationem huiusmodi compellere nequit inuitum: cùm in eum (exceptis quibusdam articulis) nullam habeat potestatem, licèt Episcopus suus eidem sit metropolitanâ lege subiectus: .·.·.

IVRE Ciuili iudex appellationis, non potest huiusmodi causas delegare, sed eas per se audire debet, *Auth. ad hæc, C. de iudic.* Sed hoc iure Archiepiscopus causas ad se per appellationem delatas iure ordinariæ potestatis potest committere, etiam subditis suffraganei sui, à quo appellatum est; sed non potest eos inuitos compellere, causam appellationis ab eo suscipere, vt ostenditur initio *huius cap. & cap. Romana, §. neque. de for. compet. in* VI. Constitut. Bonif. VIII. vt parcatur laboribus, & expensis liti-

litigantium, hoc temperamentum adhibitum eſt, vt Archiepiſcopus cauſas per appellationem iure metropolitico ad ſe perlatas, extra propriam ciuitatem, vel diœceſim non audiat, vel audiendas committat, niſi aliud de conſuetudine obtineat. *cap. vt litigantes, hoc tit. in* VI. Videbatur tamen Metropolitanum quo iure poteſt ſubditos ſuffraganeorum iudices dare in cauſis appellationum, poſſe inuitos delegare, quia eſt iudex ordinarius totius prouinciæ, *can. per ſingulas* IX. *qu.* III. Inuiti iudices dantur ab Ordinario; iudicandi munus eſt publicum, & neceſſarium, *l. vlt. §. iudicandi, ff. de munerib. & honorib.* Sed verius eſt à Metropolitano in cauſis appellationis ſubditos ſuffraganeorum inuitos iudices non dari, quòd Metropolitanus etſi habeat ordinariam iuriſdictionem in tota prouincia, tamen eam non exercet, niſi in caſibus à iure expreſſis; & licèt lege Metropolitana ſubiectos habeat Epiſcopos ſuffraganeos, tamen in ſubditos ſuffraganeorum nullam poteſtatem habet, niſi in caſibus à iure expreſſis, vt additur *in hoc cap.* Purà ſi non ſeruent modum pſallendi, & ritus ſolennes Eccleſiæ metropolitanæ, *can. de his* XII. *diſt. can. altaria. de conſecr. diſt.* 1. Si in propria diœceſi prædas egerint, *can. placuit* VI. *qu.* III. Item ſi cauſa deferatur per appellationem, *cap. duo ſimul, ſuprà, hoc tit.* vel ſi cauſa criminalis, vel ciuilis moueatur inter Epiſcopum, & Clericum proprium, *can. Epiſcopus* VI. *qu.* II. *can. ſi Clericus* XI. *qu.* I. vel cùm Metropolitanus ſupplet negligentiam ſuffraganei, putà ſi ſuffraganeus neglexerit conſtituere œconomum in Eccleſia ſua, *can. cùm ſimus* IX. *qu.* III. vel ſi Ordinarius excommunicato malignè deneget abſolutionem, *cap. per tuas. de ſentent. excomm.* Extra caſus à iure expreſſos, Metropolitanus nihil debet moliri in diœceſi ſuffraganei abſque ipſius aſſenſu, *cap. ſicut vnire. de exceſſ. Prælat.* Archiepiſcopus pinguius ius habet in ipſos Epiſcopos ſuffraganeos, quàm in ſubditos ſuffraganeorum; quia Epiſcopi ei ſubſunt immediatè lege metropolitanâ, ſubditi ſuffraganeorum mediatè, id eſt, medio Epiſcopo. Lex Metropolitana hìc dicitur iuriſdictio Metropolitica, vt lex diœceſana, & lex iuriſdictionis, partes iuriſdictionis Epiſcopalis, *cap. dilectus, infrà, hoc tit.* quia manant à lege, id eſt, Canone, alioquin lex differt à iuriſdictione, M. Tull. pro Flacco: *Leges, mos maiorum, iudicia, iuriſdictio.* & eò ſpectat, quod in *l. inter tutores, ff. de admin. tut.* Tutelæ diuiſio non iuris eſt, ſed iuriſdictionis, id eſt, tutelæ diuiſio non fit à lege, quia tutela ipſo iure eſt indiuidua; ſed tutelæ adminiſtratio diuiditur officio iudicis.

Præterea poſtulaſti, an alicui Ordinario liceat ſine ſpeciali mandato Apoſt. Sed. (delegato, qui reum propter contumaciam manifeſtam excommunicationis vinculo innodauit, vel petitorem cauſâ rei ſeruandæ in poſſeſſionem petitorum induxit, rebus humanis exempto) eidem volenti iuri parere abſolutionis beneficium impartiri, & poſſeſſionem reſtituere intra annum: ſufficienti receptâ primitus cautione. Ad quod dicimus, quòd cùm delegatus quantum ad illud ſit maior Ordinario, ſine mandato Summi Pont. excommunicatus ab huiuſmodi delegato non poteſt per alium (præterquam in mortis articulo) abſolutionis gratiam obtinere, niſi forſan delegatus talis extiterit, cui alius ſuccedat in onere & honore. Nec per alium, quàm per Summum Pont. recuperare poterit poſſeſſionem amiſſam. Verumtamen ne alius poſt annum verus efficiatur poſſeſſor: coram Ordinario, vel ſi eius copiam habere nequiuerit, coram publicis & honeſtis perſonis (vt quaſi præſcriptionem interrumpat annalem) offerre ac præſtare, quòd iuri parebit, poterit cautionem: vt ſic poſt annum recuperare poſſeſſionem per Sedem Apoſt. mereatur.

MORTVO delegato Sedis Apoſtolicæ, qui reum propter contumaciam excommunicauit, & actorem miſit in poſſeſſionem rei ſeruandæ causâ, quia delegatus in ea cauſa eſt maior Ordinario, vt *hic, & in cap. ſanè. de offic. delegat.* Excommunicatus ab huiuſmodi delegato non poteſt per alium, ſcilicet ſine mandato Pontificis, niſi in arti-

culo mortis absolui: nisi delegatus is fuerit, cui alius succedat in onere & honore, vti cùm delegatio facta est sub nomine dignitatis, vt *hîc, & in cap. quoniam Abbas. de offic. delegat. & cap. aduersus, infrà, de immun. Eccles.* nec per alium, quàm per ipsum Pontificem, poterit restitui in possessionem. Verùm ne is, qui missus est in possessionem rei seruandæ causâ, post annum verus efficiatur possessor; missus ex primo decreto in possessionem rei seruandæ causâ non fit possessor, sed custos rerum, intra annum: sed reo non satisfaciente post annum verus efficitur possessor. *l. III. §. vlt. ff. de acquir. possess. cap. quoniam, §. in aliis verò, infrà, vt lit. non contest. cap. cùm sicut. de eo qui mitt. in possess. rei seru. caus. cap. contingit. de dol. & contumac.* Reus coram Ordinario, vel si eius copia non sit, coram duobus, aut tribus publicis honestis personis, poterit cautionem offerre se iuri pariturum, vt annalem possessionem interrumpat, & hoc modo post annum recuperare queat possessionem per Summum Pontificem, vt traditur *in hoc §.* Protestatio coram publicis personis, si desit copia iudicis, interrumpit præscriptionem, *l. sancimus, C. de Episc. aud. l. vt perfectius, C. de annal. except.*

CAPITVLVM XII.

IDEM ARCHIEPISCOPO SENONEN.

LICET in corrigendis excessibus iuxta Canonicas sanctiones adpellationis sit diffugium interclusum, & ideo Parisien. Episcopus cùm à nobis receperit in mandatis, vt tam circa viros religiosos, quàm etiam clericos seculares suæ iurisdictioni subiectos, qui multa & grauia crimina committere proponunt, inquirat & corrigat ap. re. quæ viderit corrigenda, statuens ad reformationem eorum, quod regulare fuerit, & honestum. Quia tamen intentionis nostræ nec fuit, nec esse debuit iurisdictioni tuæ per mandatum huiusmodi derogare: præsentium auctoritate duximus declarandum, quòd si in inquisitionibus ab eodem Episcopo, non tanquam delegato, sed tanquam Ordinario faciendis, aliquis casus emerserit, in quo licitum sit ad sedem metropolitanam adpellare, prædicti occasione mandati auctoritati tuæ, quominus ad te tanquam ad Metropolitanum adpellari valeat, nolumus aliquatenus derogare.

HVIVS cap. species hæc est: Mandauit Pontifex Episcopo Parisiensi, vt Clericos seculares, & religiosos suæ iurisdictioni subiectos, qui multa & grauia crimina committere dicebantur, corrigeret appellatione remotâ. Occasione huius mandati Episcopus Parisiensis negabat, à correctione sua licere subditis appellare ad Metropolitanum, quòd mandato addita esset clausula *appellatione remota*: de quo conquestus est Archiepiscopus Senonensis, qui est Metropolites Episcopi Parisiensis, vt perhibetur ex *hoc cap. & cap. cùm ex officij, infrà, de præscript.* per huiusmodi mandatum labefactari suam iurisdictionem sublato appellationis remedio, quod ad se tamquam Metropolitam deuoluendum esset. Itaque rescripsit Pontifex *in hoc cap.* suæ mentis nequaquam fuisse, Metropolitani iurisdictioni, huiusmodi mandato derogare. Mandata Pontificis semper accipiuntur ciuiliter, saluo iure Ecclesiarum, *can. quoniam mos LXV. dist.* & inquisitionem demandatam Episcopo Parisiensi, non tamquam delegato, sed tamquam Ordinario. Mandatum Pontificium si dirigatur Episcopo, de corrigendis excessibus subditorum, non constituit eum delegatum, non tribuit iurisdictionem de nouo, sed propriam quæ Ordinario competebat iure suo, iure sacri magistratus excitat. Non præsumitur Pontifex cuiquam velle adimere suam iurisdictionem, *can. placuit XI. qu. I. cap. ex tenore. de foro competent.* ne inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur, *l. meminerint, C. vnde vi.* Per huiusmodi mandatum, inquam, non iurisdictio mandatur, sed propria excitatur, quæ erat quasi sopita, & emortua per negligentiam Ordinarij: ita vt si casus appellationis emerserit, ab Ordinario appellandum sit

ad Metropolitanum, & Pontifex non delegantis, ſed monitoris officio functus videtur; vt cùm Epiſcopo, ad quem pertinet receptio Canonicorum, Pontifex mandat, vt quempiam recipiat in Canonicum, non Apoſtolicâ, ſed ordinariâ auctoritate receptus videtur, *cap. cùm aliquibus. de reſcript. in* VI. Et magiſtratus municipales, cùm iuſſu præſidum tutores dant, non alieno iure, ſed proprio eos dant; præſidum iuſſu, id eſt, monitu potiùs quàm mandato, *§. ſed hoc iure inſtit. de Attil. tutor.* Notandum eſt quod dicitur, ſi caſus appellationis emerſerit, appellandum eſſe ad Metropolitanum; quia regulariter à ſententia correctionis non appellatur, niſi modum excedat, *cap.* III. *cap. reprehenſibilis. de appellat. cap. vniuerſitatem. de ſentent. excommunicat.* Notatur hîc diſſolutio Clericorum & Monachorum Pariſienſium, vt Regularium Auxitanæ Prouinciæ in *cap. quanto, ſuprà, hoc tit.* Contagio Curiæ corruptus eſt ordo Clericorum & Monachorum Pariſienſium, vt olim frequentatione Regiæ vrbis, id eſt, Conſtantinopolis labefactatus traditur ſtatus monachorum: quam ob cauſam Conc. Calched. can. XXIII. Monachis vetitum ne ad vrbem Regiam accederent, ſine litteris dimiſſoriis proprij Epiſcopi, *can. quoniam* XVIII. *qu.* II. Orta eſt religio in ſolitudine, in vrbe & turbis fere defecit. Vnde Petrus Cellenſis lib. VII. epiſt. XIV. *Mundus plenus eſt cucullatis, & pene vacuus monachis.* Hac ætate Pariſiorum ciuitas, maximè Clerus malè audiuit de vita & honeſtate morum: rem deplorat Iacob. à Vitriaco Hiſt. Occident. cap. VII. *In diebus illis malis & nebuloſis, & tempore periculoſo Pariſienſis ciuitas, ſicut & alia ciuitates, variis inuoluta criminibus, & ſordibus innumeris deturpata, in tenebris ambulabat; qua mutatione dextera excelſi, qui deſertum ponit in delicias, & ſolitudinem in hortum Domini, facta vrbs fidelis, & glorioſa ciuitas Regis magni, velut paradiſus voluptatis, & hortus deliciarum, omnibus pomorum generibus refertus, in vniuerſo mundo ſpirans ſuauitatem odoris.* & mox: *Tunc autem ampliùs in Clero, quàm in alio populo diſſoluta, tamquam capra ſcabioſa, & ouis morbida, pernicioſo exemplo, multos hoſpites ſuos vndique ad eam affluentes corrumpebat, habitatores ſuos deuorans, & ſecum in profundum demergens.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

IRREFRAGABILI conſtitutione ſancimus, vt Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Vt autem correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus vt executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel adpellatio valeat impedire, niſi formam in talibus exceſſerint obſeruandam. Exceſſus tamen Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, qui conſueuerunt corrigi per Capitulum, per ipſum in illis Eccleſiis, quæ talem hactenus conſuetudinem habuerunt, ad commonitionem vel iuſſionem Epiſcopi corrigantur, intra terminum competentem ab eo præfigendum: alioquin extunc Epiſcopus Deum habens præ oculis, ipſos vt animarum cura requirit, per cenſ. Eccle. corrigere non poſtponat.

IVDICES ordinarij propriè ſunt, qui iure communi, iure ordinario, id eſt, iure magiſtratus, vel ſacerdotij habent propriam, & ordinariam iuriſdictionem, vt Prætor, vel Præfectus vrbi Romæ, Præſides, vel Proconſules in prouinciis, *l. cùm prator, ff. de iudiciis, l. qui ordinariam, C. de offic. Rector. prouinc. l. vlt. C. de mod. multar.* Epiſcopi, Metropolitani, Patriarchæ, Primates, de quibus ſparſim *in hoc tit.* Epiſcopus eſt ordinarius in tota diœceſi, quòd habeat iuriſdictionem ordinariam in vniuerſa diœceſi, *cap.* I. *hoc tit. & cap. cùm Epiſcopus, hoc tit. in* VI. In Ordinariorum cenſu veniunt & inferiores Prælati, qui habent iuriſdictionem ordinariam in ſubditos ex con-

ſuetudine, vel priuilegio, vt Abbates, *cap. dilectus, hoc tit. cap. auditis, & cap. cùm olim. de præſcript. cap. accedentibus. de exceſſ. Prælat.* Decani, qui ſunt capita Capituli, *cap. dilectis. de appell.* Plebani ſeu Rectores Eccleſiarum parochialium, *cap. cùm ab Eccleſiarum, hoc tit.* Inter Ordinarios numerantur & Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, quæ ex conſuetudine præſcripta habent iuriſdictionem correctionis causâ, vt *in hoc cap.* Vnde & in nonnullis Eccleſiis Canonici etſi non habeant iuriſdictionem ſinguli, ſed tamquam Capitulum, honoris gratiâ dicuntur Ordinarij, vt Canonici Mediolanenſis Eccleſiæ, *cap. accedentes. de præſcr.* & apud ipſum Innocent. lib. I. epiſt. CCCCIII. & Canonici Straſburgenſis Eccleſiæ, de quibus Regino Abbas lib. II. Chronic. *Eodem anno Vvitgerus Metenſis Epiſcopus obiit, cui Benno ex Ordinariis Straſburgenſibus, in Alpibus quondam eremiticam vitam ducens, ſucceſſor eligitur.* & Canonici Lincolnienſes in Anglia, de quibus Matth. Weſtmonaſter. ad ann. MCCLX. *Cùm vacauerit* (Eccleſia Lincolnienſis) *per Archidiaconos, & Ordinarios Eccleſiæ omnis debet iuriſdictio, ſicut & ſolet, procedere.* Denique Ordinariorum lineam implent, non modò Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Abbates, ſed etiam Priores, vel Archidiaconi, quotquot habent propriam iuriſdictionem. Signatè idem Weſtmonaſter. ad ann. MCCLXI. *Summonitis omnibus Angliæ Prælatis, ſcilicet Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus, tam exemptis, quàm non exemptis, Prioribus, Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum Ordinariis.* Epiſcopus habet correctionem ſubditorum, non obſtante conſuetudine, vel appellatione, niſi correctionis modum excedat. Non obſtat conſuetudo, vel appellatio, quia non præſcribitur contra iura Epiſcopalia, *cap. cùm non liceat, & cap. cùm ea officij. de præſcript.* & à correctione non appellatur, niſi modum excedat, *cap. III. cap. reprehenſibilis. de appellat.* Ex conſuetudine correctio Canonicorum pertinet ad Capitulum, ita vt Canonici corrigantur à Capitulo intra certum tempus, ad iuſſum & monitionem Epiſcopi, & ceſſante Capitulo correctio deuoluatur ad Epiſcopum, vt traditur initio *huius cap.* Ex conſuetudine iuriſdictio tribuitur Capitulo in Canonicos: nullum corpus ſeu collegium poteſt conſtare, ſine aliqua iuriſdictione, *l. vlt. C. de iuriſdict.* Ceſſante verò Capitulo iuriſdictio deuoluitur ad Epiſcopum, vel potiùs ad eum redit, ſublato impedimento, id eſt, demptâ iuriſdictione ob negligentiam Capituli. Inferiores Prælati habent iuriſdictionem in concurſu cum Ordinario, ita vt ſi ceſſent intra certum tempus, iuriſdictio deuoluatur, vel redeat ad Epiſcopum, quia facilè res redit ad ſuam naturam, *l. ſi vnus, §. pactus ne peteret, ff. de pact.* Præterea Capitulum eſt ſenatus Eccleſiæ, Hieronym. ad Ruſtic. *Eccleſia habet Senatum cœtum Presbyterorum, can. Eccleſia* XVI. *qu.* I. & idem in Eſaiam, cap. III. *Et nos habemus in Eccleſia Senatum noſtrum cœtum Presbyterorum.* & Canonici Cathedralis Eccleſiæ dicuntur, σύμβουλοι τοῦ ἐπισκόπου, τῆς ἐκκλησίας στέφανος, συνέδριον, καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας, *Aſſeſſores Epiſcopi, corona Eccleſiæ, Senatus, & conſilium Eccleſiæ*, Auctori Conſtitut. Apoſtolicar. lib. II. cap. XXVIII. Capitulum eſt congregatio ſeu collegium Canonicorum Cathedralis, vel collegiatæ Eccleſiæ, qui habent vnum corpus & commune ſigillum, *cap. dilecta. de exceſſ. Prælat. cap. ſignificauit. de appellat. Clem. ſtatutum. de elect.* commune conſilium, *cap. tertio loco. de probat.* res communes, ærarium ſeu arcam communem, actorem ſeu Syndicum; quæ omnia ſunt ſigna vniuerſitatis, *l. I. ff. quod cuiuſq. vniuerſitat. l. ita tamen, ff. ad Trebell.* Non immeritò igitur ex conſuetudine quæſita eſt iuriſdictio Capitulo, tamquam ſenatui Eccleſiæ & conſilio Epiſcopi, cum quo tanta eſt communio, vt iuriſdictio Epiſcopalis in ipſum facilè deriuetur, & à capite in membra deſcendat.

Cæterùm ſi Canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa (maximè in contemptum Epiſcopi) ceſſauerint à diuinis: Epiſcopus, ſi voluerit, nihilominus celebret in Eccleſia Cathedrali; & Metropolitanus ad querelam ipſius, tanquam ſuper hoc delegatus à nobis taliter eos per cen. Eccle. cognitâ veritate caſtiget, quòd pœnæ metu talia de cætero non præſumant.

SI Canonici abſque iuſtâ causâ ceſſauerint à diuinis, ſcilicet per interdictum, Epiſcopus nihilominus poterit celebrare in Eccleſia Cathedrali, & Metropolitanus per

querelam aditus ab Episcopo, tamquam delegatus à Sede Apostolica Canonicos sacris interdicet, vt Conc. generale definit *in hoc* §. Iure communi Capitulum non potest sacris interdicere Ecclesiæ sine Episcopo, *cap. quæsiuit. de his quæ fi. à maior. part. Capitul.* Sicut excommunicatio est propriè mucro Episcopalis, *can. visis* XVI. *qu.* II. *can. corripiantur* XXIV. *qu.* II. Interdictum, quod nihil aliud est quàm excommunicatio, videtur etiam esse telum iurisdictionis Episcopalis. Tamen ex consuetudine Capitula sibi vindicant potestatem interdicendi, ne vnico hoc lumine priuentur ad repellendas iniurias, *cap. si Canonici, hoc tit. in* VI. *Clem.* I. *de sentent. excomm.* & eodem iure vtuntur Decani, qui sunt capita Capituli, *cap. dilectis, de appellat. cap. dilecto. de sentent. excommunic. in* VI. Si Canonici sine causa cessauerint à diuinis, Episcopus super hoc per querelam aditus ab Episcopo, potest Canonicos coërcere, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ. Metropolitanus etsi tamquam Ordinarius totius prouinciæ possit adiri per querelam, vel per appellationem; tamen in hoc casu, vt fortiùs compescantur Canonici proteruiores in suum Episcopum, Metropolitanus partes suas interponit tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, vt in causa hæresis Ordinarius procedit contra exemptos tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, *cap. ad abolendam*, §. *vlt. infrà, de hæretic.* & idem statutum in causa correctionis, & aliis multis casibus, ex Conc. Trident. *sess.* XIV. *de reform. cap.* IV. & alibi passim. Nec Ordinarius his casibus indiget speciali mandato, quia habet potestatem mandatam à lege seu Canone. Vbi verò Ordinarius procedit tamquam Apost. Sedis delegatus, in causis quæ non sunt ordinariæ iurisdictionis, ab eo prouocatur ad Sedem Apostolicam: at quando iurisdictio delegata concurrit cum ordinaria, tunc ab Ordinario appellatur ad Metropolitanum, *cap. licet in corrigendis, suprà, hoc tit.* Quia iurisdictio delegata potest concurrere, seu cumulari cum ordinaria, *cap. significauit, suprà, de corpore vitiat.* Ita vt concursus ille delegatæ non extinguat ordinariam iurisdictionem.

Prouideant itaque diligenter Ecclesiarum Prælati, vt hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ vel grauamen aliud non conuertant, sed istud studiosè ac fideliter exequantur, si Canonicam velint effugere vltionem: quoniam super his Sed. Apost. auctore Domino adtentissimè vigilabit.

Prælati Ecclesiastici non debent correctionem in quæstum pecuniarium conuertere, vt additur *in hoc* §. *vlt.* id est, non debent correctionis causâ pecuniariam pœnam imponere, *cap. licet. de pœn.* vel sportulas exigere. *can. obseruandum* XV. *qu.* II. *cap. cùm ab omni. de vit. & honestat. Cleric.* Episcopus non debet pecuniariam multam correctionis causâ infligere, vel saltem non debet eam in proprios, sed in pios vsus conuertere, Conc. Cabillonens. II. can. XVIII. *Dictum est nobis quòd in quibusdam locis Episcopi, & Comites, ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, vvadios accipiant, & à Presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam diuidant; quod penitus abolendum decreuimus.* & idem nouissimè statutum est ex Conc. Trident. *sess.* XXV. *de reform. cap.* III. *&* XIV. & hoc seruatur in Gallia, ne iudex Ecclesiasticus, si quando multam pecuniariam imponit, eam non in proprios, sed in pios vsus addicat, quia Ecclesia non habet fiscum, seu ærarium; alioquin daretur materia prouocandi, tamquam ab abusu. Pontificem maximum habuisse multæ dictionem locuples testis M. Tull. Philipp. XI. *Crassus Consul & Pontifex Maximus Flacco collegæ flamini Martiali multam dixit, si à sacris discessisset. quam multam populus remisit, Pontifici tamen flaminem parere iussit.* Correctio Canonicorum & quorumlibet Clericorum debet fieri sine quæstu, & sportulis, quia fit summariè, & de plano in Capitulo, non pecuniariâ, sed corporali castigatione, vt de correctione monachorum innuit Petrus Cellens. lib. VII. epist. X. *Hactenus monachi solent iudicari in Capitulo, non in Concilio; inter monachos, non inter Presbyteros; ab Abbate, non ab Archidiacono; corporali, non pecuniaria pœna.* De quo fusiùs in Asceticis.

Capitulum XIV.

Quoniam in plerisque partibus intra eandem ciuitatem atque diœcesim permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores: districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum, siue diœcesum prouideant viros idoneos, qui secundùm diuersitates rituum & linguarum, diuina illis officia celebrent, & Ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino ne vna eadémque ciuitas siue diœcesis diuersos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuersa capita quasi monstrum. Sed si propter prædictas causas vrgens necessitas postulauerit, Pontifex loci Catholicum præsulem nationibus illis conformem, prouidâ deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subiectus. Vnde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se nouerit mucrone percussum: & si nec sic resipuerit, ab omni ministerio Ecclesiastico deponendum, adhibito(si necesse fuerat) brachio seculari ad tantam insolentiam repellendam.

Capta Constantinopoli à Francis & Venetis communibus auspiciis, Thomas Maurocenus Venetus primus è Latinis electus est Patriarcha, & Balduinus Comes Flandrensis Imperator. Et exemplo vrbis Regiæ, aliis in ciuitatibus quæ parebant Latinis, sic Græci vocabant omnes populos Occidentis, Episcopi Latini impositi sunt, quò faciliùs populi recèns domiti in obsequio continerentur: quoniam hac mutatione rerum effectum est, vt in vna & eadem ciuitate & diœcesi essent Latini Græcis permixti, fide iidem, ritibus dispares. Quò vtrisque populis Græcis & Latinis consuleretur, ex Concilio generali Lateranensi, cui præfuit Innocent. III. idem & auctor expeditionis Constantinopolitanæ, statutum est, vbi in vna ciuitate, & diœcesi fuerint populi linguis varij, vt Episcopus si non sit compos singulorum idiomatum, Episcopum sibi ascifcat Vicarium, qui vices ipsius gerat, per omnia ei subiectus. Ob discrepantiam linguarum Vicarius assumitur Episcopus, quia Ecclesia carere non potest Pastore, qui calleat linguam diœcesanorum, vt eos possit docere, & verbo instruere. Vespasiano suasit Apollonius, vt Præfecti, qui præponerentur singulis prouinciis, essent periti linguæ regionis, ne per interpretem omnia gerere cogerentur, vt retulit Philostrat. de vita ipsius Apollon. lib. v. cap. xiii. Auxentium Cappadocem à Constantio factum Episcopum Mediolanensem amoto Dionysio, de imperitia linguæ Latinæ notat Athanasius in epist. ad Solitarios, ἄνθρωπον μηδὲ τὴν ῥωμαϊκὴν εἰδότα γλῶτταν, *hominem ignarum Latinæ linguæ.* Et vacante sede Aldeburgensi Bruno patriâ Saxo in Episcopum designatus, petiit & obtinuit à Principe regionis Saxonum Coloniam acciri, vt præesset plebi, cuius linguam & ritus nosset, Helmold. Hist. Slauor. lib. I. cap. lxxxiv. Episcopum in Vicarium constitui iubetur, vt Græcis & Latinis pro diuersitate rituum, & linguarum diuina officia celebraret, & Ecclesiastica sacramenta ministraret: Etiam Episcopus potest assumi in Vicarium Episcopi vrgente necessitate, vt in casu huiusce cap. Aliàs Episcopus non potest se subiicere, & ministrare alteri Episcopo, ob culmen Pontificij; vnde compromissum soluitur obueniente sacerdotio, id est, si arbiter sumptus ex compromisso Episcopus designatus fuerit, *l. non distinguemus*, §. *Sacerdotio*, *ff. de recept. arbitr. cap. præsentata. de testib.* Vetatur hîc, ne in vna & eadem Ecclesia duo sint Episcopi, quod antè prouisum est Conc. Nicæn. can. viii. nisi schismatis componendi causâ aliud visum sit, vt in causa Donatistarum in Africa, ex Conc. Africano, *cap.* I. *de paroch.* Synod. Carthag. can. lxxiv. apud Zonar. & can. xcix. eiusd. Synodi apud Balsamon. Monstro simile est, quòd vna Ecclesia duos habeat Pontifices, perinde ac vnum corpus diuersa capita, vt eleganter dicitur *in hoc cap.* Et Ecclesia quæ sponsa est non scortum, non debet diuidi inter plures, sed vnum debet

habere Sacerdotem, Conc. Rhemenſ. can. IX. *can. ſicut in vnaquaque* XXI. *qu.* II. Quòd ſi quis aliter ſe ingeſſerit excommunicatur, & ſi non reſipiſcat deponitur, & ſi neceſſe fuerit aduocatur brachium ſeculare, vt ſubditur in fine *huius cap.* Iudex Eccleſiaſticus, ſi neceſſe fuerit, exequitur ſententiam ſuam implorato brachio ſeculari, per ciuilem magiſtratum, διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας per externam poteſtatem, Conc. Antiochen. can. V. quod comprobatum eſt Conc. African. can. XXXIV. Hiſpal. I. can. III. Turonenſ. III. can. XLI. Cabillonenſ. II. can. XXV. *can. non licuit* XVII. *diſt. can. petimus* XI. *qu.* I. *cap. vt fama. de ſentent. excommunic.* & iuxta hos Canones Io. Saresber. epiſt. LXXV. *Quoniam ex authoritate Canonum, niſi iura taliter contemnantur, ad reprimendam malitiam manus adhibenda eſt militaris.* Iure Ciuili etiam iudex Eccleſiaſticus ſententiam exequitur per ciuilem iudicem, Nou. Iuſtin. CXXIII. & iure quo vtimur non habet per ſe executionem ſententiæ, ſed inuocato, vt loquuntur, brachio ſeculari, id eſt, adhibito iudice ciuili; alioquin prouocaretur tamquam ab abuſu.

CAPITVLVM XV.

INTER cætera, quæ ad ſalutem ſpectant populi Chriſtiani, pabulum verbi Dei permaximè ſibi noſcitur eſſe neceſſarium: quia ſicut corpus materiali, ſic anima ſpirituali cibo nutritur, eo quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Vnde cùm ſæpe contingat quòd Epiſcopi propter ſuas occupationes multiplices, vel inualitudines corporales, aut hoſtiles incurſus, ſeu occaſiones alias (ne dicamus defectum ſcientiæ, quod in eis reprobandum eſt omnino, nec de cætero tolerandum) per ſe ipſos non ſufficiunt miniſtrare verbum Dei populo, maximè per amplas diœceſes & diffuſas: generali conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum adſumant potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum (cùm per ſe iidem nequiuerint) ſolicitè viſitantes, eas verbo ædificent & exemplo: quibus ipſi cùm indiguerint, congruè neceſſaria ſubminiſtrent: ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incœpto. Vnde præcipimus, tam in Cathedralibus, quàm in aliis conuentualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſint coadiutores & cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio, verumetiam in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. Si quis autem hoc adimplere neglexerit, diſtrictè ſubiaceat vltioni.

EPISCOPI proprium munus eſt docere, & omiſſâ rei familiaris curâ lectioni, orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacare, Synod. Carthag. IV. can. XX. *can. Epiſcopus nullam* LXXXVIII. *diſt.* Hæc duo ſunt Pontificis opera, vt aut à Deo diſcat legendo, & meditando, aut populum doceat, quod eſt Origenis in Leuitic. verùm ex Hieronymo laudatur à Gratiano *in can. vlt.* XXXVI. *diſt.* Epiſcopi eſſe Clerum & plebem docere ſingulis diebus, maximè Dominicis, præcipitur Conc. VI. in Trull. can. XIX. Hinc Epiſcopus τοῦ λόγου προεστὼς, præſes verbi Dei appellatur, & quod ait Euſebius lib. VII. cap. XI. Gallienum rerum ſolum potitum edicto perſecutionem remiſiſſe, ac munia ſua liberè exequi permiſiſſe τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι, *illis qui verbo præerant*, de Epiſcopis intelligendum eſt, vt ipſa verba edicti demonſtrant, & Epiſcopus λόγου διάκονος miniſter verbi, Auctori Conſtit. Apoſtolicar. cap. XXVI. λόγου διάκονος, γνώσεως φύλαξ, μεσίτης θεοῦ, καὶ ὑμῶν, *miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos, mediator Dei & veſtrûm.* Olim in Eccleſia Latina non licuit Presbyteris præſente Epiſcopo ver-

bum facere apud plebem. Vnde cùm Valerius Hipponensis Episcopus, Augustinum sibi assumpsisset Euangelij prædicandi causâ contra vsum & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum, obrrectatores passus est nonnullos Episcopos; sed patientissimè tulit vir sanctissimus sciens in Orientalibus Ecclesiis id ex more fieri, & vtilitatis Ecclesiæ suæ, magis quàm commendationis propriæ studiosus, vt refert Possid. in vita ipsius Augustini cap. v. Orientalis Ecclesiæ vsum & consuetudinem apertè demonstrat Chrysostom. in Orat. XXXVII. ad populum Antiochenum, quam præsente Episcopo, se adhuc Presbyterum habuisse significat illis verbis, *αἰδοῦμαι καὶ τὴν πατρὸς τὴν παρουσίαν*, *Veneror & patris præsentiam.* Desiit mos iste in Ecclesia Alexandrina, ex quo Arius dicendi libertate abusus ad impugnandam Ecclesiam, & in posterum cautum, ne quis Presbyter ad populum verbum faceret, auctore Sozomen. lib. VII. cap. XIX. Non absque inuidia perseuerauit & mos in quibusdam Ecclesiis, vt præsente Episcopo silerent Presbyteri, Hieronym. ad Nepotian. *Pessimæ considerationis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut inuideant, aut non dignentur audire, can. sta. subiectus* XCVI. *dist.* Adeò proprium est Episcopi prædicandi officium, vt Clericis vel monachis non liceat prædicare sine missione Episcopi, *cap. excommunicamus*, §. *quia verò. de hæretic.* & ex Leonis epist. LXII. *can. adiicimus* XVI. *qu.* I. Conc. Trident. *sess.* V. *de reform. cap.* II. *sess.* XXIV. *cap.* IV. Ex eodem Conc. generali habito sub Innocent. III. si Episcopus propter valetudinem, vel occupationes multiplices, ne dicatur propter defectum scientiæ, quod vix cadit in Episcopum, prædicandi officio per se fungi non valeat, viros idoneos qui vices suas gerant, eisque necessaria de suo subministrare. Ex eodem Concilio in Cathedralibus & Conuentualibus, id est, collegiatis Ecclesiis viri idonei instituendi sunt ab Episcopo in adiutores & cooperatores, non modò in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus & pœnitentiis iniungendis, vt fertur *in hoc cap.* Huiusmodi præconibus verbi Dei necessaria ministrantur ab Episcopo, quia eius vices supplent. Eisdem doctoribus, qui erant tam in Ecclesia Constantinopolitana, quàm aliis statuitur certum stipendium, ex Nou. Alexij Comneni, cuius meminit Balsamo in d. can. XIX. Synodi Trullensis. Docenti verbum Dei apud Græcos nomen fuit ἐκκλησιαστὴς, quòd eius verbo Ecclesia congregaretur, Hieronym. in cap. I. Ecclesiast. ἐκκλησιαστὴς *autem Græco sermone appellatur, qui cœtum, id est, Ecclesiam congregat, quem nos nuncupare possumus concionatorem* &c. In Ecclesia Constantinopolitana iam olim fuit Pœnitentiarij officium, qui pœnitentiis præerat; sed id sublatum ob nefas cuiusdam ex illis, quod memoratur à Socrat. lib. V. cap. XIX. & Sozomen. lib. VII. cap. XVI. Laudatur Pœnitentiarius Ecclesiæ Romanæ *in Clem. ne Romani. de elect.* & Pœnitentiarius Lemouicensis in *cap. proposuit. de Cleric. excomm. ministrant.* ac nouissimè Pœnitentiarij officium in singulis Cathedralibus Ecclesiis restitutum, ex Conc. Trident. *sess.* XXIV. *de reform. cap.* VIII.

TIT. XXXIII. *De maioritate & obedientia.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. CAPITVLO HERBIPOLLEN.

ILLVD Dominus in Beato Petro: . · . ·. Cùm spiritualia sint temporalibus digniora, & obedientia melior sit quàm victima, & auscultare magis, quàm adipem arietum auferre: non debuerat Hildesemensis Episcopus pro temporali commodo inobedientiæ notam incurrere, & Apostolicis iussionibus contraire.

EXEMPLO cælestis Hierarchiæ, in Ecclesia instituti sunt varij ordines & gradus, vt dum reuerentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impendunt, vera concordia concilietur, ex Gregorio, *can. vlt.* LXXXIX. *dist.* Et Ioannis VIII. epist. XCIII. & Clement. Alexandrin. lib. VI. *στρωματ.* Hinc Ecclesia

naui

naui comparatur, quæ ex diuersis tabulis coagmentatur, Epiphan. hæres. LXI. Iuxta huiusmodi ordinem Hierarchicum, alij sunt maiores, putà Episcopi Metropolitani, Primates & Patriarchæ, præter Romanum Pontificem, qui est caput Ecclesiæ & habet plenitudinem potestatis. Cæteri enim vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis, *can. decreto.* II. *qu.* VI. *can. multum.* III. *qu.* VI. Alij sunt minores, putà Presbyteri, Diaconi, & alij minores Clerici. Maiorum appellatione continentur Episcopi, vt passim Sidonio maiores Domini. Episcopus est nomen dignitatis, Hieronym. ad Euagr. *Presbyter & Episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen.* Et idem ad Oceanum, *Apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt; quia illud nomen dignitatis est, hoc ætatis.* Suam nobilitatem habere Episcopos Præfecturis & Consulatu potiorem contendit Ambros. lib. ad Virgines. *Habemus enim nos Sacerdotes nostram nobilitatem, Præfecturis, & Consulatibus præferendam: habemus, inquam, fidei dignitates, quæ perire non norunt.* Inter Clericos etiam obseruatur ordo Hierarchicus; alij sunt maiores, vt Presbyteri & Diaconi; alij minores, vt lectores, & alij. Gregor. Tur. lib. v. cap. XLIX. *Maiores Clericos muneribus ditat, largitur vineas, prata distribuit: minores verò fustibus, plagisque multis etiam propriâ manu afficit.* Iuniores eosdem vocat Synod. Paris. can. x. *cap.* II. *de for. compet. in* I. *collect.* & ipse Gregor. lib. v. cap. XXVI. *de pauperibus, & iunioribus Ecclesiæ, vel basilicæ.* In republica etiam alij sunt maiores magistratus, seu officiales, alij minores, & maiorum nomen plerumque tribuitur potioribus dignitatibus, vt nostris Maior Senescallus dicitur, qui Græcis μεγαδομέστικος. Willelmus Tyr. lib. II. cap. v. *Et megadomestici dignitate, quem nos Maiorem Senescallum appellamus.* & Maiores villarum curatores prædiorum fiscalium, Capitul. lib. v. cap. CVII. Flodoard. lib. III. Rhemens. histor. cap. XXII. *Et Flotharium ac Vrsionem villarum regiarum Maiores.* Et Maior domus Præfectus Palatij, seu domus regiæ, Gregor. Tur. lib. VII. cap. XXVII. *Vaddo erat Maior domus Reginæ Rigunthis.* & idem lib. IX. cap. XXXI. *Id est, Florentianum Maiorem domus Reginæ,* & Eginart. in Carolo M. *Namopes, & potentia regni, penes palatij Præfectos, qui Maiores domus dicebantur.* Eâdem analogiâ Græcis μειζότεροι dicti curatores prædiorum suburbanorum. Balsamo in can. x. Synodi Nicæn. II. μειζότεροι μὲν τοι λέγονται οἱ κουράτορες τῶν ἀγροικικῶν κτημάτων. Et nostris Maiores, Præfecti ciuitatum, vt Maior Rupellæ in inscriptione, *cap. pen. de consuetud.* vulgò, *Maires.* & inde œconomus Episcopi Maior domus, *can. volumus.* LXXXIX. *dist.* Ex eo fonte Maioritas dicta est dignitas, seu præeminentia Prælatorum, de qua conceptus est *hic tit. de maioritate, & obedientia:* & Maioratus præfectura domus Regiæ, Robert. Montensis in supplement. Sigeberti: *Hanc Senescalciam, vel vt antiquitus dicebatur, Maioratum domus Regiæ Robertus Rex Francorum dedit Gaufrido Grisogonellæ, Comiti Andegauensi.* Maioritas Ecclesiastica in quatuor consistit. Primò, in prærogatiua ordinis, secundùm quam Diaconus subest Presbytero, Presbyter Episcopo, & sic de cæteris, *can. legimus.* XCIII. *dist. can. olim.* XCV. *dist. cap. statuimus, hoc tit.* Secundò, in prærogatiua iurisdictionis, ratione cuius Archidiaconus maior est Archipresbytero, licèt minor sit ordine, *can. perlectis.* XXV. *dist. cap. ad hæc, suprà, de offic. Archidiac.* Tertiò, in prærogatiua antiquitatis, cuius effectus est, vt prior ordinatione sit potior gradu, *can. Episcopos.* XVII. *dist.* Conc. Brachar. I. can. XXIV. Tolet. IV. can. III. Quartò, in prærogatiua ordinantis, vt ordinatus à Summo Pontifice, licèt non absoluatur à iurisdictione Ordinarij; tamen id assequitur, vt ei inter alios subditos deferatur, *cap. per tuas, infrà, hoc tit.* Obedientia est officium subditi, quo tenetur reuerentiam, obedientiam & obsequium præstare Superiori, saluâ dignitate, & ordine suo. Episcopi enim ita Clericis præesse debent, vt Sacerdotes se esse nouerint, non dominos, *can. sta subiectus.* XCV. *dist.* Inferiores debent obedientiam & subiectionem Superiori; imprimis Summo Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, vt quem Sedes Apostolica à communione sua repellit, à nemine suscipiendus sit, *can.* I. *can. miratus.* XCIII. *dist.* quia Romana Ecclesia dat legem cæteris. Tertull. de præscript. aduers. hæretic. *Si autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde vobis quoque auctoritas præsto est.* Vnde *in hoc cap.* valde arguitur inobedientia erga Sedem Apostolicam, & damnatur Hildesemensis Episcopus, quòd præter iussum Apostolicum Hildesemensi sede relictâ Herbipolensem occupasset, non ignorans translationem Episcoporum esse vnam è maioribus causis, quæ reseruatæ sunt Sedi Apostolicæ, *cap.* III. *&* IV. *huius tit.*

CAPITVLVM VI.

IDEM ILLVSTRISSIMO CONSTANTINOP. IMPERATORI.

SOLITÆ benignitatis affectu: .·.·. Mirata est Imperialis sublimitas quòd te nisi fuimus in nostris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi, non causam, sed occasionem præbuit, quòd legisti Beatum Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tamquam præcellenti, siue ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: .·.·. Verùm si personam loquentis, & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentiùs adtendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat. Nam si per hoc, quod dixit, Subditi estote, Sacerdotibus voluit imponere iugum subiectionis, & eis prælationis auctoritatem adferre, quibus eos subiectos esse monebat: sequeretur ex hoc etiam quòd seruus quilibet in Sacerdotes imperium accepisset, cùm dicatur, Omni humanæ creaturæ. Quod autem sequitur, Regi tamquam præcellenti, non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori: licèt non simpliciter dictum fuerit, Subditi estote: sed additum fuit, propter Deum: nec purè sit subscriptum, Regi præcellenti: sed interpositum forsitan non sine causa, tamquam. Quod autem sequitur, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, intelligendum non est, quòd Rex vel Imperator super bonos & malos gladij acceperit potestatem, sed in eos solummodo, qui vtentes gladio eius sunt iurisdictioni commissi: .·.·. Potuisses autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo potiùs intelligere, quod dictum est, non à quolibet, sed à Deo: non Regi, sed Sacerdoti: non de regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce constitui te super gentes & regna. vt euellas & dissipes, ædifices & plantes: .·.·. Præterea nosse debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli: luminare maius, vt præesset diei: & luminare minus, vt præesset nocti: vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ verò carnalibus, minor: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hæc autem si prudenter adtenderet Imperatoria celsitudo, non faceret, aut permitteret Constantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, iuxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere: cùm alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis suis (sicut debent) reuerenter assurgant, & eis iuxta se venerabilem sedem assignent: .·.·. Nos autem etsi

non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare: .·.·. Nobis autem in B. Petro sunt oues Christi commissæ, dicente Domino: Pasce oues meas, non distinguens inter has oues & alias: vt alienum à suo demonstraret ouili, qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret & pastores: vt illud tamquam notissimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad successores ipsius: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. nihil excipiens, qui dixit: Quodcumque: .·.·. Vtrum autem Imperatoriam excellentiam ad bonum & vtile per litteras nostras duxerimus inuitandam, vtrum tibi iusta suggerimus & honesta: tua solicitudo discernat, cùm non nisi ad vtilitatem Ecclesiæ, & terræ Hierosolymitanæ subsidium, nos te meminerimus inuitasse.

DVÆ sunt potestates, quibus orbis terrarum regitur; auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, *can. duo sunt.* XCVI. *dist.* Præcellit Imperator, vel Rex in temporalibus, Pontifex in spiritualibus. Hic est luminare maius, quod præest diei, id est, spiritualibus; ille luminare minus, quod præest nocti, id est, temporalibus, vt non ineleganter ait Innocent. III. *in hoc cap.* & ita intelligendum est quod dicitur in *can. cuncta per mundum.* IX. *qu.* III. Romanam Ecclesiam de omnibus iudicandi fas habere, nimirum in spiritualibus, & in his quæ sunt fori Ecclesiastici: & illud quod est Innocent. in *cap. nouit. de iudic.* Pontificis esse cognoscere de quocumque mortali peccato Regum & Principum quoad emendationem spiritalem, & animæ remedium: quare ne offensionis ansam relinquat Pontifex, ibidem declarat, in causa quæ belli materia erat inter Reges Francorum, & Anglorum, se non intendere iudicare de feudo, id est, de commisso feudi de quo lis erat, & cuius iudicium spectabat ad Regem ipsum Francorum tamquam dominum feudi. Vtriusque potestatis vices distinctas, alias in spiritualibus, alias in temporalibus rectè agnoscunt Patres orthodoxi. Chrysostomus lib. III. de Sacerd. cap. V. ἔχουσι μὲν γὰρ, καὶ οἱ κρατοῦντες, ἐπὶ τῆς γῆς, τὴν τοῦ δεσμεῖν ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον. οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανούς. *Habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam pertingit, atque ad cælos vsque peruadit.* Et Synes. epist. LVII. προστάτου σοὶ δεῖ, βάδιζε παρὰ τὸν ἐπιτροπεύοντα τοὺς νόμους τῆς πολιτείας. τοῦ θεοῦ σοί τι δεῖ, ἴθι παρὰ τὸν ἱερέα τῆς πόλεως. *Patrono tibi opus est, vade ad eum, qui præfectus est legibus Reipublicæ. Qua in re tibi Deo opus est, i ad Sacerdotem ciuitatis.* Ob Sacerdotij dignitatem Episcopus in Ecclesia, & consessu Presbyterorum sublimior sedet, Conc. Laodicen. can. XXXV. Eius cathedra, quæ Græcis θρόνος, locatur in medio, ex vtroque latere adsidentibus Presbyteris, & adstantibus Diaconis, Auctor Constit. Apostolic. lib. II. cap. LVII. κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ ἐπισκόπου θρόνος, παρ' ἑκατέρου δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον, καὶ οἱ διάκονοι παρεστάτωσαν. *Sit solium Episcopi in medio positum, & ex vtroque eius latere sedeant Presbyteri, & adstent Diaconi.* Sedem Episcopi gradatam & velatam depingit Augustinus epist. CCIII. *Transit honor huius seculi, in futuro Christi iudicio, nec absida gradata, nec cathedra velata, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem; quæ hîc honorant, ibi onerant.* In consistorio, Episcopi assident Principi. Et Princeps ipsis ingredientibus consistorium assurgit. Ambrosio legatione fungenti apud Maximum Tyrannum tum Treuiris agentem, hunc assurrexisse testis ipse Ambros. epist. XXVII. *Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit, vt osculum daret.* In epulis etiam Episcopi adsident Principi, Gregor. Tur. lib. V. cap. XVIII. *Stabat Rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Bertchramnus Episcopus, ad læuam verò Ragnemodus stabat.* Vnde meritò Pontifex *in hoc cap.* perstringit Balduinum Imperatorem Constantinopolitanum, quòd Patriarcham Constantinopolitanum, magnum, vt ait, & honorabile membrum Ecclesiæ, ad pedes suos sedere faceret, aut permitteret: cùm alij Reges & Principes Archiepiscopis & Episcopis reuerenter assurgant, & eis iuxta se venerabilem sedem assignent. Et antè Alexander III. Richardum Cantuariensem Archiepiscopum coarguit in *cap. qua fronte,*

infrà, de appellat. quòd Episcoporum electiones confirmare diceretur, non in Ecclesia, vt canonicum & par erat, sed in camera Regis, contra iuris ordinem, & Pontificalis officij dignitatem.

CAPITVLVM VII.

IDEM EPISCOPO FLOREN.

PER tuas nobis litteras: .·.·. Postulasti per Sedis Apostolicæ oraculum edoceri, vtrum quis per ordinem Subdiaconatus à Romano Pontifice susceptum, à debita tibi reuerentia subtrahatur. Ad quod breuiter respondemus, quòd etsi decens sit vt illis quantum conuenit à te inter alios tibi subditos deferatur, quos benignitas Apostolica collatione ipsius ordinis honorauit, per eam tamen ab obedientia, quam aliàs tibi debent, minimè absoluuntur.

PONTIFEX de plenitudine potestatis potest ordinare Clericos, de quacumque diœcesi, *can. nunc verò, can. per principalem.* IX. *qu.* III. etiam inuitos Episcopos ordinare, ob vtilitatem Ecclesiæ, Iuo Carnot. epist. CLXXVII. *Si ergo studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestrâ declinare non vultis, non à nobis, sed à Summo Pontifice est quærendus, cui concessum est inuitos ad hæc officia cogere, & de volentibus, & de nolentibus Ecclesiæ Dei Pontifices ordinare.* Ordinatus à Pontifice, per hoc non absoluitur à iurisdictione sui Episcopi; sed congruum est, vt illi ab Episcopo inter alios deferatur, vt rescribitur *in hoc cap.* id est, vt præferatur aliis Clericis ordinatis ab Ordinario, in consessu, & collatione beneficiorum. Idem etiam non potest promoueri ad superiores ordines ab Ordinario, sine consensu Pontificis, *cap. cùm in distribuendis, suprà, de temporib. ordinat.* Inde se in Ecclesia Romana Christi vestem suscepisse, id est, Presbyterum ordinatum, gloriatur Hieronym. in epist. ad Damasum: *Ideo mihi cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM CONSTANT. PATRIARCHÆ.

INTER quatuor: .·.·. Petitionem contra Ecclesias, quas tibi subiici postulabas, quæ priùs quàm Constantinopolis ciuitas caperetur, Constant. Patriarchæ minimè respondebant: duplici ratione non duximus admittendam. Iuris namque ratio postulat, vt in eorum præiudicium, quibus eædem Ecclesiæ sunt subiectæ, nihil ordinemus de ipsis, cùm nec citati sint, nec conuicti, nec per contumaciam se absentent: .·.·. Super obedientia verò, quam vt tibi impendi faceremus ab Archiepiscopo, & Episcopis Regni Cypri similiter postulasti, fere idem duximus respondendum, cùm & ipsi ante tuam promotionem fuerint exempti, quando videlicet Constantinopolis Ecclesia erat inobediens & rebellis: & in eorum absentia contra statum eorum non debuerimus aliquid immutare. Iustitiam tamen non negabimus tibi, cùm eam duxeris postulandam.

CAPTA Constantinopoli à Francis, & Venetis, Thomas Maurocenus Venetus primus è Latinis electus est Patriarcha, qui dignitatis restituendæ, vel potiùs augendæ cupidus, cùm postulasset à Summo Pontifice, vt Ecclesiæ nonnullæ, quæ ante

captam vrbem Patriarchæ non parebant, ipsi subiicerentur; Pontifex eius preces non audiuit, duplici ratione: prima, quòd iuris ratio non pateretur, vt quicquid ordinaretur de huiusmodi Ecclesiis, in fraudem eorum quibus subiectæ erant, ipsis non citatis, neque absentibus per contumaciam, *l. de vnoquoque. ff. de re iudicat.* Altera, quæ superest in integra decretali, quæ est inter gesta Innocent. III. & nescio cur dempta sit in collectione Raymundi, vt vitaretur offensio Venetorum, & Pisanorum ac aliorum Latinorum commercij causâ degentium Constantinopoli, qui huiusmodi habebant Ecclesias, quæ Patriarchæ iurisdictioni non parebant, quòd ritu Latino se gererent. Et verò receptâ à Latinis Constantinopoli per Græcos, cæteris Latinis vrbe pulsis Veneti, Pisani, ac Genuenses remansere; sed quòd suspicione non carerent, si in vrbe finerentur, apud Peram vrbem cognomine Galatam, quæ sita est è regione Constantinopolis, habitatio eis permissa à Palæologo, mercium omnium vectigali remisso. Ita vt Veneti, & alij non modò suas haberent Ecclesias, sed etiam suos Magistratus, qui eò mittebantur, vt suis præessent, è quibus qui erat Venetorum Baiulus, Pisanorum Consul, Genuensium potestas appellabatur, vt scripsit Gregoras lib. IV. Similiter & Veneti in singulis ciuitatibus Regni Hierosolymitani ex pacto habebant sibi in perpetuum Ecclesiam propriam, plateam, & furnum ab omni exactione libera, Gu. Tyrio lib. XII. cap. XXV. Præterea idem Patriarcha cùm postulasset à Pontifice, vt obedientia ei præstaretur ab Archiepiscopo & Episcopis Cypri insulæ, petitionem is non admisit, quòd ante ipsius promotionem ij fuerint exempti à iurisdictione P. C. Spectatur status nouissimus rerum, quia vltimus status Ecclesiæ spectandus est, vt *hîc*, & *cap. consultationibus. de iure patronat.* Olim Antiochenus Patriarcha vniuerso Orienti præerat, & ita Cypro insulæ quæ Syriæ contributa erat. Sed sensim Cyprij Episcopi se subduxere à potestate Antiocheni, præstolante eis iniquitate temporum, & vicissitudine rerum Imperij. Vnde Synodi Ephesinæ can. VIII. à potestate Antiocheni liberi & immunes dicti sunt. Verùm temporibus Zenonis, cùm reliquiæ Barnabæ in Cypro inuentæ essent, & Constantinopolim translatæ, hac occasione Cyprij Episcopi lapsi sunt in ditionem CP. Cedren. in Zenone, ἐξ ἧς προφάσεως ἔκτοτε γέγονε μητρόπολις ἡ Κύπρος, καὶ τοῦ μὴ πλέον ὑπὸ Ἀντιοχείαν, ἀλλ' ὑπὸ Κωνσταντινούπολιν. *Eâ occasione Cyprus Metropolis facta est, vt iam non ampliùs sub Antiochia censeretur, sed soli Constantinopoli subesset.* Perperam ad tempora Anastasij id refert Nicephorus lib. XVI. cap. XXXVII. Sed rursus cùm Ecclesia Constantinopolitana fœdâ schismatis labe secessisset ab Ecclesia Romana, facilè Cyprij Episcopi pristinam in libertatem se vindicarunt: & ita se res habebant, quo tempore Thomas Maurocenus sedem Constantinopolitanam nactus est. Itaque nihil hac de re statuendum visum est Pontifici, donec causa cognita esset vocatis Cypriis Episcopis; quia status Ecclesiæ immutari non potest, non vocatis Episcopis, quorum interest, vt *hîc*, vel patrono, si Ecclesia sit patronata, *cap. suggestum, infrà, de iur. patronat. cap. dilecta. de excess. Prælat. can. monasterium. XVI. qu. VII.* Io. Saresber. epist. CXXVI. *Non assentiente, nedum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non potest, aut subiici seruituti.* qua de re Panormit. *in cap. cùm accessissent. de Constit.*

CAPITVLVM IX.

QVOD super his: . . . Abbates & Sacerdotes diœcesana tibi lege subditos, qui ad tuam synodum venire contemnunt, (dummodo in ipsa synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obuiet institutis) per cens. Ecclesiast. ad synodum illam venire compellas: & debitam tibi obedientiam & reuerentiam exhibere.

IVRISDICTIO Episcopalis potissimùm consistit in tribus; in his quæ sunt ordinis, legis diœcesanæ, & iurisdictionis: ordinis sunt ordinatio Clericorum siue collatio ordinum, consecratio Ecclesiarum, confectio chrismatis, benedictio sacrarum virginum, administratio sacramenti Confirmationis: legis diœcesanæ sunt Synodus, id est, ius cogendi Synodum, Synodaticum, & Cathedraticum, quarta decimarum, visitatio annua, & eo nomine procuratio, & moderatum auxilium, quod charitatiuum subsi-

dium vocant: iurifdictionis funt canonica obedientia, fubiectio, & reuerentia, inftitutio, & deftitutio, feu degradatio Clericorum, correctio, & reformatio, ac cenfuræ Ecclefiafticæ, pœnitentiæ, & iurifdictio caufarum omnium, quæ ad forum Ecclefiafticum pertinent. quæ omnia colliguntur ex *cap. conquerente, fuprà, de offic. ordinar.* & quandoque lex diœcefana latè fumpta continet vniuerfam iurifdictionem Epifcopalem, vt *hic, & in cap. auditis. de præfcript. & cap. veniens. de verb. fignif.* Et apud Matthæum Paris in Henrico I. *Epifcopo Lincolnienfi fubtracto huic nouo Pontifici, lege Diœcefana fubiicitur Comitatus.* Legis nomine ipfam iurifdictionem intelligi, non eft abfonum; quia iurifdictio conftituta eft lege, vel moribus, *l. cùm Prætor, ff. de iudic.* & ita lex plana fieri dicitur cùm ius dicitur de plano, vt in can. XLI. Synodi Calecenfis habitæ anno MLXXX. apud Ordericum Vitalem lib. V. *Si plana lex erit facienda, ibi fiat vbi priùs placitum fuit.* Monafteria à lege diœcefanâ exempta funt, *can. fi ex laicis.* X. *qu.* I. *can. cùm pro vtilitate.* XVI. *qu.* I. Non vtique in omnibus. Abbates enim & Sacerdotes lege diœcefanâ fubditi Epifcopo, ad Synodum venire compelli poffunt, vt *in hoc cap.* definitur: nimirum Abbates qui habent populum, & curam animarum propter Ecclefias, & capellas eis fubditas, tenentur venire ad Synodum, *cap. ex orc. de priuileg.* Quia hoc cafu quoad Ecclefias, & capellas, eodem iure cenfentur, quo Sacerdotes, id eft, Rectores parochialium. Olim etiam Abbates femel in anno vocari folebant ab Epifcopo ad Synodum, Conc. Aurelian. I. can. XI. *Abbates femel in anno, in loco vbi Epifcopus elegerit, acceptâ vocatione conueniant, can. Abbates.* XVIII. *qu.* II. Et alia erat Synodus, quæ pertinebat ad Abbates, alia quæ ad Presbyteros, Conc. Autiffiodor. can. VII. *Vt medio Maio, omnes Presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, & Kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.* Et quod traditum eft ex can. II. Conc. Turonenf. in *can. Epifcopus.* XVIII. *dift.* Epifcopum non debere Abbatem ad Synodum vocare, nifi aliqua rationabilis caufa exiftat, non remittit aliquid de iure annuæ Synodi; fed ita accipiendum eft, ne plufquam femel in anno vocentur ad Synodum, nifi rationabilis caufa exiftat. Ex caufa enim extra ordinem ab Epifcopo vocabantur Abbates ad folenne officium, vt ob tranflationem reliquiarum Sanctorum. Ad tranflationem reliquiarum S. Benigni Diuionenfis, à Gregorio Epifcopo Lingonenfi vocatos Abbates obferuat Gregorius Turonenf. lib. I. de Miracul. cap. LI. *Sed fanctum Sepulcrum nefcio qua caufa faciente foris, euenit quòd ille conuocauit ad hoc obfequium Abbates, atque alios religiofos viros.* & ad tranflationem reliquiarum B. Defiderati, ab Agricola Cabillonenfi Epifcopo conuocatos Abbates narrat idem Gregorius lib. de Glor. Confeff. cap. LXXXVI. *Poft hæc ædificato ex xenodochio Leproforum Sacerdos fuburbano, in eius bafilicam collectis Abbatibus, & omni clero beatum corpus tranftulit.*

CAPITVLVM X.

IDEM S. STEPHANI, ET S. PROCVLI ABBATIBVS BON.

CVM in Ecclefiis fancti Victoris & fancti I. de Monte: . . . Nos igitur ad reformationem earumdem Ecclefiarum diligenti folicitudine intendentes, vniuerfis Canonicis dedimus in mandatis, vt Priori fuo, in his, quæ ad eum pertinent, obedirent. Cúmque omnes (quatuor duntaxat exceptis) fe obedire velle concorditer refpondiffent, prædicti quatuor fe contra Priorem in fuperbiam erigentes, licèt de obedientia fuo Priori præftanda præftitiffent iuramentum corporaliter: tamen exhibiti iuramenti immemores, fuo Priori per omnia reftiterunt: & cùm pro contumacia fua nequiuiffent ad debitam obedientiam reuocari, dictus Prior in eos excommunicationis fententiam promulgauit. Cùm igitur præfati Canonici ad Apoftolicam Sedem acceffiffent, per fcripturas authenticas ex multorum teftimonio Prælatorum effecti, de ipforum contumacia certiores, recepto fecundùm formam Ecclefiæ ab eifdem corporaliter iura-

mento, ipsis fecimus absolutionis beneficium impendi, præcipientes eis sub debito iuramenti, vt ad suum claustrum de quo exierant redeuntes, Priori suo secundùm Deum deuotè ac humiliter obedirent. Ideóque mandamus quatenus præfatos Canonicos, vt ad Prioris sui obedientiam reuertantur, per censf. Eccle. compellatis: & ne de sua possint contumacia vel malitia gloriari, cogatis eos (si videritis expedire) vt iuramentum, quod de parendo mandatis Prioris pro absolutionis beneficio impetrando superbè negauerant, humiliter præstare procurent, alioquin eos de fratrum consortio penitus excludatis.

MONASTERIA S. Victoris, & S. Ioannis de Monte apud Bononiam, sunt collegia Canonicorum regularium inuicem vnita ab antiquo, non æquo fœdere; ita vt monasterium S. Ioannis de Monte esset subiectum monasterio S. Victoris tamquam capiti, & Priori eiusdem, vt patet *ex hoc cap.* & Sigonio lib. II. de Episcopis Bononiensibus, & Gabriele Pennoto lib. II. hist. Canonic. regular. cap. XXIII. & LIV. & lib. III. cap. XIV. Vtrumque monasterium reformatum est studio, & cura Innocentij III. & Pontifex hac de re solicitus mandauit Canonicis vtriusque monasterij, vt Priori suo in his quæ ad eum, id est, ad regulam & disciplinam pertinent, obedirent: cæteris ad obediendum paratis, quatuor licèt obedientiæ iuramentum Priori præstitissent corporaliter, id est, tactis sacrosanctis Euangeliis, vel sublatâ manu. Corporale sacramentum dicitur, quod fit tactis sacrosanctis Euangeliis, *l. I. C. si aduers. vendit. l. III. C. si minor se maior. dix.* Speciale est in sacramento obedientiæ, vt à Clericis iuretur corporaliter; aliàs Clerici iurant propositis non tactis sacrosanctis Euangeliis, *cap. vlt. infrà, de iuram. calumn. & can. pen.* XXII. *qu.* V. & manu appositâ ad pectus. Hoc pacto Henricum III. Regem Anglorum iurasse pro militia transmarina, manu appositâ ad pectus, more Sacerdotis, tradit Matthæus Paris ad ann. MCCLII *Et iurans hoc apposuit manum suam dexteram ad pectus suum, more Sacerdotis; & postea supra Euangelia apposità, & osculatus est ea more laici.* Quatuor ex his, inquam, sacramenti immemores Priori per omnia restiterunt, & cùm ad obedientiam reuocari non possent, Prior in eos excommunicationis sententiam promulgauit. Prior nimirum potest excommunicare subditos, vt & Abbas, *cap. sicut. de simon.* quia Abbas & Prior sunt Ordinarij, *cap. ne pro defectu, suprà, de elect.* & excommunicatio meritò lata est ob contumaciam. Excommunicatio est pœna contumaciæ, *cap. tua, infrà, vti lit. non contest. can. certum est.* XI. *qu.* III. Cùm igitur præfati Canonici absolutionis causâ, ad Sedem Apostolicam accessissent, Pontifex certior factus de contumacia illorum per litteras authenticas quamplurium Prælatorum, recepto secundùm formam Ecclesiæ ab eisdem corporaliter iuramento, absolutionis beneficium his impendi curauit; præcipiens eis sub debito iuramenti, vt ad claustri septa redirent, Priori deuotè, & humiliter pariturі: ac ne præceptum sine executore inane & lusorium esset, Abbatibus S. Stephani, & S. Proculi Bononiensibus mandauit, vt præfati Canonici ad obedientiam Prioris sui compellerentur per censuras Ecclesiasticas; & ne de sua contumacia, & malitia impune eis esset, vt cogantur si visum fuerit præstare iuramentum, de parendo mandatis Prioris; alioquin è fratrum consortio penitus amoueantur. Regularis suspectus de inobedientia potest cogi iurare de obediendo, vt *hic*; quia fortiùs obligatur, qui iureiurando tenetur, propter religionem iurisiurandi, *can. quamquam.* XXIII. *dist. l. cùm pater, §. filius, ff. de legat.* II. *l.* II. *C. commun. de legat.* Inobedientes coërcendi sunt, & si incorrigibiles sint, expellendi sunt è monasterio, vt *hic, & cap. final. de regular.* & Nou. Iustin. CXXXIII. *cap.* V.

TIT. XXXV. *De pactis.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. IN CONCILIO GENERALI.

PLERIQVE (sicutaccepimus) regulares Clerici & seculares interdum cùm vel domos locant, vel feuda concedunt, in præiudicium Parœcialium Ecclesiarum pactum adiiciunt, vt conductores & feudatarij decimas eis soluant, & apud eosdem eligant sepulturam. Cùm autem id de auaritiæ radice procedat, pactum huiusmodi penitus reprobamus, statuentes, vt quidquid fuerit occasione huiusmodi pacti perceptum, Ecclesiæ Parœciali reddatur.

DE iure communi decimæ non alij Ecclesiæ quàm parochiali debentur, vbi percipiuntur Ecclesiastica sacramenta, *cap. ad Apostolica, cap. cùm in tua, infrà, de decim. cap. vlt. de paroch. cap. ad decimas. de restit. spoliat. in* VI. *can. questi.* XVI. *qu.* I. Et si quis oblationes vel decimas alij quàm baptismati Ecclesiæ dare voluerit, bannum Pontificium componat, id est, multam pecuniariam luat, & communione priuetur, *can. statuimus.* XVI. *qu.* I. Singulare ius fuit, vt in Capellis Regiis, quæ scilicet extructæ erant in prædiis Regiis, seu villis fiscalibus, decimæ fructuum huiusmodi prædiorum præstarentur Capellis Regiis: vnde nata distinctio decimarum dominicarum, & parochianarum. Cæterum priuatis Oratoriis quæ extruerentur in fundis priuatorum, non poterant tribui decimæ, Synod. Meldens. can. LXXV. & Ticinens. can. XI. quem intexuit Gratian. in *can.* XVI. *qu.* I. Hinc ex Concilio G. Lateranensi habito sub Innocent. III. *in hoc cap.* reprobatur pactum, quod solebat interponi à Clericis regularibus, vel secularibus, quando prædia locabant, vel in feudum dabant, vt conductores, seu feudatarij eis decimas soluerent; quia id pacti fit in fraudem parochialium Ecclesiarum, ad quas de iure communi pertinet perceptio decimarum.

TIT. XXXVII. *De postulando.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. COMPOSTELLÆ ARCHIEPISCOPO.

EX parte tua nobis fuit propositum, quòd quidam Canonici regulares non solùm in Ecclesiasticis, verùm etiam in forensibus causis præsumunt aduocati officium exercere. Cúmque obiicitur eis, quòd non debent esse forensis, vel Ecclesiastici negotij susceptores vel executores, nisi fortè id monasterij exposcat vtilitas, Abbate nihilominus imperante, ad suam proponunt insolentiam excusandam, quòd capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de Monachis non de Canonicis regularibus loquitur manifestè. Vnde consultationi tuæ taliter respondemus, quòd idem iudicium de Canonicis regularibus, quod & de Monachis, quantum ad supradicta, credimus obseruandum, licèt de Monachis in Canone specialiter sit expressum.

CLERICI ab aduocationibus apud seculares iudices arcentur, nisi in causa propria, vel Ecclesiæ, vel miserabilium personarum, id est, viduarum, vel pauperum, *cap.* I. *& vlt. hoc tit.* Nou. Leon. LXXXVI. Monachi quoque forensis negotij susceptores, vel executores, id est, Aduocati, vel Procuratores esse vetantur, nisi in rem ipsius

ipsius monasterij, & Abbate imperante, vt *in hoc cap. & can. monachi.* XVI. *qu.* I. Aduocationis officio interdicitur Clericis & Monachis, quòd turpe sit Clericos & Monachos in foro videri, & probrosum est, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium, *l. re petita. C. de Episc. & Cleric. l. consulta diualia. C. de testament.* Tum ne Clerici, quæstus studio auocentur ab Ecclesiasticis officiis, ac ne dum lucro inhiant, æterno præmio excidant, *can. vlt.* I. *qu.* III. Reprobatur in Clericis venale, & quæstuosum patrocinium, quod iustum est in laïcis, Augustin. epist. LIV. *Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vendit aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium.* Aduocationibus abstinuit B. Gosuinus monachus & Abbas Aquicinctensis, vt narratur eius vitâ lib. III. cap. XXXVI. *Aliena causa numquam voluit proloquutor fieri, sed magis elegit humilis monachus appellari, quàm causidicus curialis.* Susceptores dicuntur hîc Aduocati, quòd alienas causas in iudicio defendendas suscipiunt: vnde & clientes quibus patrocinium impenditur, suscepti, Augustin. epist. LIX. *Postulationes fiunt cùm populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut aduocati susceptos suos, per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati.* & idem quæst. vtriusque Testamenti cap. CII. *Aduocatorum enim more accepi Antistites, numquid si mala vita sit aduocatus, contra susceptum eius pronunciabitur: hoc est officium aduocati, vt secundùm iuris ordinem suscepti sui causam peroret, numquid poterit vita eius, si turpis est, obesse causæ suscepti?* &c. Et Seruius VI. Æneid. in illud: *Et fraus innexa clienti. Vult autem intelligi præuaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc susceptos vocamus.* Et Saluian. lib. V. de gubernat. Dei: *Ecce quæ sunt auxilia, ac patrocinia maiorum, nihil susceptis tribuunt, sed sibi.* Ob defensionis officium iidem dicuntur βοηθοῦντες Libanio orat. XXVI. Adiutores Gregorio Turonensi lib. de Glor. confess. cap. LXXI. *Denique coniunctis adiutores causam discutiunt.* Scholastici etiam appellantur Aduocati, *l.* II. *C. de lucr. Aduocat. lib.* XII. Et ita Conc. Sardicens. can. XIII. σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς Scholasticus è foro, *can. Osius.* LXI. *dist.* & Basil. epist. CCXLI. εἰ δέ τινα δίκην γυμνάζῃ ὁ σχολαστικὸς ὁ δεῖνα ἔχει δικαστήρια δημόσια, καὶ νόμους. *Quod si litem intendat aduocatus ille, habet iudicia publica, & leges.* Scholastici dicti, quasi orandis causis vacantes, vt interpretatur Zonaras in d. can. Sardicensi, σχολαστικὸς, τουτέστι περὶ λόγους σχολάζων. *Scholasticus hoc est dicendi studio vacans.* Sanè Episcopi intercedere solebant pro reis apud Magistratus, Augustin. epist. CLVIII. *Pœna sanè illorum quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam.* Huiusmodi intercessiones fiebant etiam à Clericis & Monachis. Verùm quia res eò processit, vt pietatis studio insanientes, damnatos per vim eriperent, id vetuere Arcad. & Honot. *l. addictos, C. de Episc. audient. Vt addictos supplicio, & damnatos, nulli Clericorum, vel Monachorum, eorum etiam quos Synoditas vocant, per vim atque vsurpationem vindicare liceat.* Capitulum seu Canon quo aduocationis officium prohibetur, pertinet tantùm ad monachos: sed tamen rectâ interpretatione porrigitur ad Canonicos regulares. Idem est iudicium de Canonicis regularibus, quod de monachis quantum ad illud, vt definitur *in hoc cap.* Non putandi sunt Canonici religiosi à sanctorum Monachorum vita & consortio seiuncti, *can. præsens.* XX. *qu.* III. etsi aliàs regulæ inseruiant laxiori, *cap. quod Dei timorem, infrà, de stat. monach.*

TIT. XXXVIII. *De procuratoribus.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. CABILON. ET CATHALAN. EPISCOPIS.

IN nostra præsentia Tullen. Episcopus est conquestus, quòd cùm ad causam, quæ inter Episcopum & Decanum Tullen. super dilapidatione, excommunicatione, & periurio, ac quibusdam aliis criminibus vertebatur, T. & G. presbyteros procuratores instituens, ipsos ad Sedem Apost. duxerit destinandos: cùm de ipsorum fide postmodum titubasset, mandatum quod eis dederat, intra modicum temporis spatium

reuocauit: sed ipsi licèt mandati litteras reuocatorias recepissent, nihilominus in negotio processerunt, & pro procuratoribus se gerentes, cum aduersario ingressi iudicium, cum eo ad Parisien. Archidiaconum & collegas suos in eiusdem præiudicium nostras litteras impetrarunt: .·. Cúmque prædictus Episcopus ad probandum, quòd falsi procuratores fuerant, ab ipsis iudicibus inducias postulasset, ipsi exceptionem oppositam inutilem & superuacuam reputantes, ad probationem ipsius dilationem concedere noluerunt: propter quod ad appellationis beneficium conuolauit. Sed iidem nihilominus lite non contestatâ, & iuris ordine prætermisso, testes contra eum recipere præsumpserunt, ipsum à Tullen. Ecclesia per sententiam remouendo. Nos verò licèt vix fidem adhibere potuerimus, quòd dicti iudices, vtpote viri litterati, prouidi & honesti taliter processissent, maximè cùm in sua relatione, quam ad nostram præsentiam transmisere, de huiusmodi exceptione nullam fecerunt mentionem: quia tamen Episcopus per viros religiosos, prouidos & honestos, de quibus non est verisimile, quòd suæ salutis obliti, ac iuramenti religione contemptâ, falsum testimonium tulerint, nobis fecit super his, quæ sunt proposita plenam fidem: attendentes etiam, quòd falsi procuratoris exceptio non solùm ante sententiam, verumetiam postea potest obiici: vtpote quâ probatâ iudicium nullum & nullius momenti controuersiæ reputantur, processum supradictorum iudicum sententialiter duximus irritandum.

HVIVS cap. species huiusmodi est: In causa quæ vertebatur inter Episcopum, & Decanum Tullensem super dilapidatione, excommunicatione, periurio, & aliis de quibus postulabatur Episcopus, procuratores ad defendendum missos ad Sedem Apostolicam Episcopus paulo pòst reuocauit, quòd eorum fides ei suspecta esset. Procuratores reuocati etsi reuocationis litteræ ad eos peruenissent, lite contestatâ cum aduersario, impetrarunt litteras ad Archidiaconum Parisiensem, & eius collegas. Re cognitâ, Episcopus à iudicibus datis postulauit inducias, vt probaret litem contestatam cum falsis procuratoribus, seu reuocatis; & denegatis induciis appellauit ad Sedem Apostolicam. Spretâ appellatione iudices dati contra Episcopum sententiam dixerunt. Re cognitâ, Pontifex sententiam & processum datorum iudicum irritum pronunciauit, quòd sententia lata cum falso procuratore nullius momenti esset, & exceptio falsi procuratoris opponi posset ante, vel post sententiam. Exceptio procuratoria, putà si non iure datus sit procurator, v. g. miles, minor, furiosus, quia est dilatoria, ante litem contestatam opponenda est, & semel omissa post litem contestatam opponi non potest, *l. filiusf. §. milites, l. qui procuratorem, ff. hoc tit. vita demum, l. licèt, C. eod. tit.* Sed exceptio falsi procuratoris, putà si mandatum non habet, vel sit reuocatus, potest opponi etiam post litem contestatam, quia est peremptoria, & cum falso procuratore nulla dicitur controuersia, non videtur lis contestata, nullum est iudicium, vt subiungitur in *d. l. licèt*, quâ nititur sententia *huius cap.* Quod scriptum est, gesta cum procuratore reuocato, & sciente nulla esse, hoc verum est, si reuocatio aduersario significata fuerit, alioquin ratum est iudicium, *cap. mandato, infrà, hoc tit. l. si procuratorem, ff. eod.* & hoc iure vtimur.

CAPITVLVM V.

IDEM BRIXIEN. EPISCOPO.

TVÆ fra:.·.·..Consul.t.t.r.quòd si vir adcusat vxorem de crimine adulterij coram iudice seculari ad pœnam legitimam infligendam, quia tunc inscriptionis vinculum debet adtipere, séque ad pœnam talionis adsttingere: non per ptocutatorem, sed per seipsum præsentem oportet præsentialiter adcusare. Si verò vir adcusare velit vxorem de adulterio cotam Ecclesiastico iudice, vt ab eius cohabitatione discedat, quia tunc etsi forsan oporteat eum inscribere vt designet in scriptis nomen, locum & tempus, & omnia quæ comprehenduntut in lege ciuili: ad talionem tamen non debet se aliquatenus obligare: ne fortè cùm in probatione defecerit, intentionis suæ consequatur effectum: sustineri potest, si necessitas id postulauetit, vt per ptocutatorem adcuset; quoniam huiusmodi adcusatio, etsi de ctimine fiat, non est tamen ctiminalis, sed quasi mixta inter ciuilem & criminalem, quanquam in præsentia principalium personarum securiùs procedatur.

IN causis eriminalibus, neque ad agendum, neque ad defendendum procurator dari potest; neque aeeusator per alium aecusare, neque teus per alium defendi potest, *l. pen. ff. de public. iudic.* Apuleius Apolog. I. *Postera die dat libellum, nomine priuigni mei Siciany pudentis admodum pueri, & ascribit se ei assistere nouo more per alium lacessendi, scilicet, vt obtentu eius ætatulæ, ipse insimulationis falsæ non plecteretur; quod cùm tu sollertissimè animaduertisses, & idcirco eum denuo iussisses proprio nomine accusationem delatam sustinere.* Et eodem iute vsi sunt Pontifices, vt probatur ex *hoc cap. & cap. veniens, infrà, de accusat. & can. in criminalibus. v. qu. III.* Vt si maritus, quæ est sententia *huius cap.* vxorem accuset adulterij criminaliter coram seeculari iudice, vt infligatur pœna legitima, quæ erat pœna capitis Constitut. Constantini, *l. quamuis, C. ad l. Iul. de adulter.* & hodie pœna detrusionis in monasterium, *auth. sed hodie, C. eod. tit.* hoc casu per procuratorem agere non potest. Si verò vir accuset vxorem adulterij coram Eeelesiastieo iudice, vt ab eius eohabitatione discedat, id est, quoad rhori separationem, tune per procuratorem agere potest; quia huiusmodi actio etsi sit de crimine, non est tamen criminalis, sed quasi mixta inter eiuilem & eriminalem, vt aeutè ait Pontifex *in hoc cap.* & reuera magis spectatur vt ciuilis, quia non persequitur pœnam, sed tantùm separationem rhori, & eiuiliter instituitur, vt solent causæ eiuiles, in quibus per procuratorem agere & defendere lieet, *l. in pecuniariis, C. hoc tit.*

CAPITVLVM VI.

CVM pto causa, quæ inter G. & F. Gabion. Ecclesiæ Atchidiac. vertebatur:.·.·. Dis. v. mandamus, quatenus expensas Archidiacono restitui faciatis, si legitimè probare potuerit se de mandato Capituli suscepisse prædicta negotia promouenda, & propter hoc ad Sedem Apost. accessisse.

PROCVRATOR qui litem vel negotium suscepit de mandato domini, sumptus bonâ fide factos repetit actione mandari, etiamsi lis vel res bonum exitum non habuerit, *l. qui proprio, §. pen. ff. hoc tit. l. qui mutuam, §. vlt. ff. mandat.* vt de procuratore Capituli constitutum est *in hoc cap.* Adeóque procurator potest vti retentione instrumentorum litis, si ei non satisfiat quoad sumptus litis, *l. quæ omnia, ff. eod. tit.* &c.

ſi procurator ſumptus litis ſeruare non poſſit, à domino qui ſoluendo non eſt, poteſt deſiderare, vt ſibi ſatisfiat ex cauſa iudicati. De ſalario verò quod procuratori litis perſequendæ causâ conſtitutum eſt, non datur actio mandati; ſed Prætor, vel Præſes de eo cognoſcit extra ordinem, vt de omnibus ſalariis & houotariis, *l.* VII. *ff. mandat. l.* I. *C. eod. l.* I. *ff. de extraord. cognit.*

CAPITVLVM VII.

IDEM SCHOLARIBVS PARISIEN.

QVIA in cauſis, quæ contra vos, & pro vobis mouentur, veſtra Vniuerſitas ad agendum & reſpondendum commodè intereſſe non poteſt, poſtulaſtis à nobis, vt procuratorem inſtituere ſuper hoc vobis de noſtra permiſſione liceret. Licèt igitur de iure communi hoc facere valeatis, inſtituendi tamen procuratorem ſuper his auctoritate præſentium vobis concedimus facultatem.

IVRE Ciuili in pecuniariis, id eſt, ciuilibus cauſis quilibet per procuratorem agere, vel defendi poteſt, *l. in pecuniariis. C. hoc tit.* & Vniuerſitas, vel Collegium poteſt conſtituere actorem, vel ſyndicum, id eſt, procuratorem ad agendum, & defendendum, *l.* II. *&* III. *ff. quod cuiuſque vniuerſitat. l. vlt.* §. *defenſores. de munerib. & honor. cap. vnic. infrà, de ſyndic. can. ſaluator.* I. *qu.* III. Tamen Vniuerſitas ſcholarium Pariſienſium, quæ ius commune ignorare non potuit, petiit à Summo Pontifice, vt ſibi liceret procuratorem inſtituere; & Pontifex *in hoc cap.* licèt hoc iuris communis eſſet, inſtituendi procuratoris facultatem eis conceſſit. Stultum videbatur Principem adiri procuratoris inſtituendi causâ, cùm cuique liceret de iure communi procuratorem conſtituere: fruſtrà poſtulatur à Principe, quod de iure communi obtineri poteſt, *l. Imperatores. ff. de reb. auctor. iudic. poſſid.* Non abs re tamen Vniuerſitas Pariſienſis poſtulauit à Pontifice, vt ſibi liceret conſtituere procuratorem, quòd olim non liceret in Gallia agere per procuratorem ſine diplomate Principis, vt ex formula Marculfi, & Ioanne Fabro docuit V. C. Hieronym. Bignonius, & ante eum Io. Coſta in *cap. infrà, de reſcript.* Cuius iuris mihi argumentum eſt, quòd litigatores coram iudice cauſam propriam oraſſe narrat Gregor. Turonenſ. lib. VII. cap. XLVII. *Tunc partes à iudice ad ciuitatem deductæ, cauſas proprias proloquuntur.* Et huius iuris nou inſcius Bonifacius VIII. intercesſione vſus eſt apud Principes ſeculares, & dominos temporales, vt Abbatiſſis, & monialibus per procuratores, & attornatos ſuos in eorum tribunalibus agere liceret, ne haberent materiam euagandi, *cap. periculoſo*, §. *porro. de ſtat.* II. *regular. in* VI. Nec per contemptum omiſſo Principe, Vniuerſitas abiit ad Pontificem procuratoris impetrandi gratiâ, ſed nimiæ religionis ſtudio; quia Eccleſiaſticam potiùs quàm ſecularem ſe gerebat, atque ita Pontificis vernaculam. Vnde cauſæ ſcholarium Pariſienſium ex iure Canonico iudicandæ ſunt, *cap. quod Clerici, infrà, de for. compet.* & ne Ius Ciuile Pariſiis doceatur, vetitum ab Honorio III. *cap. ſuper ſpecula. de priuileg.* Nec hoc nimis inuidioſum videatur; ſcholares enim Clericorum iure cenſentur, & conſtitutione Friderici non alium habent iudicem quàm dominum ſeu magiſtrum ſuum, vel ciuitatis Epiſcopum, *auth. habita, C. ne fil. pro patr.* Quod iuris ſtatutum eſt ſanctione Philippi Auguſti pro magiſtris ſcholarum, & ſcholaribus Pariſienſibus. Rogerus Houeden. in Ioanne: *Præterea idem Rex Franciæ timens, quòd magiſtri ſcholarum, & ſcholares à ciuitate recederent, ſatisfecit eis, ſtatuens, quòd de cætero nullus Clericus trahatur ad ſeculare examen propter aliquod delictum quod fecerit; ſed ſi Clericus deliquerit, tradatur Epiſcopo, & ſecundùm iudicium Cleri tractetur.* Non defuit etiam alia ratio adeundi Pontificis, vt procuratorem dare liceret, etiamſi illud iuris communis eſſet; nimirum vt huic maior auctoritas adderetur, adiecto mandato Pontificis: cum iure communi concurrere poteſt priuilegium; vt etſi electio Abbatis de iure communi pertineat ad monachos, *can. congregatio.* XVI. *qu.* VII. impetratur priuilegium Pontificium à monachis de libera electione facieuda, *cap. cùm dilectus. de conſuetud.* Et ita in Africa inſtitutum, vt ab Imperatoribus

peterentur ἔκδικοι, seu defensores, ob tutelam pauperum aduersus potentes, *can. ob Imperatoribus.* XXIII. *qu.* III.

TIT. XL. *De his, quæ vi, metusve causa.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. DECANO, ET SVBDIACONO LINCONEN.

AD audientiam nostram magistro G. de Cheuelle significante peruenit, quòd cùm Ecclesiam de Cheuel. canonicè fuisset adeptus, & aliquandiu pacificè possedisset: grauissimo tandem metu Regis, quòd eam resignaret iurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus resignauit. Quia verò, quæ vi metusve causâ fiunt, carere debent robore firmitatis: mandamus, quatenus si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit & debuerit cadere in virum constantem, non obstante iuramento prædicto, quo non ad repetendum sed ad resignandum, solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.

RENVNCIATIO beneficij spontanea, & libera semel admissa non reuocatur, *cap. ex transmissa, suprà, de renunciat. Cle. cùm illusio, eod. tit.* hac ratione quòd illusio, & variatio maximè viranda sit in personis Ecclesiasticis, & in rebus spiritualibus, *d. Clem. cùm illusio, & can. quàm periculosum.* VII. *qu.* I. Igitur qui semel cessit beneficio spontè, & liberè, pœnitere non potest. Qui verò metu Principis, qui cadat in constantem virum, iuramento promisit renunciare beneficio, & de facto renunciauit, potest illud repetere, vt probatur *in hoc cap. & cap.* II. *suprà, hoc tit. & cap. si verò, infrà, de iureiurand.* Qui cessit iure suo per vim & metum, restituitur; quia in vi & metu semper dolus inest, *l.* I. *ff. hoc tit.* Metus Principis non semper efficit renunciationem nullam & irritam, nisi talis sit, qui cadat in constantem virum, id est, probetur minis mortis, vel cruciatus corporis, vel amissionis bonorum, *l. metum, l. si donationis, C. hoc tit.* Alioquin metus, seu reuerentia Principis non arguit vim & metum, quia nomen Principis non est trahendum ad inuidiam, *l. capitalium*, §. *ad statuas, ff. de pœn. l. ad inuidiam, C. hoc tit.* Vnde Ambros. in Auxent. de Basilicis: *Semper de Cæsare seruulis Dei inuidia commouetur, & hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, vt Imperiale nomen obtendat.*

CAPITVLVM V.

IDEM VIDRONEN. ARCHIEPISCOPO.

SACRIS est Canonibus: .·.·. Distinguimus autem, vtrum is, qui communicat excommunicatis inuitus, sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus excommunicatione teneri, cùm magis pati, quàm agere videatur. In secundo, licèt metus adtenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.

NON licet communicare cum excommunicatis, & qui excommunicatis scientes communicant, eodem vinculo excommunicationis tenentur, *can. Teugualdum, can. sicut, & seqq.* XI. *qu.* III. Conc. Antiochen. can. II. Brachar. I. can. XXXIII. Turon. II. can. VIII. Excipiuntur personæ necessariæ, putà vxor, liberi, serui, *can. quoniam multos.* XI. *qu.* III. Ita cùm Robertus Rex excommunicatus esset ab Episcopis Gallia-

rum, quòd affinem & commatrem suam Bertam nomine vxorem duxisset, omnes ab eo discessere, nec plures quàm duo setuuli in obsequium remansere, testis Petr. Damiani Opuscul. XXXIV. cap. VI. *Robertus Gallorum Rex propinquam sibi copulauit vxorem, ex qua suscepit filium, anserinum per omnia collum, & caput habentem; quos etiam virum scilicet & vxorem, omnes ferè Galliarum Episcopi, communi simul excommunicauere sententia: cuius Sacerdotalis edicti tantus omnem vndique populum terror inuasit, vt ab eius vniuersi societate recederent, nec præter duos sibi seruulos ad necessarij victus obsequium remanerent: qui tamen & ipsi omnia vasa in quibus Rex edebat, vel bibebat percepto cibo, abominalia iudicantes, pabulum ignibus exhibebant.* Inuitus etiam excommunicatis communicans non labitur in excommunicationem, quia magis pati quàm agere videtur: per metum verò excommunicatis communicans, excommunicationem non effugit; licèt enim metus eleuet, seu attenuet culpam, tamen eam prorsus non remouet, quia metus non excusat à peccato mortali, vt definitur *in hoc cap.* Expedit potiùs vitam & bona perdere, quàm animam, *cap. Matthaus. de simon. cap. suscepimus. de homicid.*

CAPITVLVM VI.

IDEM MARSIL. ET AGATHEN. EPISCOPIS.

CVM dilectus filius: . . . Quia constitit nobis de voto emisso, & de præstito iuramento à Canonicis insularum, quòd regulam Cistercien. obseruarent, vel translationem ipsius Ecclesiæ ad Ordinem illorum nullatenus impedirent: cùm vtrumque seruatum non vergat in dispendium salutis æternæ, nolentes viam periuriis aperire. Non obstante violentiâ, quæ proponebatur illata, cùm neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantes. Nec obstante dolo, pro quo se proponebant fuisse seductos: cùm talis dolus non tam ad circumuentionem prædictorum Cistercien. quàm ad fatuitatem eorum debeat retorqueri. Super restitutione petitâ silentium eis duximus sententialiter imponendum.

HÆc Decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. II. epist. LXXXIII. Huius species huiusmodi est: In insulis Atearum, quæ iacent in ora Narbonensi, vulgò, *les Isles d'Hieres*, olim fuere fratres Cistercienses, vt exponitur in integra Decretali, quibus à Paganis, id est, Sarracenis captiuis abductis, Canonici quidam regulares locum vacuum nacti illum occuparunt, & XXX. annis possederunt, quibus elapsis votum emiserunt, interposito iureiurando de regula Cisterciensis Ordinis obseruanda, & translatione suæ Ecclesiæ ad illum Ordinem nullatenus impedienda, idque præsentibus Cisterciensibus fratribus: postea mutato consilio desiderarunt à Pontifice se restitui in integrum aduersus votum, & iusiurandum, obtendentes vtrumque à se dolo, & metu subreptum. Re cognitâ, quia constitit de voto emisso, & iureiurando præstito, restitutionis beneficium eis Pontifex denegauit; quia seruandum est votum, vel iusiurandum, quod non vergit in dispendium salutis, id est, seruari potest sine discrimine salutis, vt *hic, & cap. debitores, infrà, de iureiurand.* & non est danda occasio periurio, vt subiungitur hîc, & in *cap. Clericos. de cohabitat. Cleric.* quam ob causam periurij reis non defertur iusiurandum, *can. qui exigit.* XXII. *qu.* V. *cap. testimonium.* LIV. *de testib.* Nec est motus Pontifex exceptione metus illati, quæ proponebatur, quia non erat metus, qui caderet in constantem virum, id est, metus mortis, vel cruciatus corporis: nec obstabat exceptio doli, quo se captos dicebant; cùm talis dolus non ad circumuentionem Cisterciensium pertineret, sed potiùs ad fatuitatem, id est, leuitatem Canonicorum. Decepti non videntur, immo beneficio affecti, qui compelluntur redire ad meliorem frugem; & improbi si vltrò non resipiscant pœnis vrgeri possunt, vt sapiant; nec dicendi sunt vim pati, quam patiuntur à se ipsis, ex pœna delicti sui, Augustin. lib. II. contra Gaudent. cap. X. *Nam & latrones & quilibet homines rei criminum*

capitalium cùm iustis legibus puniuntur, non dicendi sunt persecutionem pati, nisi ab ipsis factis suis. Vnde rusticos Sardiniæ, adhuc paganos, si fidem Christi suasione non audirent, pensionis onere grauandos esse duxit Gregor. I. *can. iam verò.* XXIII. *qu.* VI. Pari ratione monachi semel professi, compelli possunt ad reformationem & obseruantiam disciplinæ & regulæ, *cap. relatum, ne Cleric. vel monach.* Notandum est hoc loco Canonicos regulares votum emisisse de obseruanda regula Cisterciensium: nimirum eâ ætate tanta erat fama Cisterciensium, vt certatim monachi alij se adgregarent Ordini Cisterciensi; cuius rei elegans vestigium deprehenditur in *cap. cùm ordinem, suprà, de rescript.* & vitæ D. Bernard. lib. II. cap. VIII. *E diuersis etiam regionibus odore religionis illius vbique diffuso, fratres ad fundanda monasteria inuitantur, fundata quoque & statuta ditioni eius sese subiiciunt, & arctioris ineunt regulas disciplinæ.* Et ita monasterium Grandis Syluæ adgregatum Ordini Cisterciensi & cœnobio Clareuallensi tradidit ipse D. Bernardus in epist. CCXLI. ad Tolosanos: *Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis Abbas Grandis Syluæ, & domus eius, quæ & nostra est, nuper nobis & nostro Ordini, ab ipso tradita, & Ecclesiæ Clareuallis specialiter associata.*

TIT. XLI. *De in integrum restitutione.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. S. GREGORII, ET S. SERGII ABBATIBVS.

CVM venissent ad Apost. Sed. electus & monachi Rothon. pro se ac pro monasterio suo, ac magister A. pro Episcopo Venet. eis sancti Georgij Diacon. Cardin. dedimus auditorem. Coram quo idem magister pro Episcopi parte proposuit, quòd cùm monasterium Rothon. esset situm in diœcesi Veneten. & Ecclesiæ Venet. subiectum, prædictus Episcopus possessione subiectionis vsus est hactenus inconcussè: sed cùm occasione cuiusdam electionis, quæ ibidem facta fuerat, partes de communi adsensu ad Naten. Episcopum & eius collegas commissionis litteras impetrassent, duo eorum ad monasterium accesserunt: quorum aduentum intrusus præsentiens, renunciauit huiusmodi electioni, & se à monasterio absentauit. Sed iudices auctoritate Apost. monachis iniunxerunt, vt syndicum vel procuratorem eligerent qui in causis monasterij & consultè ageret, & vtiliter responderet: districtiùs inhibentes eisdem, ne aliquem eligerent in Abbatem donec pleniùs agnosceretur de iure, quod Episcopus se habere in Abbatis electione dicebat. Monachi verò etsi procuratorem ad mandatum iudicum elegissent, Abbatem tamen contra inhibitionem eorum eligere præsumpserunt: cuius electionem Episcopus petiit infirmari, & se ad possessionem restitui, qua eum monachi spoliarant. Deinde iudices definitiuam sententiam protulerunt, electionem cassantes eandem, quam sententiam dictus magister petiit confirmari. Ad hoc fuit responsum, quòd licèt per procuratorem ex parte monachorum fuisset propositum, quòd monasterium ipsum ad Rom. Eccle. nullo medio pertineret, dicti tamen iudices contra eos procedere nimis animosè cœperunt: . · . · . Nos igitur inspectis priuilegiis præd. no. Leonis, Gregor. & Clem. quæ monasterium illud ad ius & proprietatem indicant Sed. Apost. pertinere, intelligentes, quòd monasterij procurator, etsi eadem priuilegia coram prædictis iudicibus exhibere omiserit negligenter, ius tamen non tam suum, quàm nostrum

fuerit protestatus, videlicet, quòd monasterium ipsum ad Rom. Eccle. nullo medio pertineret, ne ipsius negligentia in damnum, tam nostrum, quàm monasterij redundaret, ad audientiam restituimus monachos Rothon: . ·. ·. Electionem autem à monachis (sicut dicitur) concorditer factam, pendente controuersiâ ex qua pendet, nec confirmandam duximus, nec etiam infirmandam.

HVIVS capitis species huiusmodi est. Vacante monasterio Rothonensi, quod situm est in diœcesi Venetensi, ac de quo quæritur etiam in *cap. dilectus, suprà, de offic. ordinar.* monachi elegerunt quemdam in Abbatem: inde quæstio mota inter Venetensem Episcopum, & electum, & monachos Rothonenses. Cuius disceptandæ causâ Cardinali quodam auditore dato, Alanus procurator Episcopi proposuit electionem nullam & irritam esse, quòd monasterium ei subiectum esset, vtpote situm in diœcesi Venetensi, & possessione, vel quasi possessione subiectionis hactenus inconcussè vsos esset: sed eâ deturbatus fuerat occasione cuiusdam electionis, quam ideo irritam fieri Episcopus postularat, coram Episcopo Nannetensi, & aliis iudicibus datis, quòd facta fuisset à monachis contra inhibitionem datorum iudicum. Econtrà ex parte monachorum exceptum est, monasterium esse exemptum, & ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere. Pontifex inspectis priuilegiis, quæ culpâ seu negligentiâ procuratoris edita non fuerant, monachos Rothonenses restituit ad audientiam. Maior quidem xxv. annis non restituitur ob defensiones omissas inscitiâ, vel negligentiâ procuratoris, sed agit contra ipsum procuratorem, *l. si procurator, C. de procurat.* Minor verò restituitur aduersus defensiones omissas, *l. minor* xxv. *annis, ff. de minorib. l.* II. *C. sentent. rescind. non poss.* quod iuris merito locum habet in Ecclesia, quæ iure minoris vtitur, *cap.* I. *hoc tit.* vt & respublica, *l. rempublicam, C. de iure Reipublic.* Monachi Rothonenses restituti, quòd non idoneè per procuratorem defensi essent, tum quòd iure minorum vterentur, cùm quòd ob quæstionem exemptionis, non tam monasterij, quàm Sedis Apostolicæ causa ageretur, & negligentia procuratoris non deberet nocere tam Ecclesiæ Romanæ, quàm monasterio, vt traditur *in hoc cap.* Interim pendente lite Pontifex electionem à monachis factam in suspenso reliquit, id est, nec confirmandam duxit, nec infirmandam, vt subiungitur *in hoc cap.* Videbatur interim electio sustinenda, quòd monachi tuendi essent in possessione eligendi, *can. volumus.* XVI. *qu.* IV. *cap.* I. *vt lit. pendent.* eâ imprimis ratione, quòd electio iure communi ad eos pertineret, *can. congregatio.* XVI. *qu.* IV. *cap. cùm dilectus. de consuetud.* Sed tamen electio pendente lite suspendirur, quia ex quo monachis vis illata erat in possessione eligendi, non poterant eligere; vt Patronus qui non pacificè possidet, non potest præsentare, *cap. ex litteris. de iure Patronat.* Sententiam quæ secuta est, pete ex Innocentio III. Registr. XIII. epist. VII. Hic habetur tantùm litis series, seu processus.

CAPITVLVM IIII.

IDEM HELIEN. ET FLOREN. EPISCOPIS.

AVDITIS & intellectis causæ meritis in quæstione, quæ vertitur inter Vigorien. Episcopum & Abbatem de Euescam super Ecclesiis in valle de Euescam, quas Episcopus adseruit ad se diœcesanâ lege spectare; Abbas autem eas ab eius iurisdictione prorsus esse exemptas: cognouimus euidenter Ecclesias illas per priuilegia illa Rom. Pont. non esse ab Episcopali iurisdictione subtractas, nisi fortè vallis de Euescam sit ille locus, qui fuit à duobus regibus, Roe videlicet & Offa, libertati donatus, & quem bonæ memoriæ Celestinus Papa libertati donauit, sicut in ipsius priuilegiis continetur. Verùm tanto tempore probantur per testes ab Abbatibus de Euescam pleno iure possessæ, vt videatur in eis

eis ius Episcopale legitimè præscripsisse, nisi fortè per tantum temporis spacium Vigorien. Ecclesia interim vacauisset, vt tempore vacationis subducto, præscriptio minimè sit completa : .·. Licèt autem vtrimque sit in causa conclusum, quia tamen vtraque pars necessariam (vt adserit) probationem omisit: nos attendentes, quòd vtraque Ecclesia fungatur iure minoris, æquitate pensatâ vtramque restituimus contra reliquam, ad probandam rationem omissam, ne alterutra pars propter huiusmodi negligentiam graui iacturâ lædatur.

HVIVS cap. quod connectendum est cum *cap. auditis. de præscript. & cap. ex ore. de priuileg.* species hæc est. Lis erat inter Episcopum Vigorniensem, & Abbatem de Euesham (sic lege pro Euescam.) In diœcesi Vigorniensi est monasterium Euesham, quod ab Eguuino Wigorniensi Episcopo ope Kenredi Regis Merciorum extructum circa annum salutis DCC. Lis erat, inquam, inter Vigorniensem Episcopum, & Abbatem de Euesham super Ecclesiis vallis de Euesham, quas Episcopus asserebat ad se spectare iure communi, & lege diœcesanâ: Abbas econtrario, à iurisdictione Episcopi liberas & solutas, priuilegiis concessis à Regibus Kenredo & Offa, vt rectiùs legitur in *d. cap. auditis. de præscript. in* III. *collect.* deprauatè Roe *in hoc cap.* in collect. Raymundi, & Konradi in III. collect. iisdémque à Pontificibus confirmatis. Priuilegia enim Ecclesiis concessa à Principibus laïcis, quoad spiritualia, non valent, nisi à Pontificibus comprobentur, *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, suprà, de Constitut.* Receptis probationibus hinc inde, Abbas probauit Ecclesias illas tanto tempore à se, & decessoribus pleno iure possessas, vt præscriptio legitimè esset impleta: sed omisit probare vallem de Euesham esse locum illum, qui libertate donatus fuerat primùm à Kenredo & Ina, cum à Constantino Pontifice. Episcopus ad elidendam exceptionem præscriptionis, quæ opponebatur ab Abbate, nisus est probare Ecclesiam Wigorniensem tanto tempore vacasse, vt subducto tempore vacationis præscriptio non esset impleta; in præscriptione aduersus Ecclesiam deducendum est tempus vacationis. Præscriptio enim non currit contra Ecclesiam vacantem, & defensore destitutam, vt probatur *hîc, & cap. ex transmissa. de præscript.* Sed Episcopus non potuit probare, quanto tempore vacasset Ecclesia, quo subducto præscriptio abesset, vt innuitur *in hoc cap.* Licèt vtrimque esset in causa conclusum, & renunciatum probationibus, quia vtraque pars necessariam probationem omisit Pontifex, vtramque Ecclesiam restituit ad probandas rationes omissas, quòd vtraque Ecclesia vtatur iure minoris. Iure communi postquam est conclusum in causa, & renunciatum probationibus, noui testes non audiuntur propter metum subornationis, vt *in hoc cap. & cap. fraternitatis. de testibus, cap. cùm dilectus. de fid. instrument.* & Nou. Iustin. xc. *cap.* IV. nisi beneficio restitutionis, vt *hîc.* Neque obstat quòd priuilegiatus contra priuilegiatum non vtitur priuilegio, *l. sed & militis, ff. de excus. tut. l. assiduis, §. & ideo, C. qui potior. in pignor.* Ecclesia enim restituitur inuicem aduersus Ecclesiam, quia vtraque læsa est, vtraque defecit in probatione; nec spectatur ius ciuile, quo minor non restituitur aduersus minorem si vterque captus sit, *l. verum, §. item quæritur, ff. de minorib.* quia in Ecclesia non attenditur subtilitas iuris, *cap. dilecti, infrà, de indic. cap. interposita in fin. de appellat.*

CAPITVLVM IV.

IDEM PRIORI S. M. AD CARCERES, ET L. CANON. S. M. DE MANDRIA.

EX litteris Abbatis de Caluen. didicimus, quòd cùm Ramisanæ & Grimol. Archiepiscopi inter I. vitum & L. mulierem ex delegatione nostra sententiam diuortij protulissent, & adpel. interpositâ cognitionem sententiæ ipsi Abbati & Archipresbytero Paduano duxerimus committendum, quia pars mulieris ad peremptorium terminum non accesserat, Abbas ipse, cui aliter coniudex commiserat vices suas, allegationibus

diligenter inſpectis laram à iudicibus prædictis confirmauir ſententiam: ſed poſt octo dies pater puellæ accedens ad ipſum, inrellecto quòd ſententiam proruliſſet, firmauir proprio iuramento, quòd quidam ad eum & filiam eius accedens, fraudulenter ſub ipſius Abbatis nomine falſas eis litteras præſentauit, quibus mandabatur eidem, vt quia iudex ad diem, quam adſignauerat, venire non poterat, poſt octo dies à termino conſtituto, ipſius ſe conſpectui præſentarer: & poſtmodum adpellauit ad Sedem Apoſt. & etiam ſupplicauit. Licèt autem de fraude talirer perpetrata per huiuſmodi iuramentum non conſtet ad plenum, in fauorem ramen matrimonij, de benignirate canonica, contra fraudem propoſitam ſupplicationem mulieris admiſimus, & ad audientiam reſtiruimus eam pro matrimonio poſtulanrem. Ideóque mandamus, quatenus de cauſa prioris adpellationis ordine iudiciario cognoſcentes, confirmetis vel infirmetis, ſicut iuſtum fuerit, ſententiam à primis iudicibus promulgatam.

HVIVS cap. ſpecies huiuſmodi eſt. Sententia diuottij prolata eſt ab Archipresbyteris de Ramuſam, & de Gtiinol, vt legitur *in hoc cap. in ttt. collect.* (malè Raimundo Archiepiſcopis) à qua eùm mulier appellaſſet ad Sedem Apoſtolicam, appellationis cauſam Pontifex demandauit Abbati, & Archipresbytero Paduano. Abſente muliere ad diem termini peremptorij, qui fuetat aſſignatus partibus, Abbas, cui alter coniudex viees ſuas commiſerat, quod de iure licuit: (vbi enim duo vel plutes delegati ſunt à Sede Apoſtoliea, vnus ò delegatis poteſt alteri viees ſuas committere, *cap. quamuis, cap. ſuper quaſtionum, §. ſi verò, ſuprà, de offic. delegat.*) Abbas, inquam, cui coniudex datus viees ſuas erediderat, confirmauit ſententiam diuottij latam à prioribus iudieibus. Poſt ſententiam pater mulieris aeceſſit ad Abbatem, à quo lata erat ſententia, & iureiurando affirmauit ſe & filiam deeeptos falſis litteris, quæ præſentatæ fuerant nomine ipſius iudicis, per quas terminus peremptorius, qui fuerat aſſignatus partibus, prorogabatur in octauum diem poſt elapſum terminum peremptorium; & poſtmodum à ſententia iudicis appellauit, & poſt appellationem ſupplicauit apud Summum Pontificem. Pontifex licèt de fraude quæ allegabatur, liquidò non conſtaret per iuſiurandum patris, qui vltro iurauetat, non delato iureiurando à iudiee, vel ab aduerſario, fauore matrimonij, & benignitate canonieâ eum reſtituit ad audientiam, & eius ſupplicationem admiſit contra fraudem propoſitam. Sententia retractari poteſt per appellationem, vel pet ſupplicationem, *Auth. qua ſupplicatio, C. de precib. Imperator. offerend.* & in cauſa matrimoniali omiſſâ appellatione poteſt aſſumi via ſupplicationis; quia cauſa matrimonialis eſt fauorabilis, & ſententia ſuper quæſtione matrimonij lata, non tranſit in tem iudicatam, ſi de veritate apparuerit, vt *hîc, & cap. fraternitatis. de frigid. & maleficiat.* Notandum eſt cauſam mattimonialem in prima inſtantia delegatam duobus Archipresbyteris, & in eauſa appellationis Abbati & Archipresbytero. Cauſæ matrimoniales requirunt idoneos iudices, qui poteſtatem habeant iudieandi, & ſint periti Canonum, *cap. I. de conſang. & affinitat. cap. litteras. de reſtit. ſpoliat.* Synodus Londinenſis habita anno MCCXXXVII. præſide Othone Cardinali Legato Sedis Apoſtolieæ in Anglia, apud Math. Paris in Henrico III. *Propterea duximus ſtatuendum, quòd matrimoniales cauſa, qua inter cateras maturitate magnâ & diligentiâ ſunt tractanda, viris prouidis, & fide dignis, & habentibus iuris peritiam, vel ſaltem competens exercitium, committantur,* &c. Cauſa matrimonialis vt liberalis requitit maiores iudices; ideo de his non poteſt comptomitti in arbitros, *cap. pen. infrà, hoc tit. l. non diſtinguemus, §. de liberali, ff. de recept. arbitr. & ibi gloſſ.*

Capitvlvm V.

IDEM EPISCOPO, ET CAPITVLO OSCENEN.

Tvm ex litteris C. Papæ præ. no. tum ex his, quæ ipsius temporibus gesta fuerunt, grauem Ilerden. Ecclesiæ intelleximus quæstionem, per sententiam Eugenij Papæ super Ecclesiis quibusdam prolatam, se læsam enormiter, & olim & nunc etiam conquerentis. Vnde cùm idem Cel. tempore Anastasij Papæ proximi successoris eiusdem Eugenij in minori adhuc officio constitutus, in partibus Hispaniarum legationis officio fungeretur, & ex delegatione ipsius cognoscete cœpit de controuersia memorata, cui etiam Alexand. successor ipsius Anastasij, officio legationis denuo in partibus eiusdem fungenti, causam commisit eamdem: idem quoque Celestinus ad apicem Summi Pontificatus promotus, G. sancti Angeli diacon. Cardinali tunc Apost. Sed. Leg. dictam controuersiam sub eo tenore commisit, vt inspectis Ilerden. Ecclesiæ priuilegiis, auditis etiam partium rationibus, memoratâ sententiâ non obstante, definitiuam proferret sententiam, eámque faceret obseruari. Verùm quoniam per ipsum Legatum, aut per alios, quibus sub eodem tenore causa eadem commissa extitit (licèt producti testes ex parte Ilerden. Episcopi recepti fuerant) mandatum Apost. non extitit adimpletum, magister A. Canonicus Ilerden. postulauit per officium nostrum dictam sententiam in melius reformari, & contra eam restitui Ecclesiam Ilerden. Nos igitur cum fratribus nosttis & aliis deliberauimus diligenter: nonnullis adserentibus, quòd cùm prædictus C. præ. n. contra iam dictam sententiam visus fuerit Ilerden. Ecclesiæ restitutionis beneficium indulsisse, cùm eâ non obstante duxerit negotium committendum, & nos supplicationem eiusdem Ecclesiæ admittere debebamus, præsertim quia sententia Rom. Sed. non negatur posse in melius commutari, cùm aut subreptum aliquid fuerit, aut ipsa pro consideratione ætatum & temporum seu grauium necessitatum dispensatiuè quicquam ordinare decreuit. Et secundùm iura ciuilia Principes etiam contra res bis iudicatas in auditorio suo examinari, restitutionem in integrum permiserunt. Perspeximus quoque ex data sententiæ in regesto dicti Eugenij Papæ repertæ, quòd primo mense sui Pontificatus fuerit promulgata: quando non plenè de meritis ipsius causæ videbatur instructus, illâ nitens præcipuè ratione, quòd priuilegium Vrbani secundi ex parte vestra productum, subiectum fuerat falsitati, cuius tenorem nos in regesto ipsius inuenimus incorruptum. Tandem deliberatio nostra in hoc resedit: vt an data sit restitutio, an danda contra præmissam sententiam, partibus præsentibus decernatur, quarum adsertione merita causarum panduntur. Quocirca mandamus, quatenus vsque ad festum B. Lucæ, vel in propriis personis, vel per idoneum responsalem nostro vos conspectui præsentetis, quòd dicta sententia retractari non debeat (si poteritis) ostensuri: vel si fortè exigente iustitiâ fuerit retractanda, vel per vos vel per responsalem idoneum adpareatis sufficienter instructi: vt in prin-

cipali negotio canonicè procedatur: pro certo sciturі, quòd cùm propter multam locorum distantiam non possit ad vos sine magnis laboribus & expensis sæpius haberi recursus, si ad præmissum terminum, quem vobis peremptorium adsignamus, iniuncta vobis contempseritis adimplere: nos nihilominus in ipso negotio, quantum de iure poterimus, procedemus.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Lis erat inter Oscensem & Ilerdensem Ecclesias, quæ sunt sedes Episcopales in Aragonia, super quibusdam Ecclesiis, coram Eugenio III. Summo Pontifice, qui causâ cognitâ super ea sententiam promulgauit secundùm Oscensem Ecclesiam. Post Eugenium sedente Anastasio IV. Celestinus adhuc in minori officio constitutus, Legatus Sedis Apostolicæ in Hispania, ex delegatione ipsius Anastasij de causa cognoscere cœpit, sed eam non terminauit; & continuatâ legatione sub Alexandro III. ab eo mandatum accepit, vt eadem de causa cognosceret. Tum Alexandro demortuo Celestinus ipse ad Pontificatus culmen promotus G. S. Angeli Diacono Cardinali, tum Legato Sedis Apostolicæ in Hispania, eamdem causam commisit, eo tenore, vt inspectis Ilerdensis Ecclesiæ priuilegiis, auditis partibus, non obstante memoratâ sententiâ diffinitiuam sententiam proferret, eámque obseruari curaret. Verùm per hunc Legatum, vel alios quibus eadem causa commissa est, licèt quidam testes producti fuerint ex parte Ilerdensis Ecclesiæ, mandatum Apostolicum adimpletum non fuit. Postmodum tempore Innocentij III. Alanus Canonicus Ilerdensis Ecclesiæ postulauit à Pontifice prædictam sententiam Eugenij III. in melius reformari, & Ilerdensem Ecclesiam aduersus eam restitui. Re in consilium deductâ, quibusdam visum est, Celestinum contra prædictam sententiam Ilerdensi Ecclesiæ restitutionis beneficium impendisse, ex eo quòd non obstante eâ duxerit negotium committendum, & Innocentium ipsum Ilerdensis Ecclesiæ supplicationem admittere debere; quia sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari, si ei subreptum fuerit. Sententia Summi Pontificis à nemine, id est ab alio, retractanda non est; sed aduersus eam ab ipso Summo Pontifice restitutio datur, *can. patet, can. nemo, can. ipsi, can. cuncta per mundum.* IX. *qu.* III. *can. veniam, can. sententiam* XXXV. *qu.* IX. Iuo Carnotens. epist. XCV. *Et cùm iudicium Apostolicum à nemine sit foris retractandum, vos ipse perpendite, vos ipse iudicate, vtrum synodalis sententia Apostolicis decretis, & canonicis sanctionibus munita dissolui debuerit sine vtriusque partis audientia. Nec enim indecens est, sicut Apostolicis docemur exemplis & scriptis, si aliquando sententiam mutet ipse Apostolicus in melius, cùm aliquid subreptum, vel falsis precibus à Sede Apostolica fuerit impetratum.* Et idem epist. CLIX. *Quoniam iudicia Romana Ecclesiæ à nemine foris retractari posse, eadem Romanâ Ecclesiâ docente didicimus, si qui aliquando se prægrauatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, vt non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant: & inde expetant leuamen vnde se conqueruntur accepisse grauamen; quia quæ aliquando corripit paternâ seueritate, eadem frequenter colligit maternâ pietate.* Ita Iure Ciuili contra res bis iudicatas in sacro auditorio Princeps restitutionem dat, *l. minor*, §. *sed & Percennio, ff. de minorib.* & à Præfecto Prætorio non appellatur, quia vice sacrâ iudicat; sed aduersus ipsius sententiam ab eodem restitutio datur, *l. Præfecti, ff. eod. auth. quæ supplicatio. C. de precib. Imperat. offerend.* Motus est Pontifex datâ ipsius sententiæ in regesto Eugenij Papæ repertæ, quòd primo mense sui Pontificatus, tulit sententiam huiusmodi, nondum satis instructus de causæ meritis, & quòd priuilegium Vrbani II. ex parte Oscensis Ecclesiæ productum, fuerat subiectum falsitati, id est, falsi insimulatum, cuius tenor fuit inuentus in registro ipsius, ex quo tollebatur omnis suspicio falsi. Instrumentum enim plenam fidem facit, quod profertur ex Archiuo publico, *cap. ad audientiam. de præscript. auth. ad hæc, C. de fid. instrument.* Tandem ex consilij sententia deliberatum est, vt an data, an danda sit restitutio contra prædictam sententiam, decernatur partibus præsentibus, quia causarum merita partium assertione panduntur, vt *hic, & l. vlt. C. si per vim, vel alio modo.* Quocirca Pontifex Capitulo Oscensi vnicum terminum peremptorium ad diem B. Luciæ assignauit. Propter locorum distantiam regulariter trina citatio fieri debet, sed

aliquando propter locorum distantiam in prima citatione terminus peremptorius apponitur, vt *hic*, *& l. ad peremptorium*, *ff. de iudic.*

CAPITVLVM VI.

SVSCITATA super diuersis articulis inter Burgen. Episcopum & Ouien. monasterium quæstione :·.·.· Nos intellectis, quæ vtraque pars proposuit coram nobis super quatuor articulis prænotatis, monasterium Ouien. iustitiâ condemnauimus exigente. Sententiâ verò latâ procurator monasterij ad probandam præscriptionem factam tam super quatuor articulis prænotatis, quàm etiam super quibusdam decimis per transactionem adquisitis, restitutionem in integrum nomine monasterij postulauit, quam eidem duximus indulgendam: .·.·.

Ne verò per excogitatam malitiam (sicut ex præsumptionibus pluribus videbatur) effectum sententiæ in damnum Episcopi contingeret impediri, néve monasterium per executionem sententiæ propter diuersas suspiciones incurreret detrimentum, nos æquitate pensatâ, iure duximus prouidendum, vt ante omnia suprà dicta sententia executioni mandetur: .·.·. Volumus nihilominus & mandamus, vt ab Episcopo ipso recipiatis idoneam cautionem: quòd si monasterium in causa ipsa præualucrit, vniuersa, quæ medio tempore sententiæ ipsius occasione perceperit, monasterio restituat memorato.

HVIVS cap. quod integrum extat apud Innocent. III. registr. XIII. epist. LIX. species huiusmodi est. Ortâ lite inter Episcopum Burgensem & Ouiense monasterium (sic lege pro Ouiensi) cuius fundator fuit Sancius Fernandi Comes Castellæ, vt scribit Rodericus Toler. lib. V. cap. III. *Et tandem Comes Sancius contriti cordis pœnitentiâ stimulatus, construxit monasterium nobile, quod Ouiam nominauit, eo quòd matrem viuentem Mouiam more Hispanico appellabat: demum post multas victorias strenuè consummatas, felicem spiritum suo restituit Creatori, & in monasterio Ouiensi, quod ipse construxerat, est sepultus.* Ortâ, inquam, lite inter Episcopum Burgensem, & monasterium Ouiense super libertate & statu ipsius monasterij, sententia definitiua lata est à Summo Pontifice, ad quem rei cognitio spectabat; quia solus Summus Pontifex cognoscit de priuilegiis Sedis Apostolicæ, *cap. cùm venissent. de iudiciis.* Aduersus sententiam à procuratore monasterij petita restitutio in integrum, propter omissam exceptionem præscriptionis. Hanc restitutionem Pontifex hic duxit indulgendam aduersus sententiam à se latam, adiectâ hac clausulâ, vt quia præsumptio est contra procuratorem, quòd ex malitia ad impediendam scilicet executionem sententiæ postulet monasterium restitui, interim pendente supplicatione sententia non aliter mandetur executioni, quàm præstitâ cautione idoneâ, id est, datis fideiussoribus, de restituendo eo omni quod ad Episcopum peruenerit ex huiusmodi sententia, si contigerit, vt per restitutionem in integrum sententia retractetur. Regulariter postulatâ restitutione in integrum suspenditur executio sententiæ, *l. vnic. C. in integr. restit. postul. l. vlt. C. si ex fals. instrum.* Sed vbi restitutio petitur intra decem dies, executio sententiæ non fit nisi præstitâ cautione, *auth. quæ supplicatio. C. de precib. Imp. offer.* quod & cauetur *hic*, vbi restitutio impetratur dolo malo ne sententia sortiatur effectum. Sed in Gallia supplicatio ciuilis non impedit arresti executionem, etiam sine satisdatione: vnde formula ducta, *Sans preiudice de l'execution de l'Arrest entre les y compris & nommez.*

TIT. XLIII. *De arbitris.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENT. III. CANCELLARIO, ET MAGISTRO LOTH. CANON. PARIS.

DILECTI filij Abbas & Conuentus de Scarduna Cistercien. Ordinis, suâ nobis querelâ monstrarunt, quòd cùm inter eos ex vna parte, ac Hospitalarios ex altera, super vsuario cuiusdam nemoris quæstio verteretur, in A. reginam Francorum fuit compromissum vtrimque. quæ causæ meritis intellectis, arbitrium duxit per definitiuam sententiam promulgandum: .·.·. Quamuis autem secundùm regulam iuris ciuilis fœminæ à publicis officiis sint remotæ, & alibi dicatur, quòd licèt summæ opinionis existant, si arbitrium in se susceperint, vel si patronæ inter libertos suos interposuerint audientiam, ab omni sunt iudiciali examine separandæ, vt ex earum prolatione nulla pœna aduersus earum contemptores, nullàque pacti exceptio habeatur: quia tamen iuxta consuetudinem adprobatam, quæ pro lege seruatur, in partibus Gallicanis fœminæ præcellentes in subditos suos ordinariam iurisdictionem habere noscuntur, mandamus, quatenus Hospitalarios, vt arbitrium ipsum, præsertim cùm Episcoporum fuerit præsentiâ & consilio roboratum, sicut prouidè latum est, & ab vtraque parte sponte receptum, obseruent, per pœnam in compromisso statutam adpel. postpos. compellatis.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Inter Abbatem & Conuentum de Scarduna, vel de Escad, vt legitur in III. collect. Cisterciensis Ordinis, & Hospitalarios de Corefeis Senonensis diœcesis, super vsuario, id est, vsagio cuiusdam nemoris, quod consistit in iure cædendi ligna & pascendi pecora in alieno nemore, vt docent hic Hostiensis, & Panormit. Super qua vtrimque compromissum in Alienordim Reginam Francorum, id est, priorem vxorem Ludouici Iunioris. Quæ causâ cognitâ adhibito consilio quorumdam Episcoporum sententiam definitiuam pronuntiauit: cui Hospitalarij parere contempserunt, adito per querelam Summo Pontifice: à quo rescriptum est, licèt fœminæ iudicandi officio fungi non possint, quòd à publicis & ciuilibus officiis remotæ sint, *l. cùm Prætor, §. pen. ff. de iudic. l. II. de R. I.* & Constit. Iustiniani, etsi summæ opinionis existant, arbitrium suscipere vetentur, *l. vlt. C. de recept. arbitr.* Quia tamen ex consuetudine approbata, quæ pro lege seruatur in partibus Gallicanis, fœminæ præcellentes, quales sunt Reginæ, vel Comitissæ, habent iurisdictionem ordinariam in subditos, vt Hospitalarij pareant huiusmodi sententiæ, eo maximè quòd lata sit de consilio Episcoporum: in mulierem compromitti potest etiam de rebus temporalibus Ecclesiæ, si habeat potestatem iudicandi, quo iure vtebantur clariores fœminæ in Gallia ex consuetudine. Vt enim moribus sunt capaces feudorum, eo nomine solebant etiam ius dicere inter clientes & subditos suos, vt ostenditur *hîc*. Eâ ætate proprium munus erat seniorum ius dicere inter subditos suos; de Geraldo Comite Aureliacensi testatur Odo Cluniacens. in eius vita lib. I. cap. XIX. *In crastinum verò Mallensibus vndique ad seniorem confluentibus, iubet eum adduci.* Ex consuetudine mulier iudicandi officio fungi, & arbitrium suscipere potest. Consuetudine enim acquiritur iurisdictio, vt *hîc, & l. I. C. de emancipat.* Nec hoc caret exemplis; inter Israëliticos iudices refertur Debora Prophetissa, Iudic. IV. Areten Alcinoi Regis vxorem quòd lites subditos inter componeret, laudat Homerus Odyss. *η.* οἷσιν τ' εὖ φρονέῃσι, καὶ ἀνδράσι νείκεα λύει, *quibus bene vult etiam viris lites soluit.* A Turicensibus, & aliis quibusdam compromissum in quatuor arbitros, & Agnetem quondam Reginam Hungariæ, & sororem Alberti Ducis Austriæ, narrat Albertus Argentinens. in Chronic. *Confœderati*

autem erant Turicensibus valles Suitiæ Vreh, & Vndeuualden, & oppidum Lucern ipsius Ducis, quod se ab eius ditione retraxit, & compromissum est in quatuor arbitros, Agnete olim Regina Hungariæ, sorore Ducis, pro superiore electa. In Gallia illustres fœminæ maioribus feudis, & Parium dignitate potiuntur, eóque nomine solent interesse iudiciis Parium, quod variis exemplis comprobauit Io. Tillius in commentar. rer. Gallicar. cap. de Parib. Franc. Huiusmodi consuetudinem iam olim notam damnauit Synod. Nannetens. can. XIX. *Mirum videtur, quòd quædam mulierculæ contra diuinas humanásque leges, attrita fronte impudenter agentes placita generalia, & publicos conuentus indesinenter adeunt, & negotia regni, vtilitatésque Reipublicæ magis perturbant, quàm disponunt, cùm indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere, & quæ de lanificiis suis, & operibus textilibus, & muliebribus inter genitiarias suas residentes debuerant disputare in conuentu publico, ac si in curia residentes Senatoriam sibi vsurpant authoritatem.* Probatur sententia lata ab Alienorde Regina, quòd promulgata sit de consilio quorumdam Episcoporum velut assessorum, & coniudicum. Ita purgatio Mennæ Episcopi Tolosani à Gregorio I. commissa est Brunichildi Reginæ, non aliter quàm adiunctis ei duobus Sacerdotibus, *can. Mennam.* 11. *qu.* v.

CAPITVLVM V.

IDEM ABBATI, ET CONVENTVI DE PIGRAVIA.

CVM tempore C. Papæ præd. no. :.·.·. super controuersiis, quæ inter te & Mesburgen. Episcopum, & quosdam tuos monachos vertebantur, te promisisti arbitrium Magdeburgen. Archiepiscopi seruaturum: .·.·. Quia legitimè constitit, quòd fide hinc inde datâ compromissum est in Archiepiscopum memoratum, nos arbitrium ab ipso prolatum decernimus obseruandum, illis duntaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipsius monasterij, & duarum capellarum eiusdem in arbitrio sunt expressa. Cùm etsi sponte volueris, de iure tamen nequiueris sine licentia Rom. Pontif. renunciare priuilegiis vel indulgentiis libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius & proprietatem Rom. Eccles. pertinere.

HVIVS cap. quod integrum extat apud Innocent. III. lib. 1. epist. CCCXIII. species hæc est. Ortâ lite inter Episcopum Meisburgensem, & Abbatem & Conuentum de Pigauia super libertate ipsius monasterij, ad quam pertinet & *cap. vlt. infrà, de probat.* Super ea, & aliis hinc inde fide præstitâ compromissum est in arbitrium Archiepiscopi Magdeburgensis, qui re cognitâ sententiam promulgauit: à quâ cùm appellatum esset ad Pontificem, Pontifex sententiam confirmauit, exceptis capitulis quæ spectabant ad libertatem ipsius monasterij: cùm Abbas exemptus etiam volens nequierit renunciare exemptioni sine licentia Summi Pontificis. Exemptus non potest compromittere super exemptione, sine licentia Summi Pontificis, quia non potest renunciare priuilegio sine consensu Sedis Apostolicæ, vt *in hoc cap. & cap. cùm venerabilis, suprà, de consuetud. & cap. cùm dilectus, infrà, de Religios. domib.* Quo iure Clericus non exemptus non potest consentire in iudicem non suum sine consensu diœcesani, *cap. significasti. de foro competent.* Ita & exemptus non potest compromittere in arbitrum sine consensu Summi Pontificis, qui est diœcesanus seu ordinarius exemptorum, *cap. auctoritate. de priuileg. in* VI. Goffridus Vindocinens. lib. II. epist. XXVII. *Acephali non sumus, quia Christum Saluatorem caput habemus, & post ipsum Romanum Pontificem.* Aliâ ratione non potest compromitti in causa status seu libertatis, nimirum quia causa libertatis maiores iudices requirit, *l. non distinguemus, §. de liberali, ff. de recept. arbitr. l. vlt. C. vbi caus. stat. cap. pen. suprà, de in integr. restit.*

CAPITVLVM VI.

IDEM EPISCOPO SANCTI ANDREÆ, ET ABBATI DE BECHOT.

CVM dilectus filius: . . . Vtrum coram arbitris reconuentioni sit locus, postulasti per Sed. Apost. explicari. Nos igitur respondemus, quòd licèt in iudicio conuenientem reconuenire valeatis, qui coram iudice conuenitur: coram arbitris tamen reconuenire non potest: cùm arbitri iudicare non valeant, nisi de his tantùm, super quibus in eos extiterit compromissum.

IN iudiciis ordinariis reus conuentus apud eumdem iudicem actorem reconuenire potest ex alia causa, licèt actor non sit eiusdem fori, quia per conuentionem iurisdictio iudicis prorogatur, quoad reconuentionem, & non debet quis dedignari contra se iudicem quem agendo elegit, *l. cùm Papinianus cum auth. & consequenter*, *C. de sentent. & interlocut. l. qui non, ff. de iudic.* Reconuentioni locus est etiam coram iudicibus delegatis, *cap. 1. & 11. de mut. petit.* Licèt verò arbitria redacta sint ad similitudinem iudiciorum, *l. 1. ff. de recept. arbitr.* hoc non obseruatur in omnibus; & coram arbitris non est locus reconuentioni, quia arbitri iudicare non possunt, nisi de his quibus est compromissum, vt definitur *in hoc cap.* quæ ratio desumitur ex *l. si cùm dies, §. plenum, l. non distinguemus*, *§. vlt. ff. de recept. arbitr.* Idem videbatur dicendum in iudicibus delegatis, quòd hi non possint excedere terminos mandati, *cap. cùm olim, cap. P. & G. suprà, de offic. delegat.* Tamen diuersa est ratio, quòd iudices tam delegati, quàm ordinarij dentur in inuitum. Vnde meritò reo succurritur, vt inuitum actorem coram eodem iudice reconuenire possit. Arbitri verò à litigatoribus de mutuo consensu eliguntur, ac proinde reconuentio coram iis non datur, cùm sibi imputare debeat reus, quòd mutuam actionem, si qua erat, in compromisso omiserit. Sunt & alij casus in quibus reconuentioni locus non est, vt in iudiciis criminalibus, semel reus factus priùs se purgare debet, nec antè potest accusare, seu crimen referre, quàm fuerit absolutus; quia non relatione criminum, sed innocentiâ, id est, innocentiæ probatione reus purgatur, *l. si qui. ff. de public. iudic. can. neganda.* III. *qu.* XI. Imò & in Gallia reconuentio prorsus non datur in foro seculari, quia iurisdictio est patrimonialis, id est, cohæret territorio, neque prorogatur consensu partium.

CAPITVLVM VII.

IDEM RECTORI, ET FRATRIBVS HOSPITALIS S. BARTHO. LVCANI.

CVM olim super eligendo in hospitali vestro rectore & fratribus inter vos & Priorem sancti Barthol. Lucan. coram iudicibus delegatis quæstio verteretur, & vtraque pars in eos compromittens ipsorum arbitrium se promiserit seruaturum: super prolato ab ipsis arbitrio vtrinque dubitatio est exorta, quam petistis per Sed. Apost. declarari. Nos igitur publico instrumento arbitrium continente diligenter inspecto, cognouimus, quòd secundùm formam arbitrij Prior sancti Bartho. Lucan. tenetur habere consilium cum familia hospitalis eiusdem, & tractare cum ea de inueniendo rectore. Propter quod dicimus, quòd nisi Prior super inueniendo rectore tractauerit cum familia hospitalis, & ipsius consilium requisierit, non habet potestatem eligendi rectorem: & si alio modo eum elegerit, eius electio haberi debet irrita & inanis. Verùm habito cum familia super hoc consilio & tractatu, Prior liberè potest re-

ctorem

ctorem eligere dumtaxat idoneum, siue concordet siue discordet familia cum ipso super inuentione rectoris.

HVIVS cap. species hæc est: Coram iudicibus delegatis quæstio vertebatur inter Priorem S. Bartholomæi Lucani, & Rectorem fratrésque Hospitalis S. Bartholomæi super electione Rectoris & fratrum eiusdem Hospitalis: in iudices delegatos pars vtraque compromisit, & ipsorum arbitrium se seruaturam promisit. Prolato ab ipsis arbitrio, id est, sententiâ, super eius executione vtrimque dubitatio suborta est. Prior scilicet dicebat quòd teneretur requirere consilium fratrum in eligendo Rectore, non teneretur autem ipsum sequi. Econtrà fratres contendebant Priorem non posse eligere Rectorem sine ipsorum consensu, alioquin frustra requireretur ipsorum consilium, si nullius esset momenti. Fortè etiam sententia nullitatis arguebatur, quòd dicta foret à iudicibus delegatis, deposito officio delegatorum iudicum, & assumptâ personâ arbitrorum. In dubio Pontifex consultus, inspectâ sententiâ cognouit, quòd Prior S. Bartholomæi teneretur eligere Rectorem, tractatu habito cum familia Hospitalis, & requisito ipsius consilio, id est, fratrum Hospitalis, qui dicuntur de familia Hospitalis, vt liberti de familia Ecclesiæ, vel alterius Patroni, *can. octaua.* XII. *qu.* II. *l. cùm pater*, §. *fidei. de legat.* II. Et laïci qui percipiunt certos reditus de mensa Ecclesiæ, dicuntur etiam de familia Ecclesiæ, & hoc genus beneficij, seu præstimonij laïci familiaritas, vt in Ecclesia Claromontensi ex Innocent. III. lib. II. epist. CCCLXXIII. Hac de causa respondit Pontifex *in hoc cap.* Priorem non debere eligere Rectorem Hospitalis, nisi priùs tractatu habito cum ipsis fratribus, & requisito ipsorum consilio, sed non teneri ipsum sequi; quia qui tenetur procedere de consilio alterius, tenetur quidem consilium requirere, sed non tenetur illud sequi, vt *in hoc cap. & l. cùm pater*, §. *mando. de legat.* II. Ratio est, quòd consilium non est obligatorium, id est, non obligat eum cui datur, *d.* §. *mando*, *l.* II. *in fin. ff. mandat. l. ob hæc verba, ff. de his qui not. infam.* De viribus sententiæ quod ad personam iudicum non dubitauit Pontifex, eo quòd siluit prorsus hac de re; & parum dubitandum fuit, quia etiam in iudices delegatos compromitti potest adiectâ pœnâ, *cap. litteras, infra, de præsumpt.* licèt iudices ordinarij vel delegati, eius rei de qua iudices sunt, arbitrium ex compromisso suscipere prohibeantur, *l.* IX. §. *si quis iudex*, *l. non distinguemus*, §. *quæsitum, ff. de recept. arbitr.* Arbitratores, seu amicabiles compositores eos esse nihil vetat, vt docet Gloss. *in d.* §. *si quis index.* Alij sunt arbitri compromissarij, qui adeuntur ex compromisso, id est, pœnâ compromissâ. Alij sunt arbitri, qui eliguntur nudo consensu partium sine compromisso, sine vinculo pœnæ, quos vocant arbitratores, seu amicabiles compositores, *auth. si verò, C. de iudic.* Et de hoc genere arbitrorum intelligendum esse hoc cap. colligitur ex eo quòd in compromisso non interuenit stipulatio pœnæ, sed nuda promissio de seruando arbitrio. De iisdem accipe *cap. causam, cap. cùm inter R. & cap. cùm inter Canonicos. de elect.* Et hoc genus compositorum non ineleganter Dictatores vocauit Roger. Houeden. in Richardo I. *Rex autem Franciæ duos elegit Dictatores, & Rex Angliæ similiter duos, quorum arbitrio, vel maioris partis, si alter Regum aduersus alterum, vel aliquis hominum suorum, inter se interciperet, emendatio hinc inde fieret intra quadraginta dies.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

CONTINGIT interdum, quòd cùm actori: .·.·. Ad hoc generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laïcum, quia non decet, vt laïcus in talibus arbitretur.

CAPITVLVM IX.

IDEM PISANO ARCHIEPISCOPO.

PER tuas literas intimasti, quòd cùm super executione arbitrij quod inter Hospitalarios sancti Ioannis, & Plebanum de Piscia super

hospitali sancti Allucij latum erat, à nobis literas accepisses : .·.·. Plebanus proposuit quòd ad causam tractandam procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandauit, vt sine speciali mandato compromittere posset, vel transigere super eo. Et præterea procurator iam dictus de adsensu Canonicorum suorum non fuerat institutus: & ideo dicebat arbitrium non valere: præsertim cùm procurator fines mandati excesserit, & arbitrium fuerit per vnum Clericum & duos laïcos promulgatum, licèt ipsi de adsensu Genuen. Archiepiscopi, cui causa commissa fuerat, arbitrium protulissent: .·.·. Super quo frater t. t. r. quòd si ex parte Plebani arbitrium receptum fuerit, indistinctè ratum haberi debet, ac per hoc iuxta tenorem mandati adp. executioni mandari. Si verò receptum non fuerit, refert, vtrum fuerit, vel non de obseruando ipsum pœna statura. Et quidem si pœna adposita fuit, agi potest ad pœnam. at si nulla statuta fuerit, sed simpliciter fuit, quòd staretur sententiæ, compromissum, procurator ad interesse poterit conueniri, quia iuramento suo seipsum personaliter, non Ecclesiam poterit obligare. Quod autem à duobus laïcis & vno Clerico dicitur esse prolatum, nequaquam obuiare videtur, cùm auctoritate dicti Archiepiscopi factum sit, cui causa, de qua dicitur compromissum, fuerat delegata.

DE spiritualibus in laïcum compromitti non potest, vt cauetur *in cap. contingit.* Ratio redditur, quia non licet laïcum de talibus arbitrari, id est arbitrium, seu sententiam ferre; sicut laïcos de spiritualibus iudices eligi nefas est, *cap. decernimus. de iudic. cap. ad nostram. de consuetud.* quia laici nihil iuris habent in rebus Ecclesiasticis, *can. nouerint.* x. *qu.* I. Eosdem arbitros assumi non conuenit, quòd arbitria redacta sint ad similitudinem iudiciorum, *l.* I. *ff. de recept. arbitr.* Satè de rebus temporalibus Ecclesiæ in laïcos compromitti nihil vetat, *cap. dilecti, suprà, hoc tit.* Etiam de re spirituali potest compromitti in Clericum & laïcos, non sine authoritate Superioris, vt ostenditur *in cap. per tuas*, cuius species ponenda est, quia & alia obseruatione digna continet. Quæstio vertebatur inter Hospitalarios S. Ioannis Hierosolymitani, & Plebanum de Piscia super Hospitali S. Allucij, id est, super subiectione prædicti Hospitalis: cuius cognitione mandatâ à Pontifice Archiepiscopo Genuensi, à partibus compromissum est in vnum Clericum, & duos laïcos auctoritate dicti Archiepiscopi. Et sententiâ latâ ab arbitris, Pontifex Archiepiscopo Pisano mandauit executionem sententiæ. Notandum est alteri mandari executionem sententiæ arbitrorum, quia arbitri non habent executionem sententiæ; sed Ordinarius, vel delegatus specialis Pontificis exequitur sententiam arbitrorum, vt *hîc, & l. à diuo Pio inst. ff. de re iudicat. l. pen. C. de recept. arbitr.* Cur arbitri penes se non habeant executionem sententiæ, ratio est, quia arbitri non habent iurisdictionem, sed notionem tantùm, *l. at Prætor. ff. de re iudicat.* Coram Archiepiscopo Pisano Hospitalarij postulabant, vt exequeretur sententiam, quæ pro se lata erat. Econtrà Plebanus executioni sententiæ se opposuit tribus de causis. Prima, quòd à procuratore à se generaliter constituto compromissum esset absque speciali mandato, sine quo per procuratorem compromitti, vel transigi non potest, vt *in hoc cap. per tuas, & l. mandato, l. procurator totorum bonorum, ff. de procurat. cap. qui ad agendum, eod. tit. in* VI. Secunda, quòd procurator de assensu Canonicorum ad quos causa spectabat institutus non fuisset Plebanus habet Clerum suum, & chorum Canonicorum; etiam parochialium Ecclesiarum Clerici Canonicorum nomine cohonestantur. Conc. Aruernens. I. can. XIV. *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in ciuitate, neque in parochiis Canonicus esse dignoscitur.* & Turonens. II. can. XX. *Quotiescumque Archipresbyter, seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum, cum illo ambulet.* Non alienum à minoribus Clericis fuit nomen Canonicorum, quòd essent inscripti in Ca-

none, ἐν τῷ χαρτίῳ, id est, *in matricula Ecclesiæ*, Synod. Calched. can. II. *can. si quis Episcopus.* I. *qu.* I. *can. Saluator. ead. cauf. qu.* III. Tertia, quòd etsi compromissum esset ex speciali mandato, procurator fines mandati excesserat, eo quòd de re spirituali compromiserat, in vnum Clericum, & duos laïcos, licèt in huiusmodi personas compromissum esset de assensu Genuensis Archiepiscopi, cui causa commissa fuerat. Super his consultus Pontifex rescripsit, vt si sententia ex parte Plebani recepta, id est, homologata, seu comprobata fuerit, ea indistinctè rata & firma haberi, & executioni mandari debeat. Quod actum à falso procuratore si dominus ratum habeat, videtur retrò in iudicium rectè deductum, id est, ex speciali mandato, *l. licèt, ff. de iudic.* quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *l. vlt. C. ad Macedon. cap. ratihabitionem. de R. I. in* VI. Si verò sententia arbitrorum à Plebano recepta non fuerit, multum refert verum compromissum sit pœnâ adiectâ, an simpliciter nudâ promissione de parendo sententiæ. Priori casu procurator conuenitur pœnæ nomine, posteriori in id quod interest, vt cauetur in *d. cap. per tuas, & in l. Plautius, ff. de procuratorib.* Ex sententia arbitri non datur actio iudicati, sed pœnæ persecutio, si compromisso adiecta sit, *l.* I. *C. de recept. arbitr.* nisi partes expressè vel tacitè acquieuerint sententiæ, tunc ex ea datur actio in factum, *l. pen. C. eod.* Non obest quòd de re spirituali sententia est prolata ab vno Clerico & duobus laïcis, modò compromissum sit auctoritate dicti Archiepiscopi, cui causa mandata fuerat, quia vitium personæ laïci purgatur adiunctione personæ Clerici, *can. Mennam.* II. *qu.* V. maius dignum trahit ad se minus dignum, *cap. quod in dubiis. de consecr. Eccles. vel altar.* & in concursu Clerici & laici, magis Clerici quàm laici persona spectatur, *cap. Ioannes. de testam.* Non omittendum ad eandem litem pertinere *cap. inter dilectos, infrà, de donat.* quod est eiusdem Pontificis.

EX LIBRO SECVNDO DECRETALIVM.

TIT. I. *De iudiciis.*

CAPITVLVM XII.

INNOCENTIVS III. S. SERGII, ET S. GEORGII ABBATIBVS.

CVM venissent: . · . · . Cùm super priuilegiis Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios iudicari.

SOLVS Pontifex potest eximere Ecclesias à iurisdictione sui Ordinarij, *can. frater noster.* XVI. *qu.* I. *can. quàm sit necessarium, can. luminoso.* XVIII. *qu.* II. Idem solus potest cognoscere de priuilegiis Sedis Apostolicæ, vt definitur *in hoc cap.* id est, de exemptionibus Ecclesiarum. Eius enim est interpretari legem, cuius & condere, *l. in prætoriis, ff. de Prætor. stipulat. l. vlt. C. de legib. cap. inter alia. de sent. excommunic.* Igitur si qua in priuilegiis Sedis Apostolicæ occurrat ambiguitas, solus Pontifex adeundus est dubitationis soluendæ causâ. Neque obstat quòd Pontifex cognoscendo de priuilegiis Sedis Apostolicæ efficitur iudex in sua causa, quia & Princeps est iudex in sua causa: nimirum in causa fiscali, *l. proximè, ff. de his quæ in testam. delent.* Pontifex propter summam dignitatem extra suspicionem est, nec præsumitur quòd Vicarius Dei aliter iudicaturus sit, quàm Deus ipse iudicaret, arg. *l. vnic. ff. de offic. Præf. Præt.* & vt Sedes Apostolica à nemine iudicari potest, *can. nunc autem.* XXI. *dist. can. nemo.* IX. *qu.* III. Ita & beneficium Pontificis non recipit interpretationem ab alio quàm ipso Summo Pontifice, & de confirmatione priuilegiorum Sedis Apostolicæ alius non cognoscit, quàm ipse Pontifex, *cap.* I. *&* II. *de confirm. vtil.*

hoſpitali ſancti Allucij latum erat, à nobis literas accepiſſes : .·.·. Plebanus propoſuit quòd ad cauſam tractandam procuratori dedit generale mandatum, non tamen ei mandauit, vt ſine ſpeciali mandato compromittere poſſet, vel tranſigere ſuper eo. Et præterea procurator iam dictus de adſenſu Canonicorum ſuorum non fuerat inſtitutus: & ideo dicebat arbitrium non valere: præſertim cùm procurator fines mandati exceſſerit, & arbitrium fuerit per vnum Clericum & duos laïcos promulgatum, licèt ipſi de adſenſu Genuen. Archiepiſcopi, cui cauſa commiſſa fuerat, arbitrium protuliſſent: .·.·. Super quo frater t.t.r. quòd ſi ex parte Plebani arbitrium receptum fuerit, indiſtinctè ratum haberi debet, ac per hoc iuxta tenorem mandati adp. executioni mandari. Si verò receptum non fuerit, refert, vtrum fuerit, vel non de obſeruando ipſum pœna ſtatuta. Et quidem ſi pœna adpoſita fuit, agi poteſt ad pœnam. at ſi nulla ſtatuta fuerit, ſed ſimpliciter fuit, quòd ſtaretur ſententiæ, compromiſſum, procurator ad intereſſe poterit conueniri, quia iuramento ſuo ſeipſum perſonaliter, non Eccleſiam poterit obligare. Quod autem à duobus laïcis & vno Clerico dicitur eſſe prolatum, nequaquam obuiare videtur, cùm auctoritate dicti Archiepiſcopi factum ſit, cui cauſa, de qua dicitur compromiſſum, fuerat delegata.

DE ſpiritualibus in laïcum compromitti non poteſt, vt cauetur *in cap. contingit.* Ratio redditur, quia non licet laïcum de talibus arbitrari, id eſt arbitrium, ſeu ſententiam ferre; ſicut laïcos de ſpiritualibus iudices eligi nefas eſt, *cap. decernimus. de iudic. cap. ad noſtram. de conſuetud.* quia laici nihil iuris habent in rebus Eccleſiaſticis, *can. nouerint. x. qu.* I. Eoſdem arbitros aſſumi non conuenit, quòd arbitria redacta ſint ad ſimilitudinem iudiciorum, *l.* I. *ff. de recept. arbitr.* Sanè de rebus temporalibus Eccleſiæ in laïcos compromitti nihil vetat, *cap. dilecti, ſuprà, hoc tit.* Etiam de re ſpirituali poteſt compromitti in Clericum & laïcos, non ſine authoritate Superioris, vt oſtenditur *in cap. per tuas*, cuius ſpecies ponenda eſt, quia & alia obſeruatione digna continet. Quæſtio vertebatur inter Hoſpitalarios S. Ioannis Hieroſolymitani, & Plebanum de Piſcia ſuper Hoſpitali S. Allucij, id eſt, ſuper ſubiectione prædicti Hoſpitalis: cuius cognitione mandatâ à Pontifice Archiepiſcopo Genuenſi, à partibus compromiſſum eſt in vnum Clericum, & duos laïcos auctoritate dicti Archiepiſcopi. Et ſententiâ latâ ab arbitris, Pontifex Archiepiſcopo Piſano mandauit executionem ſententiæ. Notandum eſt alteri mandari executionem ſententiæ arbitrorum, quia arbitri non habent executionem ſententiæ; ſed Ordinarius, vel delegatus ſpecialis Pontificis exequitur ſententiam arbitrorum, vt *hic, & l. à diuo Pio init. ff. de re iudicat. l. pen. C. de recept. arbitr.* Cur arbitri penes ſe non habeant executionem ſententiæ, ratio eſt, quia arbitri non habent iuriſdictionem, ſed notionem tantùm, *l. ait Prætor. ff. de re iudicat.* Coram Archiepiſcopo Piſano Hoſpitalarij poſtulabant, vt exequeretur ſententiam, quæ pro ſe lata erat. Econtrà Plebanus executioni ſententiæ ſe oppoſuit tribus de cauſis. Prima, quòd à procuratore à ſe generaliter conſtituto compromiſſum eſſet abſque ſpeciali mandato, ſine quo per procuratorem compromitti, vel tranſigi non poteſt, vt *in hoc cap. per tuas, & l. mandato, l. procurator totorum bonorum, ff. de procurat. cap. qui ad agendum, eod. tit. in* VI. Secunda, quòd procurator de aſſenſu Canonicorum ad quos cauſa ſpectabat inſtitutus non fuiſſet Plebanus habet Clerum ſuum, & chorum Canonicorum; etiam parochialium Eccleſiarum Clerici Canonicorum nomine cohoneſtantur. Conc. Aruernenſ. I. can. XIV. *Si quis ex Presbyteris, aut Diaconis, qui neque in ciuitate, neque in parochiis Canonicus eſſe dignoſcitur.* & Turonenſ. II. can. XX. *Quotieſcumque Archipresbyter, ſeu in vico manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulauerit, vnus lector Canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero Clericorum, cum illo ambulet.* Non alignum à minoribus Clericis fuit nomen Canonicorum, quòd eſſent inſcripti in Ca-

none, ἐν τῷ χειρόνι, id est, *in matricula Ecclesiæ*, Synod. Calched. can. II. *can. si quis Episcopus.* I. *qu.* I. *can. Saluator. ead. cauſ. qu.* III. Tertia, quòd etſi compromiſſum eſſet ex ſpeciali mandato, procurator fines mandati exceſſerat, eo quòd de re ſpirituali compromiſerat, in vnum Clericum, & duos laïcos, licèt in huiuſmodi perſonas compromiſſum eſſet de aſſenſu Genuenſis Archiepiſcopi, cui cauſa commiſſa fuerat. Super his conſultus Pontifex reſcripſit, vt ſi ſententia ex parte Plebani recepta, id eſt, homologata, ſeu comprobata fuerit, ea indiſtinctè rata & firma haberi, & executioni mandari debeat. Quod actum à falſo procuratore ſi dominus ratum habeat, videtur retrò in iudicium rectè deductum, id eſt, ex ſpeciali mandato, *l. licèt, ff. de iudic.* quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *l. vlt. C. ad Macedon. cap. ratihabitionem. de R. I. in* VI. Si verò ſententia arbitrorum à Plebano recepta non fuerit, multum refert vtrum compromiſſum ſit pœnâ adiectâ, an ſimpliciter nudâ promiſſione de parendo ſententiæ. Priori caſu procurator conuenitur pœnæ nomine, poſteriori in id quod intereſt, vt cauetur in *d. cap. per tuas, & in l. Plantius, ff. de procuratorib.* Ex ſententia arbitri non datur actio iudicati, ſed pœnæ perſecutio, ſi compromiſſo adiecta ſit, *l.* I. *C. de recept. arbitr.* niſi partes expreſsè vel tacitè acquieuerint ſententiæ, tunc ex ea datur actio in factum, *l. pen. C. eod.* Non obeſt quòd de re ſpirituali ſententia eſt prolata ab vno Clerico & duobus laïcis, modò compromiſſum ſit auctoritate dicti Archiepiſcopi, cui cauſa mandata fuerat, quia vitium perſonæ laici purgatur adiunctione perſonæ Clerici, *can. Mennam.* II. *qu.* V. maius dignum trahit ad ſe minus dignum, *cap. quod in dubiis. de conſecr. Eccleſ. vel altar.* & in concurſu Clerici & laici, magis Clerici quàm laici perſona ſpectatur, *cap. Ioannes. de teſtam.* Non omittendum ad eandem litem pertinere *cap. inter dilectos, infrà, de donat.* quod eſt eiuſdem Pontificis.

EX LIBRO SECVNDO DECRETALIVM.

TIT. I. *De iudiciis.*

CAPITVLVM XII.

INNOCENTIVS III. S. SERGII, ET S. GEORGII ABBATIBVS.

CVM veniſſent: . . . Cùm ſuper priuilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa vertatur, nolumus de ipſis per alios iudicari.

SOLVS Pontifex poteſt eximere Eccleſias à iuriſdictione ſui Ordinarij, *can. frater noſter.* XVI. *qu.* I. *can. quàm ſit neceſſarium, can. luminoſo.* XVIII. *qu.* II. Idem ſolus poteſt cognoſcere de priuilegiis Sedis Apoſtolicæ, vt definitur *in hoc cap.* id eſt, de exemptionibus Eccleſiarum. Eius enim eſt interpretari legem, cuius & condere, *l. in prætoriis, ff. de Prætor. ſtipulat. l. vlt. C. de legib. cap. inter alia. de ſent. excommunic.* Igitur ſi qua in priuilegiis Sedis Apoſtolicæ occurrat ambiguitas, ſolus Pontifex adeundus eſt dubitationis ſoluendæ causâ. Neque obſtat quòd Pontifex cognoſcendo de priuilegiis Sedis Apoſtolicæ efficitur iudex in ſua cauſa, quia & Princeps eſt iudex in ſua cauſa: nimirum in cauſa fiſcali, *l. proximè, ff. de his quæ in teſtam. delent.* Pontifex propter ſummam dignitatem extra ſuſpicionem eſt, nec præſumitur quòd Vicarius Dei aliter iudicaturus ſit, quàm Deus ipſe iudicaret, arg. *l. vnic. ff. de offic. Præf. Prat.* & vt Sedes Apoſtolica à nemine iudicari poteſt, *can. nunc autem.* XXI. *diſt. can. nemo.* IX. *qu.* III. Ita & beneficium Pontificis non recipit interpretationem ab alio quàm ipſo Summo Pontifice, & de confirmatione priuilegiorum Sedis Apoſtolicæ alius non cognoſcit, quàm ipſe Pontifex, *cap.* I. *&* II. *de confirm. vtil.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM PRAELATIS PER FRANCIAM CONSTITVTIS.

NOVIT ille, qui nihil ignorat: . · . Non putet aliquis, quòd iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cùm ipse iurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire, sed cùm Dominus dicat in Euangelio: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quòd si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et Rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quòd Rex Francorum peccat in ipsum, & ipse circa eum in correptione processit secundùm regulam Euangelicam, & tandem quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ: quomodo nos qui sumus ad regimen vniuersalis Ecclesiæ supernâ dispositione vocati, mandatum diuinum possumus non exaudire, vt non procedamus secundùm formam ipsius? nisi forsitan ipse coram nobis, vel Legato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat. Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, nisi fortè iuri communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit derractum: sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Non igitur iniuriosum sibi debet regia dignitas reputare, si super hoc Apostolico iudicio se committat, cùm Valentinianus inclytus Imperator suffraganeis Mediolanen. Ecclesiæ dixisse legatur: talem in Pontificali Sede constituere procureris, cui & nos, qui gubernamus Imperium, syncerè nostra capita submittamus, & eius monita (cùm tamquam homines deliquerimus) suscipiamus necessariò velut medicamenta curantis. Nec sic illud humillimum omittamus, quod Theodosius statuit Imperator: & Carolus innouauit, de cuius genere Rex ipse noscitur descendisse: Quicumque videlicèt litem habens, siue petiror fuerit, siue reus, siue in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cùm negotium peroratur, siue cùm iam cœperit promi sententia: si iudicium elegerit sacrosanctæ Sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione (etiamsi pars alia reftagetur) ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Cùm enim non humanæ constitutioni, sed diuinæ potiùs innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis, ignorat quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere. Sed forsitan dicetur quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum nouimus in lege diuina, Ita magnum iudicabis vt paruum, nec erit apud te acceptio personarum: . · . Licèt autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à

vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, præcipuè cùm contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis: postremò cùm inter Reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrimque præstito proprio iuramento firmata: quæ tamen vsque ad tempus prætaxatum seruata non fuerint: numquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere, vt rupta pacis fœdera reformentur? Ne ergo tantam discordiam videamur sub dissimulatione fouere, prædicto Legato dedimus in præceptis, vt (nisi Rex ipse vel solidam pacem cum prædicto Rege reformet, vel saltem humiliter patiatur, vt idem Abbas & Archiepiscopus Bituricen. de plano cognoscant, vtrum iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram Ecclesia Rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis litteras duxit exprimendam) iuxta formam sibi datam à nobis procedere non omittat.

SPECIES huius cap. quam valde illustrant Rigordus in Gestis Philippi A. ad ann. MCCII. Matthæus Paris, & Matthæus Westmonasteriensis ad eundem annum, & Polydor. Virgil. lib. xv. Hist. Anglican. hæc est: Cùm Philippus A. Normanniæ, & aliis ditionibus, quibus Ioannes Rex Anglorum potiebatur in Gallia, manus iniecisset, quasi iure feudi sibi commissis, ob perpetratam à Ioanne nefariam cædem Arturi ex Gaufrido fratre nepotis; & Ioannes hac de re conquestus esset apud Innocent. III. quasi de effracta pace, & violata religione iurisiurandi, quo initæ pacis pacta sancita erant: Innocentius pacis componendæ gratiâ misit Legatum Abbatem Casæ-Marij, vt Philippum submoneret de pace reformanda: quòd si lis inter ipsos Principes componi non posset, idem Abbas & Archiepiscopus Bituricensis de querela Regis Anglorum de plano, id est, summariè, non seruatis iudiciorum solemnibus, cognoscerent. Ac ne videretur propensior esse in partes Regis Anglorum, aut iurisdictionem Regis Francorum lædere, hanc Epistolam decretalem emisit ad Episcopos Galliarum, quâ variis argumentis nititur probare Pontificiæ iurisdictionis esse cognoscere de huiusmodi negotio, quòd huic inesset cognitio effractæ pacis & periurij. Ac primùm, vt omnem à se suspicionem amoueat obtestatur, quòd non intendat Regis Francorum iurisdictionem perturbare, aut minuere, quia non intendit iudicare de feudo, cuius ad ipsum Regem spectat iudicium. Nimirum cognitio de feudo pertinet ad dominum feudi, vt *hic, & cap. caterùm, suprà, hoc tit. cap. ex transmissa, infrà, de for. competent. cap. imperialem, §. præterea si inter. de prohibit. feud. alienat. per Frider.* Hinc peruerso iuris ordine dominum Virsonis à Richardo Rege Anglorum ad se in ius vocatum, super re feudali, cuius cognitio spectabat ad Regem Philippum: de quo Willem. Brito lib. v. Philippid.

Persiat seque alias Richardus vertit ad artes,
Prouocat in causam dominum Virsonis, eúmque
Ordine peruerso iudex effectus & actor,
Conuenit iniusta coram se lite super re
Ad Regis de iure forum spectante Philippi.

Et Theobaldum Comitem Blesensem de statu liberorum cognouisse; quòd quæstio status cohæreret cum causa feudali, cuius cognitio ad ipsum iure feudi pertinebat, refert Io. Saresber. epist. LXXXIX. *Vnde vt asserebat illustris Blesensium Comes Theobaldus, Princeps quidem iustitiæ amator, & iuris cismontani peritissimus, ad quem Episcopus Vvintoniensis liberorum causam transmiserat, eo quòd ad ipsum res ista iure feodi pertinebat, accitis potioribus Episcopis Galliæ, consilio eorum, aliorúmque sapientum, causâ cognitâ patre defuncto, eos legitimos agnouit hæredes, eisque obesse non debere censuit, quicquid in fraudem eorum dolus artifex procurauit.* Iurisdictio, inquam, de feudo pertinet ad dominum feudi, nisi fortè iuri communi speciali priuilegio, vel contrariâ consuetudine sit detractum, vt subiungit Pontifex; quia iurisdictio feudalis soluitur priuilegio, seu exemptione vel con-

traria consuetudine, sicut iurisdictio feudalis acquiritur ex pacto vel consuetudine, *cap. dilecti, suprà, de arbitr. cap. cùm contingat in fin. infrà, de for. competent.* Ita etiam & tollitur speciali priuilegio, vel contrariâ consuetudine. Declarat Pontifex se non intendere cognoscere de feudo, sed decernere de peccato, de quo quemlibet Christianum corripere potest. Ac ne graue & iniuriosum sibi regia dignitas reputet, si super hoc Apostolico iudicio se submittat, ei proponit exemplum Valentiniani, qui vacante Mediolanensi Ecclesiâ, in votis habuit talem eligi Pontificem, cui & ipse caput submitteret, & cuius monita si delinqueret, vt salubre medicamen susciperet. Tum subiungit Constitutionem Theodosij, quam dicit confirmatam à Carolo Magno; vt si vnus ex litigatoribus siue actor, siue reus elegerit iudicium Episcopi, etiam inuito aduersario, ad eum protinus causa transferatur. Ea est Constitutio Constantini, quæ extat in *l. 1. C. Theod. de Episcopal. iudic.* quam Pontifex ascribit Theodosio quòd inserta sit Codici Theodosiano. Nec malè in Regem Francorum affectus videatur Pontifex, occasione sumptâ ex commemoratione Caroli M. ex eius stemmate Regem ipsum genus ducere ait, *De cuius genere*, inquit, *Rex ipse noscitur descendisse*; quod ita intelligendum est, vt dicamus Hugonem Capetium à matre originem duxisse à Carolo Magno, vt probat Willelmus Nangius in Chronico ad ann. DCCCCLXXXVII. qui & laudat *hoc cap.* Alio loco etiam idem Pontifex studium suum erga Regem & Regnum Francorum obnixè commendat, nempe lib. I. epist. CLXX. *Vnde cùm in minori quondam officio constituti serenitatem regiam, & Regnum Franciæ speciali amplexati fuerimus dilectionis affectu, nunc ad apicem Summi Pontificatus, licèt insufficientes assumpti, priuatis affectibus communibus superuenientibus causis, tam ardentiùs in regiæ serenitatis dilectione fragramus, vt occasionem nobis precemur à Domino indulgeri, per quam affectus interior prodeat in effectum, & prærogatiua sinceritatis quam ad te gerimus in opere pateat vniuersis.* Quàm studiosus fuerit idem Pontifex erga Regnum Francorum, non diffitetur Rigord. de gest. Philippi A. ad ann. MCCIX. vbi de interdicto misso ab Aurelianensi, & Altissiodorensi Episcopis in terram Regis ob confiscata ipsorum temporalia, quòd expeditioni regiæ defuissent: *Ipsis ergo terram, & homines Regis interdicentibus, & ad Romanam curiam mittentibus, & in propriis personis accedentibus, domino Papa Innocentio tertio consuetudines, & iura regni nolente infringere, aut in aliquo reuocare, emenda tandem facta & Regi soluta, post duos annos recuperauerunt omnia quæ à Rege fuerant confiscata.* Inde ne obiiciatur quòd aliter cum Regibus, aliter cum aliis, id est, priuatis agendum sit. Et Constitutio generalis non comprehendit Reges, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic prærogatiuâ gratiæ debent anteferri, *cap. vlt. de offic. deleg. in* VI. Obiectioni occurrit ipse dicens non esse acceptionem personarum apud Deum. Licèt autem iurisdictionis Pontificiæ proprium sit cognoscere de quolibet mortali peccato, maximè Pontifex cognoscit de effracta pace & de periurio, quod ad iudicium Ecclesiæ non est dubium pertinere. Querela effractæ pacis pertinet ad forum Ecclesiasticum, quia Ecclesiæ interest tueri pacem publicam, quæ est vinculum caritatis, vt edicitur *in hoc cap.* Vnde pœna effractæ pacis est excommunicatio, quæ est genus pœnæ Ecclesiasticæ, *cap. 1. suprà, de treug. & pac. can. illi.* XXIV. *qu.* III. Vnde in tractatu pacis initæ inter Philippum Ducem Burgundiæ, & Comitem Flandrensem, & Gandauenses, apud Io. Froissard. vol. II. cap. CLXXVIII. legitur solemnis hæc clausula: *Item, que si aucune personne d'Eglise contreuenoit à ladite paix, soit baillee à son Ordinaire pour estre puni, comme de paix enfrainte.* Cognitio etiam periurij foro Ecclesiastico vindicatur ob religionem iusiurandi; sed quia obtentu iurisiurandi in contractibus appositi, laici passim trahebantur ad forum Ecclesiasticum, & hoc pacto iurisdictio secularis pæne vacua & inanis fiebat. Decreto Senatus Parisiensis anni MCCXC. vetitum est ne instrumentis publicis iusiurandum apponeretur, de quo Benedict. in cap. *Rayn.* in verb. *duas habens filias.* n. CCXLVII. Vt hoc caput claudamus: Legatis à Pontifice mandatum, vt cognoscerent de effracta pace, & periurio inter Principes: sed Philippus Legatorum processum impediuit; tum quia existimauit Pontificis non esse cognoscere de commisso feudi de quo agebatur, sed cognitionem ad se pertinere tamquam dominum feudi, quod non negabat & ipse Pontifex, & antè in causa Regis Anglorum Alexander III. vltro & sincerè fassus est ad Regem pertinere, non ad Ecclesiam, de possessionibus iudicare, *cap. causam, qui fil. sint legit.* & de possessione lege agendum, id est, apud ciui-

lem iudicem, tradidit Augustinus lib. de altereat. Eccles. & Synagog. *Lege agatur, quia de possessione contentio est.* Cùm quia agebatur de Vassallo regio solemni iudicio Parium Galliæ damnato, ob nefarium facinus, cuius cognitio nequaquam spectabat ad Pontificem; quâ exceptione & olim vsus Carolus Caluus in epist. ad Adrianum II. *Sed valde mirati sumus vbi hoc dictator epistola, nobis per Actardum Episcopum delatæ, scriptum inuenerit, esse Apostolica auctoritate præcipiendam, vt Rex corrector iniquorum, & districtor reorum, ac secundùm leges Ecclesiasticas, atque mundanas vltor criminum, reum legaliter, ac regulariter pro excessibus suis damnatum suâ fretum potentiâ Romam dirigat. Maximè autem illum, qui & ante depositionem contra custodiam publicam, & contra quietem moliri, in tribus Synodis extitit deprehensus.* Legatione non admissâ, Pontifex impetrauit Legato, vt sacris interdiceret Regno Francorum, vt exponitur *in cap. nouit. de offic. legat. & cap. nouit. de appellat.* quæ sunt partes *huiusce cap.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM EPISCOPO HELIEN.

PASTORALIS :·.·.· Statuimus præterea, vt principales personæ non per aduocatos, sed per seipsas factum proponant. Nisi fortè sint adeò indiscretæ, vt earum defectus de iudicis licentia per alios suppleatur.

PRINCIPALES personæ, id est, actor & reus, factum, id est, rem de qua lis est, per se, non per aduocatos proponere debent, vt responsum est *in hoc cap.* Optimo consilio, vt euitetur cauillatio Aduocatorum, qui veritati sæpius imponunt. Ideóque interrogatus in iure, non debet respondere per alium, sed per se ipsum, *l. si fine, §. alius pro alio, ff. de interrog. in iur. fac.* Et qui interrogatur in iure præcisè, πρὸς ἔπος, id est, congruenter ad interrogantis verba, vel categoricè, vt loquuntur, respondere debet, *l. de ætate, §. quod autem, ff. eod. tit.* Et hoc differt percontatio ab interrogatione, quòd ad percontationem multa responderi possunt, ad interrogationem præcisè respondendum est, aut non, aut etiam. Augustin. de doctrina Christiana lib. III. cap. III. *Inter percontationem autem, & interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quòd ad percontationem multa responderi possunt, ad interrogationem verò, aut non, aut etiam.* Et interrogatus si non respondeat, in pœnam contumaciæ pro confesso, vel negante habetur, *d. l. de ætate, §. qui tacuit.* Et hoc est quod dicunt forenses, *à faute de respondre, les faits sont tenus pour confessez.* Dixi principales personas per se non per aduocatos factum litis proponere debere; excipitur nisi principalis persona sit indiscreta, id est, vir simplex & forensium rerum expers, putà minor, miles, rusticus, vel aliàs ita hebes & supinus, vt sit impos negotij sui, *l. cùm. de indebito, §. fin autem. ff. de probat.* Hoc casu defectus, seu inscitia partium de iudicis licentia per alium suppletur. Officium aduocationis ad hoc comparatum est, vt suppleatur imperitia partium; & partes ipsæ audiuntur à iudice, si non desit eis facultas dicendi, & causarum merita partium assertione panduntur, vt scriptum est in *l. vlt. C. si per vim, vel alio mod.*

CAPITVLVM XV.

IDEM NOBILI VIRO MATTHÆO DE RIPARIA.

EXAMINATA causâ, quæ vertitur inter te & milites Campaniæ :·.· Actionem, quam super iure patronatus eiusdem Ecclesiæ contra præfatos milites intentabas, incongruentem cognouimus & ineptam. Quia cùm testes induxeris ad probandum quòd quando præfatus A. vicedominus Ecclesiam eamdem tamquam sequestratam accepit, tu ius patronatus ipsius Ecclesiæ possidebas: profectò nec rei vindicationem at-

tentare, nec ipsius restitutionem poteras postulare. Vnde intentionem tuam in hac parte pronunciauimus non tenere, absoluentes eosdem milites ab eadem. Ita tamen quòd si congruentem & aptam intentare volueris actionem, respondere tibi nihilominus teneantur.

CAPIT. VII. TIT. XXX. *De confirmat. vtili, vel inutili.*

IDEM EIDEM.

EXAMINATA causâ, quæ vertitur inter te & milites Campanicos super Ecclesia sancti Angeli: perpendimus arbitrium, quod Vicedominus Sabinen. dicebatur super eodem negotio promulgasse, contra formam iuris & compromissi fuisse dictatum. Vnde non obstante confirmatione C. Papæ præd. nost. qui confirmauerat illud, sicut prouidè latum fuerat, & ab vtraque parte receptum, decernimus ipsum irritum & inane.

VTRIVSQVE huiusce capitis vna & eadem est species, quæ in hunc modum confingitur. Lis, seu controuersia vertebatur inter nobilem virum Matthæum de Ripariâ, & milites Campaniæ super iure patronatus Ecclesiæ S. Angeli de Casa-Parata, & agebatur interdicto vti possidetis. In hac causa possessio supradictæ Ecclesiæ sequestrata est apud Vicedominum Sabinensem: Vicedominus est Vicarius Episcopi in temporalibus, qui temporalem iurisdictionem exercet, & res Ecclesiasticas administrat, *can. nolumus, & seq.* LXXXIX. *dist. can. Saluator.* I. *qu.* III. Et in eo Hostiensis hoc loco deceptus est, quòd sibi suasit, id proprium esse Episcoporum Cardinalium, quos inter est Sabinensis, vt eorum Vicarij Vicedomini dicantur, si quidem commune est omnibus Episcopis, vt habeant Vicedominum, id est, Vicarium in temporalibus, de quo fusiùs à nobis actum est in Dissertationibus Iuris Canonici. Hinc eadem de causa compromissum in ipsum Vicedominum Sabinensem, à quo promulgata est sententia, quam Innocent. III. rescidit, quòd lata esset contra formam iuris & compromissi, etsi confirmata esset à Celestino eius proximo decessore in forma communi, id est, adiectâ clausulâ vulgari: *Sicut prouidè lata, & ab vtraque parte recepta est*, quæ clausula conditionem inducit, *cap. quia diuersitatem. de concess. præbend.* Rursus igitur Matthæus agere cœpit de integro super iure patronatus aduersus eosdem milites, & vsus est actione in rem, seu rei vindicatione, & testes induxit, vt probaret se fuisse in possessione iuris patronatus eo tempore quo Ecclesia sequestrata est apud Vicedominum Sabinensem: sed meritò repulsus est tamquam electâ ineptâ, & incongruâ actione; saluâ tamen idoneâ, & congruente actione, putà interdicto vti possideris. Non apta & idonea visa est actio in rem, quia ex quo intendebat se fuisse in possessione iuris patronatus tempore sequestrationis, nequaquam poterat agere actione in rem, quæ non datur possessori, sed datur ei qui dicit rem suam esse aduersus possessorem, *l. officium, ff. de rei vindicat.* Nec videbatur Matthæus excidisse possessione iuris patronatus ob sequestrationem Ecclesiæ, quia possessio rei sequestro depositæ non transit in sequestrum, si simpliciter custodiæ causâ res apud sequestrum deponatur: & possessio sequestri ad vsucapionem victori prodest, *l. licèt, §. vlt. ff. deposit. l. interesse, ff. de acquir. possess.* Nec locus erat actioni in rem aduersus milites, qui non possidebant, cùm in rem actionem possessio patiat, *l. vnic. C. de alienat. indic. mut. caus. fact.* sed potiùs agendum fuit actione depositi sequestraria aduersus Vicedominum, apud quem Ecclesia sequestrata erat. Explosâ verò ineptâ & incongruâ actione integrum est denuo agere idoneâ & congruâ actione, vt traditur *in hoc cap.* Quia ineptæ actionis electio non perimit idoneam & congruam actionem, *l. cùm indebitum, ff. de condict. indebit. l.* IV. *§. vlt. ff. quod cum eo qui in alien. potest. est negot. gest. esse dicet.*

CAPITVLVM XVI.

IDEM MAGISTRO, ET FRATRIBVS MILITIÆ TEMPLI IN ITALIA CONST.

CVM deputati :.·.·. Accepimus, quòd quidam, tam seculares, quàm Ecclesiastici iudices, illos, quos habetis in domibus vestris præceptores in causis ad prosequendam suam iustitiam non admittunt, tanquam licitum non sit eis super litigiosis negotiis curam gerere, qui pacificis decreuerunt studiis inhærere, illud allegantes in repulsione eorum, quòd eorum ipsis generatio non est nota: qui vndecumque venerint gratiâ diuinâ vocati, dum laudabiliter exequantur officium sui ordinis, ex superabundanti requiritur suæ notio nationis. Ne quis igitur in prosecutione causarum præceptores eosdem ab agendo vel respondendo occasione huiusmodi repellat, auctoritate præsentium inhibemus.

ANNO MCXVIII. Rege Balduino Fratres militiæ Templi Hierosolymis instituti sunt, vt peregrinis religionis causâ ad sacra loca accedentibus tutum à grassatoribus, & latrunculis iter præstarent. Hi breui tot opibus & beneficiis ditati, vt nulla esset prouincia orbis Christiani, in qua non haberent domos opulentissimas. Testes sunt Willelm. Tyrius lib. XII. cap. VII. Matth. Paris ad ann. MCXVIII. & Iacob. à Vitriac. Hist. Oriental. cap. LXV. Fratres dicti sunt, vt in inscriptione huiusce *cap. & cap. cùm & plantare, infrà, de priuileg.* quòd exemplo Canonicorum Regularium vota solemnia profiterentur, vt obseruat Iacob. à Vitriaco d. loc. φρερίους ex vernaculo sermone Latinorum vocarunt Græci, Nicetas in Andronic. Comnen. lib. I. ὅτι δὲ πρὸς τῶν Ἱεροσολυμιτῶν λυθεὶς, οὓς φρερίους φασὶ, *tandem ab Hierosolymitanis redemptus quos Frerios dicunt.* Procuratores verò seu administratores, qui præsunt domibus militiæ Templi, vel Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Præceptores dicuntur, vt in *hoc cap.* & apud Vitriacum d. loc. *Pars modo summo & principali Magistro Hospitalis S. Ioannis procuratores domorum, quos Præceptores nominant, certam pecuniæ summam singulis annis transmittunt.* & domus huiusmodi Ordinum militarium Præceptoriæ, quòd non sint beneficia Ecclesiastica, quæ naturâ suâ sunt perpetua, sed nudæ administrationes, quæ demandantur ex præcepto Magistri Ordinis. Vnde & huiusmodi Præceptoriæ vulgò vocantur *Commanderies*, quòd administrationis & custodiæ causâ sacris militibus commendentur. Huiusmodi verò Præceptores, quæ est species *huius cap.* cùm in causis suis agerent, vel conuenirentur, apud iudices Ecclesiasticos, vel seculares non admittebantur, quasi non essent idonei ad agendum, vel defendendum pro domibus; hoc colore quòd eorum generatio non esset nota, id est, quòd vtplurimùm essent peregrini, quorum genus & patrium solum esset ignotum. Idcirco vetat Pontifex *in hoc cap.* ne huiusmodi Præceptores hac occasione repellantur ab agendo, vel defendendo, nec inquirantur vndenam sint. Etsi exteri sint incapaces beneficiorum, tamen fauor sacræ militiæ extorsit, vt huiusmodi Præceptoriæ militiæ Templi, & S. Ioannis Hierosolymitani etiam exteris citra dispensationem commendentur, vt docet Rebuff. in prax. part. III. tit. de rescript. mixt. num. IX. Nec iuri incongruum huiusmodi Præceptores militarium Ordinum, qui pro religiosis habentur, pro domibus suis agere, & conueniri posse: nam monachi professi sunt idonei procuratores ad agendum, & defendendum in causis monasterij sui, de mandato Abbatis; quia id exposcit monasterij vtilitas, *can. Monachi.* II. XVI. *qu.* I.

CAPITVLVM XVII.

IDEM VERCELLEN. EPISCOPO, ET ABBATI DE TOLETO.

QVALITER & quando :.·.·. Præcipiatis ex parte nostra Prælatis, vt laïcis de clericis conquerentibus plenam faciant iustitiam exhi-

beri. Non obstantibus adpellationibus frustratoriis, quas in eorum grauamine Clerici frequenter opponunt. Ne pro defectu iustitiæ Clerici trahantur à laïcis ad iudicium seculare: quod omnino fieri prohibemus.

LAICIS de Clericis conquerentibus Prælati plenam iustitiam exhibere debent, non obstante frustratoria appellatione, ne ob defectum iustitiæ, Clerici à laïcis pertrahantur ad forum seculare, quod vetatur *in hoc cap.* Iure Ciuili Clerici actione pecuniariâ, seu personali, non conueniuntur, nisi apud Episcopum; sed eo cessante lis transmittitur ad ciuilem iudicem, Nou. Iustin. LXXXIII. quam Gratianus intexuit in *can. si quis cum Clerico.* XI. *qu.* I. Sed iure Pontificio Clerici à laïcis non sunt trahendi ad forum seculare, etiam ob defectum iustitiæ, vt *in hoc cap.* verùm appellandum est ad proximum Superiorem. Hoc iure quidem ibi, vbi Episcopus cognoscit de feudo tamquam dominus temporalis, si moram faciat in iudicando, tunc iudex secularis supplet negligentiam Episcopi, *cap. ex transmissa, hoc tit. cap. verum. de foro compet.* Idémque seruatum est constitutionibus Anglicanis, vt Constitutione Willelmi Senioris, quæ extat apud Rogerum Houedenum in eius vita: *Quicumque de Ecclesiis aliquid tenuerit, vel in fundo Ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam Ecclesiasticam coactus non placitabit, quamuis forisfecerit, nisi, quod absit, incuria Ecclesiastica rectum defecerit.* Ob id Thomas Cantuariensis Archiepiscopus quingentis libris multatus ab Henrico II. Rege Anglorum, quòd Iohanni Mareschallo apud se agenti de feudo iustitiam denegasset. Idem Houedenus in Henrico II. *Conquestus enim erat Regi idem Iohannes, quod cùm calumniatus esset in curia Archiepiscopi terram quandam de illo tenendam iure hæreditario, & diu inde placitasset, nullam inde potuit assequi iustitiam, & quòd ipse curiam Archiepiscopi sacramento falsificauerat secundùm consuetudinem Regni, &c.* Aliàs laïci à Clericis non trahuntur ad forum seculare, etiam ob defectum iustitiæ, neque obstat can. I. Conc. Tolet. IX. in *can. filiis.* XVI. *qu.* VII. Ex quo si Metropolitanus fraudem inferat rebus Ecclesiæ, patrono vel hæredibus eius indicitur, vt Regis hæc auribus intimare non differant; quia hoc casu Rex non fungitur officio iudicis, sed Aduocati & defensoris Ecclesiæ, qui supplet potestatem priuati patroni. Nihil obstat etiam can. III. Concil. Hispal. I. ex quo si Presbyter, vel Clericus ab Episcopo monitus extraneam mulierem à se non remouear, iubetur vt iudex secularis eamdem permissu Episcopi apprehensam in suo lucro vsurpet, id est, suæ iurisdictioni vindicet: quia mulier, quæ est laïca, non est fori Ecclesiastici; & licèt noxia sit ob consortium cum Clerico, pertinet ad iudicem secularem.

CAPITVLVM XVIII.

CAVSAM, quæ inter Abbatem & conuentum Vindon. & Archidiaconum Carnoten. super quibusdam procurationibus vertitur, vobis & Archidiacono Parisien. meminimus commisisse:. . . Quia verò cùm eumdem Archidiaconum similis pæne causa contingat, nimis fauorabilis parti alteri videretur, nos te, fili Decane, loco ipsius Archidiaconi surrogantes, mandamus, quatenus (non obstantibus prioribus literis) in causa ratione præuiâ procedatis.

LIS erat inter Abbatem & monasterium Vindocinense, & Archidiaconum Carnotensem super iure visitationis, & procurationis, quæ fuit demandata Archidiacono Parisiensi, & quibusdam aliis iudicibus: nimirum Archidiaconus Carnotensis intendebat iure visitationis procurationem sibi deberi ab Ecclesiis & Capellis monasterij Vindocinensis, quæ sitæ erant intra metas Archidiaconatus sui; Archidiaconi habent suam diœcesim, & ius visitationis & procurationis in Ecclesiis sui Archidiaconatus, *cap. mandamus, suprà, de offic. Archidiac.* Econtrà opponebatur monasterium Vindocinense esse exemptum & liberum à potestate Carnotensis Episcopi, & immediatè subiectum Sedi Apostolicæ, vnde dicitur *patrimonium, & alodium S. Petri.* Gof-

frido Vindocinensi lib. I. epist. II. III. IV. & VIII. & huiusmodi monasterium asserebatur exemptum tam in capite, quàm in membris. De quo iam olim Goffridus ipse acriùs pugnauerat cum Iuone Carnotensi lib. II. epist. II. ad eumdem: *Nam cùm in maiorem Ecclesiam nostram manum mittere non potestis, nec audetis, in cæteris quæ in Episcopatu vestro sunt, nostris Ecclesiis diuinum officium, non quidem satis iustè abstulistis, &c.* Sed quia Archidiaconus Parisiensis habebat consimilem pæne causam, vt suspectus meritò remotus est, alio suffecto in eius locum, vt docetur *in hoc cap.* Iudex vt suspectus remouetur, qui habet consimilem causam, ne in sua causa iudex fiat, vt testis consimilem causam habens repellitur à testimonio, *cap. personas, infrà, de testib.*

TIT. II. *De foro competenti.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS III. VERCELLENSI EPISCOPO.

LICET ex susceptæ: .·.·. Mandamus quatenus si quando à laïcis Vercellen. literas super rebus præcipuè, quæ forum seculare contingunt, à Sede Apost. contigerit impetrari, sublato adpellationis obstaculo, decernas auctoritate nostrâ irritas & inanes, dummodo Consules & Commune de se conquerentibus in iudicio seculari exhibeant iustitiæ complementum.

Liceat tamen ipsis, qui sub eisdem Consulibus taliter duxerint contendendum, si se in aliquo senserint prægrauari, ad tuam (sicut hactenus seruatum est) vel ad nostram, si maluerint, audientiam adpellare; hoc præsertim tempore, quo vacante Imperio ad iudicem secularem recurrere nequeunt, qui à superioribus in sua iustitia opprimuntur. Si verò Consules iustitiæ tamquam meritò suspecti fuerint recusati, coram arbitris communiter electis de causa suspicionis agatur: quæ si probata fuerit esse iusta, ad te vel ad nos pro iustitia recurratur, sicut superiùs est expressum.

CONSVLES ciuitatum iurisdictionem temporalem exercent ex priuilegio, vel consuetudine, vt Consules Vercellenses *in hoc cap.* Tudertini, *cap. venientes, de iureiurand.* & Genuenses *in cap. pen. de donat. inter vir. & vxor.* Scabini seu Consules in Gallia, vt Consules Hipretis in Belgica, *cap. vlt. de alienat. iudic. mut. caus. fact.* & generaliter in Regno Franciæ, *cap. I. de immunit. Eccles. in* VI. cuius verba notanda sunt: *Sanè intelleximus, quòd in Regno Franciæ Communia Scabini seu Consules, & alij domini temporales, & ij qui iurisdictionem in ipsis communiis, ciuitatibus, castris & villis temporalem exercent.* Hoc iure etiam criminali iurisdictione potiuntur Consules & Communiæ. De Communia Ambianensi testis est Stephanus Tornacensis epist. CXXXII. *Conuictos aut confessos de crimine Communia Ambianensi, ad quam iudicium sanguinis spectat, secundùm quod meruisset reus iudicandos exposuit, & plectendos.* Species verò huius cap. hæc est: Laïci quidam Vercellenses omissis Consulibus & Communi Vercellensibus, qui erant iudices ordinarij literas impetrarunt à Summo Pontifice, id est, literas commissionis ad certos iudices super rebus, quæ ad forum seculare spectabant, etiam remotâ appellatione. Aditus hac de re Pontifex rescripsit Vercellensi Episcopo huiusmodi literas esse irritas & inanes, dummodo Consules, & Commune parati essent litigantibus iustitiam exhibere. Laïci enim non sunt subducendi ad forum Ecclesiasticum, nisi in defectum iustitiæ secularis. Subiungit Pontifex, à sententia Consulum Vercellensium licere appellare ad ipsum Episcopum, sicut hactenus seruatum dicitur, vel ad Summum Pontificem, maximè eo tempore, quo vacante Imperio non patebat recursus ad iudicem secularem. A Consulibus Vercellensibus appellabatur ad Episcopum, vt iudicem temporalem, quia Episcopus Vercellensis est dominus ciuitatis, quam ab

Imperatore tenet in feudum, vt tradunt Hostiensis & Panormitan. *in hoc cap.* A iudice ciuili non licet appellare ad Pontificem, nisi temporali ipsius iurisdictioni subiectus sit, *cap. si duobus*; *infrà*, *de appellat. cap. Romana*, §. *debet. eod. tit. in* VI. Sed vacante Imperio in terris, quæ sunt ditionis Imperij, à iudice seculari rectè appellatur ad Pontificem, quia vacante imperio Pontifex succedit in administratione, & supplet vices imperiales, vt proditur *in hoc cap. & Clem. Pastoralis*, §. *vlt. infrà*, *de re iudicat.* Si verò Consules tamquam suspecti recusentur, causæ recusationis probandæ sunt coram arbitris communiter electis, vt subditur *in hoc cap. & cap. secundo requiris. cap. cum speciali. de appellat.*

CAPITVLVM XI.

IDEM ARCHIDIACONO, ET THESAVRARIO TVRONENSI.

EX tenore literarum G. Comitis Britanniæ, est nostris auribus intimatum, quòd cùm causam, quæ inter mulierem nobilem E. & I. de Meduano super hæreditate sua noscitur agitari, vobis commisimus terminandam, ipse Comes eidem mulieri, cùm tam ipsa, quàm prædictus I. essent de foro ipsius, mandauit, vt causam deferrent ad ipsum, promittens eidem, quòd faceret ei iustitiæ plenitudinem exhiberi :.·. Nos igitur attendentes, quòd sic sumus viduis in iustitia debitores, quòd alij iniustitiam facere non debemus: mandamus, quatenus nisi sit talis causa, quæ ad Ecclesiasticum iudicem pertinere noscatur, ei supersedere curetis; dummodo per iudicem secularem suam iustitiam possit obtinere: alioquin non obstante ipsius contradictione, causam ipsam ratione præuia terminetis.

CONTROVERSIA erat in specie *huius cap.* inter nobilem mulierem E. & I. de Meduano. Hic est Iuchellus de Meduana, de quo meminit Rigord. in gest. Philippi Augusti ad ann. MCCIX. Meduana est Cenomannici pagi oppidum, hodie Ducatus titulo insigne, quod dominos habuit variis claros temporibus. Memoratur Gaufredus de Meduana Goffrido Vindocinensi lib. v. ep. XXVI. quem fortissimum Cenomannorum appellat Ordericus Vitalis lib. III. hist. Eccl. Memoratur Gauterius de Meduana Hildeberto Cenoman. ep. XXXIV. Controuersia, inquam, erat inter nobilem mulierem E. quæ erat vidua, & Iuehellum de Meduanâ super hæreditate quadam, id est, prædio, quod illius seculi scriptores dixere hæreditatem; in admonitione Caroli apud Pistas: *Suas hæreditates, id est, mansa quæ tenent.* Cuius cognitio pertinebat ad forum Comitis Britanniæ. Eâ tempestate Britannia minor habuit Comites, vt *hîc*, *& cap. accedens* II. *infrà*, *vt lite non contestat.* Hildeberti Cenomannens. epist. LXV. Postea Duces, olim Reges, *can. hæc quippe.* III. *qu.* VI. in appendice Gregor. Tur. cap. LXXVIII. & apud Reginonem II. Chronic. Huius causæ cognitio cùm à Pontifice mandata esset Archiepiscopo Turonensi, qui est Metropolitanus totius Britanniæ, *d. can. hæc quippe.* & ex Gregorio VII. lib. VII. epist. XV. Rogero Houedeno in Ioanne ad ann. MCXCIX. Innocentio III. lib. II. epist. LXXXVIII. & dd. seqq. Stephano Tornacensi epist. CXXVII. CXXVIII. & CLIX. Archiepiscopo, inquam, & Thesaurario Turonensi: Comes mandauit eidem mulieri, quòd vtraque pars in eius ditione esset, vt causam ad eius curiam deferret; & vt eam alliceret ad subeundam faciliùs suam iurisdictionem, eidem promisit se curaturum, vt plenior iustitia ei exhiberetur. Comitet ille iurisdictionem suam tuendam duxit ob reuerentiam Pontificis: ideirco per literas idem significauit Pontifici rei cognitionem ad suum tribunal pertinere. Re auditâ Pontifex mandauit datis iudicibus, quòd etsi ageretur de causa viduæ, si eiusmodi causa esset, quæ ad forum Comitis spectaret, de ea cognoscere desinerent. Ratio subiungitur: *Quòd sic sumus viduis in iustitia debitores, quòd alij iniustitiam facere non debemus.* Pontifex non cognoscit de causis viduarum, vel laicorum, nisi sint eiusmodi

quæ ſpectent ad forum Eccleſiaſticum; vt cauſæ matrimoniales, *cap.* I. *de conſang. & affinit.* & aliæ quædam; vel ob moram iudicis ſecularis, vt innuitur his verbis, *Dummodo per iudicem ſecularem ſuam iuſtitiam poſſit obtinere.* Neque pugnat *cap. ex parte, infrà, hoc tit.* Ex quo vidua ſpoliata dotalitio ſuo, omiſſo domino feudi, poteſt agere interdicto vti poſſidetis aduerſus poſſeſſorem coram Eccleſiaſtico iudice, quia hoc ſpeciale eſt in vidua ſpoliata. Agebatur de Berengaria Regina Angliæ vxore Richardi Regis ſpoliata dotalitio ſuo, cui dignitas non obſtabat, quin priuilegio fori Eccleſiaſtici gauderet, vt ſpoliata & oppreſſa. Viduæ ſunt fori Eccleſiaſtici, non quatenus viduæ, ſed quatenus pauperes & miſerabiles perſonæ, & ſic concordat. *cap. ſuper quibuſdam. de V.S. cap. ſignificantibus. de offic. delegat.* Et de hoc genere viduarum intelligendum, quòd Princeps extra ordinem cognoſcit de cauſis viduarum, pupillorum, & miſerabilium perſonarum, *l. vnic. C. quand. Imperat. inter pupillos.* Miſerabiles perſonæ ſunt, quæ miſeratione dignæ ſunt ob egeſtatem, vel graues moleſtias quas patiuntur. Hieronym. II. aduerſ. Iouinian. *Sed & ipſæ mulierculæ miſeræ, & non miſerabiles.* Et Sidon. lib. I. epiſt. VII. *Miſer, nec miſerabilis erat.* Et vnus è gentilibus Ouid. in Ibim:

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis vlli.

Aliàs cauſæ viduarum non ſubducuntur à iuriſdictione Comitum, ſed hoc priuilegio gaudent, quòd priores audiuntur, idque in eleemoſyna Regis, id eſt, gratuitò, ſine mercede, & ſportulis, Synod. Vernenſ. can. XXIII. *Vt Comites, vel Iudices ad eorum placita, primò viduarum, orphanorum, vel Eccleſiarum cauſas audiant, & definiant in eleemoſyna Domini Regis, & poſtea alias cauſas cum iuſtitia rationabiliter iudicent.*

CAPITVLVM XII.

IDEM PISANO ARCHIEPISCOPO.

SI diligenti: . . . Adſeruiſti te vſque ad hæc tempora tenuiſſe, quòd licitum ſit clerico renunciare ſaltem in temporalibus cauſis iuri ſuo, & ſibi laïcum iudicem conſtituere, præſertim vbi aduerſarij voluntas accedit: ac tenere iuramentum ſuper hoc interpoſitum reſpondiſti: Immemor conſtitutionis, quâ cauetur pacto priuatorum iuri publico minimè derogari. Cùm ergo ius hoc in Mileuitan. & Carthaginenſi Conciliis ſit ſpecialiter promulgatum, ne clerici clericos relicto ſuo Pontifice ad iudicia publica pertrahant, alioquin cauſam perdant, & à communione habeantur extranei: & tam Epiſcopi, quàm diaconi, ſeu quilibet clerici in criminali, ſeu in ciuili negotio, ſi derelicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis ſe purgare voluerint, etiamſi pro eis ſit lata ſententia, locum ſuum amittant, & hoc in criminali actione; in ciuili verò perdant, quod euicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere. Manifeſtè patet, quòd non ſolùm inuiti, ſed etiam voluntarij paciſci non poſſunt, vt ſecularia iudicia ſubeant, cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat, ſed potiùs toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum: cui priuatorum pacto derogari non poteſt. Nec iuramentum licitè ſeruari potuit, quod contra canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur.

FORVM vel forus, vtrumque enim legitur Iſidoro, eſt locus publicus in quo ius dicitur. Hoc ſignificatu forum competens eſt congruum & idoneum forum, vbi quis conueniri debet. Vnde in rubrica Codicis hæc duo coniunguntur, *de iuriſdictione, & de foro competenti.* Audientiam competentem dixit Auguſtinus in Breuicul. collat. *Ibi enim Conſtantinus dixit, ab Heliano Proconſule audientiam præſtitam competentem.* Iudicium competens idem Auguſtin. lib. III. contra Iulian. *Veſtra verò apud competens*

iudicium communium Episcoporum modò causa finita est. Forum competens Clericorum est Ecclesiasticum: Clerici non possunt conueniri coram iudice seculari, *can. nullus Episcopus.* XI. *qu.* I. *cap. decernimus, suprà, de iudic. cap.* I. *hoc tit.* Non immeritò laici iudices valde suspecti sunt Clericis, quia laici Clericis oppidò sunt infesti, *can. Laicos.* II. *qu.* VII. & iniquè cogitat de Ecclesiæ iudicio, qui à iudicio seculari poscit auxilium, *can. placuit.* XI. *qu.* I. Constitutione Iustiniani Clericus potest renunciare præscriptioni fori, de quo antè dubitatum est, *l. pen. C. de pact. l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & Cleric.* Ratio constitutionis est, quia quilibet potest renunciare iuri pro se introducto. Iure veteri Pontificio Clericus potest trahi ad iudicem secularem de consensu proprij Episcopi, *can. Clericum,* I. II. *&* III. XI. *qu.* I. Leo I. epist. XCVI. *Sanè si Clericus laicum pulset, priùs se audiri ab Episcopis poscat, tum si petitioni sua laicum viderit obuiare, ex permissu Episcopi sui, in seculi moderatores disceptatione confligat.* Conc. Epaunens. can. XI. *Clerici sine ordinatione Episcopi sui adire, vel interpellare publicum iudicium non præsumant, sed & si pulsati fuerint sequi ad seculare iudicium non præsumant.* Arelatens. III. can. XXXI. *Clericum cuiuslibet gradus, sine Pontificis sui permissu, nullus ad seculare iudicium præsumat attrahere, neque laico inconsulto Sacerdote Clericum in seculare iudicium liceat exhibere.* & Aurelianens. IV. can. XX. *Quæcumque causatio quoties inter Clericum & secularem vertitur, absque Presbytero, aut Archidiacono, vel si quis esse præpositus Ecclesiæ dignoscitur, iudex publicus audire negotium non præsumat, sanè si causam habentibus placuerit ire ad iudicium fortè ex voluntate communi, permittente præposito Ecclesiæ, Clerico licentia tribuatur.* Ex Constitutione verò Innocent. III. *in hoc cap.* Clericus non potest consentire in iudicem secularem, etiam de consensu proprij Episcopi, quia priuilegium fori inductum est in gratiam ordinis, non personarum, & priuilegium huiusmodi est iuris publici, cui priuatorum pactis derogari non potest, *l. ius publicum, ff. de pact.* Clericus etiam non potest consentire in iudicem non suum etiam Ecclesiasticum, absque consensu proprij Episcopi; quia peregrina iudicia, id est, etiam Ecclesiastica, sed iudicis non sui sacris legibus vetita sunt, *can. peregrina, can. leges, can. non liceat.* III. *qu.* VI. *& cap. significasti, hoc tit.* Iuo Carnotens. epist. LXXXV. *Cùm autem in prouincia vestra peregrinum sit iudicium nostrum, peregrinum tamen nonputamus esse consilium nostrum.* Et Goffrid. Vindocinens. lib. II. epist. XXIV. *Omnino enim iniustum est, & sacris Canonibus, sicut ipse meliùs nostis, penitus obuiare videtur, vt Ecclesiastica causa seculari, & peregrino iudicio terminetur.* Clericus verò non potest consentire in iudicem etiam iuratum, vt subiungitur *in hoc cap.* Quia iusiurandum non valet, cùm vergit in alterius detrimentum, vel in salutis æternæ dispendium, *cap. cùm contingat. de iureiur. cap. quamuis. de pact. in* VI. Iusiurandum non est vinculum iniquitatis, *cap. quando. de iureiur. can. inter cætera.* XXII. *qu.* IV. Quid si Clericus omisso Episcopo Clericum pertrahat ad iudicem secularem, actor causam perdit, & à communione submouetur. Si Clericus verò in criminali causa consenserit in iudicem secularem, locum amittit, id est, deponitur, vel sententia iudicis tenet; in ciuili autem causa perdit quod euicit, id est, iudicatum, vt exponitur *in hoc cap.* ex Mileuitano & Carthaginensi Conciliis, quæ sumpta sunt ex *can. inolita, & can. placuit.* XI. *qu.* I. quibus coniungenda est *auth. statuimus, C. de Episc. & Cleric.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM BELVACENSI EPISCOPO.

CVM contingat interdum: . . . Insuper postulasti, an cùm aliqui Clerici deputati seruitio Capituli Beluac. aut aliorum Clericorum tuæ diœcesis super excessibus impetuntur, sint cogendi coram te, vel potiùs coram illis quibus seruiunt, querelantibus respondere, cùm illi sibi iurisdictionem huiusmodi vindicare contendant, licèt illos excommunicare non valeant, vel aliàs etiam coërcere. Super quo taliter respondemus, quòd ad te (vtpote Ordinarium) de talibus debent conquerentes, habere recursum: maximè si super his impetuntur, quæ in tua noscuntur diœcesi commisisse. Nisi fortè hi, quibus delinquentes ipsi deser-

uiunt, ex indulgentia vel consuetudine speciali iurisdictionem huiusmodi valeant sibi vindicare.

QVÆSIVIT Beluacensis Episcopus an Clerici ascripti seruitio Capituli, aut aliorum Clericorum eiusdem diœcesis, rei postulati cuiuspiam delicti, cogendi essent respondere coram se, vel Capitulo, aliisve quibus inseruiebant. Consultus Pontifex respondit *in hoc cap.* eos conueniendos esse coram ipso Episcopo, vtpote Ordinario, maximè ob delictum commissum in ipsius diœcesi; quia Episcopus est Ordinarius in tota sua diœcesi, & Clerici omnes sunt in potestate Episcopi, *can. omnes basilicæ.* XVI. *qu.* VII. *cap. cùm Episcopus. de offic. Ordinar. in* VI. Exceptio subiungitur à Pontifice, nisi hi, quibus delinquentes inseruiunt, ex priuilegio, vel consuetudine vindicent sibi huiusmodi iurisdictionem. Ratio dubitandi erat, quòd nemo sibi, aut suis ius dicere debet, *l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdict.* aut saltem parcissimè, *l. Senatusconsulto, ff. de offic. præsid.* Ergo videbatur Capitulum, aut alios non posse exercere propriam iurisdictionem in Clericos sibi seruientes: sed verius est Capitulo competere iurisdictionem in minores Clericos sibi inseruientes, ex priuilegio sub. Apostolico, vel consuetudine speciali. Capitulum, & inferiores Prælati non habent iurisdictionem in suos Clericos, nisi ex priuilegio, vel consuetudine, *cap. irrefragabili*, §. *excessus. de offic. Ordinar.* Et hoc iure Capitulum Beluacense iurisdictionem sibi vendicabat in Clericos seruientes, vt intelligitur *ex hoc cap.* Clerici qui deseruiunt Capitulo, gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, & ex consuetudine parent iurisdictioni Capituli, quia sunt beneficiati; & ideo tenentur ad residendum, & dicuntur seruitores, seu seruientes, vel assisij, quasi assidui, ob perpetuum obsequium quod præstant Ecclesiæ, *cap. pen. & ibi gloss. de Cleric. non resid. can. non oportet.* XLIV. *dist.* Eadem de causa iidem Græcis dicuntur παραμονάριοι, Synod. Calched. can. 11. quod Larini interpretantur Mansionarios, à manendo, *can. si quis Episcopus.* I. *qu.* I. *& gloss. in d. cap. pen.* Itidem qui sunt de familia Episcopi gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, *cap. dilecto. de offic. Archidiac.* non immeritò, quia cubicularij Episcopi eligendi sunt ex Clericis vel Monachis, vt sint idonei testes eius vitæ, & priuatæ conuersationis, *can. cùm Pastoris, can. Episcopi.* II. *qu.* VII. Etiam focarias, seu ancillas Clericorum fori sui esse contendebant iudices Ecclesiastici; sed Concilio hac de re habito iurisdictioni regiæ eas euindicauit Henricus I. Rex Anglorum, de quo Matth. Paris ad ann. MCXXIX. *Concesserunt namque Regi iustitiam de focariis Sacerdotum, quæ res postea cum summo dedecore terminabatur. Accepit enim Rex pecuniam infinitam de Presbyteris pro suis focariis redimendis.* Eodem iure vsi & domini capitales, quos iustitiarios vocant in suis ditionibus. Iacob. à Vitriac. Hist. Occident. cap. VIII. *Quædam autem nobilis mulier, in villa quam habebat, frequenter admonuit Presbyterum, vt suam relinqueret concubinam: quo renuente & respondente, Quid ad vos de Sacerdotibus: ipsa respondit, Contra vos nullam possum exercere iustitiam, verumtamen omnes huius villæ, qui non sunt Clerici, ad meam spectant iurisdictionem. Iubens autem Sacerdotis ad se adduci concubinam, fecit ei fieri amplam coronam, dicens, quia non vis relinquere Sacerdotem, volo te ordinare in sacerdotissam.*

CAPITVLVM XIV.

POSTVLASTI per Sedem Apost. edoceri, vtrum sacerdos habens Ecclesiam in vna diœcesi, & residens in eadem, domicilium verò patrimonij ratione in alia, ibi delinquens ab eo, in cuius diœcesi habet patrimonium, pro delicto ibidem commisso debeat iudicari, præsertim in causis, quæ officij sui seu beneficij priuationem exposcunt? Ad quod breuiter respondemus, quòd per Episcopum in cuius diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem. Sed ab eo, in cuius diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.

HOc iure Clerici pro quocumque crimine, putà furto, periurio, homicidio, vel aliis, conueniendi sunt coram iudice Ecclesiastico, nihilo obstante contraria con-

ſuetudine, *cap. Clerici, cap. cùm non ab homine. de iudic.* Athanaſ. Apolog. II. de Fuga, ἐπὶ δὲ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ ἐξέτασις περὶ αἵματος Χριστοῦ, καὶ σώματος Χριστοῦ γίνεται· εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγεγόνει τι πλημμέλημα, ἔδει ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὑπὸ κληρικῶν νομίμων ἐξετάζεσθαι, *Sub externo iudice quæſtio de ſanguine, & corpore Chriſti habetur: nam ſi omnino quod delictum perpetratum fuiſſet, oportebat de eo in Eccleſia inquiri, ſub legitimis Clericis.* Ex Nou. Iuſtin. LXXXIII. quam Gratianus recolit in *can. ſi quis cum Clerico.* XI. *qu.* I. Diſtinguendum eſt; aut crimen eſt ciuile, aut Eccleſiaſticum: ſi ciuile, Clericus punitur per ciuilem iudicem: ſin autem Eccleſiaſticum, cognitio pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum. Hodie in Gallia pari ferè ratione delictum, quod vocant commune, ſpectat ad iudicem Eccleſiaſticum; priuilegiarium verò, ad iudicem regium. Quòd ſi Clericus habens beneficium in vna diœceſi, deliquerit in alia, in qua habet domicilium & patrimonium, in eum ſententia promulganda eſt per Epiſcopum loci, in quo deliquit; ſed ſententia executioni mandatur per Epiſcopum loci, in cuius diœceſi beneficium ſitum eſt, vt reſpondit Pontifex *in hoc cap.* Reus forum ſortitur ratione delicti: forum competens eſt vbi delictum commiſſum eſt, *can. ibi ſemper.* III. *qu.* VI. *c.* I. *& auth. quà in prouinc. C. vbi. de criminib.* Iudex autem non exequitur ſententiam extra territorium ſuum. Executio ſententiæ pertinet ad iudicem loci, in quo res ſitæ ſunt, *l. à Diuo Pio, §.* I. *ff. de re iudic.* Immo & iudex Eccleſiaſticus non exequitur ſententiam ſuam, niſi interpoſito officio iudicis ſecularis, Nou. Iuſt. CXXIII. *cap.* XXI. alioquin prouocandi ius eſſet tamquam ab abuſu.

TIT. III. *De libelli oblatione.*

CAPITVLVM II.

SIGNIFICANTIBVS T. & R. fratribus noſtro fuit Apoſtolatui declaratum, quòd cùm inter ipſos ex vna parte, & V. ex altera, ſuper quadam terra coram iudicibus delegatis tracti fuiſſent in cauſam, oblato eis libello: illi (cùm plures terras haberent) vt terra illa, ſuper qua quæſtio vertebatur, oſtenderetur eiſdem, à iudicibus poſtularunt: quod cùm ipſi facere denegarent, ad noſtram audientiam prouocarunt. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, reuocato in ſtatum debitum, ſi quid poſt adpellationem huiuſmodi noueritis adtentatum, &c.

CAPIT. XLIX. *De Appellationibus, iiſdem ferè verbis conſtat.*

IN quolibet iudicio actio inſtitui non poteſt ſine vocatione, ſeu citatione, alioquin proceſſus iudicis eſt nullus, *l. de vnoquoque, ff. de re iudicat. l. ea qua, C. quom. & quand. index. l. meminerint, C. vnde vi,* & citatio debet fieri per literas, ſeu per libellum, *cap.* I. *hoc tit. cap. quoniam. de probat.* ad faciem, vel ad domum, id eſt, in perſonam, vel ad domicilium, *l. ſcire oportet, §.* I. *ff. de excuſat.* & non ſine mandato, ſeu commiſſione iudicis, *l. vlt. C. de exhib. reis.* Et ſi quis agat actione in rem, debet deſignare rem quam petit, id eſt exprimere nomen & locum in quo ſita eſt, vt oſtenditur *in vtroque hoc cap. & l. ſi in rem, ff. de rei vindicat.* vt in actione in perſonam actor in libello conuentionis debet exprimere cauſam obligationis, *cap.* III. *hoc tit. cap. peruenit, infrà, de cenſib.* Libellus autem emendari, ſeu corrigi poteſt vſque ad litem conteſtatam, *§. ſi quid aliud, inſtit. de act. l.* III. *C. de edend.*

CAPI-

TIT. VI. *Vt lite non contestatâ non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitiuam.*

CAPITVLVM I.

INNOCENT. III. ABBATIS. PROCVLI, ET L. CANONICO BONONIENSI.

AD hæc Deus: .·.·. Cùm causa, quæ inter R. & B. vxorem eius vertitur, auctoritate Apostolicâ vobis commissa fuisset, tandem procurator eiusdem R. libello vxoris, quo virum ad separationem tori, & vt dotem reciperet, de adulterio accusabat, noluit respondere, donec aduocatus eius veniret, inducias postulando. Qui cùm huiusmodi inducias sæpe petendo, vobis illudere videretur, tandem ad præsentiam vestram accedens, dixit se respondere paratum: sed die statuto cùm crederetur responsurus libello, restitutionem vxoris primò fieri postulauit, ne secùs fieret adpellando. Verùm quia dicebat mulier se virum habere suspectum, & idem procurator nec de mulieris impunitate cauere, nec vestro se curasset postmodum conspectui præsentare, vos testes mulieris recipere studuistis: ·.·.· Consultationi vestræ taliter respondemus, quòd licèt ordo iudiciarius in aliis controuersiis sit seruandus, & in matrimonialibus causis non vsquequaque seruetur: quia tamen in præsenti negotio non est actum de fœdere matrimonij, sed de crimine adulterij, (per quod ad separationem coniugij, non ad coniunctionem tenditur) quia lite non contestatâ, testes fuerunt recepti, & adtestationes etiam publicatæ, siue deferendum, siue non deferendum adpellationi fuisset, non est ad definitiuam sententiam procedendum. Potuit tamen præfatus R. propter suam contumaciam, vel etiam procuratoris (si sciens non purgauerit eamdem) excommunicationis sententiâ innodari.

HVIVS cap. species eiusmodi est. Lis erat inter Robertum & Bertam vxorem, in qua mulier virum accusabat adulterij: cuius actionis finis, seu propositum erat tori separatio, & dotis repetitio. Ob adulterium mulier à viro separatur quoad torum, & dotem repetit, *l. consensu, C. de repud.* Nou. Iustin. XXII. *cap.* XV. Procurator viri priusquam responderet libello accusationis, variis postulatis induciis aduocati quærendi causâ, tandem vxorem sibi priùs restitui poposcit, & ne secùs fieret appellauit. Verùm quia mulier excipiebat sibi suspectum esse virum ob adulterium & impudicitiam, & procurator non cauebat de impunitate, id est, securitate vxoris, quod à iure requiritur, *cap. ex transmissa, cap. literas in fin. de restit. spoliat.* Iudices quibus causæ cognitio demandata erat, testes productos à muliere receperunt. Dubitatum est an lite non contestatâ ferenda esset sententia. Consultus Pontifex respondit *in hoc cap.* quòd licèt ordo iudiciarius non vsquequaque, id est, per omnia in causis matrimonialibus seruetur: quia tamen in hac causa non agebatur de fœdere matrimonij, id est, de matrimonio contrahendo, vel dissoluendo, sed de crimine adulterij, quæ actio tendit ad separationem tori, quia testes recepti sunt ante litem contestatam, non esse procedendum ad sententiam definitiuam. Regulariter ante litem contestatam testes non recipiuntur, & sententia definitiua non profertur. Ratio est, quia ante litem contestatam nondum dicitur cœptum esse iudicium, *l. ampliùs, ff. rat. rem hab. r.* Vnde lite non contestatâ, nihil est super quo testes recipi possint, nihil adhuc deductum in iudicium super quo iudex definitiuam sententiam pronunciare possit; & quæ præcedunt litis contestationem, sunt magis præparatoria litis, quàm de actis ipsius iudicij. Ab hac regu-

la excipiuntur certi casus: Vnus est, si agatur de causa matrimoniali, seu de fœdere matrimonij; hoc casu testes recipiuntur, & ad sententiam definitiuam proceditur ante litem contestatam propter fauorem matrimonij, ne ob moram, viro vel mulieri peccandi occasio præbeatur, vt *in hoc cap. & cap. quoniam, §. porro, infrà, hoc tit.* In causis matrimonialibus ordo iudiciarius vsquequaque non seruatur, ob fauorem matrimonij, & periculum animarum. Causæ matrimoniales multa habent singularia, putà hæ requirunt maiores iudices, *cap. 1. de consang. & affinit. cap. literas. de restit. spoliat.* Conc. Londinense habitum anno MCCXXXVII. *Propterea duximus statuendum quòd matrimoniales causæ, quæ inter cæteras maturitate magnâ & diligentiâ sunt tractandæ, viris prouidis & fide dignis, & habentibus iuris peritiam, vel saltem competens exercitium committantur.* Vbi verò agitur de crimine adulterij, quæ actio tendit ad separationem tori, hoc casu testes non recipiuntur, nec res iudicatur ante litem contestatam; quia huiusmodi actio est odiosa, & separatio tori non facilè est admittenda, *cap. licèt ex quadam in fin. infrà, de testib.* Vnde in matrimonialibus causis propensiores esse debemus ad coniungendum, quàm ad disiungendum, *cap. accedens. II. infrà, hoc tit.* Notandum est quòd in fine huiusce cap. subiungit Pontifex maritum potuisse excommunicari ob propriam, vel procuratoris sui contumaciam, si sciens eamdem non purgauerit; quod non legitur in antiq. Decretali, & de nouo additum est à Collectore; haud tamen caret ratione iuris. Contumacia procuratoris nocet domino scienti, quòd ex quo contumaciam procuratoris nouit, & non purgauit, propriam facere videtur.

CAPITVLVM II.

IDEM HIEROSOLYM. PATRIARCHÆ, ET ARCHIEPISCOPO CASSEN.

ACCEDENS :.·.·. Cùm in iudicum delegatorum præsentia, Archiepiscopus Tirenen. restitutionis beneficium postularet, Plebanus sancti Marci de Venetiis (contra quem agebat) nihil ad obiecta respondit, sed ad nostram audientiam adpellauit: & licèt sæpe fuisset admonitus, vt iuri pareret (quia eius adpellatio non tenebat) noluit tamen respondere ampliùs, vel coram eis etiam comparere. Ipsi verò iudices (cùm Plebanus in sua contumacia perduraret) testes receperunt ab aduersa parte productos, & depositionibus redactis in scriptis, mandauerunt eidem, vt ad eos accederet, in personas, vel in dicta testium obiecturus. Quod cùm facere noluisset, in ipsum excommunicationis sententiam protulerunt, possessionem iuris parœcialis adiudicantes Archiepiscopo memorato: & eum restituentes in integrum, districtiùs vetuerunt, ne quis possessionem Cirenen. Ecclesiæ restitutam præsumeret perturbare. Cùm igitur lis coram eisdem iudicibus non esset contestata, & manifestè pateret literas ipsas per veri suppressionem obtentas, (cùm manifestum esset duos prædictorum iudicum, Achonen. videlicet & Beriten. Episcopos, eidem Archiepiscopo tamquam suffraganeos suo Metropolitano subesse) ac ex his Plebanum legitimè adpellasse constaret, in quem (etiam si minùs legitimè adpellasset) licèt iudices ipsi propter contumaciam excommunicationis fortè potuerunt proferre sententiam, non tamen debuerunt super principali negotio definitiuam sententiam, lite non contestatâ, proferre: prædictas cassauimus sententias, imò cassas denunciauimus & inanes. Vnde Tiren. Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt Ecclesiæ S. Marci instrumenta restituat, & etiam vniuersa, quæ huiusmodi occasione sententiæ, per se, vel per alios, occupauit.

ANNO MCXXIII. consilio inito de obsidione ciuitatum Tyri & Ascalonis, pactum initum est inter Venetos & Principes Regni Hierosolymitani, vt singulis in ciuitatibus Regni, Veneti haberent suam Ecclesiam, suum vicum, & forum, & vt tertia vtriusque ciuitatis Tyri & Ascalonis eis cederet, si quando reciperentur à Sarracenis, ex tabulis quæ extant apud Willelmum Tyrium lib. XIII. de bell. sacr. cap. XXV. Captâ ciuitate Tyro, Veneti ex huiusmodi pacto habebant suam Ecclesiam in ciuitate Tyrensi, quæ dicta est S. Marci, cuius Rector siue Plebanus parochiale ius in ea se habere intendebat. Cùm verò Archiepiscopus Tyrensis super iure parochiali ipsius Ecclesiæ egisset interdicto possessorio, vel quasi possessorio coram tribus iudicibus datis à Summo Pontifice, nimirum Acconiensi, Tiberiadensi & Berytensi Episcopis, & iuris parochialis restitutionem peteret in eadem Ecclesia, quâ se spoliatum dicebat: Plebanus S. Marci, (perperam à Collectore dictus de Venetiis, hic enim casus spectat ad Plebanum Ecclesiæ S. Marci, quam Veneti apud Tyrum habebant, & in eo cum Collectore errauit V. C. Iacob. Cuiac. qui hunc locum interpretatus est de Plebano Ecclesiæ S. Marci, quæ est Venetiis, sibi suasus eumdem Ecclesiæ S. Marci, quæ est Tyri, curam administrasse.) Plebanus Ecclesiæ S. Marci, nihil per contumaciam ad obiecta respondens, ad Sedem Apostolicam appellauit. Iudices dati Plebano sæpius monito, vt iuri pareret, eo perseuerante in sua contumacia, ab Archiepiscopo productos testes receperunt, & ob contumaciam in ipsum Plebanum excommunicationis sententiam protulerunt, & iuris parochialis possessionem in eadem Ecclesia Archiepiscopo adiudicarunt, & eumdem restituentes in integrum, prohibuerunt ne quis possessionem Tyrensi Ecclesiæ restitutam perturbaret. Parum enim prodesset hunc missum esse in possessionem, nisi iudex ipsam tueretur, *l. 1. §. 1 ff. ne vis fiat ei qui in possess. miss. erit.* Re delatâ ad Sedem Apostolicam, sententiam datorum iudicum irritam, & inanem Pontifex iudicauit, duplici ratione; primâ, quòd sententia non iure lata esset, lite non contestatâ. Licèt enim ob contumaciam Plebani, in ipsum excommunicationis sententia proferri posset, non tamen poterat procedi ad definitiuam sententiam lite non contestatâ: alterâ, quòd manifestò putaret literas, id est, literas commissionis ad iudices per obreptionem impetratas, id est, tacito priuilegio Sedis Apostolicæ, quod Venetis concessum erat, ne super prædicta Ecclesia conueniri possent ante recuperationem terræ Orientalis, vt ex fide registri docet Innoc. IV. & post eum Hostiensis hoc loco: & constaret Plebanum rectè appellasse à iudicibus datis, quòd duo ex ipsis, Acconiensis & Berytensis, essent suffraganei Archiepiscopi Tyrensis. Suffraganei sunt suspecti, & recusari possunt in causa Metropolitani tamquam Superioris. Addatur quòd Veneti intenderent Ecclesiam huiusmodi exemptam esse à iurisdictione Ordinarij, vt legitur de Ecclesiis, quas Veneti, Pisani, & Genuenses proprias habebant Constantinopoli, de quibus actum est *cap. inter quatuor. de maior. & obed.* Rescissâ sententiâ datorum iudicum, Pontifex mandauit Archiepiscopo Tyrensi, vt Ecclesiæ S. Marci restitueret instrumenta, & alia vniuersa, quæ occasione prædictæ sententiæ per se, vel per alios occupauerat. Restituto Plebano, ei restituuntur instrumenta Ecclesiæ, quoniam instrumenta Ecclesiæ debent esse apud Episcopum, vel alium Rectorem, *cap. ad audientiam, infrà, de præscript.* Augustin. in Breuicul. Collat. *Quòd illusi fuerant qui missi erant ad Christianorum Scripturas auferendas, & incendendas, quia non inuenerant, nisi nescio qua, ad eos non pertinentia: ipsas autem in domo Episcopi custodiri, vnde deberent proferri, & incendi.*

CAPITVLVM III.

IDEM EPISCOPO BRIXIENSI.

TVÆ fraternitatis deuotio:.·.·. Consultationi tuæ taliter duximus respondendum, quòd si reus lite non contestatâ absentauerit se contumaciter: talísque causa sit, quòd actor possit in petitarum rerum possessionem induci, est in eadem causa custodiæ inducendus. Quòd si

causa talis fuerit, quòd idem in possessionem nequeat intromitti, vt iuri pareat, per censuram Ecclesiasticam est contumax compellendus.

CAPITVLI V. *Quoniam*, §. VLTIMVS.

IN aliis verò casibus prudenter est adtendendum, vtrum contumax reali actione, an personali conueniatur. Si reali, mittendus est actor in rei petitæ possessionem, vt tædio adfectus reus veniat responsurus. Qui si venerit intra annum, (iudicio sisti præstitâ cautione, ac exhibitâ satisfactione congruâ expensarum) possessionem recuperet. Quòd si cautionem offerre neglexerit intra annum: actor post annum verus constituetur possessor: super proprietate dumtaxat aduersæ parti defensione legitimâ reseruatâ. Quòd si super rebus immobilibus quisquam conueniatur, qui eas possidet nomine alieno, debet statim in iudicio dominum nominare, certo dierum spacio à iudice finiendo, eóque ad eius notitiam perducendo, vt vel ipse veniens, vel idoneum dirigens responsalem, actoris intentionem excipiat. Si verò post tempus indultum, quod dispositum est, noluerit adimplere: tamquam lite, quæ ingeritur ex eo die, quo possessor ad iudicium vocatus est, ad interrumpendam præscriptionem longi temporis contestatâ, dominum possessionis iudex tribus edictis legitimis euocabit: & tunc ipso in eadem volunrate manente, negotium summatim examinans, in possessionem ipsarum rerum actorem mittere non tardabit: omni allegatione absenti super principali quæstione reseruatâ. Si autem super personali actione conueniatur, vel mittendus est actor in possessionem mobilium ipsius, vel immobilium, si fortè mobilia non habeat, pro modo debiti declarati: vel in contumacem est Ecclesiastica sententia proferenda: ita videlicet, quòd alterutrâ pœnâ, quæ magis timeri debeat, iudex à principio sit contentus: ad alteram nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis: qui veniens intra annum, vel post annum etiam audietur iuxta distinctionem in alio casu superiùs adnotatam.

ANTE litem contestatam testes non recipiuntur, & sententia definitiua non profertur. Quâ ratione igitur agi placet aduersus reum contumacem? Hac nimirum, si lite non contestatâ reus absit per contumaciam, & huiusmodi causa sit, vt actor mitti possit in possessionem rei petitæ, actor mittendus est in possessionem rei custodiæ causâ. Quòd si causa talis sit, vt idem nequeat mitti in possessionem, purà causa criminalis, vel spiritualis, reus contumax coërcendus est per censuras Ecclesiasticas, vt *in hoc cap.* III. cui coniungendus est §. *in aliis, cap. quoniam, hoc tit.* Ex quo distinguendum est, si agatur actione in rem, reo absente per contumaciam, actor mittendus est in possessionem rei petitæ, vt tædio custodiæ affectus reus veniat in iudicium. In actione in rem ob contumaciam rei, actor mittendus est in possessionem, vt tædio custodiæ, id est, impatientiâ appositi custodis veniat in iudicium, quia non tam possessio quàm custodia datur, *l. is cui legatorum, ff. vt in possess. legat. l.* III. §. *vlt. de acquir. possess. l. cùm legatorum. ex quibus causis in possession. eat. cap.* I. *& vlt. de eo qui mitt. in possess. cap. contingit. de dol. & contumac.* Vnde & Pontifex in *hoc* §. *in aliis*, *Vt tædio*, inquit, *affectus reus veniat responsurus*, & in *d. cap. fraternitatis*, *in* III. *collect. Vt tædio affectus appellaturus, saltem se iudicis conspectui repræsentet.* Eâdem analogiâ tædio belli ciuilis Augusto delatum Imperium ait Ambros. in Psalm. XLV. *Vnde factum est, vt tædio bellorum ciuilium Iulio Augusto Romanum deferretur Imperium.* Et assiduas preces

quem non contemnere rædij virandi causâ dixit Augustin. de sermon. Dom. in monte lib. II. cap. XXIII. *Nec iniustus homo illos, qui illum assiduis precibus tendunt, vel propter tadium deuitandum potest contemnere.* Quòd si actore misso in possessionem rei peritæ, custodiæ causâ, reus venerit intra annum, præstitâ cautione iudicio sisti, & refusis impensis possessionem recuperabit, vt definitur *in hoc* §. *in aliis.* Quod sumptum est ex *l. si quis emptionis*, §. *pen. C. de præscript.* XXX. *annor.* Quòd si non venerit intra annum, post annum actor verus constituitur possessor. Qui verò possidet rem immobilem alieno nomine, putà conductor, vel colonus, si conueniatur actione in rem, debet statim, id est, ante litem contestatam dominum nominare, cui mox à iudice denunciatur, vt intra legitimum tempus procuratoris, vel coloni sui causæ defensionem suscipiat, per se, vel per idoneum responsalem, id est, procuratorem. Quòd si dominus non veniat intra tempus indultum, præscriptio ex eo die domino interrupta esse intelligitur, quo conductor, vel colonus eius conuentus est. Perinde atque si lis contestata esset, præscriptio interrumpitur, non modò lite contestatâ, sed & conuentione, seu in ius vocatione, *l. sicut. l. cùm notissimi, C. de præscript.* XXX. *annor.* Et rursus dominus citandus est tribus edictis: quibus si non pareat, causâ summatim cognitâ, actor mittendus est in possessionem. Quæ omnia hic sumpta sunt ex *l.* II. *C. vbi in rem actio.* In actione in personam, si reus per contumaciam iudicium subterfugiat, actor primùm mittitur in possessionem bonorum mobilium, & si mobilia desint, in possessionem bonorum immobilium, vel debitor excommunicatur, alterutro electo ab initio. Quòd si nimium contumacia laboret, vtroque modo coërcetur; crescente contumaciâ, crescit pœna; contumacia cumulat pœnam, *l. relegati, ff. de pœn.* Ob contumaciam rei, missio in possessionem fit primùm in bonis mobilibus, his deficientibus in bonis immobilibus. Executio iudicati incipit à rebus mobilibus, & his deficientibus in rebus immobilibus, *l. à Diuo Pio*, §. *in venditione, ff. de re iudicat.*

CAPITVLVM IV.

IDEM DE DECIMA, ET HELEMOSIO ABBAT. AVREL. ET CARNOT. DIOEC.

ACCEDENS ad Sedem Apostolicam nobilis vir Gu. Vicecomes nobis exposuit, quòd cùm Corisopiren. Episcopus Comitem Britanniæ proximâ lineâ consanguinitatis adtingat: & Archidiaconus eius sit Clericus commensalis (qui eidem Vicecomiti est aduersarius principalis, vtpote qui vxorem suam, & terram publicè detinere præsumit) & magister P. de terra vxoris suæ oriundus, existat nimis fauens eidem, & omnes sub districtu existant Comitis memorati, nec nisi per districtum ipsius ei pateat accessus ad eos, & ipsi (quibus causa inter ipsum & vxorem suam commissa fuerat) numquam ei voluerint nisi in terra inimicorum suorum, locum & terminum adsignare, quò sine mortis periculo accedere non audebat: & licèt literas non habuit de conductu, si tamen missæ ei fuissent, non debebat se credere suis capitalibus inimicis: .·.·. Mandamus, quatenus (cùm propinquiores sitis terræ nobilis tam dictæ, quàm suæ: & causa ipsa per vos commodiùs valeat terminari, cùm ad vos securus pateat accessus) vtrimque partibus conuocatis (si vobis constiterit, quòd ante litem legitimè contestatam, vel post adpellationem ex præmissis causis interpositam, testes super consanguinitate contra matrimonium absque culpa contumaciæ recepti fuissent) vos adtestationes huiusmodi decernatis irritas & inanes, compellentes dictam nobilem, vt reuertatur ad virum suum (quem inconsultè dimisit:) ita quòd postquam ipse vir plenariam restitutionem habuerit tam

vxoris, quàm terræ, causam super matrimonio audiatis: eámque fine canonico terminetis.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Lis erat inter Guillelmum Vicecomitem Cenaici Armoricæ, seu Britanniæ, & vxorem, quæ viro dimisso se & sua tradidit Guidoni Comiti Britanniæ, super matrimonio, seu fœdere matrimonij, quæ agente muliere mandata est Episcopo Corisopitensi, de quo meminit *& cap. venerabili, infrà, de testib. c'est Quinpercorentin en Bretagne*, & Archidiacono eiusdem, & M. Petro de Burten. Vicecomes citatus à iudicibus datis, loco non tuto, nempe qui erat in ditione Comitis Britanniæ, non comparuit; sed per procuratorem iudices, & locum recusauit. Nimirum iudices, quòd Corisopitensis Episcopus, proximâ lineâ consanguinitatis coniunctus esset Comiti Britanniæ, quæ iusta erat causa recusationis, *cap. postremo. de appellat.* & Archidiaconus esset Clericus commensalis Comitis Britanniæ, qui eidem Vicecomiti erat aduersarius principalis, vtpote qui ipsius vxorem & terram publicè detinebat, quæ fuit etiam iusta causa recusationis. Familiares seu commensales recusari possunt; familiaritas, seu commensalitas parit amicitiam, & suspicionis causam inter conuictores, Ambros. in Psalm. XL. interpretans illud Psalmi LIV. *Qui semper mecum dulces capiebas cibos. Gentiles hoc custodire memorantur, hostes plerumque, latrones etiam, vt parcant iis cum quibus recordentur se iniisse conuiuium, fera ipsa pabulorum societate mitescunt.* Et Chrysostom. in I. ad Corinth. Homil. XXIV. εἰ γὰρ ἐπ' ἀνθρώπων τὸ κοινωνεῖν ἁλῶν, καὶ τραπέζης, φιλίας ἀφορμὴ, καὶ σύμβολον γίνεται, *Si enim in hominibus salis, & mensa communio est & occasio, & signum amicitiæ.* Et vt vtar verbo Aristophanis, ἐν εἰρήνῃ familiaritas est χυλὸς φιλίας, *succus amicitiæ.* Et quòd Petrus de Burten è terra vxoris suæ esset oriundus, & omnes iudices dati essent sub districtu, & ditione Comitis Britanniæ: vassallus seu cliens ratione subiectionis potest recusari, *cap. causam quæ. de offic. & potest. iudic. delegat.* Et quòd locus assignatus esset suspectus, nempe in terra inimicorum, in ditione Comitis Britanniæ, nec esset tutus accessus ad iudices, qui non alium locum dare voluerunt, quò esset tutus accessus: locus non tutus recusari potest, *cap. ex parte, infrà, de appellat.* Et licèt iudices literas non dederint de securo conductu, etsi datæ fuissent, non erat quòd se crederet capitalibus inimicis: non tenetur quis credere literis securi conductus, vbi locus non est tutus propter inimicos: Iuo Carnotens. epist. VIII. ad Richetium Senonensem: *Tamen paratus ero tempore opportuno, & loco tuto intra Senonensem prouinciam, vel etiam Stampis, si conductum tutum, Comitem videlicet Stephanum ex parte domini nostri Regis, & vestra propter circumstantes inimicos habuero.* Re cognitâ, Pontifex alios iudices dedit, nempe Abbatem de Curia Dei diœcesis Aurelianensis (malè Raimundus legit de Decima) & Abbatem de Eleemosio, seu de Eleemosyna diœcesis Carnotensis, ad quos pertinet inscriptio *huius cap.* Et his mandatum, vt cùm propiores sint terræ prædictæ mulieris, & causa per eos commodiùs valeat terminari, cùm securus ad eos pateat accessus, si eis constaret testes receptos super consanguinitate ante litem contestatam, & post appellationem, ea omnia quæ gesta erant in irritum reuocarent; addito mandato, vt antè compellerent vxorem ad virum redire, & vxore cum terra semel Vicecomiti restitutâ, de causa matrimonij cognoscerent.

CAPITVLVM V.

QVONIAM frequenter in dubium reuocatur à multis, an lite non contestatâ testes recipi valeant, auctoritate præsentium duximus declarandum regulariter verum esse, quòd lite non contestatâ, non est ad receptionem testium procedendum. Nisi fortè de morte testium timeatur, vel absentia diuturna: in quibus casibus, cùm ciuiliter est agendum (ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur) senes & valetudinarij, & alij testes (de quibus ex aliqua rationabili causa timetur) etiam lite non contestatâ sunt procul dubio admit-

tendi, seu pars conuenta sit contumax, seu sit absens absque malitia, vt conueniri non possit. Sed si actor non conuenerit aduersarium intra annum, ex quo conueniri poterit, vel saltem receptionem huiusmodi testium non denunciauerit illi, adtestationes sic receptæ non valeant, ne fortè hoc procuret in fraudem, vt processu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ locum habere non possint.

REGVLARITER testes non sunt recipiendi ante litem contestatam: excipiuntur certi casus. Primus est, nisi timeatur de morte testium, vel diuturna absenria, quibus casibus, cùm ciuiliter agendum est, ne veritas occultetur, & probationum copia fortuitis casibus subtrahatur; putà si testes sint senes, valetudinarij, vel infirmi, reo absente per contumaciam, vel absque dolo testes recipiuntur lite non contestatâ, vt probatur initio capitis, quod desumptum est ex *l. in lege, ff. ad leg. Aquil.* Et inde orta est forma examinis in futurum quâ vtimur. Sed necesse est, vt actor litem instituat, intra annum, ita vt si reus non conueniatur intra annum, ex quo conueniri potuit, vel saltem receptio testium non denuncietur illi, attestationes sic receptæ non valeanr, ne fortè fianr in fraudem, vt exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ lapsu temporis deficiant. In causis ciuilibus testes recipiuntur anre litem contestatam propter mortis periculum, putà si testes sint senes, valetudinarij, vel infirmi, vel ob diutinam absentiam, si testes diu sunt abfuturi: secùs in criminalibus testes non recipiuntur ante litem contestatam, nec sententia ferenda est in absenrem, *can decernimus.* III. *qu.* IX. *can.* I. *de iudic. l. absentem, ff. de pœn. l.* I. *&* II. *C. de requir. reis.* Putà si agatur de crimine adulterij, ad separationem tori, testes non recipiuntur contra contumacem absentem lite non contestatâ, *cap.* I. *hoc tit.*

Porrò speciales causæ possunt occurrere, in quibus casualiter est aliud obseruandum, vt (verbi gratiâ) si super alicuius electione, vel copula maritali quæstio moueatur, tunc etenim (ne propter longam moram in spiritualibus & temporalibus patiatur Ecclesia læsionem, vel viro siue mulieri fornicationis occasio præbeatur, maximè cùm propinquitatis gradus opponitur lege diuinâ prohibitus) in huiusmodi casibus (si contumax apparuerit is, in quem fuit actio dirigenda, seu quia peremptoriâ citatione receptâ venire contemnit, seu quia malitiosè seipsum occultat, seu quia impedit, ne possit ad eum citatio peruenire) testes lite non contestatâ sunt meritò admittendi, & nihilo minus (si de causa liqueat) ad definitiuam sententiam procedendum. Si verò aliter absens fuerit, & agatur de spirituali coniugio inter Ecclesiam & Prælatum iam contracto, electione maximè confirmatâ, illud in hoc articulo volumus obseruari, quod super expectatione talium personarum in sacris est Canonibus definitum. Quòd si forsan agatur de spirituali coniugio contrahendo: is qui est in Prælatum electus, per spatium sex mensium expectetur, nisi (pensatis negotiorum circumstantiis) per Superioris prouidentiam magis vel minùs fuerit expectandus.

SECVNDVS casus est, si quæstio moueatur super electione, vel matrimonio, reo absente per contumaciam testes recipiuntur ante litem contestatam, & ad sententiam definitiuam proceditur, ne ob moram Ecclesia patiatur dispendium in spiritualibus, & temporalibus, & viro seu mulieri peccandi occasio præbeatur. Reo absente non ex contumacia, si agatur de spirituali coniugio iam contracto, putà de electione confirmata, per quam contrahitur coniugium spirituale inter electum confirmatum & Ecclesiam, illud obseruandum est quod super expectatione talium personarum, sacris

Canonibus definitum est; nempe vt si electus confirmatus intra sex menses, culpâ suâ, cessante impedimento consecratus non fuerit, electionis iure excidat, *can. quoniam, C. dist. cap. inter corporalia. de transl.* Quòd si agatur de spirituali coniugio contrahendo, id est, de electione nondum confirmatâ, confirmandus per spatium sex mensium expectatur, nisi ex causa sententiâ Superioris longius, vel angustius tempus dandum fuerit; & hæc est summa *huius* §.

Si autem de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur: quia cùm sine culpa sit absens, vt si captiuitate, vel ægritudine, aut alio iusto impedimento forsitan teneatur, aut etiam propriâ, sed non malitiosâ voluntate, in remotis partibus moram facit, vt de facili vel in breui citari non possit, ei quidem præiudicari non debet, cùm habeat forsan exceptiones legitimas ad intentionem contrariam elidendam: eo nequaquam obstante, quod de lapsu carnis possit opponi: quoniam in coniugio casus multi occurrunt, in quibus coniuges sine culpa, sed non sine causa continere coguntur.

Sunt & alij casus similiter speciales, in quibus absque litis contestatione legitimè possunt testes produci, vt quando excessuum inquisitio, vel testium publicatio imminet facienda.

Si de carnali coniugio agatur, si alter coniugum absit, tamdiu expectandus est, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur; nimirum si quæratur vtrum mulier probare possit impedimentum canonicum, putà consanguinitatem, vel impotentiam, tunc sufficit verisimilis præsumptio de obitu. Vbi autem quæritur an mulier transire possit ad alias nuptias, tunc requiritur certus nuncius de obitu, *l. mulier, §. miles, ff. ad leg. Iul. de adulter. auth. hodie, C. de repud.* Nec mouet Pontificem periculum lapsus carnis, quoniam multi casus occurrunt, in quibus coniuges sine culpa sua, non sine causa continere coguntur; vt si alter ex coniugibus labatur in hæresim, *cap. quanto. de diuort.* vel incidat in furorem, vel reddatur impotens, *can. hi qui matrimonium sani. & can. neque furiosus.* XXII. *qu.* VII. *cap. in præsentia. de sponsalib.* Sunt & alij casus, in quibus testes sine litis contestatione possunt produci, vt in inquisitione excessuum, & in publicatione testium, §. *sunt & alij:* in inquisitione excessuum, quia iudex ordinarius iure Magistratus, seu ex officio potest inquirere de grauioribus criminibus, *l. si quis in hoc, C. de Episc. & Cleric. cap. qualiter & quando.* II. *§. debet. de accusat. & cap. licèt Hely. de simon.* in publicatione testium, id est, insinuatione, seu redactione in scriptis dictorum testium, quæ fit apud acta, *cap. significauit. de testib.* quemadmodum publicatio testamenti, *l. testamenta, C. de testament.* Et hoc interest inter huiusmodi publicationem testium, & receptionem testium, de qua superiùs actum est, quòd in casibus receptionis testium non alij testes recipiuntur, quàm hi de quorum morte, vel absentia timetur, putà senes, valetudinarij, infirmi, vel diu abfuturi: at in publicatione testium omnes testes recipiuntur, modò sint idonei.

TIT. VII. *De iuramento calumniæ.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO PLACEN.

CVM causam, quæ inter Rauennaten. Archiepiscopum, & Commune Fauentinum (super villa Luci, ac quibusdam aliis) vertitur: delegatis iudicibus duxerimus committendam, & iidem in negotio minimè processissent: nos partibus dedimus in mandatis, vt pro ipsa causa nostro

noſtro ſe conſpectui præſentarent: quorum procuratoribus cum inſtrumentis de rato, in noſtra præſentia conſtitutis, petitionem ipſius Archiepiſcopi per procuratorem eius fecimus exhiberi, & ad eam, partem alteram reſpondere: ac interrogationibus & reſponſionibus reductis in ſcriptis, & lite coram nobis pleniſſimè conteſtatâ, fecimus calumniæ iuramentum ab ipſis procuratoribus vtrimque præſtari.

QVÆSTIO vertebatur inter Albertum Archiepiſcopum Rauennatem, & Fauentinos ſuper villa de Luci, & quibuſdam aliis caſtris Rauennatis Eccleſiæ, quæ à Fauentinis vi occupata erant, vt probatur *in hoc cap.*, *& cap. cùm cauſam, infrà, de teſtib.* quibus vtitur Hieronym. Rubeus, qui eamdem rem narrat hiſt. Rauennat. lib VI. Huiuſmodi cauſam certis iudicibus delegauit Pontifex. Verùm his ceſſantibus in procedendi officio, Pontifex iudicium ad ſe euocauit; quod licuit maximè ob moram & ceſſationem datorum iudicum. Princeps cauſam pendentem coram quolibet tribunali poteſt ad ſe euocare, *l. ind. cum ſoluetur, ff. de iudic.* Et lite conteſtatâ per procuratores iuramentum calumniæ à prædictis procuratoribus partium vtrimque exegit Pontifex. In omnibus litibus iuramentum calumniæ præſtatur, initio litis: id eſt, actor iurat ſe non calumniandi animo, id eſt, aduerſarij diſtringendi vexandive causâ litem mouere, ſed iuris ſui perſequendi causâ, *l. 11. C. de iureiur. propter calumn. l. inter cohæredes*, §. *qui familia ff. famil. erciſc.* Clerici in cauſis Eccleſiæ non iurant de calumnia per ſe, ſed per Procuratorem, vel Syndicum, *cap. 1. cap. in pertractandis, cap. Imperatorum, hoc tit.* Iuramentum calumniæ exigitur lite conteſtatâ, vt hic hodie id genus iuramenti deſiit eſſe in vſu. Bulgar. in *l. Rem non nouam, C. de iudic.*

TIT. X. *De ordine cognitionum.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO NORMARIN.

CVM dilectus filius Abbas de Ferentino, de nobilibus viris dominis de Artone depoſuerit quæſtionem, quòd manu armatâ, & cum exercitu ad caſtrum monaſterij venientes, in prædis animalium & aliis damnificare dictum cœnobium præſumpſerunt: de quibus iuſtitiam ſibi fieri poſtulabat. Et citra litis conteſtationem ſub forma exceptionis fuit ex aduerſo reſponſum, quòd per ipſius dolum & violentiam caſtrum Sirati amiſerant: quod & progenitores eorum tenuerant, & ipſi poſſederant in quiete: ſibi petentes priùs reſtitui, quàm petitionibus ipſius reſponderent, præſertim cùm teſtes haberent præſentes, per quos intentionem ſuam incontinenti probare volebant. Verùm ex parte Abbatis fuit taliter replicatum, quòd ab eo reſtitutio peti non poterat, qui non fuerat ſpoliator, præſertim cùm dictum caſtrum ad ius & proprietatem ſui monaſterij pertineret: quod etiam pars aduerſa nullatenus denegabat. Vnde & verus dominus (ad quem ab alio res ſua poſſeſſa reuertitur, etiam poſt tempora longiora) retentionis debebat commodum obtinere: & iudicium reſtitutorium contra ſpoliatorem tantùm competere dignoſcitur: . . . Nos autem diſtinguendum eſſe credimus, vtrum ſpoliationis quæſtio ab eiſdem nobilibus ſit obiecta in modum actionis ad reſtitutionem petendam, an in forma exceptionis ad intentionem aduerſarij repellendam. Cùm eâ in modum actionis propoſitâ, intelligan-

tur mutuæ petitiones ſeſe tamquam diuerſæ minimè contingentes: ac per hoc iuxta regulam iuris (quâ dicitur, Qui prior adpellat, prior agat) quæ priùs eſſet propoſita, priùs foret tractanda, quamquam in idem iudicium ambæ deductæ, viciſsímque tractatæ, ſimul eſſent eâdem ſententiâ terminandæ. Sed quoniam quæſtio illa fuit ab eiſdem nobilibus tantùm in modum exceptionis obiecta: interloquendo pronunciamus, vt probationes eorum ſuper ipſa exceptione primitus audirentur, & eâ probatâ legitimè, Abbati non cogerentur reſpondere ſuper petitionibus memoratis, donec reſtituerentur ab ipſo: cùm ſpoliatori ſpoliatus ante reſtitutionem non cogatur vllatenus reſpondere.

Verùm ſpoliatione in modum exceptionis tantùm probatâ non eſt per hoc reſtitutio facienda. Quemadmodum ſi in modum exceptionis aliquod crimen teſti obiicitur, vt à teſtimonio repellatur, etſi crimen contra eum ciuiliter probatum fuerit, non ideo ſibi pœna infligitur ordinaria, ſed eius dumtaxat teſtimonio non creditur: quod eâ ratione contingit, quoniam in ipſum accuſatio non procedit. Teſtes etiam, quorum teſtimonium reprobatur, inter infames quaſi ex falſo teſtimonio non habentur.

SPECIES *huius cap.* quod integrum extat apud Innocent. epiſt. CCCLXXII. lib. I. huiuſmodi eſt. Abbas de Ferentillo apud Pontificem conqueſtus eſt de nobilibus viris dominis de Arton, quòd manu armatâ, & inſtructis copiis in caſtrum monaſterij irruentes, in prædis porcorum, & aliis graue damnum monaſterio intuliſſent. Ex parte prædictorum nobilium citra litis conteſtationem per modum exceptionis reſponſum eſt, quòd dolo, & vi ipſius Abbatis caſtrum Syrati à ſe, & parentibus longo tempore pacificè poſſeſſum amiſerant, petentes illud ſibi reſtitui, priuſquam Abbatis petitioni reſponderent, cùm teſtes haberent præſentes, per quos parati erant intentionem ſuam ſtatim probare, quod non leuis erat momenti; quandoque enim propter probationes paratas reſtitutio impeditur, *cap. literas, §. propterea. de reſtit. ſpoliat.* Verùm ex parte Abbatis fuit hoc pacto replicatum, quòd ab eo reſtitutio peti non poterat, cùm non eſſet dicendus ſpoliator, quia dictum caſtrum ad ius & proprietatem monaſterij ſui pertinebat, quod non negabat pars aduerſa. Vnde & verus dominus ad quem res ſua ab alio poſſeſſa redierit, licèt poſt longius tempus, debebat retentionis commodo frui, ſi quis rem alienam longo tempore malâ fide poſſederit, & fortè eius poſſeſſionem amiſerit, & poſſeſſio rei ſine vi redierit ad dominum, qui longo tempore repellebatur. Priori malæ fidei poſſeſſori non datur vtilis actio ſeu vindicatio aduerſus dominum, *l. ſi quis emptionis, §. quòd ſi quis, & §. ſed hæc, C. de præſcript.* XXX. *ann.* His cognitis Pontifex interlocutus eſt, diſtinguendum eſſe, vtrum ſpoliationis quæſtio ab eiſdem nobilibus obiecta ſit per modum actionis ad reſtitutionem petendam, an per modum exceptionis ad repellendam intentionem aduerſarij. Priori caſu intelliguntur ineſſe mutuæ petitiones, & ſimul expediuntur: vtroque iure ſi mutuæ ſint actiones, apud eumdem iudicem agendum eſt, & actor conuentus ſi mutuam actionem habeat, actorem reconuenire poteſt coram eodem iudice, *l. cùm Papinianus, & Auth. quæ ſequitur, C. de ſentent. & interlocut. cap.* I. *&* II. *de mut. petit. cap. diſpendia. de reſcript. in* VI. Si agenti actione in rem, vel interdicto poſſeſſorio opponatur ſpoliationis querela per modum actionis, vtraque quæſtio coram eodem iudice diſceptanda eſt exemplo mutuæ petitionis: ſed actio quæ priùs eſt propoſita priùs eſt tractanda iuxta regulam iuris, qui prior appellat, prior agit, quod ſumptum eſt ex *l. qui appellat, ff. de iudic.* Licèt in mutuis petitionibus vterque ſit actor, tamen quoad ordinandam litem, qui prior egit pro actore habetur, ad hoc vt eius cauſa priùs diſceptetur. Sed ſi quæſtio ſpoliationis obiiciatur per modum exceptionis, interlocutus eſt idem Pontifex probationes exceptionis de vi priùs audiendas, eáque probatâ aduerſarios non antè cogi

Abbati respondere super petitione, donec possessio eis restitueretur. Cæterum spoliatione per modum exceptionis tantùm probatâ, non statim est restituenda possessio reo, qui excepit tantùm de spoliatione: quemadmodum si testi crimen obiicitur per modum exceptionis, vt à testimonio repellatur, etsi crimen ciuiliter probatum fuerit, non ideo pœna ordinaria, id est, à lege statuta ei infligitur, sed eius dumtaxat testimonio non creditur, vt subditur in calce *huius cap.* quod Pontifex hausit ex *l. Lucius, ff. de his qui notant. infam.* Vt & si cui opponatur excommunicatio per exceptionem, putà vt ab electione, vel testimonio repellatur, exceptio excommunicationis actorem non repellit ab agendo, *cap. pia consideratione. de except. in* VI. quo iure vtimur in Gallia.

TIT. XII. *De causa possessionis, & proprietatis.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO, ET CANONICIS SVTRINIS.

CVM Ecclesia Sutrina pastore vacaret, vos conuenientes in vnum, & (sicut moris est) Spiritus sancti gratiâ inuocatâ, pastorem vnanimiter elegistis, petentes ipsius electionem à Sede Apostolica confirmari. Verùm Clerici conuentualium Ecclesiarum ciuitatis eiusdem, consequenter suam deposuêre querelam, quòd cùm in Episcoporum electionibus ipsi ac prædecessores eorum consueuerint interesse, vos eis renitentibus, & exclusis ad electionem procedere præsumpsistis: quam ob hoc non confirmari, sed infirmari potiùs postulabant. Partibus ergo apud Sed. Apost. constitutis, in auditorum præsentia testes vtrimque producti fuerunt: & eorum depositionibus publicatis, pars Canonicorum per testes à se introductos intentionem suam (quòd ad eos tantùm spectaret electio) sufficienter dicebant esse probatam. Parte Clericorum nihilominus adserente, quòd per dicta testium, quos produxerant, & ipsi adsertionem suam (quòd electioni Pontificum interesse deberent) pleniùs probauissent: per quæ constare dicebant eos electionibus trium Episcoporum, qui Ecclesiæ Sutrinæ vltimò & immediatè præfuerant, cum Canonicis Cathedralis Ecclesiæ adfuisse, vocémque habuisse cum aliis eligendi. Nos igitur (quoniam deprehendimus testes vestros in perhibendis testimoniis varios extitisse, atque aduersus fidem adtestationis suæ coram auditoribus vacillasse, & quòd negatiuam quodammodo adstruere satagebant, probare volentes ius electionis ita ad vos spectare, quòd ad aduersarios minimè pertineret: per testes verò aduersæ partis fuit sufficienter ostensum, quòd in trium Episcoporum electionibus de quibus præmissum est, Clerici præsentes adfuerint, & vocem habuerint eligendi) præmissam electionem factam eis contradicentibus & exclusis decreuimus irritandam, Clericos sæpe dictos in eam quasi possessionem (quam ante controuersiam motam habuerant) reducentes. Verùm quoniam in quæstione prædicta quicquid iuris vtraque pars in electione habebat, deductum in iudicium videbatur, cùm iure ciuili sit cautum, id venire in iudicium, non solùm, de quo actum est vt veniret, sed id non venire, de quo nominatim actum est ne veniret: & secundùm statuta canonica electiones Episcoporum ad Cathedralium Ecclesiarum Cleri-

eos regulariter pertinere noſcantur, niſi alibi ſecus obtineat de conſuetudine ſpeciali: nec ex eo, quòd Clerici antedicti ſe inter eligentes Sutrinos Epiſcopos probauerunt tertiò extitiſſe, ius eligendi propter breuitatem temporis vſque ad præſcriptionem legitimam non producti ſibi adquirere potuerunt, & actore non probante, qui conuenitur, & ſi nihil præſtiterit, obtinebit: ab eorum impetitione ſuper electionibus faciendis vos duximus abſoluendos, ſæpedictis Eccleſiarum Clericis ſuper hoc perpetuum ſilentium imponentes.

HVIVS cap. quod integrum legitur apud Innocent. epiſt. CCLXXI. lib. II. ſpecies hæc eſt: Vacante Eccleſiâ Sutrinâ, (Sutrium eſt vrbs Epiſcopalis ſuffraganea prouinciæ Romanæ in Tuſcia, apud quam Burdinus Pſeudopontifex cuſtodiæ traditus memoratur Othoni Friſing. lib. VII. Chronic. cap. XV.) Canonici Cathedralis Eccleſiæ conuenientes in vnum, & inuocatâ Spiritus gratiâ ex ritu ſolemni, cuius veſtigia extant *hîc, & cap. cùm terra, ſuprà, de elect.* Paſtorem vnanimiter elegerunt, petentes ipſius electionem à Sede Apoſtolica confirmari. Nimirum confirmatio electi pertinebat ad Summum Pontificem, quia Sutrinus Epiſcopatus eſt prouinciæ Romanæ, & immediatè pertinet ad Summum Pontificem. Verùm Clerici conuentualium Eccleſiarum eiuſdem ciuitatis, queſti ſunt apud Pontificem, quòd ipſis renitentibus & amotis Canonici Cathedralis Eccleſiæ ad electionem procedere præſumpſiſſent, cùm ipſi & deceſſores eorum electionibus Epiſcoporum intereſſe conſueuiſſent, lite conteſtatâ, & teſtibus vtrimque receptis, Canonici intentionem ſuam, quòd ad eos tantùm pertineret electio, idoneè dicebant eſſe probatam: Clerici conuentuales intendebant teſtibus ſeſe probaſſe ſe electionibus trium Epiſcoporum qui Eccleſiæ Sutrinæ vltimò & immediatè præfuerant, adfuiſſe cum Canonicis Cathedralis Eccleſiæ, & cum iiſdem vocem eligendi ſeu ſuffragium habuiſſe. Re cognitâ, Pontifex, quia liquebat teſtes à Canonicis productos varios ſe habuiſſe, & aduerſus fidem atteſtationis coram auditoribus vacillaſſe: teſtes qui aduerſus fidem ſuæ teſtationis vacillant, non ſunt audiendi, *l. II. l. qui falſò, ff. de teſtib.* & quia per huiuſmodi teſtes Canonici negatiuam, quæ per rerum naturam probari non poteſt, *l. actor, C. de probat. l. aduerſario, C. de non numer. pecun. cap. bonæ memoriæ, infrà, ſuprà, de elect.* adſtruere nitebantur, probare volentes ius eligendi ita ad ſe ſpectare, quòd ad Clericos conuentuales omnino non pertineret: Clerici verò conuentuales per teſtes à ſe productos idoneè probarunt ſe interfuiſſe electioni trium nouiſſimorum Epiſcoporum, & ius eligendi habuiſſe. Re cognitâ, Pontifex, inquam, electionem huiuſmodi factam à Canonicis, ſpretis & repulſis Clericis conuentualibus, irritam & inanem pronunciauit, & Clericos conuentuales in poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem iuris eligendi, in qua erant ante controuerſiam motam, reuocauit. Verùm quia in quæſtione propoſita quicquid iuris vterque, id eſt, actor & reus habebat, in iudicium deductum erat, id eſt, poſſeſſorium ſimul & petitorium eodem iudicio cumulatum erat; & Iure Ciuili in iudicium venit, non ſolùm id de quo actum eſt, vt veniret, ſed id non venit, de quo nominatim actum eſt ne veniret, quod ſumptum eſt ex *l. ſolemus. ff. de iudic.* & iure communi electio Epiſcoporum pertinet ad Clericos Cathedralis Eccleſiæ, vt *hîc, & cap. I. ſuprà, de elect.* niſi aliud obtineat de conſuetudine ſpeciali: Nec ex eo quòd Clerici conuentuales probauerunt ſe eſſe in poſſeſſione eligendi, & trium Epiſcoporum electionibus interfuiſſe, ius eligendi ſibi acquiſiere, propter breuitatem temporis ad præſcriptionem vſque legitimam non producti. Olim electio Epiſcopi pertinebat ad Clerum vniuerſum & plebem: ex Concilio Nicæno in electionibus exquiri deſiit conſenſus plebis, & electio redacta eſt ad Clerum, non modò Cathedralis Eccleſiæ, ſed etiam totius diœceſis: ſed poſterioribus ſeculis ad vitandas rixas, & ſchiſmata, quæ oriebantur ex turba eligentium, Canonici Cathedralis Eccleſiæ electionem, quæ communis erat vniuerſo Clero propriam fecerunt, quod ſtatutis canonicis obtinere dicitur in *hoc cap. & cap. I. ſuprà, de elect.* Nec derogat iuri communi, quod vſpiam legitur beneficio Principis Canonicis Cathedralibus conceſſum ius eligendi, vt Canonicis

Magdeburgensibus, ex præcepto Othonis II. de quo Ditmarus lib. III. *Insuper licentiam Archiepiscopum eligendi confratribus Domino famulantibus Magdeburg. præcepto Imperiali præsenti Archiepiscopo dedit Adelberto, & cum vno libro qui hodie ibidem est, in quo sua Imperatricisque Theophanis imago, auro splendet formata, munus affirmauit.* Hoc enim casu ius eligendi à Principe Canonicis potiùs restitutum quàm datum intelligendum est; & priuilegium concurrit cum iure communi quo electio pertinet ad Clericos Cathedralis Ecclesiæ; & hoc iure Anicienses Canonicos Pastorem sibi eligere iubet Gregor. VII. lib. IV. epist. XVIII. Licèt verò de iure communi electio Episcopi pertineat ad Clericos Cathedralis Ecclesiæ, tamen ex consuetudine, vel priuilegio fieri potest vt pertineat etiam ad alios coniunctim cum Canonicis Cathedralibus, vt *hîc, & cap. querelam, cap. constitutis, cap. Cumana, suprà, de elect. cap. cùm dilectus. de consuetud. cap. constitutis. de appellat. can. obeuntibus.* LXIII. *dist.* Hoc iure fortè Æneas Parisiensis Episcopus electus iudicio Cleri & Fratrum cœnobiorum S. Dionysij, S. Germani, & S. Genouefæ, ac Fossatensis aliorúmve, vt liquet ex decreto electionis tom. III. Concil. Galliæ. Hinc etiam fortè in electione Archiepiscopi Senonensis expectandum religiosorum, qui sunt in diœcesi, assensum exposcit Bernard. Clareuallens. epist. CII. ad Clerum Senonensem: *Expectandum protinùs suffraganeorum consilium Episcoporum, expectandus assensus religiosorum, qui sunt in Episcopatu, atque in commune tractandum commune negotium.* Ex consuetudine, inquam, electio potest pertinere ad alios cum Canonicis, dummodo sit consuetudo legitimè præscripta; ius eligendi & præsentandi præscribi potest, vt *hîc, & d. cap. querelam, & cap. consultationibus. de iur. patronat.* Duo vel tres actus pariunt possessionem, vel quasi possessionem, vt *hîc, & §. si verò vassallus, quid sit inuestitura.* II. *feudor.* Sed ex eo non quæritur ius eligendi, nisi secuta sit præscriptio.

CAPITVLVM IV.

IDEM CANONICIS DE BETHLEHEM.

CVM super electione Bethlehemiten. Ecclesiæ inter R. Subdiaconum nostrum, & P. Canonicum sepulchri Dominici quæstio verteretur: vtroque se pro electo gerente: cùm præfatus Subdiaconus à Patriarcha Hierosolym. fuerit confirmatus: . . . Eum qui se probauerat per secularem potentiam spoliatum, restituendum decreuimus, iustitiâ mediante. Verùm quoniam tam possessorium, quàm petitorium deductum fuerat in iudicium, & tam restitutionis, quàm electionis quæstio pleniùs agitata, & constitit nobis electionem vtriusque minùs canonicam extitisse (cùm iudex, de qua re cognouerit pronunciare debeat) vtramque duximus sententialiter irritandam.

ANNO MCX. Balduino Rege Hierosolymitano Ecclesia Bethleemitica à Paschale II. erecta est in Episcopalem, auctore Gu. Tyrio lib. XI. cap. XII. & lib. XX. cap. III. Vacante huiusmodi Ecclesiâ R. Subdiaconus Sedis Apostolicæ, & P. Canonicus sepulchri Dominici, quæ est Ecclesia Patriarchalis Hierosolymitana, *cap. nouit. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* in concursu electi sunt. R. Subdiaconus confirmatus est à Patriarcha Hierosolymitano, & adeptâ possessione spoliatus est per secularem, id est, regiam potestatem, vt innuitur in antiq. Decretali. Re delatâ ad Sedem Apostolicam R. Subdiaconus petebat electionem suam confirmari, & possessionem quâ spoliatus erat restitui: ex aduerso P. Canonicus petebat electionem suam confirmari. Lite contestatâ, & testibus vtrimque receptis, quia Subdiaconus probauit se spoliatum, Pontifex ipsum restituit; verùm quia tam petitorium, quàm possessorium in iudicium deductum fuerat, quod fieri potuit, vt colligitur ex *hoc cap. & cap. cùm Ecclesia, suprà, hoc tit.* & constitit vtriusque electionem minùs canonicam extitisse, nempe per simoniam factam, vt liquet ex *cap. cùm super, infrà, de confess.* quod est pars *huius cap.* Pontifex de vtroque pronunciauit, quia de vtroque pleniùs actum erat, & vtramque ele-

ctionem irritam pronunciauit: quâ de re enim iudex cognouit, pronunciare debet; *l. de quâ re, ff. de re iudicat.*

CAPITVLVM V.

IDEM EPISCOPO NOVIOMEN.

PASTORALIS officij :.·.·. Sanè (ficut intimafti) contingit aliquando, vt cùm is, qui fe adferit fpoliatum, fuum trahit fpoliatorem in caufam, inter ipfa iuris aufpicia requifitus, quo malit experiri iudicio, litem proprietatis ingreditur, de illata fibi violentia nullam faciens mentionem: cùm autem fuerit in caufa proceffum, nouum iudicium fuper poffeffotio nititur inchoare :.·.·. Confultationi tuæ taliter refpondebimus, quòd poffeffotio quidem iudicio, quod de recuperanda, feu adipifcenda poffeffione proponitur, antequam renunciatum fit, aut conclufum in proprietaris iudicio primitus inftituto, agi poteft ab eo, qui rem cœperit vindicare. Cùm legali fit prouifione ftatutum, eum, qui fundum vindicauerit ab eo, cum quo interdicto, Vnde vi, potuit experiri, pendente iudicio interdictum poffe nihilominus intentare: aliis poffeffotiis iudiciis in fuo robore duraturis, quæ vindicationem dominij fui naturâ præcedunt. Si verò renunciatum fuerit vel conclufum, vt iam poffit caufa proprietatis definitiuæ fententiæ calculo terminari, (ne lites litibus inculcentur, & via poffit fraudibus aperiri) causâ non decifâ, poffeffotio non erit vtendum. Nifi iudex, qui de caufa cognofcit, hoc ipfum ex iufta caufa viderit expedire. Puta cùm ex perfpicuis indiciis facilè arguitur iniquitas inuaforis, & fpoliato cafu feu malitiâ probandi dominium fubtraxerit facultatem. His igitur & aliis caufis infpectis (quæ continent æquitatem, aut iuftè mouerint animum iudicantis) poftquam etiam conclufum fuerit, poffe agi poffeffotio iudicio non negamus.

QVI cœpit agere rei vindicatione, quæ lis proprietatis dicitur, poteft adhuc agere interdicto recuperandæ, feu adipifcendæ poffeffionis pendente iudicio proprietatis: nam & Iure Ciuili definitum eft, vt is qui fundum vindicauit ab eo cum quo poterat experiri interdicto Vnde vi, ad recuperandam poffeffionem, pendente iudicio vindicationis nihilominus poffit agere interdicto Vnde vi, *l. cùm fundum, §. vlt. ff. de vi & vi armat.* Qui cœpit, inquam, agere actione in rem, poteft agere interdicto recuperandæ, fiue adipifcendæ poffeffionis, modò nondum renunciatum fit aut conclufum in iudicio proprietatis. In caufa conclufum dicitur, vbi eft renunciatum probationibus facti & iuris, Nou. Iuftin. xc. cap. IV. Is autem qui cœpit agere rei vindicatione, pendente iudicio proprietatis, non poteft agere interdicto retinendæ poffeffionis, purà interdicto Vtrubi in rebus mobilibus, vel interdicto Vti poffidetis in rebus immobilibus; nec è conuerfo poftquam cœpit agere interdicto Vtrubi, vel Vti poffidetis, poteft agere actione in rem, quia fibimet effet contrarius. Qui enim agit rei vindicatione dicit alium poffidere, *cap. examinata, fuprà, de iudic.* Poffidenti non datur actio in rem, §. III. *inft. de act. l. vnic. C. de alienat. iudic. mut. cauf. fact.* Et qui agit interdicto Vti poffidetis, dicit fe poffidere; vnde qui cœpit agere actione in rem pendente iudicio proprietatis, non poteft agere interdicto Vti poffidetis; & hoc innuitur à Pontifice, his verbis: *Aliis poffeffotiis iudiciis, in fuo robore duraturis, quæ vindicationem dominij fui naturâ præcedunt,* quibus verbis planè abrogatur, *l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acq. poffeff.* quæ non denegabat interdictum Vti poffidetis ei qui cœpit rem vindicare. Non enim videtur poffeffioni renunciaffe, qui rem vindicauit; quia nihil commune habet proprietas

cum possessione. Quòd si iam conclusum, vel renunciatum fuerit, ita vt iam possit causa proprietatis sententiâ definiri, causâ non decisâ, id est, pendente iudicio proprietatis, qui semel egit actione in rem, non potest agere interdicto recuperandæ, vel adipiscendæ possessionis; nisi ex iusta causa arbitrio iudicis, veluti cùm ex perspicuis indiciis facilè arguitur iniquitas inuasoris, & spoliato casu, vel malitiâ præripuit omnem facultatem probandi dominij.

CAPITVLVM VI.

IDEM EPISCOPO, ET OFFICIALI SANCTI ANDREÆ.

CVM dilectus: .·.·. Ad quartum breuiter respondemus, quòd cùm super possessorio & petitorio simul est actum: vtrumque vnâ sententiâ debet terminari. Sed licèt in pronunciatione sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas præualere.

VBI simul actum est possessorio, & petitorio, vtraque quæstio vnâ sententiâ debet terminari; sed licèt in pronunciatione sententiæ sit possessio præmittenda, in executione tamen debet proprietas præualere, vt proditum est *in hoc cap.* id est, si simul actum sit de possessione & proprietate, qui obtinet in proprietate, in executione potior est in possessione. Iure Ciuili petitorium cum possessorio cumulari non potest, qui cœpit agere de possessione, aut conueniri, non potest mouere quæstionem dominij, ante terminatam possessionis causam, *l. momentaria, C. vnde vi.* Hoc iure petitorium cum possessorio cumulari potest, vt parcatur sumptibus & laboribus partium, *cap. 11. cap. cùm Ecclesia, cap. Pastoralis, suprà, hoc tit.* & continentia causæ possessionis, & proprietatis diuidi non debet, *cap. infrà, d. de sequestrat. possess. & fruct.* Vbi quæritur de possessione & proprietate, idem iudex cognoscere debet de vtroque de possessione, & proprietate, ne causæ continentia diuidatur, *l. nulli, C. de iudic. l. ordinarij, C. de rei vindicat.* Et hoc est quod ait Gregor. I. in *cap. 1. hoc tit.* legali prouisione decretum esse, tam momenti quàm proprietatis causam sub vno eodémque iudice debere disceptari. Causam possessionis vocat causam momenti, quia possessionis reformatio celeriter & quasi momento expediri debet, remotâ appellatione, *l. vnic. C. si de momentan. poss. fuer. appellat. d. l. momentaria, C. vnde vi.* Iure Ciuili prius est, vt de possessione iudicetur, quàm de proprietate, *d. l. ordinarij.* Hoc iure iudex de possessione & proprietate commixtim cognoscere potest; verùm priùs de possessione pronunciare debet, quàm de proprietate, vt *in hoc cap. & d. cap. 11.*

CAPITVLVM VII.

IDEM VERONEN. EPISCOPO.

CVM olim quæstio, quæ inter Archidiaconum ex vna parte, & Archipresbyterum & Canonicos Vincentinæ Ecclesiæ ex altera: .·.·. Quoniam per adtestationes nobis constitit euidenter, quòd ab Episcopis Vincen. Archidiaconatus ipse sine reclamatione aliqua Canonicorum, duobus Archidiac. continuè (qui ante ipsum extiterant) fuerat adsignatus: & quia Canonici prædicti, iudices recusare minimè debuerunt, cùm causa prædictis iudicibus fuisset delegata, de vtriusque partis procuratorum adsensu, prædictum Archidiaconatum eidem per definitiuam sententiam adiudicare curauimus, Canonicis Vincen. perpetuum silentium imponentes: Reseruatâ tamen eis quæstione proprietatis super collatione Archidiaconatus ipsius, si fortè super hoc contendere voluerint aduersus Episcopum Vincen. cùm res inter alios acta, non debet eis præiudicium generare.

HVIVS cap. species hæc est. Lis erat inter Archidiaconum, & Archipresbyterum, & Canonicos Ecclesiæ Vicentinæ, super Archidiaconatu eiusdem Ecclesiæ, quem Episcopus contulerat prædicto Archidiacono. Archidiaconus dicebat Archidiaconatum sibi collatum ab Episcopo, ad quem de iure communi spectabat collatio beneficiorum totius diœcesis, *can. omnes basilic. can. nullus.* XVI. *qu.* VII. & quem constabat esse in possessione conferendi huiusmodi dignitatem. Cùm Archidiaconatus ab Episcopo collatus esset duobus Archidiaconis, qui proximè ante ipsum extiterant. Ex aduerso Canonici intendebant, quòd ad se spectaret electio, seu nominatio Archidiaconi. Lite contestatâ, à Summo Pontifice iudices dati, de consensu procuratorum vtriusque partis: Canonici conuenti apud iudices datos, ipsos recusarunt: iudices dati reiectis recusationibus rem remiserunt ad Sedem Apostolicam. Re expensâ, Pontifex, quia ei constitit Episcopum esse in possessione conferendi Archidiaconatum, qui collatus fuerat duobus Archidiaconis, qui proximè ante ipsum extiterant, sine vlla contradictione Canonicorum: & Canonici non potuere iudices datos recusare, quòd dati essent de consensu procuratorum vtriusque partis. Iudices dati de consensu partium, vel procuratorum vtriusque partis non possunt recusari, vt *hic, & cap. super quæst. init. &* §. *verum, suprà, de offic. delegat.* Pontifex, inquam, prædictum Archidiaconatum Archidiacono per definitiuam sententiam adiudicauit. Rectè motus est Pontifex, vt adiudicaret Archidiaconatum Archidiacono, quia ei collatus erat ab Episcopo ad quem spectabat collatio de iure communi, & constabat Episcopum esse in possessione conferendi, cùm Archidiaconatus ab eo collatus esset duobus Archidiaconis qui nouissimè ante hunc extiterant. Duo actus pariunt possessionem, vt *hic, & cap. cùm Ecclesia, suprà, hoc tit.* Cùm quæritur an valeat collatio, vel præsentatio, non inquiritur an collator, vel patronus habeat ius, seu proprietatem iuris conferendi, vel præsentandi; sed an sit in possessione, vel quasi possessione, vt *hic, & cap. querelam, suprà, de elect. cap. ex literis, cap. consultationibus. de iur. patronat.* Potior est collatio eius qui est in possessione conferendi. licèt apud eum non sit iuris proprietas, quia collatio est in fructu, & censetur iure fructuum, qui acquiruntur possessori non domino. Bonæ fidei possessor, quod ad fructus percipiendos domini loco habetur, *l. qui scit,* §. *vlt. ff. de vsur. l. bonæ fidei. de acquir. rer. dom.*

TIT. XIII. *De restitutione spoliatorum.*

CAPITVLVM XII.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO, ET CAP. TRIDON.

OLIM causam, quæ inter vos nomine Tridon. Ecclesiæ, & Magistrum & Fratres militiæ Templi in Lombardia, super domo Caluentiæ vertebatur, de Locedio & de Columba Abbatibus meminimus commisisse :.·.·. Episcopus Tridon. possessiones quasdam Humiliatis sub ea conditione concessit, quòd nomine Tridon. Episcopi oratorium ibidem & hospitale constituerent, & tres solidos censuales Tridon. Episcopo annis singulis exhiberent, à quo etiam persona, quæ loco præficeretur eidem, inuestituram perciperet, & pro se, & aliis Fratribus, ei & successoribus eius obedientiam faceret manualem: Episcopo sibi loci dominium nihilominus retinente. Dictus verò Magister ad eamdem domum aspirans, ipsos adeò circumuenit, quòd præter conscientiam vestram se & sua in eius manibus tradiderunt: eâ tamen conditione adpositâ, si vobis quod facerent complaceret: sine quorum adsensu se nihil posse facere adserebant :.·.·. Intelligentes autem prædictam domum, eidem Magistro traditam sub conditione fuisse: & quòd nullum

iuri

iuri vestro præiudicium fuerat irrogatum, ex eo quòd idem Magister iustitiæ vestræ non inscius, vobis ignorantibus possessionem accepit, præsertim cùm statim, ex quo id vobis innotuit, vim vi duxeritis repellendam: & quòd idem suâ temeritate possessionem præter conscientiam vestram (ad quos ipsam possessionem nouerat pertinere, & quos quæstionem sibi moturos suspicari debuerat) est ingressus, procuratorem vestrum & vestro nomine ab impetitione ipsius Magistri nomine domus militiæ Templi, quoad faciendam restitutionem, quam petebat, reddimus absolutum: decernentes vos Magistro satisfactionem debitam exhibere, si defendendo ius vestrum, in offensam ipsius vel domus militiæ Templi modum forsitan excessistis.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Willelmus Episcopus Terdonensis prædia quædam redempta à nonnullis militibus, qui ea feudi nomine possidebant ab Ecclesia Terdonensi, Fratribus Humiliatis concessit. Fratres Humiliati fuere genus monachorum, qui à Lucio III. damnati ob errores, tamquam hæretici, quòd omne iusiurandum arcerent, *cap. ad abolendam. de hæretic. in 1. collect.* postea saniores facti à Clemente III. probati, vt glossa refert *hoc loco*, nec non ab ipso Innocent. III. vt colligitur ex *hoc cap.* & epist. CCXVII. lib. II. eiusdem Pontif. Etsi Ordines Fratrum Minorum & Prædicatorum ab Innocentio III. approbatos, vt opponerentur duabus sectis quæ in Italia insurrexerant, Humiliatorum, & Pauperum de Lugduno memoretur ab Abbate Vrspergensi. Episcopus Terdonensis, inquam, hæc prædia Fratribus Humiliatis concessit, sub ea conditione, vt ibi oratorium & Hospitale extruerent, & Terdonensi Episcopo tres solidos censuales annuatim pensitarent, & Magister dicti Hospitalis ab Episcopo Terdonensi inuestituram, id est, institutionem acciperet, & eidem præstaret obedientiam manualem, id est, obedientiam per manum, interposito iuramento fidelitatis iunctis manibus, *cap. cùm inter, infrà, de re iudicat.* quâ formulâ feudatarios Ecclesiæ homines suos per manum & sacramentum dictitauit Iuo Carnotens. epist. CLXXXII. *Igitur quamuis mei homines essent, & per manum & per sacramentum, furtosè & clamosè sedem meam circumdederunt.* Et manu confirmare idem sonat, quod per manum iuramento firmare, eidem Iuoni epist. CCXXXIV. *In hunc modum si vobis libet, satis licet, vt quid debetis, & corde tenetis, ore promittatis, & manu confirmetis.* Donationi lex addita est, vt Episcopus sibi loci dominium retineret, & vsumfructum dumtaxat dictis Fratribus Humiliatis relinqueret. Postea dicti Fratres dolo circumuenti, sine consensu Terdonensis Episcopi, huiusmodi prædiorum possessione cessere Templariis; sub ea conditione, si placeret Episcopo Terdonensi. Nihilominus Magister Templariorum statim ea prædia occupauit sine consensu Terdonensis Episcopi: quo cognito Terdonensis Episcopus illico ad ea prædia accessit, & custodes depulit, vim vi repellens, vt iura permittunt. Agentibus Templariis causa demandata est Abbatibus de Locedio, & de Columba, coram quibus lite contestatâ Templarij petebant domum sibi restitui, qua se spoliatos dicebant. Re ad Sedem Apostolicam remissâ, Pontifex causâ cognitâ iudicauit Templarios non esse restituendos tamquam spoliatos. Nimirum Templarij non fuere dicendi spoliati, quia cùm possessio eis tradita fuerit sub conditione, si placeret Terdonensi Episcopo, deficiente conditione traditio possessionis nullius erat momenti: quod sub vna conditione datum est sub contraria conditione ademptum intelligitur, *l. aliquando, ff. de condit. & demonstrat.* Præterea cùm Templarij ea prædia occupassent inscio Terdonensi Episcopo, cuius erat dominium, nihil vetabat quin Episcopus Terdonensis ex continenti posset eos deiicere, quia iure naturali vim vi repellere licet, *l. 1. §. vim vi, ff. de vi, & vi armat.* Nimirum ex continenti, in ipso congressu; quia propulsio quæ fit ex continenti non est vis; secus ex interuallo: atque ita vi deiectus deiectorem impunè deiicit ex continenti, non ex interuallo, *l. III. §. eum igitur, ff. eod.* Sententia autem fertur hîc super causa possessionis, saluâ Templariis quæstione proprietatis: causa enim possessionis non præiudicat quæstioni proprietatis, *l. vn. C. si de moment. poss. fuer. appell.*

Capitvlvm XIII.

IDEM BITVRICEN. ARCHIDIACONO.

Literas tuas recepimus, quòd cùm quædam matrimonialis causa (Bituricen. Archiepiscopo in remotis agente) in tua præsentia tractaretur, N. mulier separari à G. viro suo constantissimè postulabat, cui se quarto gradu consanguinitatis proponebat esse coniunctam :.·.·. Vir autem sibi vxorem postulabat restitui, quæ ab eo suâ temeritate diuertit :.·.·. Rescripto petebas Apostolico edoceri, vtrum quando aliquis consanguinitatis gradus obiicitur, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consueuit, & probationes promptæ sint & paratæ: indulgenda restitutio sit, an neganda :.·.·. Sanè circa solutionem propositæ quæstionis, diuersæ sunt sententiæ diuersorum: aliis adserentibus restitutionem faciendam: aliis sentientibus in contrarium: nonnullis viam mediam eligentibus, ac dicentibus eam faciendam interdum, quandoque penitus denegandam. Primi per decretalem Epistolam Lucij Pap. iuuari videntur, arguentis quosdam iudices delegatos, qui restitutionem viri, qui sine iudicio Ecclesiæ vxorem dimiserat & ei consanguinitatem postmodum opponebat, spoliatæ ac repetenti coniugem denegabant: & mandatis sibi priùs restitui taliter spoliatam & postea de matrimoniali causa cognosci. Horum autem adsertionem incestus videtur periculum oppugnare: sed ipsi timorem incestus inanem esse respondent, cùm etiam beneficio restitutionis obtento, qui consanguinitatis habet notitiam, nec exigere debitum, contra conscientiam, nec soluere teneatur: quoniam si secus egerit, ædificat ad gehennam: sicut nec consanguinitatis conscius, super cuius coniugio quæstio non mouetur. Secunda verò adsertio per oraculum Clementis Papæ fulcitur: à quo cùm fuisset quæsitum, vtrum muliere quâdam, quemdam in virum petente, qui vt eam repelleret, exceptionem consanguinitatis obiecit, priùs esset de impedimento consanguinitatis agendum, quàm super matrimonio sententia proferretur: sic inquisitioni factæ respondit, quòd cùm exceptione probatâ, principalis quæstio perimatur, priùs est cognoscendum de ipsa, quàm ad definitionis articulum procedatur: cùm etiam in multis casibus restitutio differatur, secundùm canonicas sanctiones. Opinioni autem vltimæ videtur non incongruè adaptari, vt in gradibus consanguinitatis diuinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur; sed constitutione interdictis humanâ, restitutio locum habeat cum effectu: cùm in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari: sicut B. Greg. & multi alij dispensarunt. Vnde non peccat, qui in hoc articulo ad mandatum Ecclesiæ reddit debitum coniugale. Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobamus: nec cuiquam earum aliquod præiudicium ex nostra responsione volumus generari: quamuis præscriptum Lucij Papæ mandatum ad possessorium, responsum verò Clementis ad petitorium referatur. Porrò cùm mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex diuina prohibuit, non possit huiusmodi viro sine mor-

tali peccato carnaliter commisceri: quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, & quicquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam: frustrà in tali casu adiudicaretur restitutio spoliato, cùm illa contra Deum non debeat in hoc iudici obedire, sed potiùs excommunicationem humiliter sustinere: sícque difficultas occurreret quasi perplexa: quia propter sententiam opotteret eam reddere debitum, & propter conscientiam reddere non deberet: vnde contingeret eos grauiter impediri: & vtrique laqueus pararetur, cùm inter se carnaliter coniungi non possent, nec alter alteri matrimonialiter copulari. Propterea melius videtur, quòd cùm opponitur consanguinitas, (præsertim in gradibus diuinâ lege prohibitis) & probationes offeruntur incontinenti paratæ, in cæteris adiudicanda sit restitutio: sed ad maiorem cautelam iuramento recepto, quòd talis obiectio malitiosè non fiat sola, quoad commixtionem carnalem, (maximè si fama consentit) est restitutio differenda, donec auditis probationibus & discussis, causa sine diffugio terminetur, cùm vtrique sit melius taliter expediri, quàm manere taliter impeditos. Quòd si non habeat probationes incontinenti paratas, sed dilationes expetat longiores, (quia præsumitur contra eam, quæ sine iudicio Ecclesiæ suâ tantùm temeritate recessit à viro) ad restitutionem plenariam Ecclesiasticâ debet censurâ compelli, quam tamen ipsa tori negando consortium debet humiliter tolerare, donec probationes offerat præparatas: & tunc absolutione petitâ, secundùm formam Ecclesiæ absoluetur: sed antè, quàm fiat ei mandatum sub debito iuramenti, receptis probationibus procedatur, quemadmodum est præmissum. Si verò tanta sit viri sæuitia, vt mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potiùs amoueri: alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate prouisâ, profectò videtur coniunx ante causæ cognitionem restituenda marito.

QVÆSTIO verrebatur inter vxorem & virum super causa matrimoniali apud Archidiaconum Bituricensem, absente Archiepiscopo. Causæ matrimoniales sunt de maioribus causis, quæ requirunt maiores iudices, purà Episcopum; ramen ex causa, putà absenre Episcopo, vel ex consuetudine possunt pertinere ad Archidiaconum vel Archipresbyterum, vel Abbarem, vt *hic*, *& cap. 1. de consang. & affinit.* *& cap. accedentibus. de excess. Pralat.* Coram illo iudice mulier petebat se separari, ob impedimentum consanguinitaris quarto gradu, & hoc incontinenti probare se pararam dicebat: è conrrario vir excipiebar priùs vxorem sibi restirui, quæ remerè, & sine iudice discesserat à viro. Consultus hac de re Pontifex respondir varias esse Doctorum senrentias. Alij existimant priùs marito restituendam esse mulierem, quàm cognoscatur de iure consanguiniraris, quorum sententia iuuatur *cap. ex conquestione*, *hoc tit.* Aliis contrà viderur suspendendam esse restitutionem, quoad cognitum sit de iute consanguinitaris; quam in rem adducitur *cap. intelleximus*, *suprà*, *de ordin. cognit.* sed perperam, hoc enim cap. pertinet ad iudicium petitorium non ad possessorium. Media fuit quorumdam sententia, qui sic distinguebant: aut opponi excepriopnem consanguinitatis in gradu iure diuino vetito, qui dispensabilis non est, vt *hic*, *& can. Pitacium.* XXX. *qu.* II t. & hoc casu restiturionem negari: aut opponi excceprionem consanguiniratis in gradu iure Pontificio prohibito, in quo dispensati porest, & tunc restitutioni locum esse, cum effectu, id est, etiam quoad copulam carnalem & torum. Ponrifex verò indistinctè definir mulierem viro restituendam esse, etiamsi opponatur exceprio consanguinitatis, vel in gradu diuinâ lege prohibito: si modò mulier probationes habeat in-

continenti pararas, id est, parata sit incontinenti probare exceptionem consanguinitatis: restitutio impeditur ob pararas probationes incontinenti. Extra hunc casum mulier restituenda est viro, quoad cætera omnia, id est, quoad familiare obsequium, præterquam ad torum, propter periculum incestus, quoad cognitum sit de iure consanguinitatis: sed priùs à muliere præstandum est iusiurandum de calumnia, id est, se non calumniandi causâ, id est, mariti distringendi, seu vexandi causâ opponere huiusmodi exceptionem, licèt in causis spiritualibus, quas inter censendæ sunt matrimoniales quæ pertinent ad forum Ecclesiasticum, non requiratur iusiurandum calumniæ, *cap. literas, suprà, de iuram. calumn.* Iuratur tamen de calumnia super exceptionibus, quæ occurrunt, vt notat gloss. hoc loco. Quòd si mulier non habeat probationes incontinenti paratas, hoc casu quia præsumitur temerè & iniuriâ discessisse à viro, mulier plenè restituenda est viro, & per excommunicationem compelli potest, vt debitum reddat viro. Quo casu tamen si certa sit se in gradu diuinâ lege prohibito, viro coniunctam esse, potius erit vt ferat excommunicationis sententiam, à qua facilè absoluetur probatâ exceptione consanguinitatis, quàm vt virum admittat præter conscientiam suam. Mulier autem viro restituenda est, præstitâ idoneâ cautione seu securitate, vt *hîc, & cap. ex transmissa, suprà, hoc tit. cap. accedens.* II. *vt lite non contestata, can. de Benedicto.* XXXII. *qu.* I. id est, datis fideiussoribus de vxore tractanda bene & liberaliter. Quo pacto Thietbergam à Lothario repulsam ob suspicionem adulterij, ei restitutam per sententiam Arsenij Legati Pontificij, duodecim è regiis proceribus sacramento cauentibus de Thietberga vt Reginâ habendâ, proditum est in Annalib. Pithœi ad ann. DCCCLXV. & apud Nicolaum I. epist. LVIII. Quòd si ita timenda sit viri sæuitia, vt mulieris securitati consuli non possit remedio cautionis; hoc casu mulier viro restituenda non est, vt subiungitur in fine *huius cap.* sed commendanda est apud probam & honestam mulierem, *d. cap. ex transmissa, hoc tit. cap. cùm locum. de sponsal. l.* III. *§. in hoc interdicto, ff. de liber. exhibend.* Ob sæuitiam viri non habetur ratio satisdationis, quia satisdatio non mutat maleuolum animum, *l. quia satisdatio, ff. de suspect. tutor.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM VVLTERANEN. EPISCOPO.

EX parte M. mulieris fuit propositum, quòd cùm eam intra pubertatis tempora constitutam patruus suus filio H. Senen. ciuis nondum septem annorum, matrimonio voluerit copulare, ac eadem traducta fuerit in domum eiusdem, ipsa ex quo ad nubiles annos peruenit, ratum nolens habere, quod à patruo suo circa hoc procuratum fuerat, à Senen. Episcopo nubendi alij licentiam postulauit :.·.·. Quia igitur non credimus ambigendum, quin ipsa mulier (quamuis minor) causam possit matrimonij per procuratorem tractare, ac pars alia (quæ mulieris restitutionem sibi fieri priùs postulabat) restitui nequaquam debeat, vtpote nullo iuris seu possessionis commodo destituta, cùm per solam traductionem (quam non præcesserunt sponsalia, vel consensus legitimus, nec fuerunt etiam subsecuta) nullum inter eos obligatorium vinculum sit contractum: Mandamus, quatenus, si est ita (non obstantibus exceptionibus suprà dictis) audias, quæ hinc inde partes duxerint proponenda, & quod canonicum fuerit adpel. remotâ decernas.

HVIVS cap. species hæc est. Puella impubes à patruo nuptiis destinata filio H. ciuis Senensis, nondum septenni, eadémque ob spem, seu destinationem nuptiarum, traducta est in domum eiusdem. Ipsa ex quo ad nubiles annos peruenit, nuptiis non consentiens è domo migrauit, & ab Episcopo alij nubendi licentiam postula-

uit per procuratorem, repetiitque res datas dotis nomine. Econtrario vir petebat mulierem priùs sibi restitui, quasi spoliatus esset, asserens eam non posse agere per procuratorem. Quid iuris esset, consultus Pontifex respondit, quamuis puella minor esset xxv. annis in causa matrimonij posse agere, vel conueniri per procuratorem, & virum non esse restituendum, vtpote nullo iuris seu possessionis commodo destitutum. Obiiciebatur quòd puella cùm esset minor xxv. annis, videbatur non posse agere, aut conueniri, nisi auctore curatore. Sententia dicta aduersus minorem sine tutore, vel curatore non habet vim rei iudicatæ, *l. pen. C. si adu. rem iudic. l.* 1. *C. qui legit. pers. stand. in iudic.* Sed minor xxv. annis, ex quo pubes est in causa matrimoniali potest agere, aut conueniri per procuratorem, vt in beneficialibus & aliis causis spiritualibus, *cap. vlt. de iudic. in* VI. Quia minor xxv. annis in beneficialibus, & aliis spiritualibus pro maiore habetur. Ex quo igitur minor xxv. annis est idoneæ ætatis ad contrahendas nuptias, habet legitimam personam standi in iudicio per se vel per procuratorem in causa matrimoniali. Mulier etiam non est restituenda viro tamquam spoliato, quia numquam fuit eius vxor & per consequens non potest dici spoliatus, seu vt loquitur Pontifex, possessionis commodo destitutus: sola traductio in domum viri, non præcedentibus, vel secutis sponsalibus, vel consensu legitimo, vxorem vel sponsum non facit, vt *hic*, & *l. quæsitum*, *ff. de sponsalib.* Mulier non mutat domicilium, nec est deducenda in domum viri ante contractas nuptias, *l. Seia*, *ff. de don. inter vir. & vxor. l. cùm fuerit. de cond. t. & demonstr. l. ea quæ ad municip.* Restitutio igitur non datur ei qui nondum possidebat. Interdictum Vnde vi recuperandæ possessionis causâ datur possessori tantùm, id est, ei qui eo tempore quo deiectus est possidebat, *l.* 1. §. *interdictum*, & §. *denique*, *ff. de vi & vi armat.*

CAPITVLVM XV.

CVm ad Sedem Apost. accessissent Cuman. Episcopi & Fratrum Hospitalis Hierosol. procuratores: . · . · Abbati de Acon. causam (quæ super Ecclesia & Hospitali de monte Citano inter eos vertebatur) taliter duximus committendam, vt audiret omnia tam ad possessorium quàm ad petitorium iudicium pertinentia, quæ vtraque pars duceret proponenda, & causam ipsam sine debito terminaret. Coram quo procurator Hospitalis prædicta cum possessionibus & pertinentiis suis, quæ tenebat Episcopus, sibi restitui postulauit, adserens illa de iure ad Hospitale Hierosolym. spectare, & quòd ipsa diutiùs possedisset. Ad quæ respondit procurator Episcopi se nec scire, nec credere suprà dicta ab Hospitali possessa, vel ad illud aliquatenus pertinere, quæ Cumanen. Episcopus, vtpote in sua diœcesi constituta, rationabiliter detinebat. Cùm igitur ad fundandam intentionem suam pars vtraque testes produceret, dictus Abbas procuratorem Episcopi condemnauit ad restitutionem omnium prædictorum: . · . · Nuper autem vtriusque partis procuratoribus comparentibus coram nobis, causam ipsam examinauimus diligenter: & quidem per testes videbatur esse probatum, quòd Cumanen. Episcopi nuncius cruces Hospitalariis abstulit, inhibendo ipsis ne ad supradictam Ecclesiam vel Hospitale redirent, & quòd Episcopus supradicta omnia possidebat: vnde procurator Hospitalariorum petiit dictam restitutionis sententiam confirmari: . · . · Nos prioris acta iudicij recensentes, quia nec per dicta testium, vel confessiones partium, (cùm nullæ penitùs in iudicio factæ fuerint) vel etiam instrumenta, quæ nullatenus de spoliatione tractabant; nec per euidentiam facti nobis constare potuerit, quòd Cumanen. Episcopus Hospitalarios spoliauerit,

interdicti occupauerat; sed non esse priùs compellendum restituere fructus quos percepit, quàm ipse ita restitutus fuerit suis rebus, vt habeat vnde fructus perceptos ex aliena diœcesi restituat, ne detur actio vacua & inanis. Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, quod sumptum est ex *l. nam is, ff. de dol.* Et hæc est vera & germana species *huius cap.* Et falsum est quod ait Hostiensis hoc loco, ex fide cuiusdam Hispani Ouetensem Episcopum occupasse partem Zamorensis diœcesis, quòd Rex Legionensis perciperet omnes reditus proprij Episcopatus saluâ ei pensione annuâ quinque millium aureorum, quo vsque ei satisfactum esset de ære alieno quod soluerat pro ipso Ouetensi Episcopo. Restitutio fructuum suspenditur Episcopo, quoad valeat restituere, hoc colore ne inanis actio detur. Vsus est Pontifex iure principali. Solus enim Princeps egenis debitoribus potest dare inducias ad soluendum æs alienum, nec eas solet concedere vltra quinquennium, *l. IV. C. de precib. Imper. offer. l. vlt. C. qui bon. ced.* Et apud Cassiod. II. Var. Ouetensi Episcopo dantur induciæ ad restituendos fructus ob egestatem, ne mendicare cogatur in opprobrium cleri, *cap. cùm secundum. de Prab. nd.* Eamdem ob causam fructus & annonæ beneficiorum pignori capi non possunt iudicati faciendi causâ, nisi in subsidium deficientibus aliis bonis, *l. commodis, ff. de re iudic. l. IV. C. de execut. rei iudic.* Sed moribus nostris executio in fructibus beneficiorum fit rectâ viâ, non discussis rebus priuatis ex *cap. peruenit, infrà, de fideiussorib.* Dimissâ ipsis Clericis congruâ portione, vnde sustentari valeant; & ita iudicatum referunt Bened. in cap. Rainut. verb. & vxorem, num. XLII. Boër. qu. CCXXV.

CAPITVLVM XVII.

IDEM ABBATI SANCTÆ GENOVEFÆ PARISIEN.

OLIM inter te pro Abbatia tua, & Parisien. Episcopum, nomine Parisien. Ecclesiæ, super possessione iuris parœcialis in parœcia de monte, quæstione subortâ: .·. Nos attendentes, quòd (ex eo solo quòd populus prædictæ parœciæ, timore sententiæ suæ per aliquot dies abstinuit à diuinis) nullam in eos iuris parœcialis possessionem idem Episcopus fuerit adsecutus, nec fuerit aliquo modo probatum, quòd (eo tempore, quo sententiam ipse protulerit) possessionem in ipsis iuris parœcialis haberet, vel priùs etiam habuisset, restitutionem ei adiudicare de iure nequiuimus, cùm ipsum non constiterit spoliatum.

QVÆSTIO disceptabatur inter Episcopum Parisiensem, & Abbatem S. Genouefæ super possessione iuris Parochialis in Parœcia S. Stephani de Monte. Episcopus contra Abbatem agebat interdicto Vnde vi de recuperanda possessione, quâ se spoliatum dicebat, & possessionem iuris Parochialis nitebatur probare hoc argumento, quòd cùm sacris interdixisset Ecclesiæ, plebs eiusdem Ecclesiæ per aliquot dies paruit interdicto, & à sacris abstinuit. Alia verò deerat probatio quòd tempore interdicti haberet possessionem, vel priùs habuisset. Causâ cognitâ Pontifex Episcopo restitutionem denegauit, cùm eum non constaret spoliatum. Interdictum Vnde vi non datur, nisi spoliato, id est, ei qui probat se possedisse tempore deiectionis seu spolij, vt *hic, & cap. ex parte, suprà, hoc tit. cap. consultationibus. de offic. iudic. delegat.* Non erat idoneum argumentum possessionis iurisdictionis Episcopalis, quòd plebs seruasset interdictum missum ab Episcopo per aliquot dies; quia metus excommunicationis, vel interdicti, est metus, qui cadit in constantem virum, nec probat possessionem iurisdictionis: excommunicatio etiam iniusta, vel à non suo Episcopo lata timenda est, *can. I. XI. qu. III.*

CAPITVLVM XVIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

SÆPE contingit, quòd spoliatus per spoliatorem in alium re translatâ, dum aduersus possessorem non subuenitur per restitutionis beneficium eidem spoliato, commodo possessionis amisso, propter difficultatem probationum iuris, proprietatis amittit effectum. Vnde non obstante iuris ciuilis rigore, sancimus: vt, si quis de cætero scienter rem talem receperit, cùm spoliatori quasi succedat in vitium (eo quòd non multum intersit, quoad periculum animæ, iniustè detinere, ac inuadere alienum) contra possessorem & huiusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur.

SPOLIATVS ante omnia est restituendus, priusquam de proprietate agatur, *cap. I. hoc tit. can. reintegranda.* III. *qu.* I. Hoc iure se spoliatum inuestiri, id est, restitui petebat Goffrid. Vindoc. lib. II. epist. XIII. ad Iuon. Carnot. *Rogamus interim, dilectissime Pater, humilitate quâ possumus, vt de his quæ Niuelo, & sui nobis violenter abstulerunt, & adhuc crudeliter detinent, vestra eos cogente iustitiâ mereamur inuestiri, quia rebus propriis expoliati, sicut ipse meliùs nostis, antequam quæ eis ablata sunt vniuersa potestati eorum restituantur, ad iudicium minimè debent conuocari.* Spoliatum vestiri dixit Suger. in vita Ludouici Crassi: *Velociter si quidem de Curia exeunt, qui Comitem conuenient extraordinariè, expoliatum ordinariè vestiri ore defensaris præcipiant, de iure in Curia eius ratiocinando certa die decertent.* Aptiùs spoliatum reuestiri Iuo Carnot. epist. CLXXII. *Vnde etiam dicebat priùs se esse reuestiendum, antequam transiret ad actionem aliarum causarum.* Iure Ciuili interdictum Vnde vi personale est, datur tantùm aduersus eum qui vi deiecit, *l. eùm à te, ff. de vi & vi armat.* Sed iure Pontificio idem interdictum datur aduersus tertium malæ fidei possessorem, qui sciens huiusmodi rem recepit, cùm spoliatori quasi succedat in vitium, vt docetur *in hoc cap. quia.* V. *de iudic. cap. bonæ memoriæ. de appellat.* Et hoc distat actio ex *can. redintegranda*, quòd hæc datur etiam contra alium bonæ fidei possessorem à spoliatore immediatè causam habentem. Item interdictum Vnde vi est annale, *l.* I. *§. annus, ff. de vi & vi armat.* Actio verò ex *can. redintegranda*, est perpetua, & præscribitur tantùm XXX. annis, Glossa & Panormitan. in *cap. sollicitè, suprà, hoc tit.* Quod enim dicitur in *d. can. redintegranda*, spoliatis redintegranda esse omnia, non obstante quâcumque conditione temporis, non excludit tricenariam præscriptionem, quæ excepta intelligitur.

TIT. XIV. *De dolo & contumacia.*

CAPITVLVM V.

FINEM litibus cupientes imponi, ne partes vltra modum grauentur laboribus & expensis, præsertim cùm de beneficiis Ecclesiasticis litigatur, quæ sine dispendio diu vacare non possunt. Præsenti decreto statuimus, vt postquam intentionem suam altera pars fundauerit, si reliqua fortè voluerit legitimam exceptionem opponere, quam nolit aut nequeat incontinenti probare. Quia frequenter ad impediendum vel differendum processum, exceptiones huiusmodi per excogitatam malitiam opponuntur, ad soluendas alteri parti moderatas expensas ex tunc in iudicio faciendas: cum acceptis induciis, si forsitan in probatione defecerit, condemnetur. Et si soluendo non fuerit, aliàs secundùm arbi-

trium

trium diſcreti iudicis puniatur: vt hoc ſaltem timore perterritus, non facilè quis in grauamen alterius falſas exceptiones opponat.

POSTQVAM actor intentionem ſuam fundauit, ſi reus opponat exceptionem, quam nolit aut nequeat incontinenti probare, per interlocutoriam dantur ei induciæ ad probandam exceptionem; & ſi forſan in probatione defecerit, aduerſario in expenſis litis condemnatur, & ſi non ſit ſoluendo coërcetur arbitrio iudicis, quæ eſt ſumma *huius cap.* Et hoc ſtatutum eſt, vt metu expenſarum litis vel pœnæ modus litibus imponatur. Eamdem ob cauſam ab interlocutoria non licet appellare, ne lites in infinitum extendantur, *l. apertiſsimè, C. de iudic.* Litibus modus imponitur maximè cùm de beneficiis Eccleſiaſticis litigatur, quæ diutius ſine diſpendio vacare non poſſunt, vt proditum eſt *in hoc cap.* nempe propter periculum animarum, *cap. ne pro defectu, ſuprà, de elect. & can. obeuntibus.* LXIII. *diſt.* Vt litibus finis imponatur victus victori in expenſas litis condemnatur, *l* IV. *C. de fruct. & lit. expenſ. §. hoc autem inſt. de pœn. temer. litig.* niſi habeat probabilem cauſam litigandi, quo caſu excuſatur ab expenſis litis, ne metu expenſarum litis temerè indefenſum ius ſuum relinquat, *l. illud. ff. de hæred. petit.*

CAPITVLVM VI.

IDEM PRÆNESTINEN. EPISC. APOST. SED. LE. ET DECANO BRINEN.

CVM dilecti filij nuncij Leodicen. electi pro eo ad Sed. Apoſt. acceſſiſſent, Archidiac. & H. Canonicus Leodicen. Eccleſiæ, nomine ſuo & quorumdam Canonicorum ſuorum (quorum literas exhibuere de raro) contra eumdem electum quædam crimina proponebant, per quæ nitebantur eum ab electione repellere vt indignum:.·. Quamuis autem ex eo quòd idem electus à grauamine aduerſæ partis appellauerit, & appellationem non fuerit per ſufficientes procuratores, cùm poſſit (illis proſequentibus) proſecutus, non leuis exorta eſſet ſuſpicio contra eum. Volentes tamen iuris ordinem obſeruare, ipſi mandamus, quatenus vſque ad Dominicam, qua cantatur (Ego ſum paſtor bonus) per ſe vel per procuratorem ſufficientem, ad præſentiam noſtram accederet, ſuper prædictis omnibus reſponſurus; alioquin cùm aſſignaremus ei pro peremptorio terminum ſupradictum, ſciret quòd (quantum de iure poſſemus) procederemus extunc in negotio memorato. Expectantibus igitur aduerſariis, ipſum diu vltra terminum duximus expectandum: ſed ipſe direxit ſimplicem ſolummodo nuncium, excuſationis literas adferentem. Scribebat enim quòd nuncium (cui cùm à nobis recederet, iniunximus viuâ voce, vt citaret eumdem) ſerò receperat, vnde non poterat, tum propter termini breuitatem, tum propter viarum diſcrimina, noſtro ſe conſpectui præſentare. Sed contra hoc faciebat, quòd ſicut excuſatorem direxerat, ſic dirigere potuerat reſponſalem: cùm ei non fuiſſet iniunctum, vt ad cauſam in propria perſona dumtaxat veniret, ſed vel ipſe accederet, vel procuratorem idoneum deſtinaret. Præterea cùm mandatur alicui, vt ad certum terminum ſe iudici repræſentet, duo ſub hac forma mandantur, vt ad iudicem veniat, & ad diem ſibi præfixam accedat. Vnde ſi venire non poſſit ad diem adſignatum, tenetur nihilominus ſe iudici præſentare. Si enim mandatur alicui, vt alij ad certum diem, certam rem exſoluat: non ideo erit à mandato ſolutus, ſi ſoluere nequiuerit die datâ: imò ad ſolutionem (elapſo etiam die ſolutioni præfixo)

tenetur. Quapropter quia dictus electus nec venerat, nec sufficientem miserat responsalem, ad diem sibi statutum, vel post, etiam diutiùs expectatus, nec de vicino eius aduentu spes erat, vtpote, qui per literas vtcumque excusauerit moram suam, & calores æstiuos, & insidias sibi positas formidabat, eum reputauimus contumacem, & ad legitimas & moderatas expensas, quas aduersarij eius fecerant à tempore citationis emissæ, quem extunc expectare incœperant, ipsum curauimus condemnare.

SPECIEM *huius cap.* iuuat Ægidius aureæ Vallis de gest. Episc. Leodiensium cap. xcvii. Anno Domini MCC. post obitum Alberti, Hugo de Petra-Ponte Præpositus Leodiensis electus est in Episcopum Leodiensem, eumdem confirmatum hinc colligit Hostiens. quòd dicatur electus *in hoc cap.* Fidem astruit quòd ipsum de regalibus inuestitum ab Ottone, & à cleto & plebe in sede Episcopali solenniter locatum fidem, & sacramentum optimatum vtriusque ordinis accepisse narrat ipse Ægidius. Ab electione Archidiaconus & Henricus Canonicus, & alij appellarunt ad Pontificem. Electo per exceptionem opponebantur quædam crimina, putà dilapidatio, excommunicatio, defectus Ordinis, intrusio, id est, quòd ante confirmationem administrauerat, vt legitur in integra decretali. Super his Pontifex mandauit inquiri. Electus à quopiam grauamine scilicet illato ab Inquisitoribus, vel iudicibus datis appellauit ad Pontificem; sed quòd appellationem non esset prosecutus, suspicioni locum dedit se frustrandi & morandi causâ appellasse. Vnde Pontifex mandauit electo, vt ad diem per se vel per idoneum procuratorem ad Curiam accederet. Citatus non adfuit intra terminum, sed postea simplicem nuntium cum literis excusatoriis destinauit, causatus angustias temporis, viarum discrimina, & insidias inimicorum, & calores æstiuos. Verùm Pontifex his excusationibus reiectis eum iudicauit contumacem, & ob contumaciam in expensas moderatas à tempore citationis condemnauit. Citatus si defuerit iudicio licèt nuntium miserit ad absentiam excusandam; quia ex quo ei fas fuit mittere nuntium, æquè potuit & mittere idoneum procuratorem: nec excusatur contumacia ob calores æstiuos; quia potuit electus per se, vel per procuratorem sistere iudicio. Nimis delicatus tamen non videbatur electus, quòd Romam citatus se excusaret à profectione ob calores æstiuos. Periculosum est habitare Romæ per æstatem ob grauitatem caloris, vnde honestiores viri æstate solebant vrbe secedere in rura suburbana, quæ secessus dicuntur, *l. quid tamen*, §. *si arbiter*, *ff. de recept. arbitr.* Gellius lib. ix. cap. xv. *Cum Antonio Iuliano Rhetore per feriarum tempus æstiuarum decedere ex vrbis æstu volentes Neapolim concesseramus.* Ob calores Italicos iter in vrbem perhorruit Petrus Cluniacensis Abbas lib. i. epist. iii. ad Aimericum Sedis Apostolicæ Cancellarium: *Doleo & non parum contristor, quòd sicut negotiis nostris, & quorumdam aliorum expediret, morari vobiscum aliquamdiu in curia, corporis fragilitate, & contrary aëris qualitate prohibente, non possum. Sic natura mea vniuersa Italicæ regionis elementa simul & alimenta sibi nociua quàm maximè sentit, vt illuc ire mortem, redire vitam arbitretur.* Æquè & ob letales calores Italiæ itineri in vrbem moram excusauit Goffridus Abbas Vindocinens. lib. i. epist. xiii. ad Callixtum II. *Nunc vtique venissem, sed societatem inuenire non potui securam, & mortiferos Italiæ calores timebam.* Quis fuerit exitus huiusce electionis, disces ex Ægidio loco modò laudato. Nimirum lis terminata est à Guidone Prænestino, & Sedis Apostolicæ Legato in Gallia, & apud Coloniam causâ cognitâ ex mandato Pontificio, postquam Hugo per sacramentum septima manu se purgasset de obiectis criminibus, electio confirmata.

CAPITVLVM VII.

IDEM ARMACHANO, ET CASELENENSI ARCHIEPISCOPO.

CVM olim D. Clericus (Celestino Papæ prædecessori nostro, diuersis Prælatorum Hiberniæ literis præsentatis) se adsereret in Epi-

ſcopum fuiſſe Roſcenſem electum, nullúſque adpareret, qui aliquid contra eum proponeret: dictus præ. n. ei munus fecit conſecrationis impendi. Poſtmodum F. & G. monachi ad eiuſdem præ. n. præſentiam accedentes, vterque ſe adſeruit à Canonicis Roſcen. Eccleſiæ fuiſſe electum, & quòd prædictus D. per falſas literas fuerat conſecratus, propter quod idem præ. n. cauſam vobis ſub ea forma commiſit, vt de forma & proceſſu electionis memorati D. ſolicitè quæreretis: & ſi eum electum canonicè fuiſſe conſtaret, ipſum faceretis pacifica poſſeſſione gaudere. alioquin inter prædictos F. & G. audiretis cauſam: & cuius electionem canonicam, & magis rationabiliter factam inueniretis, alterius curaretis electioni præferre: .·.·. Cúmque à vobis dictus D. tertiò citatus, veſtro ſe nollet conſpectui præſentare: procedentes in cauſa, tam ex teſtimonio cleri & populi Roſcenſis Eccleſiæ, quàm adſertione Regis Coarcayæ, & Prælatorum prouinciæ, de prædicto F. electionem fuiſſe celebratam canonicè didiciſtis, & eam curaſtis auctoritate Apoſt. confirmare, præſertim cùm Capitulum Roſcenſis Eccleſiæ dictum D. ſe non elegiſſe conſtanter adſereret, nec de prædicti G. monachi electione aliquatenus cogitaſſe. Interim memoratus D. ad Apoſtolicam Sedem accedens, ſuper quibuſdam aliis grauaminibus & iniuriis contra dictum F. & quoſdam alios literas impetrauit: dictus F. poſtmodum ex parte veſtra nobis literas præſentauit, quæ qualiter à vobis in commiſſione prædicta proceſſum fuerat, continebant: .·.·. Volentes igitur adhuc miſericorditer agere cum abſente, vt eius malitia conuincatur, dictum F. ad vos duximus remittendum, mandantes, quatenus non obſtante, quòd eiuſdem F. fuit electio confirmata, ſæpedictum D. ſi in Hibernia poterit inueniri, legitimè citetis ad cauſam, & (facultate ſibi defenſionis indultâ) in cauſa ipſa canonicè procedatis. Qui ſi inuentus, intra tres menſes veſtro ſe conſpectui contempſerit præſentare, ad conſecrationem dicti F. (omni occaſione poſtpoſitâ) procedatis. Si autem in Hibernia inuentus non fuerit, indulto ſibi vnius anni ſpatio, ex quo ad nos, etſi non verbo, facto tamen intelligitur prouocaſſe, (arrepto itinere ad Sedem Apoſt. veniendi) dicto F. adminiſtrationem Roſcenſis Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus committatis: quo elapſo, eum non differatis in Epiſcopum conſecrare.

HVIVS cap. quod integrum legitur apud Innocent. lib. I. epiſt. CCCLXIX. ſpecies hæc eſt. Cùm Daniel quidam Clericus falsò perſuaſiſſet Celeſtino III. Pontifici ſe in Epiſcopum Roſcenſem electum & confirmatum, vſus ſcilicet falſis literis commendatitiis quamplurium Epiſcoporum Hiberniæ, & nemine eidem controuerſiam faciente, iuſſu eiuſdem Pontificis conſecratus fuiſſet; Florentius & Edmundus monachi acceſſere ad Pontificem, quorum vterque aſſerebat ſe electum fuiſſe in Epiſcopum Roſcenſem, & Cl. Flor. excepit Danielem fuiſſe conſecratum falſis literis decepro Pontifice. Quapropter rei cognitione demandatâ Armachano, & Caſſilienſi Archiepiſcopis, & Laomenſi Epiſcopo, cùm Daniel tribus edictis citatus per contumaciam defuiſſet, iudices delegati huius contumacia commoti de omni cauſa illo abſente cognoſcere cœperunt, & compertum eſt ex teſtimonio cleri & populi Roſcenſis, & aſſertione Regis Corcaiæ, (hic fuit vnus è Regulis Hiberniæ) & Epiſcoporum ipſius prouinciæ, neque Danielem, neque Edmundum fuiſſe electos, ſed ſolum Flor. monachum, atque ita exploſis cæteris Flor. electionem confirmarunt. Interim Da-

niel nullâ factâ mentione de priori rescripto, quo causa mandata erat Armachano & Cassiliensi Archiepiscopis, literas impetrauit ad alios iudices: econtrà Florentius monachus excepit apud Pontificem rem terminatam per sententiam priorum iudicum, à quibus non esset appellatum; & vt sententiæ maiorem vim & auctoritatem conciliaret, in medium adduxit literas priorum iudicum, quibus gesta, id est, ordinem processus sui narrabant. Itaque Pontifex ad fortiùs conuincendam malitiam Danielis, mandauit prioribus iudicibus delegatis, vt etsi electio Florentij esset confirmata, dictus D. adhuc vno edicto citaretur. Post tria edicta interdum quartum datur peremptorium, *l. & post edictum, ff. de iudic.* Et quidem si esset in Hibernia, & intra tres menses iudicio adesset, defensionis copia ei fieret: quòd si intra tres menses in contumacia perseuararet, D. Florent. monachus quasi potior consecraretur, quòd si d. Daniel non esset in Hibernia, ei defensionis copia esset intra annum, & interim administratio Roscensis Ecclesiæ esset penes d. Flor. monachum: quòd si Daniel vltra annum in contumacia perseueraret, tunc d. Flor. monachus in Episcopum Roscensem consecraretur. Sententia super electione lata memoratur ex testimonio cleri & populi: quia cùm quæreretur an electio ritè & solemniter facta esset, standum erat testimonio cleri & populi, qui erant compotes rei gestæ, *cap. scriptum, suprà, de elect.* Et ita si quæstio fuerit de terminatione duarum matricum Ecclesiarum, ab vtriusque plebe discernitur, *can. plures.* XVI. *qu.* I. Super electione creditur etiam adsertioni Regis, quia electione factâ Regis requirebatur assensus, *cap. cùm terra. de elect.* Atque ita gesta electionis Regi innotescebant. Sententia verò lata super electione retractatur non de iure, sed de gratia & ex misericordia, cùm non esset appellatum: sententia semel lata transit in rem iudicatam, si ab ea appellatum non sit; non retractatur nisi remedio appellationis, propter auctoritatem rerum iudicatarum: sed speciale est quòd sententia lata super electione per quam contrahitur spirituale coniugium, non transit in rem iudicatam, si constet eam non rite & canonicè factam, perinde ac sententia lata super carnali matrimonio numquam transit in rem iudicatam si constet malè iudicatum, *cap. lator, cap. tenor, cap. consanguinei, infrà, de re iudicat.* Electio etiam post confirmationem & consecrationem ex iusta causa reuocatur; sed electo si absit datur longius tempus, vt iudicio adsit, nempe annus propter reuerentiam & auctoritatem consecrationis.

CAPITVLVM VIII.

VERITATIS est verbum organo dominicæ vocis emissum: .·.·. Sicut Canonici Curien. in nostro auditorio retulerunt, H. Curien. Episcopus Ecclesiam suam non solùm dilapidando depressit, sicut publica prædicabat infamia, sed etiam homicidio, incestu, aliisque criminibus polluit: .·.·. Super his commisimus primò causam Tridon. Episcopo, & Abbati montis sanctæ Mariæ, & Præposito de Insula: secundò quoque Brixiensi Episcopo, & ipsius Abbati & Præposito: .·.·. Verùm cùm Episcopus ipse priorum iudicum præsentiam adire per contumaciam contempsisset, auctoritate nostrâ fuit per ipsos iudices ab officio beneficióque suspensus: .·.·. Tandem verò coram iudicibus canonicâ citatione vocatus, præsentiam suam difficulter exhibuit: sed friuolam tunc excusationem malitiâ conceptâ prætendens, experiri cum Canonicis in iure neglexit: qua de causa nos de consilio fratrum nostrorum suspendentes Episcopum ipsum, vel potiùs suspensionem à iudicibus factam auctoritate Apost. confirmantes, tertiò super his Cumano Episcopo & Abbati sancti A. causam ad superandam malitiam ipsius Episcopi, commisimus audiendam: qui partibus citatis, cùm nec per se, nec per responsalem idoneum comparuerit, in eumdem propter inobedientiam, excommunicationis sententiam protulerunt, testes ex parte vo-

ſtra (quemadmodum in mandatis à nobis acceperant) admittentes, ſcilicet Abbates, Priores, Præpoſitos, & alios religioſos viros: per quos quemlibet articulum criminum prædictorum, conſtat fuiſſe probatum :.·.·. Nos igitur videntes ordinem iudiciarium in hoc facto fuiſſe ſeruatum, conſiderato præterea, quòd poſt ſententias in ſe datas celebrare præſumpſerit: cùm multi Prælati Eccleſiarum contra eumdem Epiſcopum ſcripſerint, nec vnus pro eo defendendo vel aliquatenus excuſando: in nomine Domini cum Apoſtolo omnem inobedientiam vlciſci volentes, licèt abſentes corpore, præſentes tamen ſpiritu, iuxta verbum eiuſdem Apoſtoli, tulimus ſententiam perpetuæ depoſitionis in ipſum: & eum tam à Pontificali, quàm ab omni officio ſacerdotali priuantes, ſine ſpe reſtitutionis aliqua, duximus condemnandum: ea nihilominus in irritum reuocantes, quæcunque poſt inhibitionem Apoſtol. Sedis, ſeu factam ſuſpenſionem & excommunicationem, de rebus Eccleſiæ alienare præſumpſit.

EPISCOPVS à Canonicis reus poſtulatus apud Pontificem dilapidationis, inceſtus, homicidij, & aliorum criminum: quam in rem datis iudicibus à Pontifice, cùm apud eos citatus per contumaciam iudicio defuiſſet, ab eiſdem ob contumaciam idem ab officio & beneficio ſuſpenſus. Poſtea datis aliis iudicibus, idem apud eos citatus in iudicium quidem venit, ſed iudicio experiri, id eſt, ſe defendere noluit, oppoſitis quibuſdam friuolis excuſationibus. Quamobrem Pontifex ſuſpenſionis ſententiam à prioribus iudicibus latam confirmauit. Iterum ad peruincendam eiuſdem malitiam, cùm dati eſſent alij iudices, & ille coram eis citatus deeſſet iudicio, ob contumaciam excommunicatus eſt, quæ erat iuſta cauſa excommunicationis, *cap. cùm non ab homine. de iudic.* Ac præterea teſtes recepti contra abſentem lite non conteſtatâ. Hic eſt vnus è caſibus, quibus teſtes recipiuntur contra abſentem lite non conteſtatâ, cùm agitur de regradatione, ſeu depoſitione Epiſcopi, vt *hic, & cap. ex tua. de Cleric. non reſidentib. can. decernimus.* III. *qu.* IX. perinde ac cùm agitur de electione Epiſcopi, *cap. quoniam, §. porro, ſuprà, vt lit. non conteſtat.* propter periculum moræ in vtroque, *cap. ne pro defectu, ſuprà, de elect.* Denique cùm Epiſcopus Curienſis poſt excommunicationem celebraſſet, Pontifex eumdem ab Epiſcopatu & Sacerdotio in perpetuum abdicauit ſine ſpe reſtitutionis. Excommunicatus celebrans fit irregularis, & ab officio & beneficio deponitur, *cap.* III. *&* IV. *& paſſim. de Cleric. excomm. miniſtr.* Alienationes quoque ab eodem factæ poſt inhibitionem Apoſtolicæ Sedis, ſeu ſuſpenſionem & excommunicationem à Pontifice in irritum reuocatæ. Suſpectus de dilapidatione remouetur ab adminiſtratione, *can. quia.* III. *qu.* II. vel ei datur coadiutor, *cap. venerabili, ſuprà, de offic. delegat.* & interim ei interdicitur alienatione quâlibet rerum Eccleſiæ, *cap. vlt. infrà, de accuſat.* & ſi quid interim alienauerit, alienatio irrita eſt, vt oſtenditur *hoc loco.* Notatur alienatio quòd facta eſſet poſt inhibitionem: effectus inhibitionis eſt, quod quicquid poſt inhibitionem tentatum fuerit, reuocatur per viam attentati, *cap. bonæ memoriæ. de appellat. cap. non ſolùm, eod. tit. in* VI.

CAPITVLVM IX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

CONTINGIT interdum, quòd cum actori ob contumaciam aduerſæ partis adiudicatur (cauſâ rei ſeruandæ) poſſeſſio: propter rei potentiam ſiue dolum, actor intra annum rem cuſtodiendam nanciſci non poteſt, vel adquiſitam amittit: & ſic (cùm ſecundùm multorum adſertionem verus non efficeretur poſt lapſum anni poſſeſſor) te-

portat commodum de malitia sua reus. Ne igitur contumax melioris, quàm obediens, conditionis existat: de canonica æquitate sancimus, vt in casu præmisso, actor verus constituatur elapso anno possessor.

Reo absente per contumaciam, & non defenso actor mittitur in possessionem rei seruandæ causâ. Missus verò in possessionem rei seruandæ causâ ex primo decreto non fit possessor, sed custos rerum intra annum: sed reo non satisfaciente missus in possessionem post annum ex secundo decreto verus constituitur possessor, id est, ex secundo decreto incipit possidere, & per longam possessionem vsucapere, *l. III. §. vlt. ff. de acq. possess. cap. quoniam*, *§. in aliis*, *suprà, vt lit. non contestat. cap. cùm sicut. de eo qui mittitur in poss. ff. rei seruand. caus.* Quòd si actor missus in possessionem rei seruandæ causa, vi vel dolo aduersarij possessionem nancisci non possit, vel adeptam amittat, post annum verus constituitur possessor, ne contumax melioris sit conditionis quàm obediens, vt definitur *in hoc cap.* vel datur ei interdictum ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit, *l. 1. ff. ne vis fiat ei qui in poss. ff. miss. erit.*

TIT. XV. *De eo, qui mittitur in possessionem causa rei seruandæ.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. VR. ET SENAGOL. EPISCOPIS.

Cvm venissent ad Apost. Sedem Abbas sancti Angeli, & P. Gal. idem P. proposuit, quòd prædictus Abbas eum super quadam possessione coram Io. Apostol. Sedis Legato traxit in causam: .·.·. Verùm Legatus ipse causam commisit iudicibus, secundùm ius & bonam terræ consuetudinem terminandam: qui cùm secundùm ius tantùm vellent procedere, præfatus P. nostram audientiam adpellauit: sed iudices nihilominus partem aduersam in possessionem rerum petitarum inducendam causâ custodiæ decreuerunt, ita quòd si vsque ad annum & diem præstaret sistendi iudicio cautionem, & parti alteri triginta libras restitueret pro expensis, reciperet possessionem eamdem. Cúmque G. Sedis Apostol. Legatus intra annum fuisset terram illam ingressus, ipse cautionem standi iuri obtulit coram eo, & possessionem sibi restitui, postulauit, paratus expensas restituere factas in litem, quæ sex librarum summam (sicut adserit) non excedunt: sed Abbas triginta librarum sibi restitui petiit quantitatém: .·.·. Nos igitur ipsum P. cautione præstitâ in possessionem credimus reducendum: hoc etiam decernentes, vt si consuetudinem, quam allegat, laudabilem esse constiterit (quia ex hoc sequitur eum rationabiliter adpellasse) ad restituendas expensas nullatenus compellatur: alioquin (cùm ex hoc adpareat eum frustratoriè prouocasse) ad restitutionem cogatur expensarum illarum, quas Abbatem constiterit propter hoc necessarias in lite fecisse.

Hvivs cap. species hæc est: Lis erat inter Abbatem S. Angeli, & P. Galenum super possessione quadam coram Ioanne Apostolicæ Sedis Legato, à quo causa demandata est nonnullis iudicibus secundùm ius, & bonam terræ consuetudinem terminanda. Itali enim partim reguntur Iure Ciuili, partim consuetudine & statutis, vt innuitur *hic, & cap. venientes, infrà, de iureiur. & cap. Ecclesia S. Mariæ. de constitut.* Verùm cùm iudices secundùm ius tantùm vellent procedere, præfatus P. appellauit

ad Sedem Apoſtolicam, iudices dati nihilominus poſt appellationem aduerſarium miſere in poſſeſſionem rerum cuſtodiæ cauſâ. Ita vt ſi reus intra annum caueret iudicio ſiſti, & actori miſſo in poſſeſſionem xxx. libras nomine expenſarum litis reſtitueret, reciperet eamdem poſſeſſionem. Intra annum P. obtulit cautionem iudicio ſiſti eoram ſucceſſore Legati, & poſſeſſionem ſibi reſtitui poſtulauit, paratus reſtituere expenſas neceſſarias quas contendebat non excedere ſex librarum quantitatem. Re delatâ ad Summum Pontificem, Pontifici placuit præfatum P. præſtitâ cautione in poſſeſſionem reuocandum, ita vt ſi conſuetudo quam allegabat, & ſecundùm quam iudicari volebat, eſſet laudabilis, omnino non præſtet expenſas; alioquin ſi conſuetudo laudabilis non fuerit, præſtet expenſas neceſſarias factas in lite, actore miſſo in poſſeſſionem rei ſeruandæ causâ: ſi reus intra annum offerat cautionem iudicio ſiſti, poſſeſſio illi reſtituitur, *l. ſi quis emptionis*, §. *pen. C. de præſcript.* xxx. *ann. cap.* I. *&* II. *hoc tit.* Io. Saresber. epiſt. XVII. *Præterea ſi contumax extitiſſet, poſſeſſionem ſuam intra annum venienti parato ſatiſdare iudicio ſiſti, ſibi reſtituendam eſſe dicebat de iure legum Canonum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudine.* De iure reo datur annus ſimpliciter ad reuocandam miſſionem in poſſeſſionem. De conſuetudine datur hic annus & dies, vt & in retractu gentilitio, *cap. conſtitutus, ſup. à, de in integr. reſt.* anno adiicitur dies quaſi corollarij vice, vt ſit laxior terminus, vt in *l. vbi lex. de reg. iur.* vbi lex tribuit ſpatium duorum menſium, audiendus & qui venerit ſexageſimo & primo die: & in præſcriptione annali, quæ valuit in Syria: Willelm. Tyr. lib. x. cap. XIX. *Vnde nonnulli clam, multi etiam manifeſtè, poſſeſſiones quas acquiſierant deſerentes, reuertebantur ad propria, arbitrantes, quòd vna die hi qui patriam tueri nitebantur, ab hoſtibus opprimerentur, vt non eſſet qui eos ab imminentibus cladibus poſſet eruere. Hi cauſam edicto dederunt, vt annua præſcriptio locum haberet, & eorum foueret partes, qui in tribulatione perſeuerantes per annum & diem tranquillè, & ſine quæſtione aliquid poſſiderent*, &c.

TIT. XVI. *Vt lite pendente nihil innouetur.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. ABBATI, ET CONVENTVI SANCTI SYLVESTRI.

ECCLESIA ſanctæ Mariæ in via lata contra Ioannem de Ateia (qui quaſdam poſſeſſiones ipſius dicebatur contra iuſtitiam detinere) mouit ſub L. iudice quæſtionem: .·.·. Prohibemus ne poſſeſſiones, quæ ſucceſſerunt in locum & ius illarum, & quas ab Io. de Ateia Eccleſia ſanctæ Mariæ petierat, in monaſterium veſtrum ab eodem Ioan. lite pendente tranſlatas, alienare interim præſumatis: vt ſi Eccleſia ſanctæ Mariæ de vitio litigioſi contractus, vel de proprietate voluerit experiri (ne ſi obtinuerit in iudicio, in vanum laboret monaſterio veſtro minimè poſſidente) ſic, quod euincere valeat & habere.

CAPITVLVM IV.

ECCLESIA ſanctæ Mariæ: .·.·. Poſſeſſionem, qua fuerat prætermiſſo iuris ordine, prædicta Eccleſia ſpoliata, ſibi reſtitui poſtulabat: .·.·. Nos quicquid ab aliis factum fuit (poſtquam prædeceſſor noſter ad Curiam ſuam idem negocium reuocauit) irritum decernimus & inane: .·.·. Verùm quoniam præfatam poſſeſſionem poſt reſtitutionem vobis factam ab Ioan. de Ateia, alij locationis titulo adſignaſtis, neque reſtituere poteratis Eccleſiæ ſpoliatæ: loco ipſius tantumdem poſſeſſionum æquiualentium, ad arbitrium bonorum virorum, ipſi Eccleſiæ fecimus

adſignari: quas, cùm alij fuerant pignori obligatæ, per vos liberari fecimus à creditoribus, qui nobis inſtrumentum pignoris reſignarunt.

SPECIES vtriuſque *huius cap.* quod coniungendum eſt *cap. Eccleſia, ſuprà, de conſtitut.* interpolata eſt, & peruerſus ordo literæ, quæ res ſpeciem difficiliorem reddidit; eáque hoc modo reponenda ex ſerie ipſius epiſt. Innoc. III. quæ eſt CCXXVIII. lib. II Eccleſia S. Mariæ in via lata, quæ eſt Romæ, agebat actione in rem de quibuſdam prædiis aduerſus Io. de Atteia coram L. iudice. Pendente lite Io. iudicij mutandi cauſâ poſſeſſionem prædiorum, de quibus lis erat, tranſtulit in monaſterium S. Syluestri. Deinde poſſeſſio prædiorum reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ propter vitium litigioſi, vt exponitur in *d. cap. Eccleſia, ſuprà. de conſtitut.* Vtroque iure rei litigioſæ alienatio vetita eſt, *l. II. ff. de litigioſ. l. II. C. eod. can. vlt.* XI. *qu.* I. Poſtea cùm Eccleſia S. Mariæ ſpoliata eſſet poſſeſſione prædiorum, egit interdicto Vnde vi aduerſus monaſterium S. Syluestri. Quamobrem Celeſtinus III. qui tum Sedem Pontificiam tenebat, rei cognitionem ad ſe euocauit, & eo paullò pòſt defuncto Innocent. III. proximus eius ſucceſſor, quicquid geſtum erat poſt euocationem in irritum reuocauit: geſta poſt euocationem in irritum reuocantur per viam attentati, *l. iudicium ſoluitur, ff. de iudic.* Et poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ S. Mariæ tamquam ſpoliatæ reſtituendam idem iudicauit: ſed quia monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, quia finitâ conductione Io. de Atteia, qui ea per tempus locationis nomine tenuerat, monaſterium eadem alij locauerat, à quo vix erat vt auelli poſſent, fortè propter potentiam detentoris: cenſuit Pontifex alia prædia horum in locum ſubroganda arbitrio boni viri: & quia erant pignori obligata Pontifex curauit eadem redimi, & quò res tutior eſſet, inſtrumenta pignoris à creditoribus reſignata, id eſt, reddita ipſi Pontifici: redditione cautionis pigneratitiæ pignus remittitur, *l. creditricem, C. de remiſſ. pignor.* vt reddito chirographo debitum remiſſum cenſetur, *l. II. ff. de pact.* Ambroſ. lib. I. offic. cap. XXXII. *Eſt etiam illa beneuolentiæ liberalitas, vt ſi quod habes debitoris chirographum ſcindens reſtituas, nihil à debitore conſecutus debiti.* & Auguſtin. ſermon. CXX. de tempor. *Nam dum tantum reum benignè relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conſcripſit ſecuritatem.* Poſt varias ſententias, quas in hac lite emanaſſe colligitur ex tribus his capp. tandem iudicatum monaſterio S. Syluestri reſtituendam eſſe poſſeſſionem prædiorum, quæ dederat Eccleſiæ S. Mariæ vice eorum quibus ſpoliata erat, eâ lege ne interim monaſterio fas eſſet huiuſmodi prædia alienare pendente lite, vt ſi Eccleſia S. Mariæ de vitio litigioſi, vel de proprietate actione in rem mallet experiri, ſi obtinuerit in iudicio haberet quod euinceret. Prædia ſubrogata in locum aliorum, de quibus lis erat alienari vetantur, perinde ac ſi vitio litigioſi laborarent; quia ſubrogatum ſapit naturam eius in cuius locum ſubrogatur, *l. Imperator, §. vlt. ff. de legat.* II.

TIT. XVII. *De ſequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO.

AD hoc vnxit nos Deus: .·.·. Abbas de Regula nobis expoſuit, quòd cùm M. prædeceſſor ſuus ſuper cauſa, quæ inter ipſum & monaſterium ſuum fuerat agitata, obtinuiſſet Veronenſi Epiſcopo literas deſtinari, & ipſe ſuper iudicio poſſeſſorio partim pro monaſterio, partim pro Archiepiſcopo ſententiam protuliſſet, procuratore ipſius monaſterij quæſtionem de proprietate poſtmodum intentare volente, Archiepiſcopus iuriſdictionem Epiſcopi oppoſuit expiraſſe, adſerens cauſam poſſeſſionis tantùm, & non proprietatis fuiſſe commiſſam: & quia ſuper poſ-

ſeſſione

sessione pronunciauerat, semel functus officio suo super quæstione proprietatis deinceps cognosc re non valebat : .·.·. Sed iudex actorem in possessionem (quæ fuerat per ipsum Archiepiscopo adiudicata) propter eiusdem contumaciam mitti decreuit, à qua tamen Archiepiscopus violenter monasterium eiecit: .·.·. C. Papa prædecessor nôster, sic suum interpretatus fuit rescriptum, quòd tam causa possessionis, quàm proprietatis, fuerat iudici delegata, cùm absolutè & indistinctè commissa fuerit, & eius continentia diuidi non deberet, prælibatam quoque possessionem pro suo arbitrio sequestrari præcepit, iniungens Reg. & Mutinen. Episcopis, vt de causa possessionis & proprietatis pleniùs cognoscentes, eam debito fine deciderent, & possessionem ei parti postmodum resignarent, quæ obtineret de proprietate triumphum: .·.·. In eum statum continentiam causæ reducimus, in quo fuerat, cùm prædictus prædecessor noster causam proprietatis & possessionis Regin. & Mutin. commisit: mandato sequestrationis penitus reuocato : .·.·. Ne autem monasterio videamur in suo iure deesse, moderatas expensas (ex quo Episcopus Veronen. ipsum in possessionem induci decreuit, vsque ad satisfactionis tempus oblatæ) propter hoc factas sibi restituendas esse censemus : & à te sufficientem præberi standi iudicio cautionem.

HVIVS cap. quod integrum legitur apud Innocent. III. ep. xxxvII. lib. I. species hæc est. Lis erat inter M. Archiepiscopum Mediolanensem, & monasterium S. Donati de Scorula. Perperam in collect. III. de Strogula, & deprauatiùs in collect. Raimundi de Regula. Lis erat, inquam, de possessione & iure quorumdam prædiorum, de quibus agitur in *cap. inter dilectos, infra, de fid. instrument.* quod pertinet ad eamdem speciem. Cuius litis cognitio à Celestino III. demandata est Episcopo Veronensi, postulante Archiepiscopo Mediolanensi. Iudex delegatus cùm pronunciasset super possessorio partim pro monasterio, partim pro Archiepiscopo: postea procuratore monasterij agere volente de proprietate apud eumdem iudicem, Archiepiscopus post varias moras opposuit iurisdictionem delegati iudicis expirasse, asserens causam possessionis dumtaxat, non proprietatis ei delegatam; atque ita postquam semel sententiam dixisset super possessione, functum esse officio suo iuxta regulam *l. iudex, ff. de re iudic.* Econtra procurator monasterij obiiciebat causam Episcopo Veronensi mandatam absolutè & indistinctè, & sic continentiam causæ diuidi non debere, & causam possessionis & proprietatis ab eodem iudice esse terminandam; quod est de iure, *l. nulli, C. de iudic. & cap. I. suprà, de caus. poss. & propriet.* Ob contumaciam Archiepiscopi Episcopus Veronensis actorem, id est, procuratorem monasterij misit in possessionem, quem Archiepiscopus vi deiecit de possessione. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, Celestinus III. declarauit se Episcopo Veronensi quidem tam proprietatis, quàm possessionis causam delegasse, sed possessionem pro suo arbitrio, id est, arbitri magis, quàm iudicis officio functus sequestrauit, & causam tam possessionis, quàm proprietatis mandauit Regiensi & Mutinensi Episcopis. Tandem Innocentius III. sequestrationis mandatum reuocauit, eâ lege vt Archiepiscopus monasterio præberet idoneam cautionem iudicio sisti, & moderatas expensas restitueret. Sequestratio reuocatur, quia facta fuerat pro arbitrio potiùs quàm secundùm ius: sequestratio non fit nisi in casibus expressis à iure, vt si periculum sit de dilapidatione fructuum, *l. Imperatores, §. vlt. ff. de appellat. cap. II. & III. hoc tit.* vel si æquè obscura sint litigantium iura, & periculum sit ne partes veniant ad arma, *l. si cuius, §. æquissimum, ff. de vsufruct.*

TIT. XVIII. *De confessis.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. CANONICIS DE BETHLEHEM.

CVM super electione Bethlehem Ecclesiæ inter R. & P. quæstio verteretur: . · . · . Quoniam V. Canonicus Bethlehem fuit in iure confessus, quòd pro præstando alterius electioni consensu, quingentorum Sarracenorum obligationem receperat, & mediator extitit simoniacæ prauitatis: Nos (quoniam vitium huiusmodi persequi volumus, vt debemus) ipsum per definitiuam sententiam duximus ab omni beneficio & officio Ecclesiastico deponendum.

CVM lis esset inter R. & P. de electione Bethlehemitanæ Ecclesiæ, vnus è Canonicis eiusdem Ecclesiæ in iure confessus est se quingentos Sarracenos, (id erat genus nummi Sarracenici, cuius vsus frequens erat in Syria apud Latinos ob commercium cum Sarracenis: in vsu fuere & Bysantij Sarracenati, qui fortè eudebantur à Sarracenis ad formam & pondus Bysantiorum, qui erant nummi Bysantini. Guill. Tyrius lib. XII. cap. XXV. *Vnde ipse Rex Hierusalem, & nos omnes Duci Venetorum de fundato Tyri ex parte Regis, festo Apostolorum Petri, & Pauli, trecentos in vnoquoque anno Bysantios Sarracenatos, ex debiti conditione persoluere debemus.* Frequens etiam in Galliam fluxit vsus huiuscemodi nummi Sarracenici ex commercio Hispanico. Theodulfus in carmine Parænetico,

Iste graui numero nummos fert diuitis auri,
Quos Arabum sermo, siue character arat.

Id genus nummi Barbarinos vocat Goffrid. Vindocinens. lib. I. epist. XX. *Pro mille solidis Barbarinorum.*) Vnus, inquam, è Canonicis confessus est se quingentos Sarracenos stipulatum suffragij nomine: ideò sententiâ Pontificis tamquam simoniæ reus depositus est ab omni beneficio, & officio Ecclesiastico; quia confessus in iure pro iudicato habetur, *l. 1. ff. de confess. l. post rem. de re iudicat.* In aliis criminibus non damnatur quis ex nuda confessione, nisi aliter constet de crimine: non auditur perire volens, *l. 1. §. Diuus Seuerus, & §. si quis vltro, ff. de quæstionib.* Sed in simonia confessio rei probat propter odium simoniæ. Vnde & socius criminis, putà mediator simoniæ, auditur in testem contra eiusdem sceleris auctores, *cap. 1. de testib. in VI.*

TIT. XIX. *De probationibus.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. ARCHIDIAC. PARISIEN.

POST cessionem: . · . · . Cùm igitur per literas iudicis ordinarij (quibus standum est donec probetur contrarium) nobis constiterit, quòd VV. erat excommunicatus, cùm procurationis officium adsumpsit: ipsum tamquam procuratorem non duximus admittendum.

SI per literas Ordinarij probetur quis excommunicatus, procuratoris officio fungi non potest; quia standum est literis Ordinarij donec probetur contrarium, vt definitur *in hoc cap.* Sigillo Episcopi creditur donec probetur contrarium, quia sigillum Episcopi est authenticum, id est, fidem facit perinde ac publicum instrumentum, *cap. II. cap. quod super, infrà, de fid. instrum. cap. 1. de sent. excommun. in VI.* & hoc propter dignitatem Episcopalem: aliàs scripturæ tabellionis non creditur, nisi habeat testium subscriptionem, Nou. Iustin. LXXIII. cap. 1.

CAPITVLVM VIII.

IDEM ABBATI, ET CONVENTVI CASSEN.

IN præsentia G. sancti Hadriani Diaconi Cardinalis, G. & B. fratres vestro Syndico constituto coram ipso fecere proponi, quod cùm quondam A. frater ipsorum conderet testamentum, M. filium suum sibi hæredem instituit, & præcepit, vt si absque liberis decederet, ad eos bona deuoluerentur ipsius. Vnde illa, quæ de bonis ipsius vestrum monasterium detinebat, sibi restitui postulabant, & petebant vos super hoc à sua molestatione compesci. Verùm Syndicus ipse proposuit ex aduerso, quòd prædictus M. monasterio vestro obtulit se & sua. Vnde vniuersa, quæ habuerat, erant ad monasterium deuoluta, quare vniuersa, quæ ipsi de bonis eius inuaserant, restitui monasterio vestro petebat, & super cæteris silentium illis imponi. Ad hæc autem pars altera replicauit, quòd dictus M. oblationis suæ tempore fuerat minor annis, & quòd voti facti pœnitens, quod feruore infirmitatis fecerat, post conualescentiam reuocauit :. . :. Vnde cùm sine liberis decessisset, ex testamento patris ad ipsos erat eius hæreditas deuoluta.

Verùm Syndicus respondere curauit, quòd licèt dictus M. de monasterio fuisset egressus, eidem postmodum se & sua obtulit humiliter & deuotè, & quòd nec contra oblationem suam veniret, iuramento firmauit. Quare cùm constet, quòd idem M. bis monasterio vestro contulit se & sua, nec ex aduerso probetur, quòd vtriusque oblationis tempore fuerit minor annis, probationem vestram huiusmodi exceptionis probatio non elidit : cùm etsi primæ oblationis tempore fuerit minor annis, secundæ tamen potuit maior extitisse. Præterea cùm verbum illud, minor annis, duobus potuerit modis intelligi : cùm & qui minor est quatuordecim annis, & qui vigintiquinque dici soleat minor an. intentioni vestræ verbum dubium non nocebat, cùm infra vigintiquinque annos teneret donario iuramento firmata. Sed etsi teneret, quod factum fuerat à dicto A. quia tamen intelligendum non erat sine hærede decedere, qui monasterium sibi hæredem instituit, hoc monasterio non nocebat :. :. Dilectus filius H. sancti Eustachij Cardinalis adtendens, quòd Syndicus vester intentionem suam plenè fundasset, & quòd nihil fuisset ex aduerso sufficienter probatum, cùm etsi ostensum esset per testes, quòd M. suæ oblationis tempore fuerit minor annis : vtrum tamen primæ vel secundæ oblationis tempore minor fuerit, & quot annis minor, non fuisset expressum, de mandato nostro sententiam protulit: & prædictis G. & B. silentium imponens super his, quæ à monasterio postulabant: eos ad restitutionem illorum, quæ de bonis prædicti M. propriâ temeritate inuaserant, condemnauit. Nos igitur sententiam ipsam auctoritate Apostolicâ confirmamus.

HVius cap. species hæc est. Amatus quidam condito testamenro Milonem filiũ hæredẽ instituit, & si idem sine liberis decederet fratres suos, id est, hæredis patruos substituit. Milo cùm graui morbo laboraret tædio valetudinis, seu feruore infirmita-

tis, vt loquitur Pontifex, religionis causâ ingressus est monasterium Casæ-marij, séque & sua obtulit monasterio; sed postquam conualuisset, egressus est monasterio. Rursus verò reperito monasterio, iterum se & sua obtulit monasterio, & oblationem iureiurando firmauit, post professionem extincto Milone substituti bona quæ collata erant monasterio ab hærede grauato, ex fidei commisso sibi restitui postulabant. Syndicus verò monasterij excipiendo opposuit substitutionem expirasse, eo quòd Milo se & sua obtulisset monasterio: non videtur sine liberis decessisse, qui ingressus est monasterium, & ipsum hæredem instituit, quia monasterium est loco filij. Conditio nuptiarum, vel liberorum impleta intelligitur per ingressum monasterij fauore religionis, *l. sancimus, §. item illud statuimus, C. de Episc. & Cleric. Auth. nisi rogati, C. ad Trebell.* Monasterium excludit substituros, quia est loco filij propter affectum; nimirum professus præsumitur diligere monasterium in quo professionem emisit ac filios, vt Eunuchi opes vt filiolas amplectuntur, Ammian. lib. XVIII. *Spadones feri & auidi semper, carentésque necessitudinibus cæteris; diuitias solas, vt filiolas iucundissimas amplectuntur.* Ad hæc substituti replicabant, donationem à Milone factam nullam & irritam esse, vtpote à minore factam. Minor XXV. annis donare non potest, quia donatio est alienatio, donare est perdere, *l. filiusf. ff. de donat.* Res minoris alienari non possunt, sine curatore & decreto Prætoris. Syndicus monasterij respondebat; Milonem se & sua iterum monasterio obtulisse, & secundam donationem, vtcumque à minore factam, ratam esse, quòd iuramento firmata esset. Donatio à minore facta non reuocatur, si iureiurando firmata sit, propter religionem iurisiurandi, vt *hîc, & cap. si verò, cap. cùm contingat, infrà, de iureiur. l. 1. & auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.* His argumentis donatio confirmata est per sententiam iudicis dati à Sede Apostolica; quam sententiam Pontifex confirmauit.

CAPITVLVM IX.

LICET causam, quæ vertitur inter Ecclesiam Rauen. & Commune Fauentiæ super iurisdictione, honore, ac districtu in villa sancti P. & castro Arioli, quod de iure ad se spectare dicta Ecclesia proponebat: . . Porrò adtestationibus publicatis Syndicus Fauentinorum proposuit se velle in personas testium ex parte altera productorum, quædam obiicere ac probare, œconomo Ecclesiæ adserente id fieri non debere. Super quo interloquendo decreuimus ipsum nullatenus audiendum, cùm intra trium mensium spatium in nostris literis comprehensum testes huiusmodi producere non curauerit, intra quem terminum pars vtraque testes inducere potuit, tam in personas testium, quàm super negotio principali. Post hoc idem obiecit in testes prædictos, quòd corrupti falsa dixissent. Vnde quia talis exceptio non solùm ante, sed etiam post sententiam potest opponi, licèt nonnulli crederent Fauentinorum partem exceptionem huiusmodi per excogitatam malitiam ad impediendum processum negotij obiecisse; quia tamen nolumus à iuris tramite declinare, magistris G. & T. præcipimus, vt testes, quos super hac exceptione procurator Fauentinorum duceret producendos intra mensem, reciperent & examinare curarent; de singulis circumstantiis subtiliter inquirentes, extunc indulto altero mense procuratori Ecclesiæ supradictæ, intra quem si vellet, ad reprobationem testium illorum produceret testes coram eis: . . . Quamquam autem pars Fauentinorum testes multos produxerit super negotio principali: vix tamen ex illis sex remanserunt concordes, cùm alij sibimet in serie sui testimonij contradicant, & quidam alij sint in dicto sui testimonij singulares. Ad reprobandum

verò quosdam testium Ecclesiæ Rauen. etsi ex parte Fauentinorum, quidam sint testes inducti, plures tamen illorum reprobantur, quia sibi inuicem euidentissimè contradicunt. Quidam verò alij, pauci numero, quamuis non reprobentur expressè, vsqueadeo tamen malæ famæ sunt, & leuis opinionis, quòd eorum dictis nulla vel modica est fides habenda. Iidem quoque testes Fauentinorum generaliter repelluntur, quia non probant illud, ad quod probandum eorum Syndicus se adstrinxit, videlicet, quòd corrupti falsa dixissent: quoniam, etsi de corruptione videantur aliquid dicere, de falsitate penitus nihil dicunt: . . . Ex præmissis igitur euidenter adparet, quòd Ecclesia per testes numero plures, quibus potiùs lux veritatis adsistit, qui etiam aptiora negotio & vero proximiora in suis testimoniis expresserunt: sufficienter ostendit, quòd à LX. annis & citra cum omni iurisdictione, honore, atque districtu loca supradicta possedit: per quod patet, quòd si Commune Fauent. à L. annis citra (sicut videntur testes eorum deponere) aliqua seruitia in locis perceperunt supradictis, illa proculdubio sine iusto titulo percipere inceperunt: cùm duo insimul eamdem rem & eodem modo in solidum possidere non possint, maximè cùm iidem Fauentini iustum possessionis titulum non ostendant, & ex priuilegiis Imperatorum & Rom. Pon. Ecclesiæ Rauennaten. concessis euidentissimè colligatur possessionem ipsius Ecclesiæ in prædictis locis iustam fuisse. Cùm ergo constet Fauentinos ab eo tempore, quo se possedisse probare contendunt, minùs iustè ac sine titulo aliqua in prædictis locis temeritate propriâ occupasse, & œconomus eiusdem Ecclesiæ petierit à vi turbatiua seu inquietatiua super præmissis Commune Fauen. prohiberi: nos cognoscentes in hoc casu non sic locum esse interdicto, Vti possidetis, vt dicere debeamus, Vti possidetis, ita possideatis: cùm probationes Ecclesiæ longè sint potiores, & ideo sit in interdicto superior, Commune Fauentiæ sibi condemnamus, super iurisdictione, & honore, atque districtu, & aliis ad hoc generaliter pertinentibus in locis prædictis, quoad possessorium iudicium, quo tantummodo actum est, perpetuum silentium imponentes, & prohibentes eisdem, vt neque per se, neque per alios super his præsumat Rauen. Ecclesiam, aut habitatores prædictorum locorum aliquatenus molestare.

LIs erat inter Albertum Archiepiscopum Rauennatem, & Commune Fauentinorum de villa Luci, quam Fauentini cum nonnullis aliis oppidis Rauennatis Ecclesiæ occupauerant, de qua actum est in *cap. cùm causam, suprà, de iurament. calumn.* Denuo Albertus Archiepiscopus egit interdicto Vti possidetis cum Fauentinis de villa S. Potiti, & castro Aureolo (sic lege, non Areoli) super iurisdictione, honore, atque districtu dictorum locorum. Episcopo Placentino mandatum est à Pontifice, vt intra tres menses testes ab vtraque parte producerentur, tam super principali negotio, quàm super exceptionibus si quæ obiicerentur in personas testium vtrimque productorum: ita vt effrænatæ multitudinis testium coërcendæ causâ, testes non audirentur ab vtraque parte, vltra quadraginta, vt habetur *hic in antiqua, & cap. cùm causam, infrà, de testib.* quod pertinet ad eamdem speciem. Elapsis tribus mensibus, & publicatis attestationibus, id est, dictis testium, ab vtraque parte productorum, Syndicus seu actor Fauentinorum proposuit obiectus, seu exceptiones in personas testium productorum ab Oe-

conomo Rauennatis Ecclesiæ, & dixit se paratum probare. Oeconomus Ecclesiæ è contrario asseruit, confutationes testium non esse audiendas post lapsum trium mensium: testes non audiuntur elapso termino dato ad producendos testes, nec publicatis attestationibus noui testes audiuntur super iisdem articulis ob metum subornationis, *cap. fraternitatis*, *cap. intimauit*, *cap. præsentium*, *infrà*, *de testib. Clem. final. eod. tit.* Super quo Pontifex interlocutus est, testes non audiendos post lapsum termini ad producendos & confutandos inuicem testes. Post hæc idem Syndicus Fauentinorum obiecit, testes productos ab Oeconomo Ecclesiæ Rauennatis pecuniâ corruptos falsum dixisse. Exceptio falsi contra testes admittitur, etiam post didiscita testificata: exceptio huiusmodi potest opponi & ante, & post sententiam, vt *hîc*, *& cap. venerabilis*, *infrà*, *de except. cap. in nostrâ*, *suprà*, *de procurat. l. licèt*, *C. eod. tit.* Quare Pontifex mandauit certis iudicibus, vt testes quos procurator Fauentinorum duceret producendos super exceptione huiusmodi intra mensem reciperent, & examinarent, dato altero mense procuratori Rauennatis Ecclesiæ ad reprobandos testes contra se productos. Quamquam Fauentini multos testes produxissent in negotio principali; vix tamen ex illis sex remanserunt, cùm alij essent sibi contrarij, & alij essent in testimoniis suis singulares. Qui variè testimonia dicunt reprobantur, & puniuntur, *l. qui falsò*, *ff. de testib.* Testes sibi ipsis contrarij, vel inuicem contrarij, id est, alij aliis, reiiciuntur, Nou. de testib. xc. *cap.* III. Vt instrumenta pugnantia ab eadem parte prolata nullam vim habent, *l. scripturæ*, *C. de fid. instrum.* & testes singulares non probant, *cap. bonæ memoriæ*, *infrà*, *cap. cùm dilectus. de elect.* Reprobantur & alij testes producti ex parte Fauentinorum, quia adeò erant malæ famæ, & existimationis, vt eis nulla, vel modica fides esset habenda. Famosi testes non audiuntur, *l. ob carmen*. *ff. de testib. l. furti. de his qui not. infam.* Testes Fauentinorum reiiciuntur, quia omnino non probabant quod Syndicus ipsorum intendebat probare, nempe testes Rauennatis Ecclesiæ corruptos falsum dixisse. Etsi enim de corruptione aliquid dicerent, de falso nihil penitus. Si testes testimonium dicant extra articulata, id est, extra articulos super quibus inquisitio facienda condicta est, non probant, vt *hîc*, *& cap. postquam. de accusat. in* VI. Quo iure vtimur, & quoniam Oeconomus Ecclesiæ Rauennatis, multo plures & fide digniores testes produxerat, per quos probabat se diutius prædicta loca possedisse cum omni honore, iurisdictione, atque districtu, idque cum titulo, nempe ex priuilegiis Imperatorum, & Rom. Pontificum concessis Ecclesiæ Rauennati: Et Fauentini quidem probabant, se quædam iura & seruitia in prædictis locis percepisse, sed à minori tempore, & sine iusto titulo. At in interdicto Vti possidetis potior est qui antiquiorem possessionem probat. Eiusdem rei duo in solidum domini, vel possessores esse non possunt, vt *hic*, *& l. si vt certo*, §. *si duobus vehiculum*, *ff. commodat.* Et in concursu duorum, vel plurium dominorum præferendus est, qui habet antiquiorem causam, id est, antiquiorem titulum, & possessionem, *l. in liberto*. *ff. de solut.* & II. *feud. cap.* XXVIII. *in fin.* Quam ob causam Ecclesia Rauennas agebat interdicto Vti possidetis, quod datur possessori, ac petebat Fauentinos à vi turbatiua, seu inquietatiua prohiberi. Vnde Pontifex quoad possessorium, de quo agebatur tantùm, iudicauit secundùm Ecclesiam Rauennatem: & hæc est species *huius cap.* quam illustrat Hier. Rubens. lib. VI. hist. Rauennat. ad ann. MCCIII.

CAPITVLVM X.

PER tuas nobis literas intimasti, quòd cùm T. Tibertinus ciuis quamdam per septennium habuerit concubinam, nec prolem susceperit interim ex eadem, ac ipsa postmodum diuertens ab eo, ad ipsum non post multum tempus rediisset, filium, quem reuersa in domum ipsius peperit, ex eo se adseruit suscepisse: . . . Quia verò mulier illa de dicto T. suscepisse R. de quo agitur, primitus constanter adseruit, & idem T. præfatæ mulieris præcipuè deuictus instantiâ, ipsum suum filium publicè recognouit, & filius eius nominatus communiter fuit, & habi-

tus ab ambobus, eiuſdem mulieris poſtmodum iuramento in contrarium præſtito non eſt ſtandum: cùm nimis indignum ſit (iuxta legitimas ſanctiones) vt quod ſuâ quiſque voce dilucidè proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare. Vnde adparet per conſequens, quòd prædictus R. Sophiam neptem memorati T. cuius primâ facie præſumitur conſobrinus, non poteſt habere aliquatenus in vxorem.

HOc cap. integrum extat apud Innocent. III. epiſt. CLXXXI. regiſtr. XIII. cuius ſpecies hæc eſt. Thomas ciuis Tiburtinus per ſeptennium domi concubinam habuit, quæ nullâ prole ſuſceptâ ab eo diuertit, nec diu pòſt ad ipſum reuerſa, filium peperit, quem ex eo ſe aſſeruit ſuſcepiſſe. T. ab initio negauit ſuum eſſe filium, tandem mulieris, & aliorum victus inſtantiâ ſuum filium agnouit, indito Rainaldi nomine: qui maior factus ex conſuetudine natâ occaſione Sophiam filiam Saturnellæ amitam, ſeu ſororem patris ſubarrauit, & carnaliter cognouit. Mater Rainaldi cùm accepiſſet patrem Sophiæ graues minas inferre filio ob illatam iniuriam, id eſt, ſtuprum puellæ, palam in foro iurauit coram multis ſe præfatum R. de alio quàm T. ſuſcepiſſe, ac perinde nihil eſſe quod vetaret nuptias cum Sophia. Conſultus hac de re Pontifex an iuratæ mulieris aſſertioni ſtandum eſſet, & an nuptiæ contrahi poſſent inter Rainaldum & Sophiam, reſcripſit cùm mulier conſtanter ab initio aſſeruerit ſe de prædicto T. Rainaldum ſuſcepiſſe, & ipſe T. eumdem filium agnouerit, & vulgò nominatus fuerit eiuſdem filius, & ab vtroque pro filio habitus, iuramento ipſius mulieris in contrarium poſtea præſtito non eſſe ſtandum; cùm nimis indignum ſit, quod ſuâ quiſque voce dilucidè proteſtatus ſit, id in eumdem caſum infirmare, teſtimonióque proprio reſiſtere, quod ſumptum eſt ex *l. generaliter, C. de non numer. pec.* Cùm quæritur an filius quis ſit, necne; ſtatur aſſertioni viri & vxoris. Hac enim in re credendum eſt dicto viri & vxoris, *cap. tranſmiſſæ, infrà, qui fil. ſint legit.* Filius probatur qui natus eſt ex vxore, vel ea quæ domi pro vxore habebatur. *l. filium. ff. de his qui ſui vel alien. iur. ſunt.* Spectatur etiam quòd inſtante matre filium agnouit: de patre credendum eſt, matris fide, Auguſtin. de altercat. Eccleſ. & ſynagog. *Quæro enim ſi quod neſcitur credendum non eſt, quomodo ſeruiant parentibus liberi, eóſque mutua pietate diligant, quos parentes ſuos eſſe non credant. Non enim ratione vllo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita matris authoritate de patre creditur.* Status quoque liberorum probatur teſtibus, putà cognatis, affinibus, famulis, vel vicinis, & aliis ſcientibus, vel profeſſionis tabulis, ſi pater filium apud acta profeſſus eſt, vel epiſtolis miſſis vxori, quibus pater quempiam filij nomine compellauit, *l. cùm de ætate, l. Imperatores, ff. de probat. l. ſi vicini, C. de nupt.* Teſtibus Chilperici filium probauit Fredegundis, Gregor. Tur. lib. VIII. cap. IX. *Hæc audiens Fredegundis Regina conuocatis prioribus regni ſui, id eſt, tribus Epiſcopis, & trecentis viris optimatibus ſacramenta dederunt hunc à Chilperico Rege generatum fuiſſe.* Vbi mater ſemel agnouit, & educauit filium, non ſtatur poſteriori contrariæ matris aſſertioni etiam iuratæ; quia præſumitur elicita ob metum matris propter minas quas pater puellæ ſtupratæ inferebat filio. Vbi idem teſtis in eodem iudicio variè depoſuit, ſtatur priori depoſitioni ob metum ſubornationis, *cap. ſicut vobis. de teſtib.* Præterea nequaquam audienda eſt mulier, quæ ſe filium ſuſcepiſſe ex alio quàm eo quem habuit pro viro: vt ſi mulier irata ob repudium, filium poſt diuortium natum apud acta profeſſa ſit, vt ſpurium, huius profeſſio non obeſt filio, & veritati locus ſupererit, *d. l. Imperatores.* Vnde concludit Pontifex non valere nuptias inter Rainaldum & Sophiam, tamquam inter conſobrinos: etiam ex iniuſtis nuptiis conſanguinitas orta impedit, aut diſſoluit matrimonium, *l. & nihil intereſt, ff. de rit. nupt.*

Capitvlvm XI.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

QVONIAM contra falſam adſertionem iniqui iudicis innocens litigator, quandoque non poteſt veram negationem probare: cùm negantis factum per rerum naturam nulla ſit directa probatio: ne falſitas veritati præiudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati: Statuimus, vt tam in ordinario iudicio, quàm extraordinario iudex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuerſa iudicij acta conſcribant: videlicet citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, interrogationes, confeſſiones, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum productiones, interlocutiones, adpellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera, quæ occurrerint competenti ordine conſcribenda, loca deſignando, & tempora, & perſonas. Et omnia ſic conſcripta partibus tribuantur, ita quòd originalia penes ſcriptores remaneant: vt ſi ſuper proceſſu iudicis fuerit ſuborta contentio, per hoc poſſit veritas declarari: quatenus hoc adhibito moderamine, ſic honeſtis & diſcretis deferatur iudicibus, quòd per improuidos & iniquos innocentium iuſtitia non lædatur. Iudex autem, qui conſtitutionem ipſam neglexerit obſeruare, ſi propter eius negligentiam, quid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem iudicem animaduerſione debitâ caſtigetur, nec pro ipſius præſumatur proceſſu, niſi quatenus in cauſa legitimis documentis conſtiterit.

EX Conc. generali Lateranenſi habito ſub Innocent. III. tam in ordinario, quàm extraordinario iudicio. Iudex extraordinarius eſt delegatus, qui extra ordinem datur reſcripto Principis, *cap. de catero, ſuprà, de tranſact. l.* II. *C. de dilat.* Vt extraordinariæ voluptates, quæ præter legitimum nuptiarum vſum capiuntur, *can. in eo fornicator.* XXXII. *qu.* V. Tam in ordinario, inquam, quàm extraordinario iudicio iudex adhibere debet publicam perſonam, id eſt, notarium, ſeu actuarium, aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuerſa iudicij acta conſcribant, deſignatis loco, tempore, & perſonis inter quas ea geſta ſunt. Ad iudicem ſpectat electio notarij, qui iudicij acta excipiat, *l. vlt. ff. de munerib. & honorib. l. vlt. C. de magiſtrat. conu. cap. ſtatutum, §. notarium. de reſcript. in* VI. Peræquum eſt iudicem ſibi eligere ſcribam, cuius culpam, & delictum præſtat, & qui eius periculo munere fungitur, M. Tull. Verr. V. *Ordo ſcribarum eſt honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculóque magiſtratuum committuntur.* In geſtis iudicialibus ſubnotatur locus, & tempus, ne fortè proceſſus iudicis, vel ſententia celebretur incongruo loco, aut tempore: non valet ſententia, niſi dicta ſit in loco maiorum, id eſt, in loco conſueto, *l. ſi locus. ff. de iudic. l. quid tamen, §. ſi arbiter. & ſeq. ff. de recept. arbitr. l. ſi vt proponis, C. quom. & quand. ind. l. cùm ſententiam, C. de ſentent. & interlocut.* Actis iudicum apponi debet dies, & Conſul, vt reſcriptis Principis, *l.* II. *&* IV. *C. de diuerſ. reſcript. & inſtrument. publicis. Nou. Iuſtin.* XLVII. *& cap. inter dilectos. de fid. inſtrum.* & Conciliis Eccleſiaſticis, Auguſtin. in breuicul. Collat. *Concilium verò quod contra Cæcilianum factum legerant, non quidem habere Conſulem, & diem: ſed obtulerunt iidem Catholici aliud Concilium, ſub eodem Tigiſitano habitum in ciuitate Cirtenſi, cuius Conſul & dies cùm legeretur, Donatiſtæ dixerunt, nec Conſulem, nec diem talia ſolere habere decreta. Hic Catholici reſponderunt, illorum eſſe iſtum forſitan morem, qui Concilia ſua nollent in aliqua falſitate conuinci: Catholicorum autem Concilia Conſules & dies ſemper habuiſſe.* Eligitur notarius, qui acta iudicij conſcribat, & conſcripta partibus tribuat, id eſt, exempla partibus edat, ita vt originalia penes ſcriptorem remaneant, & ſi ſuper proceſſu

cessu iudicis quæstio orta fuerit, veritas probetur per acta. Acta enim iudicis fidem perpetuam faciunt, *l.* 11. *C. de edend. l. vlt. C. de re iudicat. l. notione, C. Th. de hæretic.* Et quidem acta fidem faciunt sine testibus, quia continent publicam fidem, publicum testimonium, *auth. ad hoc, C. de fid. instrum. cap. ad audientiam. de præscript.* Quæ fiunt apud acta testes non requirunt: superfluum est priuatum testimonium cùm publica monumenta sufficiant, *l. in donationibus, C. de donat.* Et hoc verum est in iudicialibus; sed in extraiudicialibus, scriptura notarij fidem non facit, nisi adhibitâ subscriptione testium, Nou. Iustin. LXXIII. Ex his colligitur sententiam, & processum iudicis non valere, nisi in scriptis referatur. Sententia nulla est, nisi ex scripto seu libello dicatur, *l.* I. II. *&* III. *C. de sentent. ex breuic. recit.* Tranquill. in Claud. cap. XV. *De quodam etiam negotio ita ex tabella pronuntiasse creditur.* Tertull. Apologetic. cap. II. *Denique quid de tabella recitatis illum Christianum, cur non & homicidam?* Apul. I. Florid. *Enimverò ipse Proconsul moderata voce rarenter & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit.* Et mox: *Proconsulis autem tabella sententia est, quæ semel lecta, neque augeri litterâ vnâ: neque autem minui potest, sed vtcumque recitata est ita prouinciæ instrumento refertur.* Et Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus Ius Ciuile secutus in *can. legum.* II. *qu.* I. *Legum Ecclesiasticarum consuetudo, & auctoritas talis est, vt in causis gestorum semper scripturam requirant.*

TIT. XX. *De testibus & adtestationibus.*

CAPITVLVM XXVIII.

INNOCENTIVS III. CONSVLIBVS, ET POPVLO BENEVENTANO.

CVM à nobis:.·.·. Et canonica & ciuilia iura sequentes, districtiùs inhibemus, ne vnius iudicis, quantæcumque fuerit auctoritatis, verbo credatur in causis, siue super testamentis, siue quibuslibet aliis contractibus quæstio agitetur. Nec scriptum eorum (nisi testium adminiculo fulciatur) eam obtineat firmitatem, quin ei possint & debeant duorum vel trium testium bonorum testimonia præualere: Saluâ in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.

VNius testimonio non creditur, cuiuscumque dignitatis sit, etiamsi præclaræ Curiæ honore præfulgeat, id est, etiamsi sit Senator *l. iurisiurandi, C. hoc tit.* Hinc Episcopi solius verbo non creditur, *can. si tantùm, can. placuit.* VI. *qu.* II. Et Pontifex canonicum, & ciuile ius secutus vetat *in hoc cap.* ne vnius iudicis quantæcumque fuerit auctoritatis verbo credatur, in causis quæ ex contractibus, vel testamentis descendunt; nec scripto eius fides habeatur, sine adminiculo, id est, subscriptione testium, saluâ in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate. Soli assertioni Summi Pontificis creditur propter auctoritatem Sedis Apostolicæ: neque pugnat quod in *cap. quoniam, suprà, tit. prox.* in iudicialibus scriptura notarij seu actuarij fidem facit sine testibus, quia hoc se habet propter fidem actorum, quæ publicum testimonium obtinent, *auth. ad hoc, C. de fid. instrum.*

CAPITVLVM XXIX.

IDEM TYREN. EPISCOPO.

DE testibus:.·.·. Consult. t. r. quòd si testes sint inducti ad exceptionem dilatoriam solummodo probandam, cùm super ea tantùm iurauerint dicere veritatem, super principali nec debent audiri, nec cogi testimonium perhibere, vtpote super quo deponerent non iurati. Si verò cùm ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium inducuntur, reliqua pars super principali negotio etiam eos de-

ponere fortè petierit, & vt cogantur super toto negotio dicere veritatem, sacramento eos postulauerit obligari: ad id sunt sine dubitatione cogendi, nisi forsitan sufficiens productio testium super principali iam facta fuerit, vel renunciatum testibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ.

TESTIS nisi iuratus non auditur, *l. iurisiurandi*, *C. hoc tit.* etiamsi sit religiosus, *cap. nuper*, *hoc tit.* Si testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam, super ea tantùm iurauerint se dicturos veritatem, super principali negotio non debent audiri, nec cogi testimonium perhibere, vtpote super quo non sunt iurati. Quòd si testes inducti fuerint ad probandam exceptionem peremptoriam ab alterutra partium, & altera pars postulauerit, vt iurati cogantur dicere testimonium super principali negotio, ad id rectè coguntur, nisi fortè sufficiens productio testium super principali negotio iam facta fuerit, vel renunciatum testibus, vel depositiones testium fuerint publicatæ, quæ est summa *huius cap.* Nimirum noui testes non audiantur post publicationem attestationum, & renunciationem factam de testibus producendis, *cap. fraternitatis*, *cap. intimauit*, *cap. cùm venisset*, *suprà*, *hoc tit. Clem. vlt. eod. tit.* Et testes si deponant super aliis, quàm articulis super quibus producti sunt, non probant, vt *hic*, *& cap. cùm olim*, *suprà*, *de off. delegat.*

CAPITVLVM XXX.

IDEM ELIEN. ET CISTREN. EPISCOPIS, ET ARCHID. DE NORBANEN.

CONSTITVTVS in præs. nost. procurator magistri R. proposuit, quòd cùm Decanus & Capitulum Eboracen. ei tum auctoritate Lateranen. Concilij, tum priuilegij proprij ratione Archidiaconatum Richimundiæ canonicè contulissent, magister H. qui Archidiaconus Richimundiæ nominatur, ipsum eo post adpel. ad nos interpositam spoliauit. Cúmque prædictus R. ad iudices super restitutione sua commissionis literas impetrasset, memoratus H. literas reuocatorias impetrauit: . · . · . Inter alia postulabat prædictus H. vt faceremus depositiones quorumdam testium aperiri: sed procurator prædictus aperiendas eas non esse dicebat: cùm non in hac causa fuissent inducti, sed in ea, quæ inter Eboracen. Archiepiscopum & eumdem R. vertebatur: . · . · . Nos eas aperire noluimus, sed causam duximus vestro examini committendam: ita quòd si vobis constiterit præfatum H. testes pro se coram Episcopo & Decano Lincon. & te, fili Archiep. delegatis iudicibus produxisse, adtestationibus apud eum depositis sit contentus: alioquin eo non obstante, quòd testes illi coram iudicibus ipsis, & te, fili Archiepisc. fuère producti pro dicto H. si producti fuerint, ad testimonium admittantur.

VACANTE Archidiaconatu Richemundiæ Archiepiscopus Eboracensis ad quem pertinet collatio, contulit Archidiaconatum Magistro Honorio. Decanus verò & Capitulum Eboracense, quasi potestate conferendi ad se deuolutâ ex Conc. Lateranensi, nempè ob cessationem Archiepiscopi, *cap. nulla. de concess. præbend.* & ex proprio priuilegio Celestini III. id est, speciali priuilegio, quod potest concurrere cum iure communi, eumdem Archidiaconatum contulerunt Magistro Rogerio, & ipsum induxere in possessionem, de quo in *cap. post electionem*, *eod. tit. & cap.* III. *suprà*, *de neglig. Prælat.* Sed Magister Honorius, quæ est species *huius cap.* post appellationem à Rogerio

interpositam, ipsum Archidiaconatu spoliauit. Quamobrem cùm Honorius super restitutione sua, literas ad iudices impetrasset à Summo Pontifice, (Honorius literas reuocatorias impetrauit, id est, quæ continerent reuocationis commissionis priorum iudicum.) Hinc postulauit à Pontifice depositiones quorumdam testium aperiri, seu publicari: procurator Rogerij excepit eas non esse aperiendas, quòd testes fuissent inducti in alia causa, quæ vertebatur inter Archiepiscopum Eboracensem, & eumdem Rogerium: & ita iudicauit Pontifex attestationes, id est, depositiones testium productorum in alia causa non debere aperiri, sed causam duxit committendam certis iudicibus, ita vt non liceret Honorio vti attestationibus testium, qui fuerant producti in alia causa, coram aliis iudicibus delegatis, sed vt posset eosdem in hac causa producere. Depositiones testium productorum in vna instantia, in vna causa, non valent in alia; sed nihil vetat eosdem testes produci. Sanè testes producti in vna causa fidem faciunt in eadem causa inter easdem partes, coram aliis iudicibus, vt testes producti apud arbitros in eadem causa fidem faciunt apud iudicem ordinarium, *l. idem est, ff. de tutelis. l. pen. in fin. C. de recept. arbitr. l. vlt. C. hoc tit. & cap. præsentata, infrà, hoc tit.* Immo & confessio facta in vno iudicio nocet confitenti in alio in causa status, *l. iubemus, C. de liberal. caus.*

CAPITVLVM XXXI.

PRÆSENTIVM auctoritate statuimus, vt si quis post depositiones testium publicatas obiicere voluerit in personas, eorum ei tunc tandem id liceat, cùm iuramento firmauerit, quòd ad hoc ex malitia non procedat: Nisi forsan ante publicationem id fuerit protestatus: vel ostendere poterit, quòd post publicationem didicerit, quod obiicit in personas. Cæterum, cùm quis personas testium se velle post publicationem depositionum repellere, fuerit protestatus, si quid pro ipso dixerint, de facili non credatur.

REGVLARITER obiectus contra testes non admittuntur post depositiones testium publicatas. Excipiuntur duo casus: primus est, si is qui reprobat testes, ante publicationem protestatus sit se velle reprobare testes, fortè quia non habebat probationes paratas: protestatio conseruat ius, *l. si debitor, §. 1. ff. quib. mod. pignus, vel hypoth. l. pro hærede. ff. de adquir. hered.* Alter casus est, si idem doceat notitiam exceptionum aduersus testes ad se peruenisse post publicationem, vt definitur *in hoc cap. & cap. Pastoralis, infrà, de except.* quia quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *l. de ætate, §. ex causa, ff. de interrogator. act.* Et vtroque casu reprobationes testium, ita demum audiuntur post publicationem, si quis iuramento affirmet se non obiicere dolo malo. Cæterùm vbi quis protestatus se velle refellere testes post publicationem, si quid testes pro ipso dixerint, non est facilè eis credendum, vt subditur *in hoc cap.* Qui semel reprobat testes, non potest vti eorum testimonio: non est quispiam audiendus, si id petat, quod in contrarium euentum non fuit postulaturus, *l. pen. C. de solut.* Hinc qui falsum testamentum dixit, & non obtinuit, nihil potest consequi ex eo, *l. vt. ff. de petit. hæred. l. Papinianus, §. meminisse, ff. de inoffic. testam. l. qui falsus, C. ad l. Cornel. de fals.* Vt & qui producit testes, non potest eos reprobare, nisi ex noua causa, *cap. præterea, infrà, tit. prox. cap. insinuante, suprà, de offic. delegat.* Hodieque testes omnino, id est, sublatâ vtrâque distinctione *huius cap.* non reiiciuntur post publicationem testium, ex constitut. Caroli VII. art. xxxiv. quæ iam olim seruatur in foro. Guid. Pap. qu. D.

CAPITVLVM XXXII.

IDEM LONDON. ET HELIEN. EPISCOPIS.

IN nostra præsentia :.·.·. Cùm igitur hinc plures, inde verò sint testes numero pauciores producti, quos non solùm diuersa sed aduersa penitus in quibusdam constat testimonia reddidisse: quia etiam ad multitudinem tantùm respicere non oportet, sed ad testium qualitatem, & ad ipsorum deposita, quibus potiùs lux veritatis adsistit, ex quibus motum animi sui conuenit iudicem informare: Mandamus, quatenus si testes vtrimque producti eiusdem honestatis & existimationis extiterint, cùm constet testes monachorum esse testibus Archidiaconi numero pauciores, pro Atchidiacono sententiam proferatis. Si verò testes ex parte monachorum producti tantæ præeminentiæ fuerint, quòd eorum auctoritas aliorum sit meritò multitudini præferenda, ab impetitione Atchid. absoluatis eosdem.

LIs erat inter Archidiaconum Cantuariensem, & Abbatem, & monachos S. Augustini Cantuariensis super restitutione Ecclesiæ de Mileton, quæ à monachis occupata erat. Lite contestatâ, plures testes hinc inde recepti coram iudicibus delegatis: quibus dubitantibus, quorum potior esset fides, consultus Pontifex *hoc cap.* respondit, cùm plures testes ab Archidiacono, quàm à mouachis essent producti, quos non modò varia, sed aduersa & contraria penitus testimonia protulisse constabat, non tam numerum testium spectandum esse, quàm qualitatem testium, & ipsorum dicta, quibus potiùs lux veritati adsistit, ex quibus iudex motum animi sui debet informare, seu instruere: si testes vtrimque producti sint eiusdem honestatis, & existimarionis, potiores numero esse præferendos: quòd si testes ab altera parte producti sint potiores dignitate, etsi licèt pauciores, præferendos. Hæc est sententia *huius cap.* quod sumptum est ex *l. ob carmen.* § *si testes, ff. hoc tit.* quam & Gratianus retulit in *can. si testes.* IV. *qu.* II. *&* III. Vbi testes contrarij ab actore, & reo producuntur, fidem sibi non derogant, sed arbitrio iudicis fit comparatio testium: & si pares sint dignitate, potior numerus præualet; si dispares dignitate, digniores, licèt pauciores numero præferuntur. Vbi testes sibi ipsis contrarij, vel inuicem contrarij ab eadem parte producuntur, reiiciuntur, Nou. de testib. xc. cap. III. vt instrumenta pugnantia ab eadem parte producta nullam vim habent, *l. scripturæ, C. de fid. instrum.*

CAPITVLVM XXXIII.

IDEM PRIORI S. FRIDIANI LVCAN. ET MAGISTRO G. CANON. PISANO.

TAM literis vestris, quàm depositionibus testium, intelleximus nihil esse contra Lucanum electum sufficienter ostensum, nisi de auditu tantùm & fama: cùm super aliis siqua fortè videantur esse probata, testes sint vel soli, vel tales, qui non potuerunt illa legitimè comprobare. Quia verò super matrimonio, quod idem electus dicitur contraxisse cum vidua, testes non fuere recepti propter adpellationis obstaculum, ne laïci vel feminæ in tali reciperentur articulo contra ipsum: nos vt tantæ irregularitatis obiectio non remaneat indiscussa, mandamus, quatenus testes siue laïcos siue feminas (dumtaxat idoneos) qui ad hoc fuerint probandum inducti, recipiatis legaliter, & examinetis prudenter: excommunicantes solenniter si quis eos impedire præsumpse-

rit, quo minus testimonium perhibeant veritati. Demum adtestationibus publicatis, si fortè constiterit irregularitatem huiusmodi non esse probatam, indicatis eidem electo purgationem canonicam de obiectis per septem Canonicos maioris Ecclesiæ, vel Priores Ecclesiarum ciuitatatis Lucan. Presbyreros seu Diaconos bonæ famæ præstandam: quâ receptâ præfigatis ei terminum, quo consecrandus nostro se conspectui repræsentet. Si verò vel irregularitatis impedimentum fuerit probatum, vel intra terminum constitutum non præstiterit purgationem indictam: vos eum à prælatione Lucan. Ecclesiæ amouentes, manderis ex parte nostra Capitulo, vt electionem de alio non differant canonicè celebrare. Archipresbyterum autem Lucan. & G. Sacristam, qui contra prædictum electum literas nobis sub nomine maioris partis Capituli destinarunt, (cùm constet per adtestationes prædictas, longè maiorem partem Capituli non fuisse consciam huiusmodi literarum) ab officio & beneficio denuncietis esse suspensos, donec mereantur nostram indulgenriam obtinere.

VACANTE Ecelesia Lucana, id est, Lucensi in Thuscia, quidam fuit electus in Episcopum, cui Archipresbyter, Sacrista, & alij è Capitulo multa crimina obiiciebant per modum exceptionis, vt electus repelleretur, de quo agitur in *cap. super his. de accusat.* Eidem obiiciebatur & vitium irregularitatis propter bigamiam, quòd contraxisset cum viduâ. Lite contestatâ coram iudicibus delegatis, testes recepti super aliis, quàm super articulo bigamiæ. Electus enim appellauit ne laïci, & feminæ testes contra se audirentur super hocce articulo. Re perlatâ ad Sedem Apostolicam, Pontifex rescripsit, nihil probatum per testes iam productos, quòd testimonium dixissent de fama, & auditu: in criminalibus causis testes de fama, & auditu non probant, vt *hîc, & cap. inquisitionis, §. quæsiuisti. de accusat.* Eodem rescripto Pontifex præcepit iudicibus delegatis, vt tam laïci, quàm feminæ testes admitterentur aduersus electum, super vitio bigamiæ, ne tantæ irregularitatis obiectio remaneret indiscussa. Regulariter in criminalibus causis laïci testes non admittuntur in Clericos, *cap. de cætero, suprà, hoc tit. can. laïcos, can. laici, can. si testes.* 11. *qu.* VII. quia plerumque eis infensi existunt, *d. can. laicos, & can. laïci.* Hinc laïcum falsò sub nomine Presbyteri in se testem compositum quiritatur Athanas. Apolog. II. de fuga, ἀλλὰ τότε τὸν ἰδιώτην πρεσβύτερον ὀνόμαζον, καὶ τὴν προσηγορίαν αὐτῷ ταύτην διὰ τὴν καθ' ἡμῶν ἀδικίαν ἐχαρίζοντο. *Sed illi hominem priuatum Presbyterum appellant, & in nostram iniuriam hoc nomen illi indiderunt.* Laïci, inquam, testes non admittuntur aduersus Clericos, nisi in causa irregularitatis, quæ contrahitur per bigamiam; hoc est speciale in causa tantæ irregularitatis, & signatè proditum est *in hoc cap.* Vel si sint socij & participes eiusdem criminis, *cap.* III. *hoc tit.* Et si irregularitas non fuerit probata, electo indicatur purgatio canonica per septem maiores, id est, seniores Canonicos Ecclesiæ, vel Priores Ecclesiarum ciuitatis, Presbyteros seu Diaconos bonæ famæ, & existimationis, licèt actore deficiente in probatione reus absoluatur, *l. vlt. C. de rei vindicat.* Tamen quoad Clericos, etiam accusatore non probante, si suspicione criminis laborent, canonica purgatio eis indicitur per testes idoneos, *can. Mennam, & passim.* II. *qu.* V. *can. de crimine.* XV. *qu.* V. *cap. accedens. de purgatione canon.* vbi plura hac de re opportuniùs dicemus. Si verò irregularitas probata fuerit, vel eâ non probatâ electus intra terminum canonicam purgationem non præstiterit, electus remoueatur, & alius eligatur. Eodem verò rescripto Archipresbyter & Sacrista, qui falsas literas nomine maioris partis Capituli detulerant ad Pontificem, suspenduntur ab officio & beneficio, tamquam falsarij: pœna falsi in Clericis est suspensio ab officio & beneficio, *cap. ad falsariorum, infrà, de crimin. fals.*

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM DVLMEN. EPISC. ET DECANO, ET PRIORI S. TRINITATIS EBORA.

CVM olim Atchid. Menen. aduersus Cantuar. Archiepiscopum super statu Menen. Ecclesiæ proposuerit quæstionem :.·.·. Mandamus, quatenus nisi pars aduersa prædictum Archidiaconum per exceptionem legitimam repellere valeat ab agendo: partibus, si poterit fieri, vel procuratoribus earum ad locum securum & idoneum conuocatis, & lite legitimè contestatâ, testes, quos Archiepiscopus in Anglia, & quos Archid. duxerit producendos in Vvallia, recipere procuretis. Verùm si Archiepiscopus citatus legitimè, vel per se vel per procuratorem idoneum noluerit comparere, aut litem etiam contestari, vos testes maximè senes & valetudinarios, quos Archi. duxerit producendos sublato appel. obstaculo admittatis, & depositiones eorum conscriptas ad Sed. curetis Apost. destinare, statuentes partibus terminum peremptorium, quo per se vel responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent sententiam recepturæ.

SANCTVS Dauid vrbis Legionum Archiepiscopus sedem Archiepiscopalem Meneuiam in Wallia transtulit, quæ ab eo S. Dauid dicta est, diúque suos habuit Archiepiscopos, quorum vltimus fuit Samson, qui grassante peste in Wallia, in Britanniam Armoricam emigrans, sedem Dolensem, tum fortè vacantem occupauit. & pallio S. Dauid quod secum asportauerat vsus est. A secessu S. Samsonis Episcopi Meneuenses Episcopi pallio vsi non sunt, in cæteris Archiepiscopalem dignitatem incolumem seruarunt, excepto pallio, & habuere suffraganeos septem, scilicet Laudauensem, S. Paterni in Kerdikam, quæ sedes Meneuensi adunata est, Bangoriensem & Asaphensem, & præter hos Cestrensem, Herefordiensem & Wigornensem, qui tres vltimi à Cantuariensi olim occupati. Verùm Henricus, Rex Anglorum, Walliâ potitus, Meneuensem Ecclesiam, & suffraganeas, quæ erant in Wallia, Cantuariensi Ecclesiæ subiicei cupiens, Bernardum vnum è Clericis Palatinis in Episcopum Meneuensem designatum, per vim à Cantuariensi Archiepiscopo consecrari fecit, & post eum Dauid & Petrus itidem à Regibus Angliæ coacti, à Cantuariensi Archiepiscopo consecrationem accepere, extorto sacramento de non mouenda controuersia in perpetuum contra Cantuariensem super iure metropolitico. Defuncto tamen Henrico I. Bernardus Meneuensis Episcopus egit aduersus Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum super iure metropolitico Ecclesiæ suæ, coram Eugenio III. Pontifice, à quo dies dicta partibus, vt de libertate, & statu Meneuensis Ecclesiæ ius diceretur. Rursus anno MCXCIX. quæ est species *huius cap.* Giraldus Meneuensis electus eamdem litem repetiit coram Innocentio III. contra Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum, super statu & libertate Meneuensis Ecclesiæ: perperam *in hoc cap.* dicitur mota quæstio à Meneuensi Archidiacono, quasi sede vacante. Litem enim institutam à Giraldo Meneuensi electo coram Innocentio III. locuples testis Rogerus Houedenus, à quo hæc omnia collegimus in vita Ioannis Regis: *Eodem anno Magister Girardus Meneuensis electus suscitauit controuersiam super iure metropolitico Ecclesiæ Meneuensis, ius eiusdem Ecclesiæ, & pristinam Metropolitani dignitatem coram domino Innocentio Papa tertio, & Cardinalibus publicè protestando*, &c. Rectiùs igitur legatur Meneuensis Archiepiscopus, quàm Archidiaconus, sic fortè denominatus quòd is Archiepiscopum se diceret ex vsu veteri Walliæ, vt *in cap. constitutus, suprà, hoc tit.* Honorius vocitatur Archidiaconus Richemundiæ, quòd ita se nominaret pendente ipsâ lite. Quam in rem datis iudicibus Pontifex ipsis edixit, vt partibus ad locum tutum & idoneum conuocatis, lite contestatâ testes recipiant, quos Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, & quos Meneuensis in Wallia duxerit producendos; vel Archiepiscopo Cantuariensi

absente per contumaciam, etiam lite non contestatâ testes recipiantur, quos produxerit Meneuensis, maximè si sint senes & valetudinarij: etiam lite non contestatâ testes recipiuntur, si agatur de libertate, & statu Ecclesiæ fauore libertatis Ecclesiasticæ, vt *hîc*, & aliis casibus expressis in *cap. quoniam, suprà, & lit. non contest.* Quid gestum sit in hac instantia subiungit Houedenus eod. loco: *Cuius rei occasione, & ad prædicti Giraldi instantiam, ius Ecclesia sua publicè in Curia Romana protestantis, Innocentius Papa Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum super statu Meneuensis Ecclesia, & dignitate Metropolitica literis suis citauit, quas etiam literas prædictus Giroldus ad perpetuam rei gesta memoriam, in eiusdem Papa registro scribi procurauit. Præcepit etiam idem Papa prædicto Archiepiscopo, quatenus supradicto Giraldo Meneuensi electo, ita consecrationem impenderet, quòd sacramentum illicitum, quale extorquere solebant prædecessores sui ab Episcopis, S. Dauid, scilicet de non prosequendo iure Metropolitico contra Cantuariensem Ecclesiam, non exigeret, sed tantùm canonicam obedientiam iuxta communem formam faceret. Præcepit etiam idem Papa Lincolniensi, Dunelmensi, & Eliensi Episcopis, quòd si Archiepiscopus Cantuaria sæpe dictum Giraldum consecrare differret, ipsi Apostolica auctoritate freti, illum consecrare non differrent.*

CAPITVLVM XXXV.

IDEM PRIORI DE BOLONIC. ET I. RECTORI ECCLESIÆ DE BORELL.

EX tenore vestrarum accepimus literarum, quòd cùm vobis causam, quæ vertitur inter R. militem, & M. mulierem, commiserimus fine debito terminandam: .·.·. Pars mulieris proposuit, quòd dictus miles priùs corporale præstitit iuramentum, quòd ipsam duceret in vxorem, postmodum carnaliter cognitam traduxit in domum. Miles verò hoc infitiabatur omnino, adiiciens quòd etsi hæc vera essent, eam tamen de iure habere non potuit, eo quòd aliam tunc viuentem priùs duxerat in vxorem. Cùm per testes militis videretur esse probatum, quòd ipse ante festum Purificationis beatæ Virginis B. mulierem solenniter accepit vxorem, & testes M. mulieris dicerent, quòd in septimana Paschali sequente festum prædictum, de ea ducenda præstitit iuramentum, prædictus miles ab impetitione ipsius absolui cum instantia postulabat. Verùm ex parte sæpedictæ mulieris extitit replicatum, quòd eo tempore, necnon & ante, quo testes dicti militis dixerant eum cum alia matrimonium contraxisse, fuerat semper in Ebor. prouincia commoratus, cùm testes ipsi dicerent hoc longè extra dictam prouinciam actum esse, determinantes tempus & locum: quod per testes idoneos erat probare parata. Sed econtrà fuit ex aduerso responsum, quòd (cùm attestationes iam essent hinc inde solenniter publicatæ) locus productioni testium iam non erat. Quia igitur dubitatis vtrum post publicationem adtestationum super illo articulo deberent testes admitti: nos inquisitioni vestræ auctoritate præsentium respondemus, testes mulieris ad probandum illum articulum admittendos.

HVIVS cap. species hæc est: Lis seu quæstio in causa matrimonij vertebatur inter R. militem, & M. mulierem, coram iudicibus delegatis, apud quos dicta mulier proponebat quòd miles præstito corporali sacramento de ipsa ducenda in vxorem, eam carnaliter cognouisset, & domum traduxisset. Miles verò negabat, & si verum esset quod dicebatur, non posse constare matrimonium cum ea, quòd antè aliam duxisset vxorem. Receptis hinc inde testibus & publicatis, per testes militis videbatur probatum, quòd ipse ante festum Purificationis B. Mariæ B. duxisset vxorem,

Teſtes autem mulieris probabant militem hebdomadâ Paſchali, quæ ſequitur feſtum Purificationis, corporale ſacramentum præſtitiſſe de ea ducenda vxore. Econtrà à muliere fuit replicatum, eo tempore & ante tempus, quo teſtes militis dixerant eum cum alia contraxiſſe, fuiſſe in alia prouincia, nimirum in Eboracenſi, quæ eſt in Anglia, ſéque paratam id probare per idoneos teſtes contra virum allegantem ſe antè certo loco, & tempore aliam vxorem duxiſſe. Mulier admittitur ad probandum, eum eo tempore fuiſſe alibi, vt ſi quis neget ſe interfeciſſe hominem, qui certo die, & loco occiſus eſt, admittitur ad probandum ſe illo die loco abfuiſſe, *l. optimam, C. de contrah. & committ. ſtipulat.* M. Tull. 1. de Inuent. *Si vos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis. Ego autem eo ipſo tempore trans mare fui, relinquitur, vt id quod dicitis, non modò non fecerim, ſed ne potuerim facere.* Sed contrà fuit obiectum à milite, publicatis atteſtationibus non eſſe locum productioni aliorum teſtium. In dubio conſultus Pontifex reſpondit teſtes mulieris etiam publicatis atteſtationibus eſſe admittendos ad probandum illum articulum, de quo prior inſtrui non potuit. Publicatis atteſtationibus iiſdem, vel noui teſtes non recipiuntur ſuper iiſdem articulis ob metum ſubornationis, *cap. fraternitatis, ſuprà, hoc tit. Clem. ſinal. eod. tit.* Nou. Iuſt. xc. cap. iv. vnde ſumpta eſt *auth. at qui ſemel, C. de probat.* Super nouis articulis teſtes recipi nihil vetat, etiam poſt publicatas atteſtationes, vt *hîc, & d. auth. atqui ſemel.* Immo & publicatis atteſtationibus teſtes recipiuntur in cauſa matrimoniali, *cap. ſertes, hoc tit.* Quia in cauſa matrimoniali ſententia numquam tranſit in rem iudicatam, *cap. licèt cauſam. de probat.*

CAPITVLVM XXXVI.

IDEM PRIORI SANCTI VICTORIS.

SIGNIFICAVERVNT nobis: .·.·. Cùm cauſa quæ vertitur inter Abbatem & Monachos ſancti Dionyſij ex vna parte, ac Abbatiſſam & Moniales de Forcellis ex altera, tam ſuper proprietate, quàm ſuper poſſeſſione Prioratus de Argentolio, iudicibus à nobis commiſſa fuiſſet; & Moniales ſuper cauſa proprietatis priùs litem ingreſſæ, teſtes produxiſſent in illa, poſtmodum poſſeſſionis iudicium ſuſpenſo petitorio intentarunt: .·.·. Vnde in cauſa poſſeſſionis, quam Moniales petebant, eâ ratione, quòd illæ, quibus ipſæ ſucceſſerant, inde fuerant violenter eiectæ, teſtes fuerunt ab vtraque parte producti, & eò vſque proceſſum, vt publicatio iam fieri deberet: .·.·. Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit Abbatem & Monachos quartam productionem teſtium, cum iuris ſolennitate ſuper poſſeſſorio petiuiſſe, & propter hoc intra decem dies poſt interlocutoriam ſententiam adpellaſſe (niſi fortè iudices quartam productionem negauerint, prò eo quòd voluerint effrænatam multitudinem teſtium refrænare) vos ad quartam productionem (adhibitâ ſolennitate legali) admittatis eoſdem ipſos (ſi in probatione defecerint) in expenſis legitimis condemnantes. Et niſi adeò ſit in petitorio iam proceſſum, vt plenè poſſit de proprietate liquere, vos cauſam poſſeſſionis, ad quam de iuris beneficio Abbatiſſa & Moniales habuere recurſum, primitus terminetis, in cauſa proprietatis poſtmodum proceſſuri: alioquin quæſtionem terminetis ſimul vtramque.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt: Lis erat inter Abbatem & Monachos S. Dionyſij ex vna parte, & Abbatiſſam & Moniales de Forcellis ex altera, ſuper poſſeſſione, & proprietate Prioratus de Argentolio, id eſt, monaſterium Virginum in agro Pariſienſi fundatum ab Hugone Magno. Helgaldus in vita Roberti Regis: *Huius igitur inclyti Regis auus Hugo pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus, conſtruxit & monaſterium in territorio Pariſienſi, villa quæ dicitur Argentoilus, vbi numerum ancillarum Dei non minimum*

num sub norma S. Benedicti viuere paratas adunauit, ad laudem & gloriam bonorum omnium inspiratoris, & sub honore Sanctæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ omnipotenti Domino dedicari & consecrari voluit. Eiusdem meminit Innoc. in *cap. cùm inter, infrà, de except.* Lis disceptabatur, inquam, coram iudicibus delegatis, apud quos cùm Moniales priùs litem exorsæ super causa proprietatis testes produxissent, postmodum possessionis iudicium suspenso petitorio, quasi desultorio iudicio intentarunt; quod eis de iure licere ipsi iudices de prudentum consilio per interlocutoriam pronunciarunt, vt exponitur in integra decretali. quod probatur ex *cap. Pastoralis, suprà, de caus. possess. & propriet. l. cùm fundum, §. vlt. ff. de vi & vi armat.* In iudicio possessorio, quo primùm à Monialibus actum est, testes ab vtraque parte producti sunt; ex parte Monialium, quæ probarunt illas quibus successerant de possessione Prioratus per vim deiectas; ex parte Monachorum, qui probarunt se idem monasterium per XL. annos pacificè possedisse, quodà vero non aberat. Argentoliense enim monasterium pulsis Monialibus ob fœdos mores iudicio Honorij II. Papæ restitutum fuisse monasterio S. Dionysij, à quo pendebat, locuples testis Sugerius Abbas S. Dionysij in vita Ludouici Crassi. *Cui* (loquitur de Callixto II.) *successit de Hostiensi Episcopo approbata persona assumptus Papa Honorius, vir grauis & seuerus, qui cùm iustitiam nostram de monasterio Argentoilensi puellarum miserrima conuersatione infamato, tum Legati sui Matthæi Albanensis Episcopi, tum domini Carnotensis, Parisiensis, Suessionis, domini etiam Archiepiscopi Remensis Rainaldi, & multorum virorum testimonio cognouisset, præcepta Regum antiquorum Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij, & aliorum de iure loci præfati à nuntiis nostris oblata perlegisset, Curiæ totius persuasione, tam pro nostra iustitia, quàm pro earum fœtida enormitate, Beato Dionysio & restituit, & confirmauit.* Industriâ Sugerij Abbatis idem factum narrat Willelmus Nangius in Chronico nondum edito circa annum MCXXIX. etsi de auctore fundationis non conueniens cum Helgaldo: *Moniales*, inquit, *quædam infames, quæ Ecclesiam Beatæ Mariæ de Argentolio diu potentiâ cuiusdam sororis Caroli Magni Regis Francorum occupauerant, industriâ Sugerij Abbatis sancti Dionysij in Francia inde expelluntur. & Monachis eiusdem loci, quorum priùs fuerat, restituitur.* Cùm trina productiu testium ab vtraque parte iam facta esset, Monachi petiere quartam productionem testium admitti super possessorio, quam cùm denegassent iudices per interlocutoriam, ab ea Monachi appellarunt. In causa appellationis Pontifex iudicauit quartam productionem testium monachis permittendam esse, si modò eam peterint, seruatâ iuris solemnitate. In causis ciuilibus, vel Ecclesiasticis quartæ productioni testium locus non est, nisi seruatâ solemnitate iuris, quæ exponitur Nou. Iust. *de testib.* XC. *cap.* IV. *& cap. in causis, cap. pen. hoc tit.* Adde & permitti quartam productionem testium Monachis, si constet eos appellasse à sententia intra decem dies, vt oportet de iure, *l. pen. C. de recept. arbitr. ex Nou. Iust.* XXIII. *can. anteriorum.* II. *qu.* VI. *cap. cùm dilectus. de elect. cap. quod ad consultationem. de re iudicat.* Quarta productio testium admittitur seruatâ solemnitate iuris, nisi denegetur ex causa, putà ad coërcendam effrænatam multitudinem testium, cui modus imponendus est, vt explanabitur proximo cap. Productio quarta testium admittitur, ita vt si pars quæ eam petiit in probatione defecerit, in expensas condemnetur. Hinc præcipit Pontifex iudicibus delegatis, vt priùs de possessione quàm de proprietate cognoscant, secutus scilicet ordinem iuris, *l. ordinarij, C. de rei vindicat. cap. Pastoralis, suprà, de caus. possess. & propriet.* Excipe nisi hactenus in petitorio sit processum, vt plenè de proprietate liqueat: hoc casu vtraque quæstio, id est, causa possessionis & proprietatis simul terminanda est vnâ & eâdem sententiâ, vt certè definitur in calce *huius cap.* Immo ex constitutione quadam integrum est iudici petitorium cumulare cum possessorio, Symmach. lib. X. ep. XLI. *Recitata est à defensoribus constitutio, quæ iudicibus tribuit copiam, non imponit necessitatem, vt quoties de possessione successionis iudicant, continuò si casus tulerit, etiam de iure cognoscant.*

Interdictū Vnde vi datur hæredi, & cuilibet successori, *l. 1. §. hoc interdictum, ff. de vi & vi armat.*

CAPITVLVM XXXVII.

IDEM EPISCOPO PLACENTINO.

CVM causam, quæ inter Archiepiscopum Rauen. ac Commune Fauen:.·.·. Quia verò vtrique parti nimis existeret onerosum, vt testes producerent coram nobis: mandamus, quatenus recipias testes, quos vtraque pars, tam super principali negotio, quàm in personas testium duxerit producendos: ac eos diligenter examinare procures: & de singulis circumstantiis prudenter inquirens, de causis videlicet, personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine cuncta plenè conscribas: ·.·.· Testes autem, &c. Quòd si fortè Fauentini vel alij eos, quos dictus Archiepiscopus ad perhibendum testimonium veritati duxerit producendos, præsumpserint impedire: tu ipsos ab huiusmodi præsumptione cessare compellas. Volentes autem effrænatam multitudinem testium refrænari: volumus, vt hinc inde quadragenarium numerum testium excedere non permittas, ita videlicet, vt si Fauent. testium depositiones ratas habere voluerint, quæ à Ferrari. Episcopo & Abbate Pompon. receptæ fuerint: testes ipsi computentur in numero prælibato: alioquin (cùm adtestationes ipsæ sint clausæ) iidem testes, si necesse fuerit, iteratò producantur.

HVIVS cap. species hæc est: Lis seu causa disceptabatur inter Archiepiscopum Rauennatem, & Commune Fauentinum super districtu & iurisdictione villarum Luci & S. Potici, & castri Aureoli, ad quam pertinent & *cap. cùm causam, suprà, de iurament. calumn.* & *cap. licèt causam. de probat.* Quâ delatâ ad Sedem Apostolicam, quia partibus nimis onerosum esset testes producere apud ipsum, Pontifex Placentino Episcopo mandauit, vt testes vtriusque partis reciperet, tam super principali negotio, quàm super exceptionibus in personas testium inuicem productorum, ac eos diligenter examinaret. Etiam Iure Ciuili in ciuilibus causis receptio & interrogatio testium, si sint in alia prouincia potest mandari, in criminalibus causis testes euocandi sunt coram iudice, *l. iudices, & auth. apud, C. de fid. instrum.* Mandatum est, inquam, Placentino Episcopo, vt testes diligenter examinaret. Officium iudicis est testes diligenter examinare de singulis circumstantiis, & de causis scientiæ. Testes enim debent reddere rationem scientiæ. Et vt effrænata multitudo testium cohiberetur, præcepit idem Pontifex, vt hinc inde testes vltra quadraginta non audirentur. Iure Canonico testes vltra quadraginta non audiuntur super eodem articulo, vt effrænata multitudo testium coërceatur, ex *hoc cap.* & *d. cap. licet causam in antiqua.* Veteri Iure Ciuili actus solemnes fiebant multis testibus præsentibus, vt cretio hæreditatis, M. Tull. lib. XIII. ad Atticum ep. XLIV. *Ex eo cognoui cretionem Cluuij liberam testibus præsentibus sexaginta duobus.* Verùm postea in ciuilibus actibus sublatâ vanâ obseruatione solemnium modus impositus est numero testium, & vbi numerus testium non adiicitur, duos vel tres sufficere constitutum est, *l. vbi numerus, ff. de testib. l. quoties, C. de naufrag. lib.* XI. Hodie ex constitutione regia plures quàm decem testes non audiuntur super eodem articulo, vt maturior sit exitus litium, *cap. finem. de dol. & contumac. l. quidam existimauerunt, ff. de reb. credit.* Non audiuntur plures quàm decem testes super eodem articulo, nisi agatur de consuetudine probanda, quæ moribus nostris probatur per turbas, Io. Faber in *l. II. C. quæ sit longa consuetud.*

CAPITVLVM XXXVIII.

IDEM DE NOVO FONTE, ET CASÆDEI ABBATIBVS.

VENIENS ad Apostolicam Sedem C. Archi. Claremo. humiliter supplicauit, vt sententiam super Decanatu Clarem. Ecclesiæ pro eo latam, quæ iam fuerat in parte executioni mandata, faceremus in totum executioni mandari. Cùm autem procuratores Capituli Claremo. in nostra præsentia proposuerint sententiam illam contra iustitiam, & post adpellationem ad nos interpositam, promulgatam:.·.·. Et idem Archidiaconus ipsos tamquam procuratores admittere noluerit, vel dictis eorum aliquatenus respondere: P. Subdiac. noster se ipsi obposuit ex aduerso, adserens canonicè se in Decanatu Clarem. electum. propter quod dictus Archid. in sua petitione non erat aliquatenus audiendus, quia Decanatus ipse, non ad illum, sed ad se potiùs pertinebat:.·.·. Cùm igitur super his aliquandiu disceptassent, interlocuti fuimus, vt dictus P. si posset, incontinenti suam intentionem fundaret: qui cùm super hoc testes & instrumenta produxerit, interloquendo pronunciauimus, quòd sua intererat, vt se posset obponere Archid. memorato. Lite igitur inter eos, tam super electione, quàm super sententia contestatâ, quæsitum fuit ab ipso Archid. vtrum adtestationes priùs exhibitas in articulo supradicto in hoc iudicio vellet admittere: qui respondit quòd vellet, dummodo posset obiicere tam in personas testium, quàm in dicta. Quo audito, pars aduersa respondit, quòd adtestationibus illis in hoc iudicio vti nolebat: cùm non super principali negotio, sed super articulo incidenti fuissent lite non contestatâ receptæ. Vnde super toto negotio alios volebat testes producere vel eosdem. Pars autem respondit aduersa, quòd cùm testes illi, tam super sententia, quàm super electione dixissent, & eorum adtestationes fuissent in iudicio publicatæ: non licebat eidem (postquam testificata didicerat) super eisdem articulis alios testes producere, præsertim cùm in hoc iudicio adtestationibus illis vsus fuisset Subdiac. prælibatus. Nos igitur iustitiâ pronunciauimus exigente, quòd testes essent recipiendi super toto negotio, quos vtraque pars duceret producendos. Quocirca mandamus, quatenus receptis testibus, & rationibus partium intellectis, causam ipsam tam super principali, quàm etiam incidenti, fine canonico terminetis. Quia verò quæ in Capitulo aguntur, non facilè possunt, nisi per Canonicos ipsos probari: volumus vt ad cautelam absoluatis eosdem, vt vocati ad testimonium liberè valeant pro vtraque parte testari.

HVIVS cap. species hæc est: Vacante Decanatu Claromontensis Ecclesiæ, Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, & Petrus Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ in discordia electi sunt vterque in Decanum à Capitulo, cuius est electio, quò pertinet etiam *cap. constitutus, infrà, de appellat.* Re in iudicium deductâ coram Summo Pontifice, Archidiaconus nitebatur sententiâ secundùm se latâ à nonnullis iudicibus delegatis, quam procurator Capituli dicebat nullam & irritam esse, vtpote latam post appellationem. Inter hæc Petrus Subdiaconus se opposuit aduersus sententiam latam pro Archidiacono, asserens se canonicè in Decanum electum. Pontifex interlocutus est oppositionem Petri Subdiaconi, vt tertij non auditi, admittendam, si incontinenti doce-

ret de iure suo, id est, de iure electionis de se factæ. Tertius opponens potest impedire executionem sententiæ latæ inter alios in suum præiudicium, *cap. cùm super, infrà, de re iudicat. cap. super eo, suprà, de offic. delegat.* Super quo cùm Petrus Subdiaconus testes & instrumenta produxisset, Pontifex interlocutus est P. Subdiaconi interesse, vt se opponeret prædicto Archidiacono: oppositio scilicet non admittitur, nisi causâ priùs summariè cognitâ. Lite inter illos contestatâ, tam super negotio principali, id est, super electione, quàm super articulo incidenti, id est, sententia prædicta, quæsitum est ab Archidiacono vtrumnam vellet admittere in hoc iudicio plenario attestationes primò receptas super articulo incidenti, id est, super sententia. Et Archidiaconus quidem illas admittebat saluo iure exceptionum in personas, & dicta testium. Quo audito Petrus excepit se non vsurum huiusmodi attestationibus, cùm non super principali negotio, sed super articulo incidenti fuissent receptæ ante litem contestatam. Vnde post litem contestatam sibi integrum esse ducebat, eosdem vel alios testes producere super toto negotio. E diuerso Archidiaconus intendebat, cùm testes semel producti essent, tam super sententia, quàm super electione, non licere denuo eosdem producere, super eisdem articulis post publicatas attestationes. Quod probatur ex *cap. fraternitatis, suprà, hoc tit.* At Pontifex rescripsit Abbatibus Nouem-fontium, & Casæ Dei, ad quos pertinet inscriptio *huius cap.* sic lege, non Nouo-fonte. vtrumque monasterium est Claromontensis diœcesis; de posteriore fit mentio in *extrauag. ad cuiuslibet. de præbend. inter commun.* Rescripsit, inquam, Pontifex Abbatibus illis, quibus causa demandata erat, eosdem vel alios testes esse producendos super toto negotio; id est, tam super electione in qua principale negotium versabatur, quàm super articulo incidenti, id est, sententia. Etiam post publicationem attestationum testes producti super articulo aliquo, possunt produci super toto negotio, quasi super alio articulo; quia causa principalis trahit ad se, & absorbet articulum incidentem, ne causæ continentia diuidatur, *l. nulli, C. de iudic. in fin. hoc cap.* Pontifex demum præcipit eisdem iudicibus, vt Canonici testes audiantur in causa electionis optimâ ratione; quia quæ in Capitulo aguntur, vix possunt probari nisi per Canonicos, quâ ratione & domestici testes audiuntur, in his quæ domi geruntur, quòd sint testes necessarij, *l. consensu, §. seruis etiam, C. de repud.* & quia Canonici excommunicati fuerant post appellationem, mandatur vt absoluantur ad cautelam, quò valeant liberè testimonium dicere. Si fortè testes sint excommunicati, absoluuntur ad cautelam, ne hoc prætextu repellantur à testimonio, *cap. venerabili. de sentent. excommunic.*

CAPITVLVM XXXIX.

IDEM BISVNTINO ARCHIEPISCOPO.

TVIS quæstionibus: . · . · . Monachi verò de suis fratribus ac conuersis, testes in causis propriis producere absque iuramenti exhibitione non possunt: nisi fortè à parte remittatur aduersa.

LICET nullus idoneus testis in re propria intelligatur, *l. nullus, ff. hoc tit. l. omnibus, C. eod.* cuiuscumque sit dignitatis, M. Tull. pro Rosc. Amerin. *More maiorum comparatum, vt in minimis rebus homines amplissimi, testimonium de sua re non dicerent.* Tamen Clerici & Monachi & Conuersi testes admittuntur in causis Ecclesiæ, & monasterij, vt *in hoc cap. & cap. insuper, & cap. cùm nuncius, suprà, hoc tit.* maximè deficientibus aliis testibus, *cap. etsi Christus. in fin. infrà, de iureiur.* Quòd Clerici & Monachi in causa Ecclesiæ, vel monasterij non videantur testimonium dicere in re propriâ; quia causa vniuersitatis non est causa singulorum, *l. in tantum, §. 1. ff. de rer. diu. l. sicut municipum, §. 1. ff. quod cuiusq. vniuersit. can. qui manumittitur.* XII. *qu.* II. In aliis causis Monachi testificari non possunt, putà in Clericos, quia habent vocem funestam, *can. placuit, can. nullus.* II. *qu.* VII. Iidem verò non prohibentur testimonium ferre in causa Ecclesiæ vel monasterij, imprimis ex causa necessaria, deficientibus aliis testibus: quâ ratione & Canonici sunt idonei testes in causa electionis, quòd ea quæ in Capitulo geruntur, vix per alios probari possunt, quàm per ipsos Canonicos, *cap. prox. suprà, hoc tit.*

Clerici verò & Monachi testes non producuntur, nisi iurati, vt *in hoc cap. & cap. nuper, infrà, hoc tit.* Iniurati testes non admittuntur, *l. iurisiurand. C. hoc tit.* Clerici iurant propositis non tactis sacrosanctis Euangeliis, *cap. vlt. suprà, de iurament. calumn. auth. sed iudex, C. de Episc. & Cleric.* Iniurati testes non admittuntur, nisi fortè iusiurandum remittatur ab aduersario, vt subiungitur *in hoc cap.* Iusiurandum remitti potest consensu aduersarij, contra quem testis producitur, quia præstatur tantùm in rem priuatorum: aliàs iusiurandum calumniæ non remittitur consensu partium, quia non in commodum priuatorum, sed vtilitatem publicam introductum est, *l. 11. §. sed quia veremur, C. de iureiur. propter calumn. dand.*

Capitvlvm XL.

IDEM ATREBATEN. EPISCOPO, ET DEDIMEN. ET VRSICAMPI ABBAT.

DILECTO filio Arien. Præposito nobis innotuit exponente, quòd cùm causam, quæ inter ipsum & Comitissam Flandren. super donatione sex præbendarum Sacerdotalium agitatur, vobis, Episcope ac Abbas Dedimen. & Atrebaten. Decano duximus committendam: idem Præpositus citra litis contestationem proposuit, quòd testimonium Decani sibi necessarium erat in causa prædicta, cùm de iure suo non nisi per ipsum & alium vnicum tantùm testem facere fidem posset. Vnde postulauit, vt in causa ipsa eo procederetur excluso, vel supersederetur in negotio quovsque substitueremus alium loco eius. Vos autem petitionem eius admittere recusastis, quinimo post adpellationem à præbendarum ipsarum donatione suspendistis eumdem. Ne igitur ob testis defectum eius iustitia valeat deperire, te, Abbas Vrsicampi, loco ipsius duximus subrogandum, mandantes quatenus si est ita (suspensione Præpositi relaxatâ) in causa iuxta prioris mandati tenorem, ratione præuiâ procedatis.

HVIVS cap. species hæc est: Lis seu causa vertebatur inter Præpositum Ariensem, & Comitissam Flandrensem (hæc fuit Ioanna Constantinopolitana) super donatione, seu collatione sex præbendarum Sacerdotalium, quam Comitissa iure patronatus ad se pertinere asserebat. Ex priuilegio Apostolico Ariense Collegium Canonicorum conditum à Balduino P. Comite Flandrensi anno MLXVI. Iacob. Meyer. lib. III. Annal. Flandr. Etiam laici & feminæ habent ius conferendi præbendas, & alia beneficia Ecclesiastica, tamquam patroni; quod de Rege in Ecclesia Andegauensi probatur in *cap. dilectus, infrà, de præbend.* & de hac ipsa Comitissa Flandriæ in *cap. vlt. de concess. præbend.* Hæc causa demandata est Attrebatensi Episcopo, & Abbati Dunensi (corruptè hic legitur Dedimensi, vt in inscriptione cap.) & Attrebatensi Decano. Coram iudicibus datis Præpositus proposuit citra litis contestationem, quòd testimonium Decani esset sibi necessarium in prædicta causa, cùm de iure suo docere non posset, per alios, quàm per ipsum, & alium vnicum testem: vnde postulauit, vt remoto Decano, alius in eius locum substitueretur. Iudices dati eius petitionem reiecere, & post appellationem ab ipso interpositam, eum suspenderunt à donatione, seu collatione præbendarum. Igitur Pontifex, ne Præpositi causa corruat ob testis defectum, in Decani locum, Abbatem Vrsicampi subrogauit, vt relaxatâ suspensione Decani iuxta prioris rescripti tenorem procederet. Vrsicampi monasterium est in diœcesi Nouiomensi Cisterciensis Ordinis, à Simone Nouiomensi Episcopo fundatum. Robertus Montensis in supplement. Sigeberti ad ann. MCXIX. *Cœnobium Vrsicampi fundatum est à nobilissimo Præsule Nouiomensi domino Simone, qui Hugonis magni filius fuit.* Regulariter iudex in eadem causa testis officio fungi non potest, *l. vlt. ff. hoc tit. can. statutum. 11. qu. VI.* vt aduocatus in eadem causa iudex, vel assessor esse non po-

test, *l. Prætor, ff. de iurisd. l. vlt. C. de adsiss.* Si vnus tamen è iudicibus datis sit testis necessarius in eadem causa, remouetur & alius in eius locum subrogatur, ne ob testis defectum alterius causa deperear: probationum copia non est angustanda, *l. ne quid, ff. de incend. ruin. naufrag.* vt si iudex datus decesserit, alius in eius locum datur, *l. si iudex, ff. de iudic.* qui subditus dicitur, *l. mortuo, ff. eod.*

CAPITVLVM XLI.

IDEM IVDICI SABINEN.

SIGNIFICAVIT nobis Presbyter sancti N. Sabinen. diœcesis, quòd fundatores eiusdem Ecclesiæ liberam eam esse volentes, fundationis tempore se in ea nihil iuris retinere dixerunt. Vnde timens, ne processu temporis, probationis copia valeat deperire, prouideri super hoc idem Presbyter postulauit. Quocirca mandamus, quatenus testes idoneos quos ipse super hoc duxerit producendos, examines diligenter, & eorum dicta in publica redigi facias monumenta, denunciando fundatoribus antè dictis vel eorum hæredibus, vt receptioni testium, si velint, intersint: & super denunciatione sic facta, confici facias publicum instrumentum.

IVs patronatus ipso iure acquiritur fundatione Ecclesiæ, absque alia reseruatione, *cap. nobis, infrà, de iur. patronat.* nisi tempore fundationis expressò remissum sit, vt in specie *huius cap.* Quæ huiusmodi est: Cùm nonnulli in diœcesi Sabinensi fundassent Ecclesiam sub titulo S. Nicolai, & tempore fundationis, se in ea nihil iuris retinere dixissent, verbo tenus, scilicet nullo alio instrumento inde confecto, Presbyter eiusdem Ecclesiæ, veritus ne elapsu temporis probationis copia periret, Ecclesiæ prouideri super hoc postulauit. Quapropter Pontifex mandauit Iudici Sabinensi. Vicedominum Sabinensem vocat idem Pontifex, in *cap. examinata, suprà, de iudic.* Episcopus Sabinensis est vnus ex Episcopis Cardinalibus, qui à latere Summi Pontificis non discedunt, & Vicarius Sedis Apostolicæ in vrbe in agendis Episcopalibus, Chronic. Norman. ad ann. MCXXIX. *Successit ei Conradus Sabinensis Episcopus Apostolicæ Sedis in vrbe dumtaxat, in agendis Episcopalibus, dum Papa deest, ex antiqua consuetudine, pro dignitate loci sui Vicarius*, &c. Ob eam rem idem Vicarium præponit Ecclesiæ suæ, qui Iudex Sabinensis appellatur in inscript. *huius cap.* Vicedominus Sabinensis in *d. cap. examinata.* Mandatur, inquam, Iudici seu Vicario Sabinensi, vt testes idoneos, qui super hac re producti fuerint examinet, & eorum dicta idem curet redigi in publica monumenta: gesta iudicialia referuntur in publica monumenta, *l. gesta, C. de re iudicat. l. notione, C. Th. de hæretic.* id est, in archiuum publicum perpetuæ fidei causâ. Hinc gesta criminalia in Alexandrum quemdam ex tabulario publico Asiæ petenda esse iudicat Euseb. lib. v. cap. XVII. ὧ τὰς λῃστείας, καὶ τὰ ἄλλα τολμήματα ἐφ᾽ οἷς κεκόλασται, οὐχ ἡμᾶς δεῖ λέγειν, ἀλλ᾽ ὁ ὀπισθόδομος ἔχει, *Cuius latrocinia, & alia flagitia, pro quibus pœnas dedit, nihil nostra interest referre, cùm in acta publica relata sint.* Quid enim sonet ὀπισθόδομος, innuunt verba, quæ paullò pòst sequuntur, καὶ οἱ θέλοντες μαθεῖν τὰ κατ᾽ αὐτὸν ἔχουσι τὸ τῆς Ἀσίας δημόσιον ἀρχεῖον, *Et qui volent scire, res eius habent tabularium publicum Asiæ.* Eidem mandatur, vt testes audiantur vocatis fundatoribus, vel hæredibus eorum quorum interest. Testationes testium non valent, nisi factæ sint vocatis partibus, non vt testes audiantur præsente parte, sed vt producantur, & recipiantur præsente parte: productio & receptio testium fit vtrâque parte præsente & palam; interrogatio testium secretò, *l. si quando, & auth. sed & si quis, C. hoc tit.* Denunciatio, seu citatio testium fieri debet per literas, & per publicum instrumentum, ne rei probatio, & memoria pereat, quæ est summa *huius cap.* Ita si cuius rei vsusfructus legatus sit, rectè facient & hæres, & legatarius, qualis res sit cùm frui incipit, si in testatum, id est, in libellum, vel scripturam redegerint, vt inde possit apparere, *l. 1. §. rectè, ff.*

vsufruct. quem. cau. Et qui nouum opus nuntiat, si quid operis iam factum erit in testationem referre debet, vt appareat quid postea factum sit, *l. non solum, §. qui opus. de oper. nou. nuntiat.*

CAPITVLVM XLII.

IDEM EPISCOPO, ET ARCHIDIACONO BENEVEN.

CVM causa quæ inter Oeconomum monasterij sancti M. de monte :.·. Cùm igitur Abbas & Fratres eiusdem loci probare intendant, quanti pretij venditionis tempore possessiones prædictæ fuêre: mandamus, quatenus recipiatis testes, quos alterutra partium super hoc duxerit producendos :.·.·. Si verò pars monasterij ad hunc articulum eosdem testes produxerit, quos ad alium probandum produxit, vos nihilominus eos recipere procuretis. Quoniam aliud est probasse deceptionis excessum, & aliud probare quantitatem valoris.

CAPIT. VI. TIT. *De emptione, & venditione.*

IDEM EPISCOPO, ET ARCHIDIACONO VRBINAT.

CVM causa, quæ inter Oeconomum monasterij sancti Martini de monte ex parte vna, ac ciues Viterbienses super casamentis ex altera vertebatur, fuisset aliquandiu ventilata, cùm constitisset nobis monasterium in venditione vltra dimidiam iusti pretij fuisse deceptum: sententiando decreuimus, vt præfati ciues aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent, quantum constaret legitimæ venditionis tempore iusto pretio defuisse.

ABBAS & Monachi S. Martini de Monte apud Viterbium vendiderunt certa casamenta quibusdam ciuibus Viterbiensibus. Casamenta sunt feuda Ecclesiastica, Fulbert. epist. vt. *Militum qui de vestro Casamento beneficium tenent.* Robert. Montens. ad ann. MCLXI. *Calamontis castrum erat de Casamento Hugonis fily Supplicy de Ambasia, quod de Comite Theobaldo.* Bernard. epist. XXXIX. ad Comitem Theobaldum: *Et de Casamento quod tenetis, hominium quod debetis reuerenter ei* (Episcopo Lingonensi) *& humiliter offeratis.* Hinc proprietatem, seu alodium à Casamento, id est, feudo distinguit Iuo Carnotens. epist. CLXXIV. *Neque scire vtrum hac iustio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad Casamenta eorum.* Vnde Casati Ecclesiæ milites qui tenent feuda ab Ecclesia, idem Iuo epist. XXVIII. *Præterea Casati Ecclesiæ, & reliqui milites pæne omnes, vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt.* Qua in venditione cùm Monachi S Martini decepti essent vltra dimidiam iusti pretij, Pontifex decreuit, vt præfati ciues, aut recepto pretio possessiones restituerent, aut supplerent quod iusto pretio deesset spectato tempore contractus. quæ est species *cap. cùm causa, infrà, de empt. & vendit.* quod congruit cum *l. II. C. de rescind. vendit.* Ad rescindendam venditionem ob læsionem vltra dimidiam iusti pretij spectatur tempus contractus, *l. si voluntate, C. eod. l. Rutilia Polla ff. de contrah. empt.* in executione sententiæ, & hæc est species *huius cap.* Cùm quæreretur quanti reuerà possessiones essent venditionis tempore, mandauit Pontifex Episcopo & Archidiacono Vrbinati, vt testes recipiantur, qui ab vtraque parte producerentur: ita vt si Monachi in hoc articulo eosdem testes producerent, quos in alio produxissent recipiantur, quoniam aliud est probare deceptionis excessum, & aliud probare quantitatem valoris. Post publicatas attestationes iidem, vel noui testes non recipiuntur super iisdem articulis, *cap. fraternitatis, suprà, hoc tit.* Verumtamen iidem audiuntur super alio articulo, vel super eodem si sit alius modus agendi, vt probatur ex *hoc cap. & cap. veniens, suprà, hoc tit.*

CAPITVLVM XLIII.

ALBERICVS miles nobis insinuare curauit, quòd cùm olim inter ipsum & C. mulierem Rauennaten. coram Capitulo Rauennaten. matrimonij quæstio verteretur, tandem lata fuit diuortij sententia inter eos. Postea verò dictus miles timens sibi & filiis, quos de legitima vxore suscepit, ex eo posse præiudicium generari, quòd in scriptis redacta non fuit sententia memorata, supplicauit vt testes, qui sententiæ interfuere prædictæ, recipi faceremus. Ideóque mandamus, quatenus testes curetis recipere antè dictos, depositiones ipsorum in scripturam publicam redigi facientes.

QVÆSTIO matrimonij vertebatur inter Albericum militem, & C. mulierem coram Capitulo Rauennatensi, ad quod spectabat iurisdictio Episcopalis, fortè vacante sede, vt supplet Hostiensis hoc loco ex *cap. ad abolendam, infrà, de hæretic.* vel, quod potius mihi videtur, ex priuilegio, vel consuetudine speciali. Licèt enim regulariter causæ matrimoniales requirant maiores iudices, *cap. ad hæc, suprà, vt lit. non contestat. cap. literas. de restit. spoliat. cap. 1. de consanguinit. & affinit.* Tamen ex priuilegio, vel consuetudine inferiores Prælati, putà Abbates, Archidiaconi, Decani & Capitula ipsa, quorum caput sunt Decani, de matrimonialibus causis cognoscunt. Synodus Londinensis habita anno MCCXXXVI. *Propterea duximus statuendum, quòd matrimoniales causæ, quæ inter cæteras maturitate magna & diligentia sunt tractandæ, viris prouidis, & fide dignis, & habentibus iuris peritiam, vel saltem competens exercitium committantur. Si qui verò Abbates Archidiaconum, vel Decanum habent, ex priuilegio, vel consuetudine approbata, quod de matrimonialibus causis cognoscant diligenter, ipsas examinare procurent*, &c. Tandem inter eos lata est diuortij sententia, quæ non fuit redacta in scriptis. Post sententiam diuortij miles aliam vxorem duxit, de qua liberos suscepit. Ipse verò timens ne sibi & liberis obesset, quòd sententia in scriptis redacta non esset, supplicauit apud Pontificem, vt testes qui sententiæ Capituli interfuere reciperentur, eorúmque dicta in scripturam publicam redigerentur: quod annuit Pontifex, ne pereat rei iudicatæ memoria. Regulariter non valet sententia, nisi in scriptis proferatur, *l. 1. 11. & 111. C. de sentent. ex pericul. recit. cap. quoniam, suprà, de probat.* Speciale est in causa matrimoniali fauore matrimonij, quòd si in scriptis fortè sententia redacta non fuerit, probetur per testes, fauor matrimonij multa singularia extorsit contra ius commune, veluti & illud, vt in causa matrimoniali testes recipiantur ante litem contestatam, *cap. accedens, suprà, vt lite non contestat.*

CAPITVLVM XLIV.

IDEM BELVACENSI EPISCOPO.

CVM in tua diœcesi: .·. ·. Vtrum autem si accusatore idoneo comparente, per tres vel quatuor testes inter iam coniunctos parentela probaretur, per depositiones eorumdem posteriorum testium derogetur fidei vndecim vel duodecim propinquorum, qui antiquiores tempore ac præstantiores meritis ante contractum matrimonium in contrarium iurauerant, distinguendo personas & gradus, à quibus directè hi, de quorum copula agitur descenderunt, an primi posterioribus præferantur, non immeritò quæri posset. Quamquam autem ad aliud & ob aliud iurauerint, tam illi, quàm isti, tamen si in secundo iudicio priores personæ iuratæ deponerent, illa eadem, quæ primò dixerunt, absque dubio

eorum

eorum testimonia praeualerent, nec eo possent praetextu repelli, quòd partes testificata didicerant, cùm talis exceptio locum non habeat in hoc casu.

SPECIES *huius cap.* eiusmodi est: cùm quaereretur de matrimonio contrahendo inter virum & mulierem, de quibus fama erat quòd essent consanguinei, vndecim vel duodecim propinqui vtriusque, qui aetate & meritis praestabant, iurati adfirmarunt nullum inter eos esse vinculum consanguinitatis. Speciale est in causa cognationis, quòd cognati & affines testes admittantur, quòd nulli alij huius rei certiores possint esse testes, vt probatur ex *hoc cap. & cap. quoties, cap. super eo, suprà, hoc tit. cap. cùm in tua, infrà, de sponsalib.* quod coniungendum est cum *hoc cap. cap. tenor litterarum in fin. de re iudicat. in II. collect. can. consanguineos.* XXXV. *qu.* VI. Et sic nuptiae contractae sunt, post nuptias accusatore idoneo comparente, id est, denuntiatore, qui denuntiauit coniunctos esse consanguineos, cùm per tres, vel quatuor testes consanguinitas probata esset, quaesitum est an priores testes posterioribus praeferrentur. Consultus Pontifex respondit *in hoc cap.* quòd licèt priores testes ad aliud, & ob aliud producti sunt à posterioribus, quòd priores scilicet producti sunt super matrimonio contrahendo, posteriores super matrimonio contracto dissoluendo. Tamen si in secundo iudicio priores testes idem deposuerint, quòd in primo praeualebunt secundis, nec repelluntur quòd producantur post didiscita testificata, cùm talis exceptio locum non habeat in hoc casu: nimirum speciale est in causa matrimoniali, quòd etiam post didiscita testificata iidem vel noui testes audiuntur, vt probatur ex *hoc cap.* & *cap. series, suprà, hoc tit.*

CAPITVLVM XLV.

CONSTITVTIS in praesentia nostra Archiepiscopo & M. Canonico Surrenti, dum ipse illum de crimine simoniae deferret: .·.·. Caeterum quoniam à principio protestatus est praefatus M. ipsius Archiepiscopi consanguineos multa impedimenta per suam potentiam praestitisse quominus probationum copiam in nostra praesentia secum haberet, cùm quosdam induxerint ad iurandum, ne aduersus Archiepiscopum aliquid dicerent, & alios minis & terroribus à testimonio perhibendo arcere nitantur: nos ex officio nostro super hoc prouidere volentes, mandamus, vt generalem feras excommunicationis sententiam in omnes, qui impedimentum aliquod ipsi M. praestare praesumpserint in testibus producendis. Illos autem quos (vt dictum est) iurasse constiterit, quòd contra Archiepiscopum nil dicerent, denuncies iuramento huiusmodi non teneri. Si quis autem de consanguineis dicti Archiepiscopi aliquem de testibus praesumpserit impedire (quia verisimile non videtur, vt eo inuito talia fierent, & ob hoc non caret scrupulo societatis occultae, eo quòd si voluerit, poterit prohibere: cùm secundùm legitimas sanctiones iniquam ostendat se causam fouere, & experiri debeat iudicis auctoritatem elusam, qui defensionis copiam subtrahit aduersario) eumdem Archiepiscopum ab officio pontificali suspendas, & facias manere suspensum, donec illum fecerit à tali praesumptione cessare.

SPECIES *huius cap.* haec est: Martinus Canonicus Surrentinus Archiepiscopum Surrentinum simoniae reum postulauit apud Pontificem, & ab initio protestatus est cognatos Archiepiscopi impedire testium productionem, eùm alij iureiurando adacti essent, alij minis & metu, ne aduersus Archiepiscopum audirentur. Pontifex ex offi-

cio super hac re prospecturus mandauit cuipiam iudici, vt generalem excommunicationis sententiam ferret, in omnes qui impedimento essent in testibus producendis: excommunicatur, qui impedit ne testes audiantur in causis, vt *hîc, & cap. cùm causam, suprà, hoc tit.* Eidem mandatur vt eos qui iurauerint ne testimonium ferrent aduersus Archiepiscopum, denuntiet iureiurando non teneri: quòd si quis de consanguineis Archiepiscopi testes impedierit, vt Archiepiscopus ipse suspendatur ab officio, quia verisimile non est eo inuito talia fieri. Non caret scrupulo societatis occultæ, qui potuit prohibere, & non prohibuit, quæ sunt fere verba *can. facientis.* LXXXVI. *dist. non caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Ex facto seu delicto alieno tenetur, qui scit, & prohibere potest, & non prohibuit, *l. scientiam, ff. ad l. Aquil. l.* II. *de noxalib. act. l. Imperator. qui sine manumiss. l.* I. §. I. *si famil. furt. fec. dic.* Senec. de benefic. lib. I. cap. X. *Indignum si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere.* & Apul. de Asino Aureo lib. VII. *An ignoras eos etiam qui morituris auxilium salutare denegarint, quòd contra bonos mores id ipsum fecerint sel re puniri.* Additur & alia ratio, quòd iniquam ostendat se causam fouere, & experiri debeat iudicis auctoritatem elusam, qui defensionis copiam subtrahit aduersario. qua ratione vsus est & Alexander III. in *cap. peruenit, seq. tit.* quod sumptum est ex *l. prouidendum, C. de postuland.*

CAPITVLVM XLVI.

IDEM MAGDEBVRGEN. ARCHIEPISC. ET PRÆPOS. SVBVRGEN.

CONSTITVTIS in præsentia nostra procuratore A. sororis nobilis viri Marchionis Misnen. & nuncio illustris Principis Bohemorum :.·.·. Pragen. Episcopus ad petitionem eiusdem Principis ipsâ volente ad ipsum accedere, vt suas coram eo proponeret actiones, sed à satellitibus eiusdem prohibitâ, qui ei bis vel tertiò prohibuerunt ingressum, post adpellationem ad nos interpositam diuortij sententiam promulgauit, à qua ipsa fecit ad nostram præsentiam prouocari :.·.·. Mandamus, quatenus partibus ad locum idoneum conuocatis, recipiatis testes, quos vel nobilis ipsa pro se, vel Princeps pro parte sua (cùm nondum testificata didicerint) super processu Pragen. Episcopi vel posteriorum iudicum duxerint producendos, & nobilis ipsa pro se, vel testes, quos induxit priùs, vel alios si voluerit inducere non vetetur, cùm non renunciauerit testibus producendis.

OTTOCARVS, qui & alio nomine Primislaus dictus est, Rex Bohemiæ, cùm vxorem duxisset Annam sororem Marchionis Misnensis, & ex ea suscepisset liberos, abiectâ eâ superduxit Margaretam sororem Friderici Ducis Austriæ, vt tradunt Æneas Syluius Hist. Bohemic. cap. XXVII. & Io. Dubrauius eiusd. Hist. lib. XVII. Hac de re quæ est species *huius cap.* cùm Anna ad Pragensem Episcopum, qui est Ordinarius Bohemiæ, ex *hoc cap. & cap. veniens, infrà, de accusat.* accedere vellet de repudio conquestura, iterum ac tertiùm prohibita est à satellitibus eiusdem, id est, à satellitibus Principis, vt supplet Hostiensis *ex integra Decretali, quæ est in* IV. *collect.* Idémque Episcopus Pragensis post appellationem interpositam, nimirum ab A. Regina, diuortij sententiam promulgauit. A qua cùm denuo Regina appellasset, Pontifex iudices dedit, qui de causa appellationis cognoscerent. A quibus cùm Bohemus appellasset ad eumdem Pontificem, & ipsi iudices delegati nihilominus in causa processissent, & testes productos recepissent, Princeps Bohemiæ productionem testium nullam & irritam esse dicebat, quasi factam post appellationem à se interpositam, & ante litem contestatam. Contrà Anna dicebat litem fuisse contestatam hoc argumento, quòd secuta esset sententia, qua nitebatur Princeps Bohemiæ. Super his Ponti-

fex mandauit Magdeburgensi Archiepiscopo, & Præposito Salisburgensi, (sic lege in inscriptione *huius cap.*) vt recipiant testes eosdem vel nouos, qui ab vtroque producti fuerint super processu, seu gestis Pragensis Episcopi, vel posteriorum iudicum, cùm nondum didiscita sint testificata, id est, publicatæ attestationes, & renuntiatum probationibus, subaudi maximè, vt supplet Hostiensis hoc loco. In causa enim matrimoniali testes recipiuntur etiam post didiscita testificata, & renuntiationem, *cap. series, suprà, hoc tit.*

CAPITVLVM XLVII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

LICET ex quadam necessitate præter communem formam olim fuerit institutum in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valere testimonium de auditu, cùm propter breuem hominum vitam testes de visu deponere non valerent, vsque ad gradum septimum computando: quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus ex hoc multa pericula contra legitima prouenisse coniugia; statuimus, ne super hoc recipiantur de cætero testes de auditu, cùm iam quartum gradum prohibitio non excedat. Nisi fortè personæ graues extiterint, quibus fides meritò sit adhibenda, & ante litem motam testificata didicerint ab antiquioribus quidem suis, non vtique ab vno, cùm non sufficeret ille si viueret, sed duobus ad minus: nec ab infamibus & suspectis, sed à fide dignis & omni exceptione maioribus: cùm satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores. Nec tamen si vnus à pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperunt, quod testantur, tamquam plures idonei testes debent admitti, cùm secundùm ordinem solitum iudiciorum non sufficiat vnius testis adsertio, etiamsi præsidali refulgeat dignitate, & actus legitimi sint infamibus interdicti. Testes autem huiusmodi proprio iuramento firmantes, quòd ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus, vel demonstratione, vel circumlocutione sufficienti designent, & ab vtroque latere singulos gradus clarâ computatione distinguant: & in suo nihilominus iuramento concludant se accepisse à suis maioribus quod deponunt, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi iurati deponant se vidisse personas, vel in vno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere: tolerabilius est enim aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Domini separare.

CVM olim nuptiæ vetitæ erant inter cognatos & affines, vsque ad septimum gradum, in causis matrimonialibus, in quibus quærebatur de cognatione & affinitate, testes de auditu recipiebantur, *can. de parentela.* XXXV. *qu.* VI. *cap.* I. *de consang. & affinit. in* IV. *collect.* quia propter breuiorem vitam hominum testes de visu non inueniebantur. At hodie ex Conc. generali Lateranensi habito sub Innocent. III. prohibitione coarctatâ ad quartum gradum, *cap. pen. infrà, de consang. & affinit.* testes de auditu non recipiuntur, nisi sint viri fide digni, & ante litem motam testata didicerint ab antiquioribus, saltem duobus fide dignis, & omni exceptione maioribus, computatis clariùs gradibus cognationis ab vtroque latere, ac præterea iuramento addito se vidisse quosdam ex ea cognatione pro consanguineis se habere. Tolerabilius est

enim aliquos contra statura hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè contra statuta Domini separare: & in eamdem sententiam in matrimonialibus caussis non tam ad disiungendum, quàm ad coniungendum debemus existere promptiores, *cap. accedens in antiq. suprà, vt lit. non contestat.* Vnde in iisdem causis paribus sententiis iudicum pro matrimonio iudicandum, *cap. vlt. infrà, de re iudicat.*

TIT. XXI. *De testibus cogendis, vel non.*

CAPITVLVM VIII.

INNOCENTIVS III. PRIORI S. FRIDIANI, ET MAGISTRO P. CAN. PISANO.

SVPER his :.·.·. Cæterùm volumus & mandamus, vt super inquisitionis articulis, tam de fama electi, quàm literis contra eum sub nomine longè maioris & saniotis partis Capituli destinatis, cogatis testes, qui nominati fuerint, perhibere testimonium veritati.

CAPITVLVM IX.

IDEM ARCHIDIACONO MEDIOLANENSI.

CVM contra magistrum R. super eo, quòd dicitur falsas de Sede Apost. literas reportasse, ac per se vel procuratorem fuisse vsum eisdem, tibi ditexerimus scripta nostra; postulasti per Sedem Apost. oraculum edoceri, vtrum super præfato vitio falsitatis testes compellere debeas nominatos. Nos igitur respondemus, quòd testes prædicti si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam debes adpel. remotâ, compellere veritati testimonium perhibere.

LEGE Iulia in publicis iudiciis testes etiam inuiti euocabantur, exceptis certis personis, purà cognatis & affinibus & aliis, *l. lege Iulia, l. inuiti. I. & II. ff. de testib.* Plin. lib. III. epist. IX. *E testibus quidam siue iratus quòd euocatus esset inuitus, siue subornatus ab aliquo reorum, vt accusationem exarmaret.* In priuatis autem iudiciis non nisi spontanei testes adhibebantur. Primus Iustinianus auctor fuit, vt tam in ciuilibus, quàm criminalibus iudiciis testes etiam inuiti euocarentur, *l. si quando, C. de testib.* Iure Pontificio testes inuiti non coguntur testimonium dicere, nisi detrectent testimonium ferre odio, gratiâ, vel metu, vt probatur vtroque *hoc cap. & cap. I. cap. super eo, & cap. dilectorum, hoc tit.* & hanc differentiam Iuris Ciuilis, & Pontificij ostendit Alexander III. in *d. cap. super eo*, quo loco ait, *Testes ad hoc passim de iuris humani rigore compelli.*

TIT. XXII. *De fide instrumentorum.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO.

INTER dilectos filios G. Abbatem S. Donati de Scozula, & B. procuratorem tuum super subiectis articulis, diu fuit in nostro auditorio litigatum. Petebat siquidem Abbas nomine monasterij sui à præfato procuratore tuo, nomine Mediolanen. Ecclesiæ restitui monasterio memorato portum Scozulæ cum honote, districtu, & iurisdictione loci præfati, dicens ad monasterium hæc omnia pertinere, hoc ipsum dicens de hominibus, qui habitant in curte Berunen. & tenent res monasterij in Gralia: de quibus monasterium obtinuerat in iudicio possessorio per

ſententiam Epiſcopi Veronenſis. Hæc omnia petebat cum omnibus fructibus inde perceptis: ſaluo in omnibus iure addendi vel deminuendi, ſatagens comprobare omnia, quæ præmiſſa ſunt ad ſuum monaſterium pertinere. Primò per priuilegium Luithardi Comitis quondam Epiſcopi Lucani, qui monaſterium ipſum fundauerat, & ei, quæ præmiſſa ſunt, donauerat vniuerſa. Secundò per inſtrumentum ſententiæ Aſperti, quondam Mediolanen. Archiepiſcopi, quam ex delegatione Ludouici Imperatoris tulit ſuper his pro monaſterio contra A. præfati Luithardi nepotem, qui ſuper his monaſterium moleſtabat. Tertiò per priuilegia Romanorum Impp. & præſertim Henrici, qui præmiſſa omnia monaſterio confirmabat, vel etiam conferebat. Quartò per inſtrumenta locationum, quas fecerant diuerſis perſonis Abbates monaſterij memorati. Teſtes quoque produxerat, per quos nitebatur probare, quòd monaſterium à LX. annis & citra, & à L. annis & ſuprà, poſſederat ſupradicta: & quòd fama publica erat, ea omnia præfato monaſterio, à iam dicto Luithardo fuiſſe donata. Sed contra priuilegium donationis à procuratore tuo multa fuerunt obiecta. Primò, quia ibi maximè adparebat conſumptum (videlicet in adnotatione indictionis) vbi potuiſſet falſitas faciliùs deprehendi. Secundò, quia cùm charta vetuſtiſſima videretur, recentior adparebat ſcriptura, tamquam non illo tempore facta fuiſſet. Tertiò, quia falſum ſigillum vitioſè videbatur adpoſitum, eo quòd à media parte ſigilli adparebat quædam imago non cum mitra in capite, ſed cum pileo; nec induta Pontificalibus, ſed Regalibus indumentis; tenens in manu non baculum paſtoralem, ſed quaſi ſceptrum regale; cuius facies non adparebat integra, ſed dimidia, tamquam in illa medietate reſpiceret aliam mediam, quæ tamen tota vacua remanebat: ſed quædam imago videbatur ex ea fuiſſe deleta; quia cera in ea parte, nec in colore, nec in planicie reliquæ parti ſimilis adparebat: vnde non Epiſcopi, ſed Imperatoris videbatur fuiſſe ſigillum, quia in vna medietate Cæſaris imaginem exprimebat, & in altera medietate præſumebatur, vel filij, vel coniugis imaginem habuiſſe: nam & in ipſo ſigillo nullæ aliæ literæ adparebant, niſi quæ nomen proprium cum hac adiectione, Dei gratiâ, deſignabant. Sed cùm proprium nomen ipſius Epiſcopi fuerit Luithardus, & in nomine proprio, quod exprimebat ſigillum, deleræ fuerant duæ literæ. ſecunda, quæ erat inter l & t, & ſexta, quæ fuerat inter r & u, ita quòd ſi ſecunda o, & ſexta fuiſſet i, procul dubio non Luithardus, ſed Lotharius legeretur: quod etiam inde conuinci poterat, quòd ſecundùm diſpoſitionem aliarum literarum inter l & t non erat ſpatium, niſi quod potuiſſet vnam literam continere: cùm ſecundùm integritatem huius nominis Luithardus, inter l & t, duæ literæ ſint diuerſæ: præterea inter r & u tam modicum erat ſpatium, vt in eo nec hæc litera d, quæ maius occupat ſpatium, ſed hæc litera i, quæ minimum occupat, videretur formata fuiſſe. Rurſus cùm cera ſigilli ab interiori parte vetuſtiſſima eſſet, cera quæ poſita erat ab exteriori parte, quaſi ad conſeruationem ſigilli, recens erat & mollis. Quod cùm diligenter inueſtigatum fuiſſet, certo certius eſt compertum, quòd ſub vetuſto ſigillo

charta fuerat perforata, & per glutinum nouæ ceræ, quæ fuerat posita exteriùs, quasi ad conseruationem sigilli, vitiosè sit ipsi chartæ subiunctum. Eâdem falsitatis specie per vitiosam videlicet adpositionem sigilli cætera ferè priuilegia Romanorum Impp. præter priuilegium Henrici vel falsa reperta sunt, vel falsata. Sed & ipsum Henrici priuilegium ad fidem instruendam non videbatur sufficere, quia nec erat publicâ manu confectum, nec sigillum habebat authenticum, eo quòd erat ex media ferè parte consumptum, nec plus de nomine proprio, nisi vltima medietas, videlicet icus, nec de cæteris literis nisi hæc adiectio, Dei gratiâ, adparebat, ita quòd ex literis ipsis non magis poterat comprobari fuisse sigillum Henrici, quàm Ludouici. Instrumentum quoque sententiæ multis modis inueniebatur suspectum, tum quia in ipso quædam adparebant lituræ: tum quia subscriptio notarij videbatur manus alterius fuisse, quàm subscriptio instrumenti, cùm tamen notarius in subscriptione profiteretur se instrumentum manu propriâ conscripsisse. Litera quoque recentior videbatur, quàm charta, & aqua videbatur encaustum infectum, vt antiquius adpareret. In omnibus autem Imperialibus priuilegiis, quæ posteriora fuerant, nulla est habita mentio de sententia, quamuis in eorum aliquibus mentio facta fuerit Luithardi, qui dicebatur donationem fecisse. Porrò si legitimum esset instrumentum sententiæ, per illam tamen sententiam nullum Mediolanensi Archiepiscopatui præiudicium poterat generari, cùm ipsa sententia lata fuerit inter alios: & res inter alios acta, alij non præiudicet. Nec adtestationes, quæ continebantur in instrumento sententiæ, per quas legitima donatio Luithardi videbatur esse probata, poterant eidem Archiepiscopatui nocumentum aliquod irrogare, cùm inter alias personas, & in alio iudicio receptæ fuissent. Cæterum memorati Henrici priuilegium, quod non solùm confirmationis, sed etiam donationis videbatur fuisse, vnde rerum dominium donatarum intelligi fortè poterat monasterio adquisitum, quamuis ex forma petitionis, quæ in ipso priuilegio declaratur, confirmatorium videretur, vt tamen intelligatur eo modo, quo magis posset valere, distinguendum videbatur, vt idem Henricus alia donauerit, & alia confirmauerit: cùm eadem legitimè nequiuissent confirmari pariter & donari: confirmari, tamquam priùs habita & possessa: donari, tamquam tunc tradita & concessa: ac per hoc illa non poterant intelligi per priuilegium illud donata, sed confirmata, cùm iuxta legum sanctiones, quod meum est ex alia causa meum fieri non possit, nisi desierit esse meum :.·.·. Cùm ergo priuilegium Henrici confirmatorium tantùm extiterit, saltem quoad illa, quæ deducta sunt in iudicium, si principale non tenuit, nec accessorium, quod ex eo vel ob id dignoscitur esse secutum :.·.·. Per instrumenta verò locationis, nec est vtique probata proprietas: nec ad plenum possessio, cùm ad probationem rei propriæ siue ad defensionem non sufficiat facta locatio :.·.·. Cùm autem super his fuisset diutiùs litigatum, quia legitimè probata non fuerant quæ petebantur, ad monasterium pertinere, ab impetitione ipsius procuratorem tuum nomine tuo & Mediolanen. Ecclesiæ sententialiter du-

ximus absoluendum: quoniam cùm obscura sunt iura partium, consueuit contra eum, qui petitor est, iudicari.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. III. lib. II. epist. xxxv. cui coniungenda est epist. xxxviii. lib. I. eiusdem Pontificis. Huius verò species hæc est: Lis erat inter Abbatem S. Donati de Scozula, & Archiepiscopum Mediolanensem, de qua agitur etiam in *cap. I. suprà, de sequestr. possess. & fruct.* super territoriis, & prædiis quibusdam quæ Abbas petebat sibi restitui, cum fructibus medij temporis ex sententia Veronensis Episcopi super possessorio lata. Vt verò Abbas probaret hæc omnia ad se & monasterium pertinere, nitebatur variis titulis, & adminiculis: Primò nitebatur priuilegio Luithardi Comitis, & Lucensis Episcopi, qui erat fundator monasterij, & prædicta monasterio donasse ferebatur: Secundò idem adducebat sententiam quamdam Asperti Mediolanensis Archiepiscopi, ex delegatione Ludouici Imperatoris latam pro monasterio contra nepotem Luithardi, quem super his Monachi infestum habebant: Tertiò idem Abbas tuebatur se priuilegiis Imp. & maximè Henrici, qui præmissa omnia monasterio confirmabat, vel etiam donabat: Quartò instrumentis locationum quas variis temporibus fecerant Abbates eiusdem monasterij in varias personas. Ad hæc testes producebantur, per quos idem Abbas nitebatur probare se & Monachos à sexaginta & ampliùs annis prædicta possedisse, & probatio fiebat per testes, qui deponebant de fama, & de auditu, quòd ea omnia à præfato Luithardo monasterio fuissent donata. Sed contra huiusmodi priuilegium, seu instrumentum donationis Luithardi Comitis multa obiiciebantur. Primum, quòd instrumentum apparebat consumptum & corruptum in loco suspecto, videlicet in annotatione indictionis, id est, anni. Indictio est systema trium lustrorum, id est, quinquenniorum, ex quo vitium falsi posset facilè deprehendi. Instrumentum rasum & vitiatum in loco suspecto, putà in data, nullius est momenti, ob suspicionem falsi: aliàs si leue sit vitium, putà defectus literæ, non vitiat instrumentum, *cap. ex parte, hoc tit.* Instrumentis publicis apponi debet dies & Consul, nec valent instrumenta sine die & Consule, *l. I. C. de Apoch. public. lib. X. Nou. Iustin.* XLVII Hinc Taurum & Florentium eiusdem anni Consules, qui à Constantio stabant, quia cognito eius aduentu fugâ sese ex vrbe subduxerant, Consules fugitiuos in perscribendis publicis instrumentis Iulianus appellari iussit. Zozim. lib. III. φυγάδας μὲν αὐτοὺς ὑπάτους ἐν τοῖς συμβολαίοις ἐκέλευσε γράφεσθαι. Apud Iudæos tanto in cultu fuit Simon Pontifex, vt tam instrumentis publicis, quàm scripturis priuatis eius nomen, & annus Sacerdotij adiiceretur, Ioseph. lib. XIII. antiq. Iud. cap. XI. Secundò obiiciebatur quòd charta vetustior apparebat, recentior scriptura, quod erat idoneum argumentum falsi. Tertiò, quòd falsum erat sigillum appositum donationi Luithardi: cuius rei argumentum ducebatur ex eo quòd non Episcopi, sed Imperatoris vel Regis sigillum videbatur, eo quòd pars imaginis quæ reliqua erat, non mitram in capite præferebat, sed pileum quod est laïci, nec Pontificiâ, sed Regiâ veste amicta erat, quódque in ipso sigillo in expressione nominis proprij deletæ essent duæ literæ, secunda & sexta, & aliæ suppositæ, quódque spatium secundæ, quo contineri debuissent duæ literæ, ad exprimendum Luithardi donatoris nomen non sufficeret, nisi ad vnam literam, spatium verò sextæ literæ esset angustius, quàm vt recipere posset literam d sextam, ita vt non Luithardus, sed Lotharius legendum videretur. Rursus in cera sigilli erat inæqualitas: interior enim erat vetustior, exterior recens & mollior, & sigillum ipsi chartæ recens fuerat appositum nexu nouæ ceræ. Eadem vitia occurrebant in cæteris priuilegiis Imperatorum, quæ corrupta & vitiata apparebant adiectione falsi sigilli, dempto priuilegio Henrici. Falsi species est, si falsa bulla, id est, signaculum seu sigillum literis apponatur, *cap. licet. de crimin. fals.* Sed & ipsum priuilegium Henrici non videbatur fidem facere, quia nec erat publicâ manu confectum, nec sigillum habebat authenticum, eo quòd ferè media ex parte erat consumptum: ex quo colligitur sigillum non esse authenticum, id est, non obtinere publicam fidem si sit enormiter vitiatum. Sigillum authenticum est, quod publici vim & authoritatem præbet instrumento, sine subscriptione tabellionis & testium, quale habent Episcopi, Abbates & Capitula, vt *hîc, & cap.* III. *cùm cap. quod super his, hoc tit. cap.* II. *de fideiuss. cap. dilecta. de excess. Prælat. cap.* II. *de offic. ordin. in* VI. Synodus

Londinensis apud Matth. Parif. in Henrico III. *Quoniam tabellionum vsus in Regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur, statuimus vt sigillum habeant non solùm Archiepiscopi & Episcopi, sed etiam eorum Officiales, item Abbates, Priores, Decani, Archidiacani, & eorum Officiales, Decani rurales, necnon Ecclesiarum Cathedralium Capitula, & cætera quoque collegia, & conuentus cum suis Rectoribus, aut diuisim iuxta eorum consuetudinem, vel statutum, pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum, habeat vnusquisque sigillum, nomen putà dignitatis, officij, collegij, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel afficij perpetui gaudent honore, insculptum notis & caracteribus manifestis, sicque sigillum authenticum habeant.* Authenricum est etiam sigillum Principum & habet vim publici instrumenti, *cap. cùm dilectus, infrà, hoc tit.* Olim quoque in Gallia primores viri, putà Duces, Comites, & milites sigillum authenticum habuere, quorum vsus à Normannis petuenit ad Anglos, Ingulphus Abbas in Chronic. Croyland. *Ante Normannorum aduentum in Angliam chirographa firma erant, cum crucibus aureis absque signaculis, sed Normanni cum cerea impressione, per vnius cuiusque speciale sigillum sub instillatione*, lege intitulatione, *trium vel quatuor testium conficere chirographa instituerunt.* Non alios quàm milites sigillo proprio vsos, iam obseruauit P. Rouerius in illustrat. Hist. Reomaensis, ex tabulis Hugonis III. Ducis Burgundiæ, quibus vtriusque filij ipsius Odonis & Alexandri consensus accessit. Solius ramen Odonis sigillum appositum, quòd hic iam miles erat, Alexander nondum erat. Sententia quoque quâ nitebatur Abbas in multis erat suspecta, tum quia in ipsa quædam apparebant lituræ, litura in loco suspecto vitiat instrumenrum, *d. cap.* III. *hoc tit.* Tum quia subscriptio notarij videbatur alia manu facta, quàm scriptura instrumenti, cùm tamen notarius in subscriptione se inregrum instrumentum propria manu perscripsisse profiteretur. Instrumentum quidem alia manu scriptum valet, dummodo notarius euius iussu scriprum est id profiteatur, & subscriptum sit à notario. Subscriptio notarij est de substantia instrumenri, sine qua instrumentum non valet, *l. vlt. §. nec callidis, C. de adsess. iudic. l. generali, C. de tabular. lib.* x. *Nou. Iustin.* LXXIII. Vnde subscriptio non ineleganter dicitur manufirmatio, Capitul. lib. VI. cap. CCXVII. *Scriptiunes & manufirmationes suas in ipsis Capitulis faciant.* Aliud falsi argumentum erat, quòd litera recentior videbatur, quàm charta, & encaustum, id est, color purpureus, & sacri muricis ardor, quo tabulæ conscriptæ erant, *l. sacri affatus, C. de diuers. rescript.* aqua videbatur infectum, vt antiquius & obsoletius appareret. Tum quia in omnibus priuilegiis Imperatorum, quæ posteriora fuere, nulla fiebat mentio de sententia, etsi in nonnullis eorum fieret mentio Luithardi Comitis, qui ferebatur author donationis. Ad hæc obiiciebatur dictam sententiam latam fuisse inter alios, nempe inter monasterium & nepotem Luithardi, & idcirco non nocere Archiepiscopo Mediolanensi iuxta regulam, res inter alios acta aliis non nocet, *l. de vnaquaque ff. de re iudicat.* Et consequenter attestationes quæ continebantur eâdem sententiâ, non poterant obesse Archiepiscopo, cùm in alio iudicio, & inter alias personas receptæ fuissent. Attestationes testium receptæ in vno iudicio non probant in alio, *l. vlt. C. de testib. l. iubemus, C. de liberal. caus.* Et priuilegium Henrici, quod confirmationem & donationem continebat, quamuis magis ad confirmationem, quàm donationem pertineret, vt ramen acciperetur eo modo, quo magis valere poterat, distinguendum erat vt idem Henricus alia confirmauerit, alia donauerit, cùm eadem per rerum naturam non liceret simul confirmare, & donare, confirmatio præsupponit donationem ante factam, donatio intelligitur de re nunc tradita. Quod enim semel meum est, ampliùs meum fieri non potest, quod sumptum est ex §. *sic itaque discretis, inst. de act.* Et priuilegium Henrici, cùm confirmaret dumtaxat donationem ante factam, si donatio non valuit, nec per consequens confirmatio quæ est accessoria, secundùm reg. iur. sublato principali tollitur accessorium, *l. eas qui, C. de vsur.* Ac demùm per instrumentum locationis non probabatur proprietas, nec perfectè possessio, locatio non est idoneum argumentum proprietatis, vel possessionis, vt in *hoc cap. & cap. cùm venerabilis. de religios. domib. in antiq. l. Titia, ff. de solut. l. ad probationem, C. locat. l. ad probationem, C. de liberal. caus.* His motus Pontifex, quia Abbas non probabat proprietatem rerum quas possidebat ad se pertinere, ab ipsius petitione Archiepiscopum Mediolanensem absoluit. Vbi obscura sunt iura vtriusque partis, contra petitorem iudicatur. In dubio reus est fauorabilior,

rabilior, & actore non probante reus absoluitur, *l.* IV. *C. de edend. l. vlt. C. de rei vindicat.*

CAPITVLVM VII.

IDEM CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO.

QVOD super his:.·.·. Quæsiuisti, quid agere debeas circa cruce signatos, qui dicentes se ab Apost. Sede redire, super absolutione sua ignota Cardinalium sigilla reportant: cùm eis super impedimentis expositis non fuisset de leui credendum. Ad quod taliter respondemus, quòd quando talibus literas indulgemus, illis, qui personas & facultates eorum pleniùs nouerunt, hoc modo scribimus, vt super impedimentis expositis (inquisitâ diligentiùs veritate) statuant circa illos, quod animarum saluti, & succursui terræ sanctæ magis nouerint expedire: prouidentes adtentiùs, ne quid in fraudem voti fallaciter confingatur. Vnde si tales per suppressionem veritatis, aut falsitatis expressionem, literas non solùm Cardinalium, sed & nostras, nec solùm dubias, sed & certas constiterit impetrasse, carere volumus impetratis, & eis non obstantibus ad voti executionem compelli.

HOc cap. est pars *cap. quod super his, infrà, de voto & voti redempt.* quod coniungendum est. Huius verò species eiusmodi est. Milites cruce signati emisso voto sacræ militiæ, cùm à Cantuatiensi Archiepiscopo Ordinario suo vrgerentur ad implendum votum, dixere se ab Apostolica Sede redire, & super absolutione voti ignota Cardinalium sigilla, id est, literas Cardinalium ignotis sigillis munitas super absolutione voti impetratas præsentarunt: quæsitum est quo pacto cum his esset agendum. Consultus Pontifex in *hoc cap.* statuit vt si cruce signati per subreptionem vel obreptionem literas absolutionis impetrassent à Sede Apostolica, vel à Cardinalibus, carerent impetratis, & ad voti inexecutionem compellerentur. Absolutio voti sacræ militiæ non ab alio impetratur quàm à Summo Pontifice, vel ab eo qui habet speciale mandatum Sedis Apostolicæ, *cap.* II. *cap. non est, cap. ex multa, infrà, de vot. & voti redempt.* Et quod exponitur in *hoc cap.* sigilla Cardinalium impetrata super absolutione voti sacræ militiæ, non aliter accipiendum est, quàm de Cardinalibus qui haberent speciale mandatum Sedis Apostolicæ: sigillis Episcoporum vel Cardinalium creditur, *cap. post cessionem, suprà, de probat.* vbi sigillum notum est: verùm vbi sigillum est ignotum requiritur probatio: ignotis sigillis leuiter non est credendum, vt traditur in *hoc cap.* & ob id in clericis transmarinis requiruntur sigilla quinque Episcoporum, *can. transmarinos.* XCVII. *dist.* id est, literæ sigillatæ sigillis quinque Episcoporum.

CAPITVLVM VIII.

IDEM HELIENSI EPISCOPO.

PASTORALIS:.·.·. Auctoritate præsentium duximus statuendum, vt cùm decretalis aliqua, de qua iudex meritò dubitet, allegatur: si eadem iuri communi sit consona, secundùm eam non metuat iudicare: cùm non tam ipsius, quàm iuris communis auctoritate procedere videatur. Verùm si iuri communi sit dissona, secundùm ipsam non iudicet, sed superiorem consulat super ea.

QVÆSITVM est ab Heliensi Episcopo, qui est in Anglia, quænam decretales epistolæ sint authenticæ, id est, fidem publicam faciant, ita vt secundùm eas sine dubio sit iudicandum. Quærendi causa fuit quòd plures Decretales laudantur in scho-

lis, & In foro, quæ non sunt relatæ in corpus Iuris, & de quibus per bullam non constat, nec per metropoles insinuatæ fuerunt. Decretales epistolæ fidem non faciunt, nisi bullâ, id est, Pontificio sigillo sint munitæ, & obsignatæ, Goffrid. Vindoc. lib. II. epist. XXVIII. *Priuilegium quidem apud Stampas mihi fieri debuit, & scriptum fuit, sed in loco quo scriptum fuerat remansit non bullatum.* Quo iure edicta Principum non valent sine bulla & sigillo, *Clem. Romani, in fin. de iureiurand.* Chartam de dotalitio Ioannæ Reginæ vxoris suæ bullâ aureâ roborari voluit Willelmus Rex Siciliæ, apud Robert. Montensem in supplement. Sigeberti: *Ad huius autem donationis & concessionis nostræ memoriam, & inuiolabile firmamentum præsens priuilegium per manus Alexandri Notarij nostri scribi, & bullâ aureâ tympano impressâ roboratum nostro sigillo iussimus decorari.* vel vt legitur apud Roger. Houeden. in Henrico II. *bullâ aureâ nostro typario impressâ.* Æquè in concessione priuilegij bullâ aureâ vsus est Fridericus II. apud Petrum de Vineis lib. VI. epist. XXVI. *Ad cuius rei memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens priuilegium fieri, & bullâ aureâ typario nostræ maiestatis impressâ iussimus communiri.* Constitutiones etiam Pontificum vim legis non habent priusquam apud metropoles insinuatæ fuerint, vt legitur hîc in antiqua; non secùs ac edicta Principum vim & robur legis non habent, priusquam à Senatu recepta, & in acta Senatus relata sint, *l. VIII. C. de legib.* Hoc antè constitutum à Probo apud Vopiscum: *Permisit Patribus, vt leges quas Probus ederet, S C. propriis consecrarent.* Constitutionem Theodosij iunioris de præscriptione XXX. annorum non antè vsu receptam in Galliis, quàm proquiritata, id est, publicata esset apud tribunal Præfecti Prætorio, nobis auctor est Sidonius Apollinar. lib. VIII. epist. VI. *Per ipsum ferè tempus, vt decemuiraliter loquar, lex de præscriptione tricennij fuerat proquiritata. Hanc intra Gallias, an nesciam primus quem loquimur orator indidit prosecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis, frequenti conuentu, raro sedente, paucis sententiis, multis laudibus.* Consultus Pontifex statuit *in hoc cap.* vt si qua decretalis allegatur, quæ iuri sit consona, iudex ordinarius, vel delegatus secundum eam iudicet: quòd si sit iuri communi absona, consulat Superiorem. Rescripta contra ius commune elicita à iudicibus reiicienda sunt, *l. rescripta, C. de precib. Imperat. offerend.* Sed in dubio consulendus est Superior. Non aberrat à suo titulo hocce cap. pertinens ad epistolas Decretales, & ad hoc quænam sint authenticæ Decretales. Hoc enim cap. sumptum est ex III. collect. in qua titulus hic concipitur, *de fide instrumentorum, & decretalium.*

CAPITVLVM IX.

IDEM EPISCOPO S. ANDREÆ, ET ABBATI DE BROC.

CVM dilectus: . . . Ad secundam quæstionem duximus respondendum, quòd vtraque pars potest instrumentum etiam post publicationem adtestationum vsque ad definitiuæ sententiæ calculum exhibere antè, quàm sit in causa conclusum. Super tertio verò articulo respondemus, quòd si consuetudo illius patriæ obtinet adprobata, vt instrumentis illius Regis fides adhibeatur: vos ea securè poteritis admittere, præsertim cùm supradictus Rex tantæ fuerit honestatis, quòd ipsius instrumenta maximæ auctoritatis sint in partibus Scoticanis.

HOc cap. continet duo responsa Pontificis ad consultationes Episcopi S. Andreæ, qui est in Scotiâ. Primum est, quòd instrumenta possunt produci ab vtraque parte, etiam post publicationem attestationum, vsque ad definitiuam sententiam, priusquam in causa conclusum sit. Alia est causa testium, quàm instrumentorum: testes non possunt produci post testium publicationem, *cap. fraternitatis. de testib.* ratio differentiæ est, quia faciliùs testes possunt corrumpi, quàm instrumenta: aliàs in litibus eamdem vim habent instrumenta, & testes, *l. in exercendis, C. hoc tit.* Instrumenta producuntur vsque ad sententiam definitiuam, antequam sit conclusum: secus verò postquam est conclusum. Vbi enim in causa concluditur, simul & renuntiatur

probationibus, *cap. Pastoralis, suprà, de caus. possess.* Ita & mandatum procuratoris non potest reuocari, postquam est conclusum in causa, *cap. auditis, suprà, de procurat.* ne litibus moræ nectantur. Alterum responsum est, vt instrumentis Regis fides adhibeatur, si de consuetudine regionis ita obtineat. Sigillum Principis est authenticum & fidem publicam facit sine subscriptione tabellionis & testium, *cap. inter dilectos, suprà, hoc tit.* Et hoc verum est maximè, quod supplendum est, si talis sit consuetudo regionis, vt instrumentis Principis credatur, vti se habebat in Scotia. Spectatur & bona fama ipsius Principis, quia tantæ fuit honestatis, vt ipsius instrumenta maximæ essent auctoritatis in partibus Scoticanis: sic de fide instrumenti notario creditur magis quàm testibus, si ipse sit bonæ famæ & existimationis, *cap. cùm Ioannes. prox. hoc tit.*

CAPITVLVM X.

IDEM PETRO CIVI VITERBIENSI.

CVM Ioannes Eremita à te centum triginta libras Senen. ex causa mutui coram Donadeo & Io. iudicibus Viterbien. petiisset, & tu ex aduerso proponeres, quòd cùm idem in centum & octoginta libris tibi pro pretio domus, quam eidem vendideras, teneretur, centum triginta libras ex illis non immeritò debeat compensare. Tandem cùm super hoc & quibusdam aliis articulis inter vos fuisset aliquandiu litigatum, iudices adtestationibus publicatis te sententialiter condemnauerunt, vt eidem prædictæ domus possessionem vacuam traderes, & à creditoribus liberatam :. ·. Cùm igitur ab hac sententia ad nostram audientiam duxeris adpellandum, & nos tam tibi, quàm prædicto I. T. Subdiaconum & Capellanum nostrum dedimus auditorem, ex parte tua fuit propositum supradictæ domus venditionem non puram sed conditionalem potiùs extitisse, ac nullatenus teneri ad traditionem ipsius, quatuor nihilominus testibus ad hoc probandum inductis. Quod etsi nouum esset capitulum, pendebat tamen ex veteri. Qui iurati deposuerunt, se interfuisse contractui inter te & prædictum I. super eadem domo celebrato, pro qua centum octoginta librarum pretium tibi fuerat constitutum, tali videlicet adiectâ conditione, vt tu domum ipsam inhabitares liberè in vita tua, & post obitum tuum M. & R. natis tuis eiusdem I. nepotibus remaneret: cuius conditionis intuitu domum ipsam eidem I. pro minori pretio vendidisti, cùm à G. morandi pro ipsa CC. libras potuisses habere: anni verò, mensis & diei, quo venditio facta fuit, iidem testes se dixerunt minimè recordari. Dictus verò I. venditionem non conditionalem, sed puram proposuit extitisse, ad hoc probandum publicum exhibens instrumentum :. ·. ·. Tabellionem quoque, qui confecerat instrumentum: & vnum ex testibus in instrumento subscriptis ad id probandum induxit: . ·. ·. Porrò cùm dubitatio fuisset exorta, vtrius deberet probatio præualere, pro tua fuit parte propositum, quia etsi eamdem vim obtineant instrumentorum fides, & depositiones testium in litibus exercendis, non tamen quodlibet instrumentum tanti debet esse momenti, vt trium vel plurium idoneorum testium depositionibus præferatur. ·. ·. · Ad hoc autem idem Io. ex aduerso respondit, quòd cùm intentionem suam per iam dictum fundauerit instrumentum, ac tu in modum exceptionis venditionem ipsam non purè, sed conditionaliter celebratam

esse proponas, nec per testes ad hoc à te inductos de certo fuerit tempore facta fides, & ideo non adpareat quòd super illa venditione deponant, quam constat per dictum instrumentum determinato tempore fuisse contractam, huiusmodi probatio videbatur inefficax ad intentionem contrariam elidendam. Verùm responsionem istam esse proponebas inualidam: quoniam cùm vtraque pars à nobis interrogata, fuisset in iure confessa, quòd vnica tantùm venditio super domo contracta fuerit: & ex depositionibus testium liqueat venditionem conditionalem fuisse: ex vtriusque confessione colligitur eiusdem domus venditionem conditionalem extitisse, non puram, non obstante quòd ipsa interrogatio facta fuerit postquam à partibus extitit in causa conclusum, cùm iudex (qui vsque ad prolationem sententiæ debet vniuersa rimari) possit interrogare de facto quotiens dubitationis aliquid occurrit:.·.·. De consulta f. n. pronunciauimus, venditionem prædictæ domus fuisse conditionaliter celebratam, & te ob hoc nullatenus obligatum ad traditionem ipsius: super hoc memorato I. silentium imponentes. Sententiam verò iudicum prædictorum, qui aliàs iustè pronunciasse noscuntur (cùm huiusmodi exceptio coram ipsis nec probata fuerit nec obiecta) quoad dictum capitulum infirmamus, eam quoad alios articulos auctoritate Apostolicâ confirmantes.

SPECIES *huius cap.* quæ valde celebratur in schola, & in foro, hæc est: Cùm Ioannes Eremita, id cognomen personæ, à Petro ciue Viterbiensi repeteret CXXX. libras ex causa mutui coram iudicibus municipalibus: in Gallia & Italia libra nummaria pendit viginti solidos, quam à quingentis annis in vsu fuisse credidit Molineus de vsur. qu. c. num. CLXXXII. ego altiùs repeto. Annales Pithœi ad ann. DCCCLXXXII. *In auro & argento bis mille libræ, & LXXX. vel paulo plus, librâ per XX. solidos computatâ.* Petrus ex aduerso excipiebat Ioannem sibi teneri in CLXXX. libris, pro pretio domus eidem venditæ, quæ erant compensandæ ad concurrentem vsque quantitatem. Lite per tempus disceptatâ, & publicatis attestationibus, Iudices Petrum per sententiam condemnarunt, vt Ioanni prædictæ domus possessionem vacuam traderet, & à creditoribus liberam, id est, à creditoribus medio tempore contractis. A qua sententia cùm Petrus appellasset ad Summum Pontificem, quia Viterbium est ditionis Pontificiæ in temporalibus; aliàs non rectè à ciuili iudice appellaretur ad Pontificem, *cap. si duobus, infrà, de appellat.* Coram auditore dato à Pontifice Petrus quatuor testibus probauit venditionem domus non puram, sed conditionalem fuisse, ac proinde non teneri ad ipsius traditionem. Talis videlicet conditio seu pactio (quandoque conditio pro pacto accipitur, vt *hîc, & l. ea conditione, C. de resc. vend.*) Talis, inquam, conditio adiecta erat venditioni, vt Petrus domum inhabitaret quoad viueret, & post mortem suam apud liberos suos, qui erant eiusdem Ioannis nepotes, remaneret. Prædicti quatuor testes deposuerunt super venditione domus, quod etsi nouum esset capitulum, seu nouus articulus: in priori enim instantia quæstio erat de mutuo, in ea nihil actum erat de venditione domus conditionali, sed in iudicio appellationis. Etsi, inquam, nouum esset capitulum, pendebat à veteri; in causa appellationis iidem vel noui testes produci possunt super nouis articulis, *cap. fraternitatis, suprà, de testib.* etsi pendeant à prioribus. Testes prædicti deposuerunt se interfuisse venditioni: de pretio rei venditæ, & conditione venditioni adiectâ certum testimonium dixerunt: anni verò, mensis & diei, quo venditio contracta fuit, se minimè memores esse dictitarunt. Dictus verò Ioannes replicabat venditionem non conditionalem, sed puram fuisse, producto ipso instrumento venditionis, & vnà tabellione ipso, & vno è testibus, qui instrumento subscripserunt. Re in iudicium deductâ dubitatum est vtrum testes producti præualerent instrumento publico. Hinc Petrus contendebat quatuor testes ido-

neos instrumento potiores esse; quia etsi in litibus eamdem vim habeant instrumenta & testes, *l. in exercendis, C. hoc tit.* non tamen instrumentum tanti debet esse momenti, vt tribus vel pluribus idoneis testibus præferatur: satis est, si tabellio duorum testium vicem sustineat, propter auctoritatem officij publici, & fidem iuramenti quo tenetur, vt subditur *hic in integra, & cap. quoniam, suprà, de probat.* Ad hoc Ioannes replicabat testibus non habendam esse fidem, quòd non deposuerint de certo tempore venditionis. Verùm hæc exceptio elidebatur hac ratione, quòd cùm in confesso esset vnicam venditionem contractam fuisse, & per testes liqueret venditionem sub conditione, vel pacto contractam fuisse, non ideo minùs spectanda erat fides testium, quòd non deponerent de anno & die. Neque obstabat quòd testes auditi essent postquam esset conclusum, quia testes possunt interrogari de facto, vsque ad sententiam, quoties dubitationis aliquid occurrit, putà si quid obscuriùs testificati sunt, *can. iudicantem. xxx. qu. II. cap. cùm clamor, suprà, de testib. l. hæredes palam, ff. qui testam. fac.* Auditis itaque vtriusque partis rationibus Pontifex pronuntiauit venditionem non puram, sed conditionalem fuisse, & per hoc Petrum non teneri ad traditionem domus, in hoc retractans priorem sententiam iudicum, in aliis verò articulis eamdem confirmans. Regulariter testes non audiuntur aduersus instrumentum publicum: contra scriptum testimonium non scriptum non admittitur, *l. 1. C. de testib.* nisi instrumentum falsi, vel simulationis arguatur: hoc casu testes instrumentarij audiuntur, vt *hic, & cap. quanto. de his quæ fi. à Prælat. & l. optimam, C. de contrah. & committ. stipulat. l. cum precibus, C. de probat.* Quia testium instrumentariorum fides non est suspecta, cùm ab vtraque parte sint electi, & semel probati postea reprobari non possint, *l. cùm Papinianus, C. de sentent. & interlocut.*

TIT. XXIII. *De præsumptionibus.*

CAPITVLVM XIV.

INNOCENTIVS III. NIVERN. EPISCOPO, ET ARCHIDIAC. BITVRICEN.

LITERAS vestras recepimus, continentes, quòd cùm causa, quæ vertitur inter Altissiodoren. Episcopum, & quosdam Burgenses de Charitate, quos idem Episcopus de hæresi impetebat, vobis & Abbati Collonensi, à Sede Apostolicâ delegata fuisset, vtraque pars vos duos sub certa pœna, sibi arbitros statuerunt, delegatâ vobis nihilominus potestate reseruatâ; G. autem lator præsentium vnus ex illis hæresim suam fuerat publicâ voce confessus, & de fratre suo similiter recognouerat, quòd eodem secum laborabat errore :.·.·. Nos verò prædictum G. suspectum de hæresi vehementer habuimus, tum quia quod antè dixerat, postea se dixisse negauit: tum quia vel mendacium priùs dixit in fratrem, adserendo illum hæreticum, vel periurium postea commisit in Deum, purgando illum de hæresi: quorum vtrumque reddit illum valde suspectum: quamquam verisimilius videbatur, quòd eo tempore, quo tamquam verè pœnitens ab hæresi reuertebatur ad fidem, tam graue mendacium non dixisset præsertim in fratrem, quem tamquam charissimum, non adseruisset hæreticum, nisi fuisset accensus zelo fidei orthodoxæ. Vnde præsumitur, quòd cùm postea purgauit illum de hæresi, turpiter deierauit. Quocirca mandamus, quatenus cùm propter solam suspicionem (quamuis vehementem) nolumus illum de tam graui crimine condemnari, talem & tantam securitatem recipiatis ab ipso, præter iuratoriam cautionem, quòd timore pœnæ corporalis debeat coërceri, discretam ei pœnitentiam iniungentes, ex qua valeat adparere vtrum in tene-

brisambulet, an in luce: vtrúmve sit verè pœnitens, an fictè conuersus: & si eum hoc modo verum catholicum cognoueritis, non sinatis ipsum indebitè molestari: alioquin eum tamquam hæreticum condemnetis.

HVIVS cap. species eiusmodi est: Causa hæresis vertebatur inter Altissiodorensem Episcopum, & quosdam Burgenses, id est, ciues de Charitate, id nomen oppido Altissiodorensis diœcesis ad Ligerim, cui ortum & nomen præbuit Prioratus vnus è maioribus Ordinis Cluniacensis: Hildebertus Cenomaunensis in vita S Hugonis Abbatis Cluniacensis: *Ingressus itaque cellam B. Mariæ, quæ dicitur de Charitate.* Et Petrus Cluniacens. lib. II. epist. XXXIX. ad Caloioannem Bisantinum Imp. *Inter quæ Cluniaco monasterio, omnibus Latinis Regibus & gentibus notissimo, eique subdito magno & religioso loco qui Charitas dicitur, monasterium iuxta ipsam regiam ciuitatem, quod Ciuitot vocatur dedit, & in perpetuum Abbatis Cluniacensis, & Prioris de Charitate obedientiæ subiecit.* Et Gregor. IX. *in cap. sacrosancta. de elect. Cluniacens. & de Charitate Prioribus dumtaxat exceptis.* Causa hæresis, inquam, vertebatur apud Summum Pontificem, inter Altissiodorensem Episcopum, & quosdam ciues Charitatis oppidi, quos idem Episcopus de hæresi insimulabat. Licèt cognitio de hæresi ad Episcopum de iure communi pertineret, vtpote diœcesanum, *cap. ad abolendam. de hæretic.* Episcopus rem detulit ad Pontificem, quòd fortè maluit accusator, quàm iudex esse in causa hæresis. Quæ causa cùm delegata esset Niuernensi Episcopo, & Archidiacono Bituricensi, quibus hæc Decretalis inscribitur, ab vtraque parte compromissum est in iudices datos, saluâ eis delegatâ potestate, quod à iure non abhorret, *cap. cùm olim, suprà, de arbitr.* Coram arbitris cùm vnus ex oppidanis publicè de se confessus esset labem hæresis, & fratrem eiusdem erroris vitio fœdatum recognouisset; postea negauit se fratrem nominasse, & iuratus affirmauit fratrem esse Catholicum, & Orthodoxum: quia sibi contrarius periurus & hæreticus videbatur, re delatâ ad Sedem Apostolicam hic valde suspectus visus est de hæresi ob mendacium & periurium, quòd iuratus illum purgauit de hæresi, quem antè professus erat hæreticum. Sed quia ex sola suspicione, etsi vehementiori, non poterat damnari de tam graui crimine: ex sola suspicione criminis non est quis damnandus, *l. absentem, ff. de pœn.* in criminalibus probationes debent esse luce clariores, *l. cum reis, C. eod. tit. l. vlt. C. de probat. l. singuli, C. de accusat. can. sciant cuncti. II. qu. VIII.* Sidon. lib. I. epist. XI. *Periniurium est sententiam purpurati tribuere priuatis hoc simultatibus, vt innocens ac secura nobilitas, propter odia certa crimine incerto periclitetur.* Iudicibus datis mandauit Pontifex, vt ei pœnitentia iniungatur, & de ea præstanda exigatur securitas præter iuratoriam cautionem, id est, satisdatio, quæ fit datis fideiussoribus, quia semel periurij conuicto non est credendum. Iuratoria cautio admittitur, vbi quis fideiussorem inuenire non potest, *l. II. § sed si dubitetur, ff. de iudic. l. cùm non facile, ff. si cui plus q. per leg. Falcid. auth. generaliter, C. de Episc. & Cleric. auth. cui relictum, C. de indict. vid. tollend. cap. alma mater. de sentent. excomm. in VI.* Sed in periurij suspecto, quia cautio iuratoria non sufficit, suppletur per satisdationem.

CAPITVLVM XV.

IDEM GENADIEN. EPISCOPO, ET ABBATI DECIQVORVM.

CVM in iuuentute sua Quinqueccclesien. Episcopus adeò se maturum, honestum & prouidum exhibuerit, vt ab Ecclesia Romana meruerit pallio decorari, non est de leui credendum, quòd postquam ad senilem peruenit ætatem, turpiter abiecerit iugum Domini, fœtores libidinis amplexando: cùm labes huiusmodi quæ nonnumquam in iuuentute contrahitur, in senectute frequentiùs expietur. Quis præterea de facili crederet, quòd vir prædictus scientia literarum, propriæ salutis oblitus, ad eam passionis ignominiam se conuerteret, vt cum propria nepte abominabilem perpetraret incestum? cùm etiam secundùm sententias Ethni-

eorum naturale fœdus inter tales personas, nihil permittat sæui criminis suspicari. Licèt igitur Rex Hungariæ eumdem Episcopum nobis per nuncios & literas de tali crimine detulisset, postulans, vt malum huiusmodi perniciosum exemplo de Hungarica Ecclesia tolleremus: Quia tamen eius suggestio non de charitatis radice procedere videbatur, noluimus aures nostras, quasi malignis delationibus inclinare. Sed vt probaremus, si spiritus esset ex Deo, Auriensi Episcopo dedimus in mandatis, vt prudenter & cautè à Coepiscopis indagaret, vtrum præfatum Episcopum crederent tali labe respersum. Qui nobis postmodum rescripserunt, quòd eum virum honestæ conuersationis esse credebant, personam illius multipliciter commendantes.

HOc caput integrum legitur apud Innocent. III. registr. XIII. epist. XII. Huius species hæc est: Quinqueeclesiensis Episcopus iam senior apud Summum Pontificem incestus cum nepte delatus est à Rege Hungariæ per nuntium, & literas. Regis suggestioni non facilè credendum ratus Pontifex, quòd cùm Episcopus in iuuentute sua probum, & honestum se ita præbuisset, vt ab Ecclesia Romana meruisset pallio decorari, vix erat vt in senili ætate lapsus esset in probrum incontinentiæ: qui continens fuit in iuuentute, non præsumitur incontinens in senectute: ætas, vxor, liberi sunt vincula & argumenta innocentiæ. His argumentis à cædis crimine innocentiam purgat quispiam apud Lucian. in Pseudomanti: οὐκ ἂν βουλοίμην ἐν τούτῳ τῆς ἡλικίας, καὶ γυναῖκα, καὶ τέκνα ἔχων μιᾶναι φόνῳ τὰς χεῖρας, *Nolim in hac ætate, & vxorem, & liberos habens, inquinare cæde manus.* Ætatis & anteactæ vitæ rationi accedebat quòd inter huiusmodi personas nihil sæui criminis suspicari fœdus naturale permittebat; quæ verba desumpta sunt ex *l. cùm qui, C. de Episcop. & Cleric.* His motus Pontifex Auriensi Episcopo mandauit, vt Coepiscopos consuleret, vtrum præfatum Episcopum crederent tali labe fœdatum; qui commendationis literas pro eo dederunt. Vt omnis tamen suspicio tolleretur, purgatio canonica ei indicta est, vt ostenditur in *cap. cùm in iuuentute, infrà, de purgatione canonic.* quod est pars *huius cap.* Pallium est insigne proprium Archiepiscoporum, est plenitudinis Pontificalis officij insigne, quod Archiepiscopis à Sede Apostolica confertur, *cap. IV. suprà, de elect. can.* I. *& seq.* C. *dist.* Potest tamen Episcopis concedi ex speciali priuilegio, vel consuetudine, vt hic Quinqueeclesiensi Episcopo, Ostiensi Episcopo ex instituto D. Marci, Anastas. in eius vita: *Hic constituit vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum vrbis, pallio vteretur:* ex consuetudine id receptum maluit Robert. Montens. in supplem. Sigeberti: *Ex hac consuetudine exinde Ostiensis Episcopus ordinat, & sacrat Romanum Pontificem, & habet pallium solummodo ad ea quæ pertinent in ordinatione, & consecratione Romani Pontificis.* Samsoni Dolensi Episcopo indultum pallium à Pelagio I. Syagrio Augustodunensi Episcopo à Gregorio I. auctorem habemus ipsum lib. VII. epist. V. Ticinensi ab Anastasio III. Lucensi in Thuscia à Gregorio VII. Bambergensi in Germania à Leone IX. Aniciensi ab Vrbano II. Henrico Aquileiensi Episcopo, ipsi, non successoribus, ius pallij concessit Gregorius VII. Idémque Brunoni Veronensi Episcopo pallium promisit, si Romam veniret munitus priuilegio Sedis Apostolicæ: testis ipse lib. VI. epist. XXXVIII. & lib. I. epist. XXIV.

CAPITVLVM XVI.

IDEM ARCHIDIAC. ET PRÆPOSITO MEDIOLAN.

DVDVM Archidiac. Mediolan. dedimus in mandatis, vt C. scholarem à Presbytero sancti Victoris in clericum eiusdem Ecclesiæ recipi faceret & in fratrem : .·.·. sed Presbyter memoratus Archidiacon declinans examen, adseruit quòd nequaquam sufficiebant duobus clericis facultates Ecclesiæ memoratæ; adiiciens, quòd prædictus C. non erat

idoneus ad illius Ecclesiæ beneficium obtinendum :.·.·. Causam vobis duximus committendam ita, vt ex illa clausula, scilicet si persona fuerit idonea, quæ nostro rescripto reperitur inserta, eidem scholari probandi se idoneum nulla necessitas imponatur, cùm primâ facie præsumatur idoneus: nisi aliud in contrarium ostendatur.

HVIVS cap. species hæc est: Pontifex mandauit Archidiacono Mediolanensi, vt C. scholarem in Clericum & fratrem recipi faceret in Ecclesia S. Victoris, adiectâ clausulâ, *si esset idoneus*, quæ erat vulgaris clausula in mandatis de prouidendo, *cap. cùm adeo, suprà, de rescript.* Presbyter seu Rector Ecclesiæ conuentus apud executorem tuebatur sese duplici exceptione: primâ, quòd facultates Ecclesiæ alteri Clerico non sufficerent; numerus Clericorum statuendus est pro facultatibus Ecclesiæ, *cap. 1. infrà, de institut.* Secundâ, quòd prædictus scholaris non esset idoneus ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum. Consultus hac de re Pontifex rescripsit clausulam, *si idoneus sit*, non imponere necessitatem scholari probandi se idoneum, cùm scholaris præsumatur idoneus, nisi probetur contrarium: de iure scholaris præsumitur idoneus ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum; non ea modò ratione quòd dignus præsumitur, qui non probatur indignus, *cap. vnic. de scrutin. in ord. fac.* sed ea potissimùm quòd literati censentur aptiores ad obtinenda beneficia Ecclesiastica. Vnde literatis debentur maiora beneficia, *cap. de multa, infrà, de præbend.* De Ecclesia bene merentur literati, quorum scientiâ totus mundus illuminatur, *auth. habita, C. ne fil. pro patr.* Immo literarum studiosi, meritis studiorum pro Clericis habentur, & Clericorum appellatione continentur, *cap. quod Clerici, suprà, de for. compet.* Non abs re, quòd olim non alij ferè darent operam literis, quàm qui cogitabant de Clericatu, Stephanus Tornacens. epist. XII. *In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantùm plerique literas addiscunt, siue paruuli, siue adulti, vt in Ecclesia Dei gradatim per ordines promoti Deo seruiant, & ministrent.* Præsumitur idoneitas scholaris, fortè etiam, quia scholaris accipitur hîc non pro simplici literarum studioso, sed pro Doctore, & literarum Professore, vt in inscriptione *cap. quia in causis. de procurat. & cap. Pastoralis in antiq. de fid. instrument.* Et ita Matth. Paris. ad ann. MCLXIX. *Gallicanâ Ecclesiâ ponente partes suas, seu scholaribus diuersarum prouinciarum, æquâ lance negotium examinantibus.*

TIT. XXIV. *De iureiurando.*

CAPITVLVM XVI.

INNOCENTIVS III. H. ET S. ET M. CIVIBVS VENETIS.

VENIENS ad præsentiam nostram A. nobis exposuit, quòd olim cum M. Maurien. alternatim conuicia ingerendo certauit, propter quod cùm graues inimicitias incurrisset, quidam, qui partis vtriusque amatores extiterant, suggesserunt prædicto A. vt in satisfactione iniuriarum vestro iuraret obedire mandato. Cúmque idem non crederet se tale quid commisisse propter quod ei aliquod graue deberet imponi, iuramentúmque illud sub tali confidentia præstitisset, ipsi sub iuramenti debito præcepistis, vt numquam curiam Ducis intraret, nisi cùm omnes per edictum ipsius generaliter ad curiam vocarentur :.·.·. Verùm quia idem A. qui dicti Ducis est consiliarius, & in iure suo multis Ecclesiis, quarum est aduocatus, ex promisso tenetur adesse, nequaquam taliter iurasset, si mandatum illud sibi contrarium præsciuisset: noueritis nos Patriarchæ Granden. mandasse, vt si mandatum priori iuramento licitè facto repugnet, ipsum auctoritate nostrâ denunciet non seruandum.

HÆC

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CCCLXXXIII. huius speciei hæc est: E rixa in qua mutuis conuiciis certatum, subortis grauibus inimicitiis inter Andream & Mauritium Mauricensem ciues Venetos, Andreas à communibus amicis suasus pro satisfactione illatæ iniuriæ, iuratus promisit se pariturum mandato, id est, arbitrio nobilium virorum Henrici Leonardi, & Marci Mauricensis ciuium Venetorum, quibus *hoc cap.* inscribitur, qui statim Andreæ sub iuramenti debito, id est, sub pœna excommunicationis, quæ est pœna periurij, præcepere, vt satisfactionis gratiâ, in perpetuum Curiâ Ducis abstineret, nisi cùm omnes generali edicto ad Curiam ipsius vocarentur. Verùm quia d. Andreas erat à consiliis Ducis, & multis Ecclesiis quarum Aduocatus erat, in iure tenebatur adesse; Aduocati seu defensoris Ecclesiæ est tueri, & defendere iura Ecclesiæ, *can. Saluator. I. qu. III. cap. praeterea. de iur. patronat.* Pontifex censuit à iuramento ipsum absoluendum esse, quia non præsumitur iuraturus, si præsensisset, tam grauem ei satisfactionem impositum iri, & fortè iurauit securus se culpæ expertem esse, quæ grauiorem pœnam deposceret. Iusiurandum non refertur ad ea de quibus verisimiliter non fuit cogitatum, *l. si libertus, ff. de oper. libert.* vt in obligatione generali non veniunt ea, quæ quis specialiter obligaturus non fuit, vt suppellex vestis, *l. generali. cum dd. seqq. ff. de pignorib.* Qui iurato promiserat stare arbitrio alterius, non tenebatur parere mandato huiusmodi, ne in Curiam Principis veniret, tamquam illicito; quia subditus non potest Principi opem & consilium denegare, & in omni iuramento semper excepta intelligitur auctoritas Superioris, *cap. venientes, infrà, hoc tit.* Quâ ratione rescripto Principum ei remissum est iusiurandum, qui iurauerat se Ordini, id est, Curiæ, seu Senatui municipali non interfuturum, & postea Duumvir, seu defensor creatus esset, *l. vlt. ff. ad municipal.* Olim Principis erat veniam facere iurisiurandi, *d. l. vlt.* Hodie absolutio à iureiurando pertinet etiam ad Pontificem, ob religionem iurisiurandi, *can. auctoritatem, can. alius, can. nos Sanctorum. XV. qu. VI. cap. venerabilem. de elect. cap. nouit. de iudic.*

CAPITVLVM XVII.

IDEM MAGISTRO APOLLINARI.

BREVI sciscitatus es quæstione, vtrum ille, qui iura alicuius Ecclesiæ seruare ac pro posse defendere iuramento tenetur, si necessitate imminente super hoc sub iuramenti debito requisitus duxerit adpellandum, periurij reatum incurrat. Respondemus, quòd in hoc articulo adpellantem à periurio talis adpel. non excusat, imò (nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subuenire) culpâ periurij potiùs irretitur.

HÆc Decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. I. epist. CCCLXXXVI. Huius summa est: Quæsitum est, an ille qui iuramento tenetur tueri ac defendere iura alicuius Ecclesiæ, putà Canonicus vel Vassallus Ecclesiæ, periurij reatum incurrat, si imminente necessitate requisitus vt præsto sit Ecclesiæ, appellauerit quasi à grauamine. Respondit Pontifex appellantem à periurio non excusari: appellatio non excusat quem à periurio, nisi iusto impedimento, non possit Ecclesiæ subuenire; cùm appellationis remedium non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ sit excogitatum, *cap. III. cap. cùm speciali, §. porro. de appellat.*

CAPITVLVM XVIII.

IDEM ILLVSTRI REGI ARAGONIÆ.

QVANTO personam tuam :.·.·. Quidam consiliarij tui (imò potiùs deceptores) tuum animum induxerunt, vt iurares irrequisito

adſenſu populi vſque ad certum tempus patris tui conſeruare monetam, quæ tamen circa mortem eius fuerat legitimo pondere defraudata. Cùm autem adeò ſit deminuta & minoris valoris effecta, quòd graue propter hoc ſcandalum in populo generatur, tu quod egeras indiſcretè cupiens reuocare, ac neceſſitati populi ſatisfacere, ab obſeruatione iuramenti prædicti poſtulaſti ſuppliciter à nobis abſolui. Super quo diligens indagator potuiſſet facilè intueri, quòd non tam erat abſolutio neceſſaria, quàm interpretatio requirenda: quoniam cùm iuramentum feciſti, monetam aut falſam aut legitimam eſſe credebas. Si falſam, iuramentum fuiſſet illicitum, & nullatenus obſeruandum, & pro eo eſſet tibi pœnitentia iniungenda: cùm iuramentum non vt eſſet iniquitatis vinculum, fuerit inſtitutum. Si verò legitimam eſſe credebas, iuramentum licitum fuit & vſquequaque ſeruandum: Et vt irreprehenſibiliter obſeruetur, conſulimus & mandamus, vt reprobatâ monetâ, quæ à legitimo pondere fuerat defraudata, alia ſub nomine patris tui moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducas, ſecundùm eum ſtatum, quem tempore patris tui habuit meliorem, ita quòd antiqua moneta, quæ ab illo ſtatu falſata non fuerat, cum ea pariter expendatur: per quod & diſpendium vitari poterit, & iuramentum ſeruari. Verumtamen ſi monetam ipſam in præſtatione iuramenti credebas à legitimo pondere deminutam, & tua ſuper hoc conſcientia te remordeat, tuum humiliter confitere peccatum, & ſatisfactionem iniunctam tibi pro illicito iuramento ſtudeas adimplere.

HÆc Decretalis etiam integra repetitur apud Innocent. III. lib. II. epiſt. XXVIII. Huius cap. ſpecies huiuſmodi eſt. Petrus Rex Aragonum quorumdam ſequiori conſilio deceptus iurauit abſque aſſenſu populi ſe ad tempus ſeruaturum monetam patris, quæ ſub extremos eius vitæ dies ſuo pondere fuerat deminuta: quæ res cùm graue ſcandalum pareret, pœnitentiâ motus abſolutionem à iuramento poſtulauit à Summo Pontifice. Super quo Pontifex reſcripſit, rem interpretatione potiùs, quàm diſpenſatione indigere. Tempore iuramenti, aut probam aut adulterinam monetam credidit: ſi falſam, iuramentum fuit illicitum, & nequaquam ſeruandum; quia iuſiurandum non eſt vinculum iniquitatis, *can. inter cætera.* XXII. *qu.* IV. *cap.* III. *hoc tit. in* III. *collect.* Sin verò monetam probam eſſe credebat, iuramentum licitum fuit, & vſquequaque ſeruandum, & vt ſine culpa ſeruaretur, conſilium dedit Regi, vt conflatâ paternâ monetâ, quæ iuſto carebat pondere, alia patris nomine cudatur; quo pacto & diſpendium publicum vitatur, & iuramentum defenditur. Si verò tempore iuramenti monetam non iuſti ponderis credidit, monet vt ſatisfactionem impoſitam pro illicito iuramento adimpleat. Princeps legem monetæ poteſt mutare non ſine iuſta cauſa, & aſſenſu populi, ex ſententia *huius cap.* Hinc Lauſanenſis Epiſcopus cùm à Capitulo reus poſtulatus eſſet imminutæ monetæ apud Pontificem, tuebatur ſe hac exceptione, ſe ſuo iure vſum tamquam dominum monetæ. Auctor eſt Innocentius ipſe lib. I. epiſt. CLXIX. *Cúmque præfati Canonici ſuper monetæ diminutione, & exactione noui pedagij memoratum Epiſcopum conuenirent, & peterent quod ab arbitris præceptum fuerat obſeruari, reſpondit Epiſcopus memoratus, quòd moneta erat proculdubio diminuta, nec licuit arbitris ſuper hoc aliquid arbitrari, cùm tamquam dominę monetæ licitum ei ſit, eam pro ſuo beneplacito minuere, & augere.*

CAPITVLVM XIX.

IDEM CONSVLIBVS, ET POPVLO TVDERTINO.

VENIENTES ad Sed. Apost. Consules vestros super his, quæ ad nos de vobis sæpius referuntur: & commonere curauimus & aliquantulum asperè conuenire. Cùm enim & adpellationibus interpositis ad Apost. Sed. teneamini humiliter & deuotè deferre, cùm & leges etiam seculares post sententiam, beneficium adpellationis non denegent adgrauatis. Verùm iidem Consules nobis exponere curauerunt, quòd cùm aliqui vestrûm vocantur ad officium Consulatus, firmant proprio sacramento, quòd super mutuis & plegiariis, secundùm vestræ ciuitatis consuetudinem iudicabunt: & intra XXVIII. dies quæ iudicauerunt, exequentur. Vnde saluo huiusmodi iuramento vos non posse super his adpellationibus deferre dicebant. Quia verò non minùs iudices secundùm leges, quàm Consules vestri secundùm consuetudinem vestræ ciuitatis iudicare iurarunt: & ideo sicut iudices contra leges, sic & Consules vestri contra consuetudinem possent subditos adgrauare, mandamus, quatenus adpellationibus ad nos interpositis deferatis, cùm prædictum iuramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi ius Superioris exceptum. Cùm ergo postquam S. lator præ. ad Sed. Apost. à sententia G. iudicis adpellauit, sententiam ipsam duxeritis executioni mandandam, in possessionem rerum, de quibus quæstio vertebatur, adpellantis aduersarium inducentes: volumus & mandamus, vt possessionem ipsam restituatis eidem: alioquin noueritis nos Episcopo Nucerino mandasse, vt vos ad illud Ecclesiasticâ censurâ compellat.

TVDERTINA ciuitas Vmbriæ, quæ ad ditionem Sedis Apostolicæ pertinet, regitur per Consules, qui habent iurisdictionem ordinariam: ita vt ab his appelletur ad Sedem Apostolicam. Tudertini verò reguntur consuetudinibus, quas in forma communi, id est, quatenus antiquas & rationabiles confirmauit Innocentius noster lib. I. epist. CCCCXXII. Huiusce ciuitatis consuetudo erat, quæ est species *huius cap.* vt Consules cùm inirent Consulatus officium iurarent se in causis mutui & plegij, id est, fideiussionis, secundùm consuetudinem ciuitatis iudicaturos, & intra viginti & octo dies iudicatum executuros. Itali partim reguntur iure scripto, partim moribus, vel statutis, *cap. Ecclesia sanctæ Mariæ. de constit. cap. cùm venissent. de eo qui mitt. in possess. rei seru. caus.* Vnde eueniebat, vt obtentu iuramenti non deferrent appellationibus, nec obstantibus his sententias exequerentur. Hac de re aditus Pontifex rescripsit deferendum appellationi, si qua interponatur, & interim suspendendam esse executionem rei iudicatæ: appellatio suspendit iudicatum, *l. si causa cognita, C. de transact.* nec excusari contemptum appellationis ob sacramentum, quia in omni sacramento excepta intelligitur auctoritas Superioris, vt definitur *hîc, & l. vlt. ff. ad municipal. & de prohibit. alienat. feud. §. vlt. in fin. in libr. feud.* ex constitutione Friderici quam metro reddidit Gunter. Ligurin. VIII.

Præterea quoties feudali iure recepto
Vassallus domino fidei iuramina præstat,
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps.

CAPITVLVM XX.

IDEM PISANO ARCHIEPISCOPO.

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm I. & G. Petro vsuras non modicas persoluissent, iuramento firmauerunt, quòd nec per se nec per alium prædictas vsuras repeterent, vel apud Ecclesiasticum iudicem, seu etiam secularem super his deponerent quæstionem. Cúmque creditor condiderit testamentum, suis præcepit hæredibus, vt omnibus, qui probarent se dedisse vsuras eidem, ipsas eis restituere procurarent. Vnde cùm prædicti I. & G. vsuras repetere non adtentent propter huiusmodi iuramentum, & hæredes prædicti P. eis negligant satisfacere de vsuris: Mandamus, quatenus sub pœna excommunicationis publicè in Ecclesia proponi facias vel proponas, vt qui super hoc nouerint veritatem, procedant ad testimonium proferendum: & si per dicta testium vel alia documenta tibi constiterit de præmissis, hæredes illius, vt vsuras, quas à prædictis pater eorum accepit, restituant vniuersas, Ecclesiasticâ censurâ compellas.

HVIVS cap. species hæc est: Cùm I. & G. ciues Pisani, Petro creditori non modicas vsuras persoluissent, iurati promiserunt, quòd per se, vel per alium solutas vsuras non repeterent, nec hac de re mouerent quæstionem, apud iudicem Ecclesiasticum, vel secularem. Creditor postmodum condito testamento hæredibus scriptis præcepit, vt omnibus qui probarent se soluisse vsuras, easdem ipsis restituerent. Hærebat defixus scrupulus dictis I. & G. repetendi vsuras ob præstitum iuramentum de vsuris non repetendis, & hæredes minimè curabant de implenda voluntate defuncti. Re cognitâ Pontifex mandauit Archiepiscopo Pisano, vt hæredes defuncti per censuras Ecclesiasticas compellantur vsuras acceptas restituere. Olim vsuræ indebitæ solutæ non poterant repeti condictione indebiti soluti, *l. si non sortem, ff. de condict. indebit. l. denique, ff. de iur. fisc.* etiam à minore solutæ, *l. vlt. §. vlt. ff. eod. tit. de cond. indebit.* secus constitutionibus explosâ veteris iuris varietate vsuræ solutæ condici possunt, *l. indebitas, C. de vsur.* Hoc iuris indigetat Augustinus epist. LIV. *Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent.* Hoc iure multo fortius fas est vsuras solutas repetere, non obstante iureiurando de non repetendis vsuris, quia iusiurandum illicitum non est seruandum: iusiurandum non debet esse vinculum iniquitatis; & hoc probabilius est in specie *huius cap.* cùm vsuræ repetuntur ex testamento creditoris, qui solutas accepit: non videtur venire contra iusiurandum, qui vsuras repetit ex alia causa, non iure proprio & condictione indebiti, sed actione ex testamento ex voluntate defuncti.

Can. quid dicam. XIV. qu. IV.

CAPITVLVM XXI.

IDEM NEAPOL. ARCHIEPISCOPO.

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd à te quasi per extorsionem tale fuit præstitum iuramentum, quòd in omni causa deberes ordinem iudiciarium obseruare. Verùm quoniam secundùm traditiones canonicas manifesta adcusatione non indigent: nec in eis est ordo iudiciarius obseruandus, qui debet in aliis obseruari: nec tu quando sub præmisso tenore iurasti, habebas in mente, vt propterea venires contra canonicas sanctiones, alioquin non iuramentum, sed periurium potiùs extitisset: nec esset aliquâ ratione seruandum. Nos iuramentum tuum

benigniùs interpretari volentes, ita quòd consonet canonicis institutis, fra. t. auctoritate præsentium intimamus, quòd in manifestis & notoriis ratione iuramenti præmissi non credimus te teneri seruare subtilitatem ordinis iudiciarij, quam in his non seruari per omnia ipsa iuris ratio postulat & requirit, vnde videbitur subtiliter intuenti de ordine iudiciorum procedere, vt in præmissis non per omnia ordo iudiciarius obseruetur. Quamquam & secundùm adprobatum intellectum rectè possit intelligi quod iurasti, vt in omnibus caussis ordinem iudiciarium obseruares, in illis videlicet, in quibus est ordo iudiciarius obseruandus. Sic ergo faciens & iuramenti tenorem seruabis, & instituta canonica non omittes.

HVIVS cap. quod integrum videre est apud Innocent. III. lib. I. epist. XI. hæc est species: Archiepiscopus Neapolitanus initio Pontificatus quasi per extorsionem seu per vim iurauit se in omnibus caussis ordinem iudiciarium seruaturum; quod genus sacramenti, & ab Archiepiscopo Lugdunensi in nouitate sua, id est, Pontificatus auspiciis præstari ait Hostiens. hoc loco. Verùm quia manifesta non indigent probatione, *can. manifestæ. II. qu. I. cap. euidentia, infrà, de accusat.* & in his ordo iudiciarius non est seruandus, & Archiepiscopus cùm iurauit, non habuit animum se obligandi vltra id quod iure statutum est: Pontifex duxit huiusmodi iusiurandum benignà interpretatione temperandum, ita vt canonicis sanctionibus consonum sit, nec obliget in aliis caussis, quàm in quibus ordo iudiciarius est seruandus. Iusiurandum, vt pactum quodlibet, ciuiliter interpretandum est, *l. si cui, ff. de seruitut. l. si libertus, ff. de oper. libert.*

CAPITVLVM XXII.

IDEM IVDICI CAROLITANO.

EA te credimus discretione vigere, vt intelligas per reipsum quòd onus non remittitur, sed augetur, cùm cuiquam improuidè soluitur, quod alij ex debito est præstandum. Sanè cùm Archiepiscopus Turritanus à te nomine nostro iuramentum fidelitatis (sicut à nobis mandatum acceperat) exegisset, illud exhibere in eius manibus distulisti, adserens, quòd Pisano Archiepiscopo saluo Apostolicæ Sedis honore huiusmodi præstiteras iuramentum. Cùm igitur nobis & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem facere tenearis, si præstitum iuramentum ei, quod à te nobis tamquam debitum est præstandum contrarium reputes, illud illicitum iudicabis: & illicito non obstante, quod licitè, imò ex debito petitur exhibebis: vel si præstitum præstando contrarium non existit, illud sine difficultate præstabis.

SARDINIA insula ad ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertinebat, vt probatur & *hoc cap. & cap. si diligenti, infrà, de præscript.* Eadémque diuisa erat in quatuor præfecturas, seu iudicaras, quarum præpositos iudices vocabant. Hi sunt Turrensis, Arborensis, Caralitanus, vel Calaritanus, & Callaurensis, de quibus Gregor. VII. lib. I. epist. XXIX. & Innocent. ipse lib. I. epist. LVI. & Matth. Paris. in Henrico III. ad ann. MCCXXXI. *Ipso quoque anno dum in Italia dominus Imperator hyemaret, reddita sunt ei opulentissima insula in mari Mediterraneo sita, & ciuitati Pisanæ proxima, scilicet Sardiniæ pars maxima, & potissima, cuius insulæ ius ad patrimonium Beati Petri specialiter pertinere perhibetur.* Et paullò pòst: *Est enim insitorum refugium, naufragorum solatium, profugorum asylum, insula Sardinia, quatuor Principibus quos iudices vocant gubernata.* Cùm Archiepiscopus Turritanus, quæ est species *huius cap.* à iudice Caralitano, qui est vnus è quatuor Præfectis Sardiniæ, vt modò dixi, Calaris seu Caralis est vrbs primaria

Sardiniæ, nomine Pontificis ex ipsius mandato sacramentum fidelitatis exegisset, iudex id præstare distulit, asserens se id præstitisse Archiepiscopo Pisano, saluo Apostolicæ Sedis honore. Archiepiscopus Pisanus est Primas & Legatus Sardiniæ. Dissidentes inter se Genuenses, & Pisanos cùm conciliasset Innocentius II. Pontifex, vtramque sedem Archiepiscopali dignitate donauit, singulis subiectis tribus Corsicæ Episcopis, & primarum Turritanæ, Calaritanæ, & Arborensis prouinciarum Pisano concessit, & legationem Sardiniæ eidem ab Vrbano II. concessam confirmauit. Testes ipse Innocent. III. loco modò laudato, & Platina in vita Innocent. II. Sed Pontifex præcepit iudici Calaritano, cui inscribitur *hoc cap.* vt sacramentum fidelitatis præstaret Sedi Apostolicæ, non obstante sacramento præstito Pisano, quia vel sacramentum præstitum Pisano repugnat sacramento præstando Sedi Apostolicæ, & est illicitum, & non liberat debitorem; siue præstitum non est contrarium præstando, & tunc iuramentum vtrique præstandum est, & sacramentum præstitum Pisano, non liberat à sacramento præstando Pontifici: soluens alij quàm vero creditori non liberatur, *l. vero, §. sed & si quis, ff. de solut.* & hoc est quod innuitur initio *huius cap.* his verbis, *Quod onus non remittitur, sed augetur, cùm cuiquam improuidè soluitur, quod alij ex debito est præstandum.* Sanè Vassallus Ecclesiæ, qui semel iuramentum fidelitatis præstitit Pontifici, non tenetur rursus præstare successori, *cap. veritatis, suprà, hoc tit.* quod est Clementis III. ad Willelmum Regem Siciliæ, qui est feudatarius Ecclesiæ Romanæ. Ita iudicauit idem Pontifex pro Dunelmensi Episcopo. Rogerus Houedenus in Richardo I. ad ann. MCXC. *Præterea idem Summus Pontifex priuilegiauit Hugonem Dunelmensem Episcopum, ne ipse professionem, aut subiectionem aliquam faceret, in tota vita sua Gaufrido Eboracensi electo, nec etiam si ipse fuerit in Archiepiscopum consecratus; eâ ratione quòd idem Dunelmensis Episcopus semel fecerat professionem suam Eboracensi Ecclesiæ, & Beato Willelmo tunc temporis Eboracensis Ecclesiæ Archiepiscopo, & eius Catholicis successoribus.* Sed hîc sacramentum fidelitatis à Calaritano iudice præstitum Archiepiscopo, etsi Legato Sedis Apostolicæ in Sardinia, non releuat à præstando sacramento Summo Pontifici, quòd præstitum fuerit Pisano nomine proprio, vt satis innuitur, ex eo quòd præstitum sit saluo Sedis Apostolicæ honore: ac demum illicitum est iusiurandum, quod præstatur alteri, si contrarium sit sacramento præstando vero domino; quia in omni sacramento semper excepta intelligitur auctoritas Superioris, *cap. venientes, suprà, hoc tit.* Iuo Carnotens. epist. LXXI. *Quæsiuit ab humilitate mea vestra excellentia, qua ratione exoluerim Nivardum de Septolio, à fiduciis & sacramentis, quibus se vestræ magnitudini obligauerat, cùm Christiani erga Christianos, fiducias & sacramenta, quæ sibi inuicem præbent, obseruare debeant; quod quidem ita concedimus, si legitima, vel non illicita fuerint sacramenta. Prædictus autem Niuardus testatus est mihi, fiducias & sacramenta, quæ sublimitati vestræ fecerat, prioribus sacramentis fuisse contraria, quæ fecerat naturalibus, & legitimis dominis suis, de quorum manibus susceperat hæreditaria sua beneficia, nec posteriora se posse obseruare, nisi priora vellet violare.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM ALATRINO EPISCOPO.

QVINTAVALLIS nostris auribus intimauit, quòd pro offensa, quam filiæ ipsius aliis mulieribus irrogarant, quòd earum mandato pareret, præstitit iuramentum: quæ tale illi sub debito iuramenti dedere mandatum: quòd si quando filij aut vxor illius aliquod factum vel verbum contumeliosum mulieribus illis obiicerent, idem filias & filios exhæredaret, & à se propriam remoueret vxorem. Quocirca mandamus, quatenus cùm licitum fuerit iuramentum, sed mandatum illicitum, prædictis vt reuocent mandatum illud, iniungas: alioquin eum ad mandati obseruationem illius denuncies non teneri.

Pater pro satisfactione iniuriæ, quam filiæ ipsius nonnullis mulieribus irrogarant, præstitit iuramentum quòd earum arbitrio staret, quæ iureiurando illum obstrinxerunt, vt si quando vxor vel filiæ re, id est, facto, vel verbo dictis mulieribus contumeliam inferrent, idem filias exhæredaret, & vxorem repudiaret. Quæsitum est, an teneretur huiusmodi iuramento. Rescripsit Pontifex non teneri, quia etsi licitum fuerit iusiurandum, illicitum est mandatum, nec mandatum illicitum ob iusiurandum sit licitum; quia iusiurandum non debet esse vinculum iniquitatis.

Capitvlvm XXIV.

IDEM ARCHIEPISCOPO TERRACONEN.

Tva nos duxit fraternitas consulendos, quid tibi super hoc sit faciendum, quòd B. & A. vxor eius adinuicem iurauerunt se numquam mutuò perituros: idem verò nunc repetit illam instanter: eâ econtrario adfirmante, quòd priùs se faceret Saracenam, quàm rediret ad eum: .·. Nos igitur fraternitati tuæ respondentes, mandamus, quatenus vtrumque ad continentiam seruandam moneas & inducas: quam si promittere voluerint & seruare, vtrumque dimittas sine alio commorari: alioquin si vir noluerit continere, tu illam vt reuertatur ad ipsum, & tamquam vxor cum viro moretur, per excommunicationis sententiam adpel. re. compellas: cùm & temerarium fuerit huiusmodi iuramentum, & adulterium vtrimque sit commissum.

Hvivs cap. species hæc est: Blacatius & Andrea coniuges Tarraconensis diœcesis in Hispania, mutuo consensu se segregarunt à toro, & iurarunt se numquam mutuo debitum perituros. Post tori separationem vterque coniugum in adulterium lapsus, maritus studio melioris frugis instanter vxorem repetiit, apud Archiepiscopum Tarraconensem; è contrario obstante muliere, quòd priùs se faceret Saracenam quàm ad virum rediret: huiusmodi est virium muliebris sexus, vt pertinaciâ supra modum laborent. Capitul. Caroli Calui tit. xxviii. *Quia & fœminæ barcaniare solent.* Ait quòd priùs se faceret Saracenam; non dispari blasphemia vsus Henricus II. Rex Anglorum, per legatos professus est se priùs Noradini partes amplexurum, quàm Thomam Cantuariensem pateretur. Io. Saresber. epist. ccxxxiv. *Cùm autem dominum Papam blanditiis & promissis deiicere non præualerent, ad minas conuersi sunt, mentientes quòd Rex eorum, Noradini citiùs sequeretur errores, & profanæ religionis iniret consortium, quàm in Ecclesia Cantuariensi Thomam pateretur diutius episcopari.* Hac de re aditus Pontifex rescripsit, si vir continere nolit, vxorem excommunicationis vinculo compellendam, vt ad virum reuertatur, nisi maluerit vterque continentiam promittere, & seruare; cùm temerarium, & illicitum fuerit huiusmodi iuramentum de perpetuo tori secessu, nempe contra legem & votum coniugij; & iuramenti turpis fuerit euentus, adulterium scilicet vtrimque secutum.

Capitvlvm XXV.

IDEM GENVENSI ARCHIEPISCOPO.

Qvemadmodvm si vir mulieri iurasset quando contraxit cum illa, quòd eam semper pro legitima vxore teneret: pro fornicatione, quam mulier antea commisisset, non posset eam dimittere: sed pro fornicatione, quam postea perpetraret, eam dimittere posset, non obstante huiusmodi iuramento, quoniam in eo talis erat subintelligenda con-

ditio, si videlicet illa in legem coniugij non peccaret. Ita si quis iurauerit se ducturum aliquam in vxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, vt illam non ducat in coniugem: quia in illo iuramento talis debet condicio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non veneri[t].

Alioquin si post huiusmodi iuramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in vxorem: quod est prorsus absurdum. Nam si post contractum coniugium vir propter fornicationem, licitè potest vxorem à sua cohabitatione dimittere: longè fortiùs ante coniugium celebratum propter eamdem causam sponsus licitè potest in suam cohabitationem non admittere sponsam: quia turpiùs eiicitur, quàm non admittitur hospes. Non obstante in alterutro casu vinculo iuramenti, quod quidem propter subintelligendam conditionem est tale, vt is, qui iurauit, ad vtrumque sine transgressione se possit habere. Quòd si post huiusmodi iuramentum mulier fieret non solùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eueniret: numquid vir teneretur eam ducere in vxorem? profectò ductam non posset dimittere. Sed numquid non ductam admittere teneretur? quamuis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.

SI vir vxori iurauit, cùm contractæ sunt nuptiæ, se eam numquam dimissurum, non potest eam dimittere ob fornicationem ante nuptias commissam. Seriùs accusat mores, quos vxorem ducendo probauit, *l. si vxor. in fin. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Sibi imputare debet quòd stupratam vxorem duxerit, & satis ei consulitur, quòd hoc ei profuturum sit ad remissionem peccatorum, *cap. inter opera. de sponsalib. can. non est culpandus.* XXXII. *qu.* I. sed eam dimittere potest ob adulterium patratum post nuptias; matrimonium quidem non soluitur ob adulterium, sed datur separatio tori, *can.* I. II. *& seqq. ead. caus. qu.* VII. etiam non obstante iuramento de non dimittenda vxore, quia inest huic tacita conditio, si mulier in coniugij legem non peccarit. Iusiurandum ciuiliter interpretandum est, *cap. venerabilem, suprà, de elect.* vt pactum quodlibet, *l. si cui. ff. de seruitut.* & iusiurandum de non dimittenda vxore remittitur ob adulterium eiusdem: Tranquill. in Tiberio cap. XXXV. *Equiti R. iurisiurandi gratiam fecit, vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum antè iurauerat.* Ita qui iurauit aliquam se ducturum vxorem, non excusatur ob fornicationem præcedentem, sed ob secutam, vt non ducat vxorem, quia iuramento inest tacita conditio, si illa contra fidem sponsalium non venerit. Verùm si vir propter adulterium vxorem à se dimittere potest, longè fortiùs sponsus ob stuprum potest sponsam repellere, quia turpiùs eiicitur quàm non admittitur hospes. Ita & qui iurauit se vxorem ducturum, non tenetur ducere superueniente leprâ, paralysi, cæcitate, vel quo alio notabili corporis vitio; quia superueniens causa, licèt non dirimat matrimonium, impedit contrahendum, vt furor superueniens, *l. patre furioso, ff. de his qui sunt sui, vel alien. iur.*

Illud autem iuramentum est proculdubio temerarium, si vir iuret vxori, quòd eam super nullo crimine adcusabit: quia si mulier fieret infidelis, & nollet cohabitare viro absque contumelia creatoris, vel vt illum traheret ad infidelitatis errorem: tunc incunctanter debent illam impetere apud iudicem suum, vt eam nisi penitus resipisceret, omnino dimitteret, secundùm canonicas sanctiones. Quòd si expressè iurasset, quòd eam super adulterio non impeteret, essetne seruandum huiusmodi iuramentum?

Cùm

Cùm ſcriptura teſtetur quòd patronus eſt turpitudinis, qui celat crimen vxoris: & ſecundùm regulam Euangelij, ſi primò & ſecundò correcta reſipiſcere nollet, dicendum eſſet Eccleſiæ, vt tamquam ethnica & publicana deinde vitaretur: ne per hoc libera præberetur ei peccandi facultas propter impunitatem peccati. Sed numquid vir non poteſt dimittere vxori peccanti non ſolùm ſepties, ſed etiam vſque ſeptuagies ſepties ſecundùm Euangelicam veritatem? Tutius ergo in hoc caſu videretur, vt propter iuriſiurandi religionem vir adcuſare deſiſtat vxorem ad diuortium celebrandum: quamquam denunciare eam poſſit ad pœnitentiam peragendam.

Si vir iuret vxori ſe eam adulterij, veneficij, vel alterius cuiuſcumque criminis non accuſaturum, non prohibetur illam impetere adulterij, vel alterius criminis, quia temerarium & illicitum eſt iuſiurandum, ne impunè peccandi mulieri præbeatur occaſio: pactione effici non poteſt ne dolus præſtetur, *l. ſi vnus*, §. *illud nulla*, *ff. de pact.* Patronus eſt turpitudinis qui celat crimen vxoris, quod ex Scriptura laudatur à Pontifice, etſi deſumptum ſit ex Chryſoſtomo in Matthæum, *can.* I. XXXII. *qu.* I. Tanta eſt auctoritas SS. Patrum, vt eorum ſententiæ habeantur quaſi pars Scripturæ & verbi diuini. Sed quia vir vxori delictum poteſt remittere, tutius eſt vt propter iuriſiurandi religionem vir non accuſet vxorem adulterij criminaliter, quoad vindictam, & pœnam criminis, vel ciuiliter quoad diuortium, id eſt, tori ſeparationem; ſed denuntiet eam, ſcilicet apud Epiſcopum, vt ei pœnitentia iniungatur.

CAPITVLVM XXVI.

IDEM ABBA. ET CAPITVLO CASTELLIONIS.

ETsi Chriſtus præceperit ſecundùm Euangelicam veritatem: Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non: vt adfirmatio vel negatio ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde: quia tamen hominum excreſcente malitiâ, ſimplici adſertioni vel negationi vix creditur, idcirco prudenter adiunxit, quod amplius eſt, à malo eſt, à malo quidem non tam culpæ, quàm pœnæ: nec exhibentium, ſed exigentium iuramentum, nam incredulitas huiuſmodi magis eſt pœna, quàm culpa. Vnde non dixit, malum: ſed dixit, à malo. Licèt enim iuramentum prohibuiſſe Dominus videatur, nuſquam tamen per creatorem, ſed per creaturam iurare prohibuit: ne per huiuſmodi iuramentum transferretur ad creaturam honorificentia creatoris. Quare cùm in Euangelio præmiſiſſet, Dico vobis, nolite iurare omnino: ſtatim ſubiunxit: neque per cælum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum pedum ipſius eſt: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt regis magni: neque per caput tuum, quia non potes vnum capillum facere album aut nigrum. Et quamuis non ſit per creaturam iurandum: ſi tamen iuretur per creaturam, ſeruandum eſt quidem, dummodo ſit licitum quod iuratur: quia teſte veritate, qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum. Iacobus quoque non ſimpliciter prohibet iuramentum: ſed voluntatem iurandi, cùm ait: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare, quoniam ad iuramentum non debet quemquam ſpontanea voluntas inducere, ſed neceſſitas trahere importuna: & tunc poteſt ſine culpa iurare, dummodo illos tres comites habeat iuramentum, de quibus Propheta ait: Et iurabunt, Viuit

Dominus, in veritate, & iudicio, & iustitia. Quod autem Iacobus subdir, Neque per cælum, neque per terram, neque per quodcumque aliud iuramentum: iurare vetat per quamlibet creaturam, quodcumque sit illud: alioquin non dixisset Apostolus: Homines per maiorem suum iurant, & omnis controuersiæ eorum ad confirmationem finis est iuramentum: in quo patenter ostendit, per quem sit iurandum, cùm ait: homines per maiorem suum iurant, id est, per Deum. & cur sit iurandum, vt videlicet omnis controuersiæ finis sit iuramentum. Angelus quoque, quem vidit in Apoc. Ioannes stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum. Christus etiam plus legitur dixisse in Euangelio, quàm est est, non non, cùm sæpissimè dixerit, Amen dico vobis, quod ipse secundùm Lucam exponens cùm præmisisset, Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua: consequenter adiunxit: In veritate dico vobis, quia multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israël. Apostolus quoque iurabat cùm diceret: Testis est mihi Deus. Et iterum: Quotidie morior per gloriam vestram, fratres. Quæ Græca exemplaria manifestissimam iurationem esse ostendunt. Si enim per se malum esset iurare, profectò Dominus non iurasset, cùm tamen in veteri Testamento legatur, quia iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Et rursus: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: imò & præcepit in veteri Testamento: Redde Deo iuramenta tua. Quædam enim prohibentur, quia per se mala sunt, vt furtum, adulterium, & huiusmodi: quæ non sunt aliquatenus facienda. Quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: vt vinum per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, quoniam ex frequenti & immoderata potatione vini, luxuria generatur. Sic & iuramentum per se quidem malum non est, cùm sit confirmatio veritatis: sed tamen prohibetur ex causa, quoniam ex frequenti & incauta iuratione periurium sæpe contingit: sicut in Ecclesiastico legitur: Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga. Quemadmodum ergo Paulus indulsit propter necessitatem discipulo suo Timotheo, vt vtatur modico vino propter stomachum, & frequentes infirmitates; sic profectò cùm necessitas exigit, pro re vera, licita, & honesta potest securè iurari, quia cessante causa, cessat effectus. Licèt ergo debeatis esse viri perfecti, vt quantum potestis iuramenti vinculum euiteris: volentes tamen indemnitati vestri monasterij prouidere, ne propter defectum testium, sui iuris sustineat læsionem: præsenti vobis paginâ indulgemus, quatenus vos & monasterij vestri Conuersi possitis in causis eiusdem (deficientibus aliis testibus) pro ipso perhibere testimonium veritati.

HOc caput inscribitur Abbati & Capitulo Castellionis. Monast. Castellionis idem quod de Conchis, cui inscribitur *cap. cum super, suprà, de offic. delegat.* Abbas & Monachi Castellionis religione seu scrupulo ducti, an possent esse testes in causis monasterij, vt vitarent iusiurandum, sine quo testes non audiuntur, consulucre Pontificem. Aditus Pontifex præmissis multis de iuramento rescripsit, licèt monachi debeant

vitare iusiurandum quantum possunt, tamen monachos non vetari esse testes in causis monasterij, deficientibus aliis testibus, ne propter defectum testium, sui iuris damnum sustineant. Eodem scrupulo Abbas & Monachi Cassinenses, instante Innocentio II. vt adhibito iureiurando professionem fidei ei præstarent, acriùs renuerunt, hac ratione quòd ex Benedicti regula, Monachis iurare vetitum esset. Leo Ostiensis lib. IV. Chronic. Cassinens. cap. XCVII. *Cœpit postea sacramentum fidei vehementer exquirere, atque ad id animo insistere, fratres omnimodis renuti, & contradicere, numquam id Casinenses Abbates fecisse dicentes.* Et idem cap. CIX. eiusd. lib. *Pontifex autem vbi Casinensem electum susceptum ab Imperatore cognouit, directis continuò Cardinalibus, instare imperij vehementiùs cœpit, vt filium Petri Leonis, eos anathematizare compelleret, ac per sacramentum Innocentio Papæ, eiusque successoribus obedientiam, ac fidem polliceri. Renuentibus Monachis, atque dicentibus, sibi neque per Euangelium, neque per beati Benedicti regulam fas esse iurare, idque item à suis maiorúmque abhorrere consuetudine, ac per idem ne fidem quidem suam cuiquam sacramento promissuros, quippe cùm sibi ipsis fideles esse non possent, si quæ Deus vetuit facerent, & ea committerent quæ Diuus Benedictus obseruari præcepit.* Et rursus idem cap. seq. *Girardus Cardinalis dixit, quod Monachus ait probamus, sed Romana Ecclesia Casinenses Monachos sine sacramento recipiendos non esse decernit. Petrus Diaconus ait: in regula Sanctissimi Patris N. Benedicti iurare omnino interdicitur Monachis, quod non modò diuinæ verùm humanæ quoque prohibent leges: quippe inter Imperatorum præcepta, Caroli, Ludouici, Hugonis, Lotharij, Berengarij, Alberti, trium Othonum, quinque Henricorum, & Conradi sic inuenitur, statuimus, vt Monachi ad sacramentum non compellantur.* Eàdem religione Abbatem Cluniacensem non iurasse, sed nudam fidem promisisse, auctor est Lambertus Schafnaburgens. lib. de reb. gest. Germanor. *Non tamen promittenti temerè fides habita, sed Abbas Cluniacensis, quoniam iurare monasticæ religionis obtentu detrectabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit.* Eadem de causa iusiurandum Abbati remittendum suasit Episcopo Fulbertus epist. XLI. *Igitur si Abbas S. Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognouerit, & illam deinceps subiectionem promiserit, quæ vobis canonicè debetur, hortor & suadeo vt recipiatis: sacramenta verò & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem Regis Domini missa faciatis, vt religionem magis, quàm secularem ambitionem vos sectari cognoscat.* Non obstat quòd Monachi testes esse possunt absolutè, & simpliciter in causis monasterij, *cap. tuis quæstionibus, suprà, de testib.* Huiusce enim capitis sententia est, in causis monasterij Monachos testes esse posse, maximè, quod supplendum est ex Hostiensi, ob defectum seu inopiam testium.

CAPITVLVM XXVII.

IDEM EPISCOPO AMELIEN.

SICVT nostris est auribus intimatum, Ecclesiâ Tudertinâ vacante, ipsius Canonici, & Episcopus cum eis, dum esset in minoribus ordinibus constitutus, iuramenta quædam in damnum Episcopalis iuris fecerunt, priùs quàm de Pontificis electione tractatus aliquis haberetur: .·.·. Pro iuratione incauta imponi fecimus Episcopo pœnitentiam congruentem: .·.·.

Quia non iuramenta, sed periuria potiùs sunt dicenda, quæ contra vtilitatem Ecclesiasticam attentantur: mandamus, quatenus ab ipsis Canonicis inquiras super præmissis diligentiùs veritatem: & si ea inueneris esse vera, quod in damnum Episcopalis iuris repereris taliter attentatum, in statum debitum, adpellatione remotâ, reducas.

HVIVS cap. species hæc est: Vacante Ecclesiâ Tudertinâ Canonici & Episcopus dum esset in minoribus constitutus, id est, Episcopus postea electus, qui tum erat Canonicus eiusdem Ecclesiæ, priusquam de electione Pontificis tractatus haberetur, iuramenta quædam in damnum Episcopalis iuris fecerunt, id est, statuta quæ-

dam ediderunt, eáque iureiurando firmarunt, ex quibus census Episcopalis minuebatur. Vnde hoc cap. ponitur sub *tit. de constitut. in* III. *collect.* Episcopus electus religione motus ob iusiurandum consuluit Pontificem, an huiusmodi iusiurandum seruandum esset: rescripsit Pontifex hoc iusiurandum non esse seruandum, vtpore illicitum, & contra vtilitatem Ecclesiæ. Sede vacante Capitulum non potest condere statuta, quia Capitulum non potest condere statuta sine consensu Episcopi, *cap. cùm omnes, cap. cùm M. de constitut. cap. cum consuetudinis. de consuetud.* Iuramentum à Canonicis præstitum, antequam tractaretur de electione Pontificis, non pertinebat ad electionem, id est, non fiebat electionis causâ, quia temporibus Innocent. III. iuramentum non erat de solemnibus electionis. Iuramentum in electionibus statutum ex Concilio Basileensi, & Pragmatic. Sanct. *tit. de elect.* Olim tamen in creatione Sacerdotum iusiurandum adhibitum, testis locuples Tranquill. in Claud. cap. XXII. *In cooptandis per collegia Sacerdotibus, neminem nisi iuratus nominauit.*

CAPITVLVM XXVIII.

CVM contingat interdum, quòd constante matrimonio mulieres alienationibus super rebus dotalibus & donationibus propter nuptias consentiant, ne vlteriùs contraueniant proprio sacramento firmando, ac soluto processu temporis matrimonio contrauenire nitantur: vtrum hoc eis liceat, à nobis tua fra. requisiuit. Nos autem f. t. t. r. quòd etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundùm legitimas sanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat periuriis aperiri: mulieres ipsæ seruare debent huiusmodi iuramenta sine vi & dolo sponte præstita, cùm in alterius præiudicium non redundent, nec obseruata vergant in dispendium salutis æternæ.

CONSTANTE matrimonio mulier alienationi rerum dotalium, & donatarum propter nuptias consensit, interposito iureiurando de non reuocandis alienatis: morte viri soluto matrimonio quæsitum est an mulier licitè posset reuocare alienationem nonobstante iuramento. Consultus Pontifex rescripsit, quòd licèt alienatio rerum dotalium facta à marito etiam de consensu mulieris sit nulla & irrita, ex lege Iulia, & Constitutione Iustiniani, *l. 1. ff. de pact. dotalib. l. vn. §. & cùm lex, C. de rei uxor. act.* hoc iure mulier tenetur seruare iusiurandum, sine vi & dolo præstitum: seruandum est iusiurandum quod in alterius damnum non redundat, nec seruatum vergit in dispendium salutis, ne via periuriis aperiatur, vt definitur *hîc, & cap. quamuis. de pact. in* VI. Eâdem ratione si minor XXV. annis contraxerit, & contractum iureiurando firmauerit, etsi contractus nullus sit ipso iure, valet ob iusiurandum, nec ætas excusat periurium, *l.* I. *& auth. sacramenta, C. si aduers. vendit.* Seruandum est iusiurandum si sit licitum, nec noxium alteri: aliàs non est seruandum sacramentum illicitum, putà sacramentum de non reuocandis alienationibus rerum fisci, *cap. intellecto, infrà, hoc tit.* Si Rex alienauerit res, vel iura regni adhibito iureiurando de non reuocandis alienationibus, non obstante iureiurando potest reuocare alienationes; quia nullum & inane est huiusmodi iusiurandum, tamquam contrarium priori sacramento præstito à Principe in solemni inaugurationis de seruandis, & tuendis iuribus Regni. Princeps moribus nostris non potest alienare res, vel iura regni, etiam dotis filiarum causâ, Gregor. Tur. lib. VI. cap. XLV. *Interea legati Regis Childeberti Parisios aduenerunt contestantes Chilperico Regi, vt nihil de ciuitatibus, quas de regno patris sui tenebat auferret, aut de thesauris eius in aliquo filiam muneraretur, ac non mancipia, non equos, non iuga boum, neque aliquid huiusmodi de his auderet attingere.* Princeps, inquam, non potest alienare res regni sui maximè obstante iuramento solemni, quod præstari solet sub initia principatus de non alienandis rebus coronæ tamquam sacris. Hinc Henricus I. Rex Anglorum cùm Roberto fratri suo Normanniâ cessit, Danfrontem castrum excepit ob iusiurandum præstitum in traditione castri, de eo numquam dimittendo. Ordericus Vital. lib. X. *Et*

quicquid in Neustria possidebat prater Danfrontem reliquit, solum Danfrontem castrum sibi retinuit, quia Danfrontanis quando illum intromiserunt, iureiurando pepigerat, quòd numquam eos de manu sua proiiceret, nec leges eorum, vel consuetudines mutaret.

CAPITVLVM XXIX.

SICVT: .·.·. Si constiterit, quòd prædictus H. iniustè bellum mouerit contra I. ipsum H. studeatis inducere vt vniuersa per huiusmodi violentiam occupata restituat conquerenti, eum à præstito sibi iuramento prorsus absoluentes. Quòd si adquiescere noluerit, ipsum ad hoc (si præmissa veritate nituntur) cogatis per sententiam excommunicationis, terram eius interdicti sententiæ supponentes.

Iuramentum autem quod I. se adserit præstitisse: si de adsensu factum est vtriusque, eum non ligat, qui præstitit, dum ille cui præstitum fuerit, seruare negligit, quod promisit.

QVI bello iniusto aliquem petiit (belli gerendi iure vsi sunt etiam Duces & Comites) & iusiurandum extorsit de non repetendis rebus ablatis, tenetur res restituere, & res suas vindicantem à iuramento absoluere. Iusiurandum per vim elicitum de non repetendis rebus ereptis soluitur, nec opus est dispensatione, *cap.* II. *suprà, hoc tit.* Iusiurandum quod additur *in hoc cap.* non ligat eum, qui id præstitit, si is cui præstitum fuit fidem non seruet: fidem frangenti fides non est seruanda: non potest agere ex contractu, qui fidem contractus infringit, *cap. dilectus. de simon. cap. constitutus. de pœn.*

CAPITVLVM XXX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

NIMIS de iure diuino quidam laïci vsurpare nituntur, cùm viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt. Quia secundùm Apostolum seruus suo domino stat aut cadit, sacri auctoritate Concilij prohibemus, ne tales Clerici personis sæcularibus præstare cogantur huiusmodi iuramenta.

EX Conc. generali Lateranensi habito sub Innocent. III. Clerici non tenentur laïcis iuramentum præstare, si ab eis nihil temporale obtineant. Ergo à contrario Clerici ratione temporalium, putà feudorum, tenentur præstare fidem & hominium Principibus laïcis vel dominis temporalibus, etiam Abbatissæ, *cap. periculoso,* §. *verum. de stat. regular. in* VI. Hinc Legatis Alexandri III. inter pacis conditiones proponentibus, vt Episcopi Italici sacramentum fidelitatis sine hominio præstarent Imperatori, Fridericum I. ita respondisse tradit Radeuicus de gest. Frideric. lib. II. cap. XXX. *Episcoporum Italiæ ego quidem non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere: qui si gratanter audierint à Romano Præsule, quid tibi & Regi, consequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & possessioni.* Clericos tamen etiam feudorum nomine non præstare hominium, sed nudam & simplicem fidelitatem, id est, promissionem fidei voluit Conc. Rothomagens. habitum anno Chr. MXCV. apud Ordericum Vitalem lib. IX. *Nullus Presbyter efficiatur homo laïci, quia indignum est, vt manus Deo consecratæ, & per sacram vnctionem sanctificatæ mittantur in manus non consecratas, quia est aut homicida, aut adulter, aut cuiuslibet criminalis peccati obnoxius: sed si feudum à laïco Sacerdos tenuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem, quòd securus sit.* Clerici etiam Episcopo præstant reuerentiam, & obedientiam, non iusiurandum fidelitatis, nisi eis credita fuerit dispensatio rerum Ec-

clesiasticarum, *cap. nullus, hoc tit. can. vlt.* XXII. *qu.* V. vt Archidiaconus Episcopo teneretur præstare iusiurandum fidelitatis ob administrationem, quam penes se habet sacri ærarij. Hinc Fulbert. epist. XXXIV. de Lysiardo Archidiacono Parisiensi in Episcopum suum rebellante: *Quid dicemus*, inquit, *de iuramento fidelitatis, quod ita contaminat, vt Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat.*

TIT. XXV. *De exceptionibus.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. ARCHIDIAC. RICHEMVNDIÆ.

A Nobis ex parte tua fuit quæsitum, vtrum is, qui excommunicato in locutione vel oratione scienter communicat, excommunicatum ipsum à sua possit adcusatione repellere, cùm ille communionem huiusmodi replicet contra eum.

Nos igitur inquisitioni tuæ t. r. quòd ipse ab adcusatione illius poterit remoueri, cùm primus à communione fidelium sit exclusus, secundus verò tantùm à sacramentorum participatione sit remotus.

QVI excommunicato sciens communicat, ab ipso excommunicato accusari non potest. Excommunicatus in iudicio stare non potest, *cap. intelleximus, suprà, de iudic. cap. post cessionem. de probat.* Et si accuserur ab excommunicato, potest eum repellere ab accusatione, opposita exceptione excommunicationis, quæ non eliditur per replicationem huiusmodi communionis, si excommunicatus replicando dicat, tu non potes mihi opponere exceptionem excommunicationis, quia mecum participasti, quasi non essem excommunicatus: vnde non potes reprobare semel probatum, *l. Pomponius, ff. de negot. gest.* Fortior est exceptio quàm replicatio, vnde exceptio excommunicationis non eliditur per replicationem communionis: quia excommunicatus omnino repellitur à communione fidelium; qui verò cum excommunicato sciens communicat, ligatur tantùm minori excommunicatione, quæ remouet tantùm à sacramentorum communione, vt distinguitur *hic, & can. Theugualdum, can. sicut, & seqq.* XI. *qu.* III. *cap. statuimus. de sentent. excommunicationis in* VI. Excipitur qui participat cum excommunicato à Summo Pontifice, is tenetur eodem vinculo excommunicationis, *cap. significauit, ex eod. tit.*

CAPITVLVM III.

IDEM AVDICEN. EPISCOPO.

CVM Ecclesiasticæ prouisionis officium :.·.·. Mandamus, quatenus Ia. faciatis præbendæ illius, de qua per C. præd. no. noscitur inuestitus pacificà possessione gaudere, cùm exceptionem illam, quod præfatus Ia. in alia Ecclesia beneficium possidet, ei non possint opponere, quos constat varia beneficia in diuersis Ecclesiis obtinere.

HVIVS cap. quod integrum occurrit apud Innocent. III. lib. I. epist. XXXIX. species huiusmodi est: Quæstio vertebatur inter Capitulum Nouariense, & Iacobum Clericum super præbenda Nouariensis Ecclesiæ: Cœlestinus III. huiusmodi præbendam vacantem in Nouariensi Ecclesia contulit Iacobo Clerico. Canonici verò nolebant ipsum recipere in Canonicum, oppositâ huiusmodi exceptione quòd aliam præbendam in alia Ecclesia obtineret, subnisi auctoritate Conc. Lateranensis, quo prohibetur quis duas habere præbendas, præter dispensationem Summi Pontificis, *cap. de multa, infrà, de præbend.* Re delatâ ad Sedem Apostolicam, Innocent. III. proximus

Celestini successor rescripsit Laudensi Episcopo: sic lege in inscriptione pro Laudunensi. Lauda siue Laus Pompeia est vrbs Episcopalis Lombardiæ, ditionis Mediolanensium. Otto Frisingens. lib. II. de gest. Frideric. cap. XIII. *Inter ceteras eiusdem gentis ciuitates Mediolanum primatum nunc obtinet inter Padum & Pyrenæum sita. Hæc ergo non solùm ex sui magnitudine, virorúmve fortium copia; verùm etiam ex hoc quod duas ciuitates vicinas in eodem sinu positas, id est, Cumam & Laudam ditioni suæ adiecit, aliis ciuitatibus celebrior habetur.* Rescripsit, inquam, Pontifex, Canonicos non posse Iacobo opponere exceptionem pluralitatis beneficiorum, quòd ipsi eodem vitio laborarent, & varia beneficia in aliis Ecclesiis obtinerent. Frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem, *cap. quia frustra. de vsur.* Pontifex conferendo beneficium aliud habenti non videtur propter hoc dispensasse super pluralitate beneficiorum; Pontifex non intelligitur dispensasse, nisi hoc exprimat, *cap. II. de schismatic.*

CAPITVLVM IV.

IDEM EPISCOPO HELIENSI.

PASTORALIS:.·.·. Quoniam per dilatorias exceptiones malitiosè nonnumquam causarum terminatio prorogatur, inquisitioni t. respondendo decernimus, vt intra certum tempus à iudice adsignandum, omnes dilatoriæ proponantur. Ita quòd si partes extunc voluerint aliquas opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur, nisi fortè aliqua de nouo sibi competens exorta fuerit: vel is, qui voluerit eam opponere, fidem faciat iuramento, se postmodum ad illius notitiam peruenisse.

ALIÆ sunt exceptiones peremptoriæ, aliæ dilatoriæ; peremptoriæ quæ prorsus litem perimunt, & tollunt actionem, vt exceptio rei iudicatæ, exceptio præscriptionis; vnde peremptoria præscriptio, quia litem perimit, & causam principalem tollit, *l. III. C. Th. de diuers. rescript.* Et constitutionis de præscriptione peremptorium vocabulum in Nou. Valentiniani de præscriptione XXX. annorum: eiusdem legis peremptorias rubricas dixit Sidon. lib. VIII. epist. VI. *Cuius peremptoriis abolita rubricis lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Dilatoriæ sunt quæ differunt, non perimunt actionem. Vnde moratoria præscriptio dicitur in *d. l. III.* quæ causam prolongat, vt interpretatur Anianus. Huiusmodi sunt exceptio fori, cùm iudex negatur esse competens; exceptio procuratoria, quæ negat iure datum procuratorem; exceptio excommunicationis, quoad absolutus fuerit actor. Hoc interest inter vtrasque, quòd exceptiones peremptoriæ opponi possunt post litem contestatam ante sententiam, *l. II. C. sent. rescind. non poss.* exceptiones dilatoriæ, vt exceptio fori, & procuratoria, opponendæ sunt in exordio litis, ante litem contestatam; post litem contestatam non audiuntur, *l. pen. & vlt. C. de except. l. licet, C. de procurat. l. exceptionem, C. de probat.* Hoc verò iure exceptiones dilatoriæ non audiuntur, nisi intra tempus statutum à iudice; post illum diem non audiuntur, nisi fuerint priùs protestatæ, vel de nouo fuerint protestatæ, vel qui eas post diem opponere voluerit, iureiurando affirmet eas postmodum ad ipsius notitiam peruenisse. Speciale est in exceptione excommunicationis, quòd in qualibet parte litis opponi potest, ne quis in periculum animæ excommunicato communicare cogatur, *cap. exceptionem, infrà, hoc tit. cap. I. eod. tit. in VI. & Clem. vn. eod. tit.*

CAPITVLVM V.

IDEM MONACHIS FARSEN.

CVM inter Priorem & conuentum de Argentolio ex parte vna, & nobilem virum S. de Malileone diœc. Picta. ex altera, super damnis & aliis coram vobis ex delegatione nostra quæstio verteretur: procu-

ratore ipsius nobilis vestrum volente declinare iudicium, eo quòd duos ex vobis habebat suspectos, procurator monasterij allegauit parti eiusdem nobilis (cùm esset vinculo excommunicationis adstrictus) exceptionis huiusmodi beneficium interdictum: . ·. ·. Inquisitioni vestræ duximus respondendum, quòd prædicto nobili legitima defensio in iudicio reseruatur, & maximè iudicis recusatio, cùm periculosum sit coram suspecto iudice litigare, ac suspectis iudicibus Sedes Apost. causam de certa conscientia non committat. Vnde in talibus non excommunicati fauor adtenditur, sed æquitas iudicantis, cùm non debeat claudicare iudicium: ac satis videatur absurdum si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multoties absoluendus. Porrò cùm excommunicato, quando in causa absolutionis existit, non sit iusta deneganda sententia, nec interdici debet eidem adpellationis remedium, si contra iustitiam condemnetur; quâ ratione in vno eodémque negotio ipsi alia legitima subtrahantur suffragia, non videmus. Cæterum non sic in reconuentione sentimus: ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur.

SPECIES *huius cap.* hæc est: Cùm inter Priorem & monasterium de Argentolio, (hoc pendere à monasterio S. Dionysij iam obseruatum *cap. significauerunt, suprà, de testib.*) & S. de Malileone Pictauiensis diœcesis, (hic est Sauaricus de Maloleone miles Pictauiensis, de quo Rigord. in Gest. Philippi A. ad ann. MCCVIII. & Matthæus Paris.) quæstio verteretur super damnis datis & aliis, coram iudicibus delegatis à Summo Pontifice, & procurator Sauarici, duos è iudicibus datis tamquam suspectos recusaret: Procurator monasterij allegauit Sauaricum non posse vti beneficio huiusmodi exceptionis, cùm excommunicationis vinculo teneretur obstrictus, fortè quòd excommunicatus foret tamquam defensor hæreticorum, nempe Albigensium, quos armis tuebatur. Petrus Vallissernensis hist. Albig. cap. LVI. *Veniebat etiam cum aduersariis ille pessimus apostata, ille præuaricator, iniquus filius diaboli, minister Antichristi, Savaricus videlicet de Malleone omnem excedens hæreticum, omni deterior infideli, impugnator Ecclesiæ, Christi hostis.* Et Patres Synodi Vaurensis in epist. ad Innocent. III. quæ est XLI. registr. XVI. inter epist. ipsius Pontificis: *Inuocauit etiam contra Dei exercitum Seuericum Regis Angliæ inimici Ecclesiæ Seneschallum.* In dubio à iudicibus datis consultus Pontifex respondit, prædicto militi, etsi excommunicato, non denegari copiam defensionis in iure iudicióque, & maximè recusationem suspecti iudicis, cùm durum, & periculosum sit coram suspecto iudice litigare, & suspectis iudicibus Sedes Apostolica causam sciens non committat, & in talibus non fauor excommunicati, sed æquitas naturalis iudiciorum attendatur, nec debeat claudicare iudicium, *l. Celsus, ff. de recept. arbitr.* Excommunicatus non potest agere, quia non habet legitimam personam standi in iudicio quoad agendum, sed ei defensionis copia non eripitur, quia vt conueniri & accusari potest, *cap. intelleximus, suprà, de iudic.* ex æquitate naturali ei defensionis copia non denegatur; eâdem ratione excommunicato datur hîc remedium appellationis, quia appellatio comparata est ad opem & defensionem eius qui grauatur: idcirco exceptio excommunicationis nihil nocet appellanti, vel persequenti appellationem, *cap. dilectæ, cap. significauerunt, cap. vlt. suprà, hoc tit.* Cæterum excommunicatus reconuenire non potest. Excommunicatus agere, vel reconuenire non potest, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur, vt concluditur in calce *huius cap.*

CAPI-

CAPITVLVM VI.

IDEM MONACHIS FARSEN.

CVM venerabilis frater noster I. Sabin. Episcopus coram dilectis filiis nostris R. tituli sanctæ Anastasiæ presbytero, & P. sanctæ Luciæ Diac. Cardd. quos sibi & R. procuratori vestro concessimus auditores, Ecclesiam sancti Viti cum suis possessionibus & pertinentiis petiisset, adserens eamdem ad se in spiritualibus & temporalibus pertinere. Idem nondum Episcopi intentione fundatâ præproperè sic respondit, quòd etsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesiæ Sabin. subiecta, eam tamen non poterat Episcopus vindicare, quam ex permutationis causa Farsen. monasterium obtinebat, ad hoc probandum quoddam exhibens instrumentum, in quo contineri primâ facie videbatur, quòd Theodosius Episcopus cum suorum sacerdotum adsensu prædictam Ecclesiam sancti Viti, pro quibusdam Ecclesiis & rebus aliis in cambium vestro duxit monasterio concedendam. Ad hæc Episcopus proposuit memoratus, intentionem suam per huiusmodi responsionem esse fundatam. Cùm enim pars vestra responderet se dictam Ecclesiam ex permutatione facta per Sabin. Episcopum obtinere, confiteri per consequens videbatur se credere, quòd dicta Ecclesia tempore permutationis pertinuit ad Ecclesiam Sabin. cùm permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quàm cum domino, vel cum eo, qui habebatur loco domini, legitimè valear celebrari :.·.·. Porrò memoratus Episcopus ad probandum, quòd iam dicta Ecclesia ad se in temporalibus pertinebat, quosdam testes induxit, per quos nitebatur ostendere, quòd tam dictam Ecclesiam, quàm molendina, terras, & alia bona eius Sabin. Episcopi diutiùs possederunt, de illis pro suæ voluntatis arbitrio disponendo :.·.·. Intelleximus supradictum Episcopum intentionem suam minimè fundauisse per testium depositiones, vel procuratoris supradicti responsionem, quia exceptionem obiiciens de intentione partis aduersæ, non intelligitur fuisse confessus, vel per instrumentum ex aduerso exhibitum, cùm in eo Theodosius Episcopus à quo permutatio facta proponitur, non dicatur Episcopus Sabinensis quamquam in transcripto, quo procurator vtebatur, adpositum fuerit Sabinense per vitium falsitatis. Licèt autem nimis excesserit, qui transcriptum illius instrumenti falsauit, quia tamen delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet, ac non solùm ante sententiam, verumetiam post obiici potest exceptio falsitatis, cùm falsorum instrumentorum prætextu lata sententia, vsque ad XX. annorum spacium valear retractari veritate compertâ: nolumus vt per id monasterio vestro præiudicium generetur. Quia verò nobis constitit suprà dictam Ecclesiam sancti Viti constitutam esse in diœcesi Sabin. Episcopale ius in omnibus eidem Episcopo adiudicauimus in eadem, illis dumtaxat exceptis, quæ per authentica scripta ei noscuntur esse subtracta, cùm per priuilegium vel per præscriptionem legitimam nullatenus probare-

SS

tur exempta. Verùm quia dictus Episcopus, qui eamdem Ecclesiam vindicabat, munitum se præscriptione legitimâ non ostendit, quamquam probauerit Episcopum Sabin. bona eiusmodi Ecclesiæ aliquanto tempore possedisse: vos ab impetitione Episcopi quoad temporalia eiusdem Ecclesiæ sententialiter duximus absoluendos.

ELEGANS est species *huius cap.* Episcopus Sabinensis coram auditoribus datis à S. Pontifice petebat à Monasterio Farfensi, quod est monasterium exemptum eiusdem diœcesis, vt colligitur ex *hoc cap. & cap. cùm venerabilis, infrà, de religios. domib.* & ex epist. CXLII. registr. XVI. ipsius Innocent. Ecclesiam S. Viti cum suis possessionibus & pertinentiis, id est, rebus & iuribus ad monasterium spectantibus, asserens eamdem ad se in spiritualibus & temporalibus pertinere. Econtrà Procurator monasterij nondum fundatâ, seu stabilitâ intentione Episcopi, præproperè, id est, præmaturè respondit, quòd etsi Ecclesia S. Viti olim subiecta fuerit Sabinensi Episcopo, eam tamen non posse vindicari ab Episcopo, cùm ex causa cambij seu permutationis peruenerit ad monasterium; quod exhibito quodam instrumento probare nitebatur, quo continebatur à Theodosio Episcopo de assensu Capituli prædictæ Ecclesiæ permutatio facta cum monasterio Farfensi pro quibusdam Ecclesiis & aliis rebus temporalibus. Ad hæc Episcopus replicauit intentionem suam per huiusmodi responsionem esse fundatam, quòd ex quo Procurator monasterij contendebat se dictam Ecclesiam obtinere ex permutatione facta cum Sabinensi Episcopo, per consequentiam confiteri videbatur, dictam Ecclesiam tempore permutationis pertinuisse ad Episcopum Sabinensem, cùm permutatio fieri non possit cum alio, quàm cum domino, vel eo qui pro domino habeatur. Res aliena vendi potest, quia qui vendit, non tenetur fundum emptoris facere, id est, dominium rei transferre, sed tradere vacuam possessionem; rei alienæ verò permutatio non valet, *l. 1. ff. de rer. permutat.* Quòd permutatio naturâ suâ, rei ac proinde proprietatis & dominij translationem inducat, quæ porro nulla fieri potest, si is qui permutat dominus non sit. Præterea idem Sabinensis Episcopus testes quosdam inducebat, ad probandum iam dictam Ecclesiam cum prædiis & aliis temporalibus diutius possessam ab Episcopis Sabinensibus; adiiciens instrumentum huiusmodi nullum & irritum esse, quod nec tabellionis auctoritate, nec subscriptione testium esset fulcitum, Nou. LXXIII. cap. V. Re relatâ ad Sedem Apostolicam, Pontifex respondit intentionem Episcopi minimè fundatam esse per testium depositionem, quia etsi Episcopus probauerit Episcopum Sabinensem bona eiusdem Ecclesiæ aliquanto tempore possedisse, non probauit se legitimè præscripsisse, nec per responsionem procuratoris monasterij, quòd exceptionem obiiciens non intelligatur confessus de intentione actoris, vt *hîc, & l. non vtique, ff. hoc tit. cap. exceptionem. de R. I. in* VI. Licèt Procurator monasterij excipiendo confessus sit Ecclesiam per permutationem ab Episcopis Sabinensibus ad se peruenisse, non ideo confessus videtur eam fuisse dominij Sabinensis Episcopi: qui exceptione vtitur non statim confitetur de intentione aduersarij. Neque per instrumentum à Procuratore monasterij productum, cùm in eo Theodorus Episcopus à quo permutatio facta proponitur, non dicatur Episcopus Sabinensis, licèt in transcripto seu exemplari quo vtebatur falsò adiectum fuerit Sabinensis. Licèt enim nimis excesserit, qui exemplar seu transcriptum illius instrumenti corrupit: quia tamen delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet, quod sumptum est ex *can. si Episcopum.* XVI. *qu.* VII. & inde versu decantatum Guntero Ligurin. II.

Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali regalia iura
Amisere metu, persona scilicet, ipsæ
Non tamen Ecclesiæ, neque enim quod Pastor iniquè
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

& exceptio falsi cùm sententia lata dicitur super falsis instrumentis, potest obiici non solùm ante, sed & post sententiam latam, vsque ad XX. annos: querela falsi non præscribitur nisi spatio XX. annorum, *l. querela, C. ad l. Corn. de fals.* non tulit Pontifex

id obeſſe monaſterio Farfenſi : quia verò conſtitit prædictam Eccleſiam ſitam eſſe in diœceſi Sabinenſi, Epiſcopalia iura rectè Pontifex Epiſcopo adiudicauit in eadem Eccleſia, cùm non probaretur exempta priuilegio, vel præſcriptione. Regulariter omnes Eccleſiæ ſunt in poteſtate Epiſcopi, niſi probentur exemptæ priuilegio Apoſtolico, *cap. recepimus, infrà, de priuileg. cap. ſi Papa, eod. tit. in* VI. vel legitima præſcriptione, *cap. de quarta, cap. auditis, cap. cùm olim. de præſcript.* Quoad temporalia verò Pontifex abſoluit monaſterium, quia Epiſcopus non probabat ſe ea legitimè præſcripſiſſe. Idem iudicatum ab eodem Pontifice in conſimili cauſa inter eaſdem partes, *d. cap. cum venerabilis. de religioſ. dom.*

TIT. XXVI. *De præſcriptionibus.*

CAPITVLVM XI.

INNOCENTIVS III. ABBATI DE CENEDO.

ACCEDENTES ad præ. no. Præpoſitus ſancti Nazarij, & A. Canonicus ſancti Stephani, Syndici & procuratores Primicerij & clerici Mediolanen. de ordinariis maioris Eccleſiæ grauiter ſunt conqueſti, quòd cùm ipſi legatos & nuncios Apoſt. Sed. deuotè recipiant & procurent, dicti ordinarij procurare ipſos tenuunt, & procurantibus ad expenſas ſubſidium impartiri : .·.·. Volentes autem vt quod omnibus imminet, ab omnibus comportetur : Mandamus, quatenus niſi dicti ordinarij per ſpeciale priuilegium Apoſt. Sed. à præſtandis procurationibus oſtenderint ſe immunes, (etiamſi longiſſimo tempore procurationis obſequium non impenderint: cùm in talibus præſcriptio ſibi locum nequeat vindicare) ipſos ad procurationis ſarcinam ordine debito ſubeundam teneri decernas.

HOc cap. integrum legitur apud Innocent. III. lib. 1. epiſt. DLXII. & coniungendum eſt cum initio *cap. cum inſtantia, infrà, de cenſib.* Vtriuſque ſpecies vna & eadem eſt. Clerici Mediolanenſes conquerebantur de ordinariis maioris Eccleſiæ, ſic appellantur Canonici Mediolanenſis Eccleſiæ, vt hîc, & apud eumdem Innocent. epiſt. CCCLXIII. eiuſd. lib. 1. quæ etiam pertinet ad Mediolanenſem Eccleſiam, *de numero viginti Canonicorum, qui propriè ordinarij appellantur:* vt & Canonici Strasburgenſes, Regino Abbas 11. Chronic. *Eodem anno Vvitgerus Metenſis Epiſcopus obiit, cui Benno ex ordinariis Strasburgenſibus in Alpibus quondam eremiticam vitam ducens ſucceſſor eligitur.* & Canonici Lincolnienſes in Anglia, Matth. Weſtmonaſterienſis ad ann. MCCLX. *Quod mox cùm vacauerit, in Archidiaconos, & ordinarios Eccleſia omnis debet iuriſdictio, ſicut & ſolet, procedere.* & alij Canonici paſſim in Anglia, idem Weſtmonaſter. ad ann. MCCLXI. *Prioribus Archidiaconis, & aliis Eccleſiarum ordinariis.* Conquerebantur, inquam, quòd legatis & nuntiis Apoſtolicæ Sedis, procurationes pro virili non conferrent. Aditus Pontifex reſcripſit Abbati de Cerreto (ſic reſtitue inſcriptionem *huius cap.* pro de Cenedo) ordinarios, ſeu Canonicos ad onus procurationis ſubeundum teneri, etiamſi longiſſimo tempore procurationis obſequium non impenderent, niſi ſpeciali priuilegio Sedis Apoſtolicæ à procurationis onere ſint immunes; quia procuratio quæ debetur ratione viſitationis nullo tempore præſcribitur, vt *hîc, & cap. cùm ex officij, hoc tit. & d. cap. cum inſtantia:* aliàs procuratio, quæ debetur ex lege fundationis, vel priuilegio præſcribi poteſt, *can. Eleutherius, can. ſeruitium.* XVIII. *qu.* II.

CAPITVLVM XII.

IDEM DE COSTA, ET DE S. DONATO PRIORIBVS.

CVM non liceat à capite membra recedere: non sufficimus admirari, quòd sicut referente Bracharen. Archiepiscopo nobis est intimatum, licèt Ecclesiæ vestræ in ipsius sint diœcesi constitutæ, vos tamen obedire sibi tamquam Episcopo vestro contumaciter recusatis: .·.·. Ideóque mandamus, quatenus præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracharen. obedientiam & reuerentiam debitam, sicut alij clerici suæ diœcesis faciunt, impendatis, præscriptione temporis non obstante.

OMNES Ecclesiæ sunt in potestate Episcopi, in cuius diœcesi positæ sunt, *can. omnes basilicæ, can. nullus.* XVI. *qu.* VII. nisi speciali priuilegio probentur exemptæ, *cap. cùm dilectæ, infrà, de confirm. vtil.* Et Clerici nullo tempore præscribunt obedientiam contra Episcopum, vt definitur hîc, ne Clerici fiant acephali, id est, sine capite, quod monstro simile est, *can. nulla.* XCIII. *dist.* Conc. Moguntini I. can. XXII. Non obstat quòd iura Episcopalia possunt præscribi, *cap. auditis, cap. cùm olim, infrà, hoc tit.* quia hoc verum est præterquam in casibus prohibitis à iure, vt in hoc casu. Non obstat etiam *cap. cùm olim.* II. *infrà, de priuileg.* vbi ostenditur cessantibus aliis priuilegiis monasterium, de quo ibi agitur, potuisse præscribere obedientiam aduersus Episcopum; quia impropriè præscribere dicitur obedientiam, cùm reuerà non indigeret præscriptione, quòd cessante priuilegio Ordinarij, niteretur priuilegio Sedis Apostolicæ. Hanc decretalem integram pete ex Innocent. III. lib. II. epist. CXLI.

CAPITVLVM XIII.

IDEM NOBILI VIRO MATAFELONI.

AD audientiam Apostolatus nostri peruenit: .·.·.·. Proponebatur ex parte tua Alexan. Pap. præd. nost. tibi in castro Palatioli concessisse singulis annis XL. sol. denariorum Papien. quos Rom. Eccl. ibi consueuit recipere annuatim, insuper comestiones, banna, placita, forisfacta, & omnia iura, quæ ibi Apost. Sedes habebat. Sed ea tibi ratione nullâ deberi Castellanus eiusdem castri constantissimè adserebat. Ad quod probandum inducebas prædicti Papæ priuilegium, & librum Eccl. Ro. censualem. Hoc etiam nitebaris probare per testes, qui dicebant se vidisse præscriptum censum nunciis Rom. Pont. à L. annis, & infra fuisse solutum. Sed inter alia fuit ex aduerso responsum, quòd nec priuilegium nec liber censualis, tibi aliquid commodi adferebant, cùm priuilegio vsus non fueris spatio annorum XXX. & liber censualis suspectus existeret: quia non fuerat in camera nostra receptus, ac scriniarius alio modo scripsisset dicta testium, quàm dixissent. Nos igitur magis auctoritatem priuilegij, quàm depositiones testium adtendentes, considerantes etiam librum censualem, quem non suspectum habuimus, licèt non in nostra, sed in Cardinalis S. Hadriani camera sit inuentus, qui eum, quando camerarius fuerat, de camera B. Petri suscepit, nec credentes ipsum scriniarium (cùm iuratus sit officium suum fideliter exequi) aliud scripsisse, quàm à testibus diceretur: Respicientes insuper (quod est longè validius) ipsum negocium tangere principaliter R. Eccl. contra quam

non nisi centenaria præscriptio currit: in solutione prædicti census & aliorum petitorum condemnauimus partem aduersam, iniungentes eidem, vt tibi non tamquam tibi, sed tamquam Eccl. Ro. (cuius auctoritate debes percipere, cuius etiam propter prædicta beneficia vasallus existis) sine difficultate persoluat.

HVIVS cap. species hæc est. Nobilis vir, cui nomen Matesclo, proponebat Alexandrum III. sibi concessisse beneficij, seu fendi nomine in castro Palatioli annuam pensionem XL. solidorum Papiensium, id genus monetæ, quæ apud Papienses cudi solebat ex priuilegio, *cap. olim, infrà, de censib.* insuper comestiones, banna, placita, forisfacta, & alia iura, quæ ibidem Apostolica Sedes obtinebat. Comestiones, vt hæc quæ pertinent ad Grammaticam breuiter perstringam, sunt albergariæ, seu procurationes quæ à singulis præstabantur, vt docet gloss. hîc, & sunt onera rusticorum, *cap. præterea, infrà, de iur. patronat.* Banna sunt multæ seu pœnæ pecuniariæ non respondentium ad edictum seu citationem. Gregor. Tur. lib. v. hist. cap. XXVI. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ, vel basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quòd in exercitum non ambulassent.* & Capitulare Caroli M. lib. VI. cap. XCVI. *Legibus componat, & insuper bannum nostrum id est LX. solidos nobis persoluat.* & Anastasius P. in *can. statuimus* XVI. *qu.* I. *Bannum nostrum componat, & communione priuetur.* Placita, forum causarum & iurisdictio, vt *hîc, & cap.* I. *infrà, de immunit. Eccles.* Forisfacta sunt pœnæ delinquentium. Forisfacturæ, Matth. Paris. ex charta Henrici I. anni MCX. *Si quis Baronum, vel hominum meorum forisfecerit non dabit vadium in miseria pecuniæ suæ, sed secundùm forisfactura modum.* Forisfactiones, Thomas Walsingam. in Eduardo III. *Pro hac autem concessione remisit dominus Rex, & condonauit omnia catalla, telonum & fugitiuorum euasiones incarceratorum, fines exitus, & forisfactiones, & amerciamenta murdiorum.* Iuris cessi probandi gratiâ vir nobilis adducebat priuilegium prædicti Pontificis, & librum censualem Ecclesiæ Romanæ; nitebatur etiam idem probare testibus, qui deponebant se vidisse à quinquaginta annis & ampliùs prædictum censum pensitari nuntiis Rom. Pontificis. Ex aduerso Castellanus qui præerat castro nomine Pontificis. Constituti enim olim sunt Castellani, qui præsidio tenerent castra, seu munitiones Principis, vel Ecclesiæ, Matth. Paris. in Henrico III. ad ann. MCCLII. *Decretum est igitur communi totius vniuersitatis Guasconensium assensu, & consensu, ad dominum eorum Regem Angliæ solemnes nuntios destinare, qui in testimonium huius accusationis scripta communiarum, ciuitatum Guasconiæ, Magnatum, Castellanorum, & Bailliuorum secum baiularent.* Hi potentiores facti custodiam castrorum cum prædiis & latifundiis beneficij, seu feudi nomine acceperunt. De Waltero castellano Cameracensi testatur Baldricus Nouiomens. Chronic. Cameracens. lib. I. cap. CXVII. *Interea Walterus Castellanus graui languore correptus factâ legatione Episcopum precatus est, vt filio suo Waltero terram suam beneficiaret, eique filius saluo vsu paterna hæreditatis militaret.* De eodem idem scriptor lib. III. cap. II. *Certè satis admirans, quòd cùm se Castellanum Aduocatúmque ciuitatis agebat, numquam aulam regiam frequentaret.* Castellanus, inquam, asserebat huiusmodi pensionem omnino non deberi dicto viro nobili. Primùm ei non prodesse Pontificium priuilegium, quòd priuilegio vsus non esset per XXX. annos: priuilegium non vtendo per XXX. annos amittitur, *can. placuit.* XVI. *qu.* III. *cap. si de terra, cap. accedentibus. de priuileg.* Itidem fidem non facere librum censualem tamquam suspectum, quòd non fuisset inuentus in Camera Apostolica, idoneum argumentum Pontificiæ donationis si produceretur ex Archiuo, seu Chartophylacio Ecclesiæ Romanæ: publicam fidem continet instrumentum quod profertur ex Archiuo publico, *auth. ad hæc, C. de fid. instrument.* Hoc argumento fidem sacræ epistolæ tuetur Hieronymus III. aduers. Rufinum: *Si à me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romana Ecclesia chartario non requiris.* Addebatur & illud quòd scriniarius, seu tabellio aliter excepisset dicta testium, quàm deposuissent. His hinc inde discussis, Pontifex magis priuilegium, quàm depositiones testium attendens, quia contra scriptum testimonium non scriptum non admittitur, *l.* I. *C. de testib.* & motus quòd liber censualis, etsi non esset inuentus in Camera Apostolica, fuerat inuentus in Camera Cardinalis, qui olim fuerat Camera-

rius Sedis Apostolicæ, & ipsum de Camera B. Petri assumpserat. Et suspicio falsi aberat à Scriniario, quòd iuratus sit officium suum fideliter exequi: fides Notarij præsumitur, quòd iureiurando teneatur, *cap. cùm Ioannes. de fid. instrument. in* IV. *collect.* Potissimum mouebat quòd res pertineret ad Ecclesiam Romanam, contra quam nonnisi centenaria præscriptio currit. De iure tam ciuili, quàm canonico res aliarum Ecclesiarum præscribuntur XL. annis: sola præscriptio centenaria valet contra Romanam Ecclesiam, *l. vlt. & auth. quas actiones, C. de SS. Eccles. can. vlt.* XVI. *qu.* III. *cap. ad aures, cap. illud, cap. cum vobis, hoc tit. cap. dilecta, infrà, de confirmat. vtil.* Idcirco Pontifex condemnauit Castellanum, vt prædictam pensionem solueret prædicto militi; quia huiusmodi pensio illi præstanda erat non tamquam priuato, sed tamquam Ecclesiæ Romanæ, seu Ecclesiæ Romanæ vices gerenti, & vassallo ipsius Ecclesiæ prædicti beneficij nomine. Vassalli Ecclesiæ Romanæ fruuntur beneficio centenariæ præscriptionis exemplo Ecclesiæ Romanæ, quia ipsius vices repræsentant, & perinde est ac si feudum quod possident numquam abscessisset è potestate Ecclesiæ Romanæ, propter dominium directum feudi, quod remanet penes Ecclesiam velut dominam feudi, *cap.* I. §. *imprimis, in quib. casib. feud. amittat. cap.* I. §. *rei autem. de inuestitur. de re alien. fact.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM HEL. ET GV. ABBATIBVS.

CVM vobis: .·.·. Licèt tam legali, quàm canonica sit definitione statutum, vt contra Rom. Eccl. quæ gaudet priuilegio speciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vindicare: tempora tamen intercidentium schismatum, quæ secundùm iuris ordinem cursum præscriptionis impediunt, nolumus aliquatenus computari, sed diligenti consideratione adhibitâ de ipsa computatione deduci.

IN præscriptione rerum Ecclesiæ nimis variatum est. Primùm à Iustiniano introducta est præscriptio C. annorum, quæ pertinebat ad Orientales Ecclesias, *l. vlt. C. de SS. Eccles.* quam à Iustiniano pecuniâ elicitam tradidit Suidas in Prisco Emiseno. Tum prorogata est ab ipso ad Occidentales Ecclesias, & quidem omnes, nedum ad Romanam, *Nou.* IX. Postea verò, vt haberetur ratio dignitatis Ecclesiarum, Iustiniano placuit in aliis Ecclesiis locum habere præscriptionem XL. annorum, & solam Ecclesiam Romanam gaudere præscriptione C. annorum, *Nou.* CXXXI. vnde desumpta est *auth. quas actiones eiusd. tit. de SS. Eccles.* Et hanc Iustiniani posteriorem constitutionem in præscriptione rerum Ecclesiasticarum secuti sunt Pontifices, *can. vlt.* XVI. *qu.* III. & *in hoc cap.* & *cap. ad aures, cap. illud. cap. si diligenti, hoc tit.* Sola præscriptio C. annorum obstat Ecclesiæ Romanæ, præscriptio XL. annorum sufficit aduersus alias Ecclesias inferiores, adeóque Ecclesia aduersus Ecclesiam præscribit XL. annis, *cap. de quarta, hoc tit.* Licèt verò sola præscriptio centenaria tollat actiones, quæ competunt Ecclesiæ Romanæ, tamen in computanda huiusmodi præscriptione deducuntur tempora intercedentium schismatum, vt proditur *in hoc cap.* & *cap.* I. *suprà, hoc tit.* Quòd in schismate laboret Ecclesia, & dum intenta est propulsandis hostibus, & tollendo schismati, non sufficiat rebus suis tuendis. Impedito non currit præscriptio, *cap. quia diuersitatem, infrà, de concess. prabend. l. cùm notissimi,* §. *illud autem, C. de præscript.* XXX. *ann.* Eâdem ratione non currit præscriptio aduersus Ecclesiam tempore hostilitatis, *cap. ex transmissa, suprà, hoc tit. can. prima actione.* XVI. *qu.* III. nec Sede vacante, quòd Ecclesia sit destituta defensore, *d. cap.* I. *& cap. de quarta.* Synod. Aurelianens. IV. *can.* XXXV. *De substituendo Antistite, si fortassis mora extiterit, si quispiam Clericorum aliquid de facultate illa præsumpserit, in potestate sit aduenientis Episcopi vtrum audire an reiicere decessoris sui debeat voluntatem; nec Ecclesia in obiecto veniant tempora legibus constituta, dum non extitit persona, qua de vtilitate Ecclesia attentiùs cogitaret.*

Capitvlvm XV.

Idem Helien. et Rofen. Episcopis.

Avditis & intellectis meritis causæ, quæ vertitur inter Vigoren. Episcopum, & Abbatem de Heuescham super Ecclesiis in valle de Heuescham, quas Episcopus adserit ad se diœcesana lege spectare; Abbas autem eas esse ab eius iurisdictione prorsus exemptas: .·.·. Verùm tanto tempore probantur per testes ab Abbatibus de Heuescham pleno iure possessæ, vt videantut in eis Episcopale ius legitimè præscripsisse: .·.·. Quocirca mandamus, quatenus inspectis priuilegiis The. & Of. Regum, quæ Abbas super præmissa libertate adserit se habere, si per illa constiterit, quòd vallis de Heuescham sit ille locus, quem Cælestinus præd. no. libertati donauit, absoluatis Abbatem ab impetitione Episcopi super Ecclesiis memoratis: & adiudicantes illas Abbati pleno iure subiectas, Episcopo super illis silentium imponatis. Quòd si Abbas in hac probatione defecerit, audiatis probationes super tempore, quo intra quadraginta annos sedes Episcopalis vacauit: & si per tantùm temporis vacasse constiterit, vt illo subducto, non sit quadragenaria completa præscriptio, vos in illis Ecclesiis ius Episcopale adiudicetis Episcopo, & super illo perpetuum silentium imponatis Abbati. Si autem exceptionem huiusmodi Episcopus non probauerit: quia tamen interruptionem probauit circa processionem Pentecostalem in villa & Ecclesia de Mortona, & receptionem ac procurationem Archidiaconi, necnon solutionem denariorum S. Petri in valle de Heuescham: circa cognitionem quoque causarum matrimonialium, & Capellani suspensionem in prædicta villa de Mortona, & interdictum Capellarum in præfata villa de Heuescham, vos super his ius Episcopale adiudicetis eidem: si tamen circa suspensionem & interdictum huiusmodi intra quadraginta annos interruptio facta fuit, in cæteris ei silentium imponentes, quæ Abbas ptæscripsisse probatur.

In diœcesi Wigorniensi est monasterium Euesham, quod ab Eguuino III. Wigorniensi Episcopo ope Kenredi Regis Merciorum extructum circa annum salutis DCC. de quo Willelmus Malmesbur. de gest. Poutif. Anglor. lib. IV. *Habet etiam Vvigorniensis prouincia Abbatiam Eueshamensem, Perscorensem: Eueshamum fundauit Beatus Eguuinus Episcopus.* Ad res huius monasterij pertinet *hoc cap.* cum quo coniungendum est *cap. auditis, suprà, de in integr. restit.* & *cap. ex ore sedentis, infrà, de priuileg.* quæ spectant ad eamdem speciem *huius cap.* Species hæc est. Lis erat inter Wigorniensem Episcopum, & Abbatem monasterij de Euesham, de quibusdam Ecclesiis sitis in valle de Euesham, quas Episcopus asserebat ad se lege diœcesana spectare. Lex diœcesana latiùs sumpta hîc comprehendit omnes partes iurisdictionis Episcopalis, vt & in *cap. quod super his. de maiorit. & obedient. cap. ex parte. de regularib. cap. ad abolendam in fin. de hæretic. cap. veniens. de V. S. in* VI. & apud Matth. Paris. ad ann. MCIX. *Episcopo Lincolniensi subtracto, huic nouo Pontifici lege diœcesana subiicitur Comitatus.* Aliàs lex diœcesana est pars iurisdictionis Episcopalis, quâ separatur à lege iurisdictionis, *cap. dilectus. de offic. ordinar.* Econtrario Abbas contendebat huiusmodi Ecclesias esse omnino exemptas à iurisdictione Episcopi, ex priuilegio Kenredi, sic rectiùs legitur in III. collect. & Offæ Regum Merciorum. Ditione Regum Merciorum continebantur tres pagi, Glocestrensis, Vvigorniensis, & Vvaruicensis; in his erat vnus Episcopus, cui se-

des Vvigornia, authore Vvillelmo Malmesbur. de gest. Regum Anglor. lib. I. cap. VI. & ex priuilegio Constantini Pontificis. Verùm Abbas non probabat Ecclesias vallis de Euesham exemptas esse à iurisdictione Episcopi ex priuilegio Constantini Papæ, quia priuilegium pertinebat tantùm ad locum, qui à Kenredo & Offa libertate donatus fuerat, scilicet quoad iurisdictionem temporalem, & in eo non fiebat mentio vallis de Euesham. Adhuc igitur ei incumbebat onus probandi priuilegio dictorum regulorum libertate donatam fuisse vallem de Euesham. Verùm idem Abbas probabat per testes, Abbatem Eueshamiensem iura Episcopalia aduersus Episcopum possessione, vel quasi possessione XL. annorum præscripsisse. Verùm Episcopus tuebatur se oppositâ exceptione, si non interim tanto tempore vacasset Ecclesia, vt deducto tempore vacationis nondum impleta esset præscriptio, cùm præscriptio non currit aduersus Ecclesiam tempore vacationis, *cap. I. cap. de quarta, suprà, hoc tit.* Verùm Episcopus deficiebat in probatione temporis, quo dicebat Ecclesiam Vvigorniensem vacasse. Is quidem probabat interruptionem præscriptionis circa processionem Pentecostalem in villa, & Ecclesia de Mortona. Præscriptio iurium Episcopalium interrumpitur per solemnem processionem: processio est idoneum argumentum iurisdictionis, vt innuitur *hoc cap. & cap. cùm inter, suprà, de re iudicat.* Matth. Paris. ad ann. MCLXIII. *Eodem anno Clarenbaldus S. Augustini benedictionem à Thoma Cantuariensi Archiepiscopo accipere quærebat, sed in sua Ecclesia, & sine processione, vt suspicio subiectionis in posterum prorsus adempta esset.* Processio in die Pentecostes, vetus institutum Ecclesiæ, Synodus Calettens. apud Otdericum Vitalem lib. v. *Presbyteri semel in anno circa Pentecosten, cum processionibus suis ad matrem Ecclesiam veniant, & de singulis domibus cera denarata, vel idem valens ad illuminandam Ecclesiam altari offerant.* Celebrantur & oblationes Pentecostes Innocent. III. lib. II. epist. LXXII. de priuilegiis Sagiensis Ecclesiæ: *Omnes oblationes, quæ ad manus Sacerdotum, in Sagiensi Ecclesiâ offeruntur, & medietatem Pentecostes.* Interruptionem præscriptionis probabat idem Episcopus quoad receptionem & procurationem Archidiaconi, & solutionem denarij S. Petri. Denarium S. Petri vocat vectigal quod Ecclesiæ Romanæ præstari solebat ab Anglis in singula tecta: vnde dictum est *Romescot*, de quo obseruatiùs diximus dissertat. Iuris Canonici lib. III. cap. XII. Interruptæ per Archidiaconum præscriptionis argumentum adducebatur solutio huiusmodi census, quia collectio denarij solebat fieri per Archidiaconos in Anglia, in quaque diœcesi, *cap. ea quæ, infrà, de censib.* Interruptio præscriptionis quoque probabatur circa cognitionem causarum matrimonialium, quæ pertinet ad Episcopum, & maiores iudices desiderat, *cap. I. de consanguin. & affinitat.* & circa Capellani, id est, Plebani, seu Parochi suspensionem & interdictum. Lite instructâ à iudicibus datis remissâ ad Pontificem, auditis causæ meritis, Pontifex mandauit Heliensi & Rofensi Episcopis, quatenus inspectis priuilegiis Kenredi, & Offæ Regum, si ex his constiterit vallem de Euesham esse eamdem cum loco illo qui à Constantino Pontifice libertate donatus fuerat, absoluarut Abbas ab impetitione Episcopi super prædictis Ecclesiis, & eædem Ecclesiæ adiudicentur Abbati pleno iure, id est, in spiritualibus, & temporalibus. Ecclesiæ dicuntur pleno iure subiectæ, quæ subsint in spiritualibus & temporalibus, *cap. cùm inter vos, infrà, de re iudicat. cap. cum & plantare, §. in Ecclesiis. de priuileg. can. visis, can. sanè.* XVI. *qu.* II. Quòd si Abbas in hac probatione defecerit, audiantur probationes omissæ ab Episcopo super tempore, quo intra XL. annos sedes Episcopalis vacauit; & si tanto tempore vacauerit, vt illo deducto nondum quadragenaria præscriptio sit impleta, ius Episcopale in illis Ecclesiis adiudicetur Episcopo. Audiuntur partes super probationibus omissis, quia vtraque restitutus fuerat aduersus probationes omissas; & hæc est species *cap. auditis, suprà, de in integr. restit.* Quòd si Episcopus exceptionem huiusmodi non probauerit, quia tamen probauit interruptionem præscriptionis in quibusdam articulis, putà processione Pentecostes, & aliis; mandat Pontifex iudicibus datis, vt super his ius Episcopale adiudicetur Episcopo, in cæteris ei silentium imponatur, quæ Abbas præscripsisse probetur. Inferior Prælatus, putà Abbas, potest præscribere iura Episcopalia aduersus Episcopum, sed præscribendo in certis articulis non præscribit in totum. Præscriptio in certis articulis non porrigitur ad alios, vt qui præscripsit decimas, non præscripsit noualia, *cap. cùm contingat, infrà, de decim.* Quia tantum dicitur præscriptum quantum possessum

ſeſſum, *l. quod meo. §. vlt. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 1. §. ſi quis hoc interdicto. l. 11. ff. de itin. actuq. priuat.* Epiſcopo prodeſt interruptio præſcriptionis ſi facta ſit intra XL. annos, vt additur hîc: interruptio poſt impletam præſcriptionem non tollit ius quæſitum, nam ad tollendam præſcriptionem completam requiritur tempus idoneum ad præſcriptionem complendam.

CAPITVLVM XVI.

IDEM PARISIENSI EPISCOPO.

CVM ex officij ſui debito Senon. Prouinciam viſitaret Archiepiſcopus Senon. per Pariſien. diœceſim tranſitum faciens, ad Abbatis ſancti Maglorij, Prioris de Caſtres, & quorumdam aliorum Eccleſias eiuſdem diœceſis neceſſe habuit declinare: à quibus cùm procurationem ſibi debitam poſtularet, ipſi eam inhumaniter negauerunt, ad ſuæ negationis defenſionem hoc ſolum allegantes, quòd non meminerant ſe procurationem huiuſmodi prædeceſſoribus eiuſdem Archiepiſcopi exoluiſſe, nec ab eis aliquando fuiſſe petitam: .·.·. Nos igitur præmiſſam allegationem eorum nullam penitus reputantes, cùm contra procurationem, quæ ratione viſitationis debetur, præſcribi nequiuerit: quemadmodum nec contra viſitationem ipſam, poteſt aliquo modo præſcribi, etſi alius contra eum præſcribere poſſet vtramque. Ideóque mandamus, quatenus ſententiam, quam in huiuſmodi contemptores de antiqua Metropolis conſuetudine tulit Archiepiſcopus memoratus, vſque ad ſatiſfactionem condignam facias obſeruari, quia ſecundùm Apoſtolum, Qui ſpiritualia ſeminat, non eſt magnum ſi metat carnalia, cùm nemo cogatur ſuis ſtipendiis militare. Si quid enim aliud, quàm ſuperiùs fuerit allegatum, contra intentionem Archiepiſcopi obiicere voluerint, & probare, nos eis faciemus iuſtitiam exhiberi.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt: Archiepiſcopo Senonenſi prouinciam viſitanti, & in ea Pariſienſem diœceſim, quæ ſubeſt eius Metropoli à qua nuper delibata eſt, Abbas S. Maglorij, id eſt monaſterium Ordinis S. Benedicti ab Hugone Magno conſtructum apud Pariſios, de quo Helgald. in vita Roberti: *Huius igitur inclyti Regis auus Hugo pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus, monaſterium S. Maglorij Confeſſoris Chriſti in ciuitate Pariſius ſimul cum filio conſtruens nobiliter, Monachos ſub regula Patris Benedicti viuere paratos ibi collocat: & in auro, vel argento locum ipſum dicat, & cæteris ornamentis pro ſalute ſua, & filij, ac futuræ poſteritatis.* Cui addendus eſt Miræus de Canonicis regularib. cap. XXX. Eiuſd. meminit Anſelm. lib. II. epiſt. XIV. *Mittite veſtras literas Benedicto Monacho de S. Petro ſuper Diuam, qui propter ſcholas moratur apud Pariſium, & conuerſatur in monaſterio S. Maglorij.* Abbas S. Maglorij, & Prior S. Petri de Caſtris, hic eſt apud Compendium, & alij inferiores Prælati diœceſis Pariſienſis, procurationem viſitationis nomine poſtulanti, inhumaniter ſic inofficiosè denegarunt, non aliâ exceptione vſi, quàm quòd antè præſtita non eſſet. Quam ob cauſam Archiepiſcopus in eos ſuſpenſionis, ac tandem excommunicationis ſententiam tulit, quam confirmauit Pontifex reiectâ huiuſmodi exceptione; quia contra procurationem, quæ ratione viſitationis debetur, non ſecus ac contra viſitationem ipſam præſcribi non poteſt: procuratio quæ ratione viſitationis debetur, pacto remitti, vel præſcriptione, ſeu conſuetudine contrariâ tolli non poteſt, *cap. ſopita. cap. cùm venerabilis. cap. venerabili, infrà, de cenſib. cap. Paſtoralis. de donat.* Quia eſt de iure communi, non de conſuetudine, iuris publici, non priuati; & viſitatione ſubditi continentur in obſequio, & obedientia, contra quam præſcribi non poteſt, *cap. cùm non liceat, ſuprà, hoc tit.* ne diſrumpatur neruus Eccleſiaſti-

ex disciplinæ, *cap. cùm inter vas. de consuetud.* Subditus nullo tempore præscribit contra procurationem, quæ ratione visitationis debetur, nec contra visitationem ipsam, quamuis alius, id est, non subditus præscribere possit vtramque; quia inter non subditos Ecclesia aduersus Ecclesiam præscribit XL. annis. Archiepiscopi sententiam confirmat Pontifex, quam dicit latam de antiqua metropolis consuetudine, licèt reuera niteretur iure communi; quia consuetudo concurrit cum iure communi, & Archiepiscopus lustrans prouinciam, tam de iure communi, quàm de consuetudine potest coërcere prouinciales sibi iniurios, *cap. Romana. de pœn. in* VI.

CAPITVLVM XVII.

IDEM PISANO ARCHIEPISCOPO.

SI diligenti :.·.·. Cùm iudicatus Calaritanus ad ius & proprietatem B. Petri pertineat, sicut tota Sardinia nullo pertinet mediante, tibi non licuit pro te vel Ecclesia tua à Marchione Massæ iudice Calaritano fidelitatis exigere iuramentum :.·.·. Nos igitur, quæ nuncius tuus proponere voluit pleniùs circumspectis, non intelleximus te vel Ecclesiam tuam super hoc aliquo iure subnixam, cùm auctoritatem Sedis Apost. non ostendas, per quam à iudicibus Calaritanis, tu & antecessores tui fidelitatis exegeritis iuramenta: nec præscriptione aliquâ muniaris, cùm secundùm confessionem tuam, nec Ecclesia Pisana, vel tu fueris in quasi possessione iuris exigendi huiusmodi iuramentum, quod per Sedem Apost. ab ipsis iudicibus receptum fuisse fateris, per quod constat Ecclesiam Romanam semper in quasi possessione fuisse, cùm pro ea ministerio tuo & antecessorum tuorum exactum fuerit, & præstitum iuramentum: & is etiam possidere dicatur, cuius nomine possidetur. Si verò dicatur, quòd nomine tuo & antecessorum tuorum, & non nomine nostro & Ecclesiæ Romanæ fuerit iuramentum exactum, posset inferri, quòd iuramentum præstitum de conseruando iure & honore Sed. Apost. fuerit violatum: vnde licitè retineri non posset, quod contra iuramentum huiusmodi fuerit scienter obtentum: quia etiam secundùm hoc locum præscriptio habere non posset, cùm in præscriptione rerum Ecclesiasticarum bona fides & iustus titulus exigantur. Etsi etiam locum potuisset habere præscriptio, non credimus centenariam præscriptionem (quæ sola currit aduersus Rom. Eccl.) posse probari.

HVIVS cap. species hæc est: Pisanus Archiepiscopus à Vv. Marchione Massæ Iudice Calaritano (hic erat vnus è quatuor Præfectis Sardiniæ, cui parebat Calaris metropolis Sardiniæ, de quo apud Gregor. VII. lib. I. cap. XXIX. & lib. VIII. cap. X. & *cap. ea te, suprà, de iureiurand.*) exegit iuramentum fidelitatis, cùm iudicatus Calaritanus cum tota Sardinia ad ius & proprietatem B. Petri nullo medio pertineret. Sardinia olim erat in dominio Ecclesiæ Romanæ. Sed cùm Sarraceni eam occupassent, Pisani eam recepere à Sarracenis, teste continuatore Bedæ lib I. cap. XVIII. Hac occasione cùm Sardinia esset in potestate Pisanorum, Archiepiscopus Pisanus factus est metropolitanus Turitanæ, Calaritanæ, & Arborensis prouinciarum Sardiniæ, & Legatus totius insulæ, vt nos docet ipse Innocent. lib. I. epist. LVI. & CCCLXIV. & inde ortâ fiduciâ fortè tamquam Metropolitanus exegit iusiurandum fidelitatis à Iudice Calaritano. Re auditâ, Pontifex eidem rescripsit, vt Iudicem Calaritanum ab huiusmodi iuramento fidelitatis absolueret, tamquam præstito non idoneæ personæ. Archiepiscopus per nuntios se excusauit apud Pontificem, volens nihil à se actum in iniuriam

Sedis Apostolicæ, cùm iusiurandum fidelitatis exegisset à Iudice Calaritano per Sedem Apostolicam, id est, nomine Sedis Apostolicæ. Rursus Pontifex rescripsit eidem, illum præscribere non potuisse ius exigendi iuramentum fidelitatis à Iudice Calaritano, cùm id exegisset nomine Sedis Apostolicæ: qui alieno nomine possidet nullo tempore præscribit, vt *hic*, vt conductor, vel colonus non præscribit, quia non sibi possidet, sed domino, *l. 1. C. commun. de vsucap. l. 1. C. in quib. caus. cess. long. temp. præscript.* Is enim possidere dicitur cuius nomine possidetur, vt subiicitur *hic*, & *in cap. cum venisset. de restit. spoliat.* quod sumptum est ex *l. quod meo. ff. de acquir. possess.* Immo etsi exegisset huiusmodi iusiurandum nomine proprio, & Ecclesiæ non præscripsisset, quòd ipse violasset fidem iurisiurandi de seruando iure & honore Sedis Apostolicæ, id est, quod acceptum fuerat cum clausula saluo honore Sedis Apostolicæ, vt constat ex *d. cap. ea te,* quod pertinet ad eamdem rem, vnde licitè retineri non poterat, quod contra proprium iuramentum scienter erat obtentum, vt *hic, & cap. ad audientiam. de his quæ vi metusve caus.* quia præscriptio rerum Ecclesiasticarum non currit sine bona fide & iusto titulo, vt *hic, & cap. ductum. de decim.* Non obstant *cap. de quarta. cap. vigilanti. & cap. vlt. huius tit.* quibus in præscriptione bona fides sufficere videtur, cùm in his nulla fiat mentio de titulo. In his enim quæ iure communi præscribuntur, sufficit bona fides; in his verò, quæ præscribuntur contra ius commune, desideratur bona fides, & iustus titulus, *cap. 1. de præscript. in VI.* Secum pugnans videtur quod dicitur in præscriptione bonam fidem & iustum titulum requiri. Si quis enim habeat iustum titulum, statim securus est, nec eget præscriptione: quod semel meum est, ex alia causa meum fieri non potest, *l. possideri. §. ex pluribus. ff. de acquir. possess.* Sed iustus dicitur, qui dat causam præscribendi, licèt re ipsa non sit iustus titulus; & sic accipe titulum de quo dicitur hoc, præscriptionem non currere sine bona fide, & iusto titulo.

CAPITVLVM XVIII.

IDEM EPISCOPO LVCANO.

CVM olim, frater Episcope, cum Abbate & Monachis sancti Saluatoris de Ficheto super plebe Falamazanæ & adiacentibus capellis ipsius in nostra præsentia litigando institutionem in eis, & alia ad ius Episcopale pertinentia vindicares, ad fundandam intentionem tuam ius commune principaliter allegabas, cuius auctoritate dicebas vniuersa spiritualia in prædictis locis, quæ sunt in diœcesi tua constituta, ad te tamquam ad diœcesanum Episcopum pertinere: arbitrium prætetea super hoc promulgatum à Pistorien. Episcopo, Archipresbytero, ac Primicerio Lucanis allegans. Ad elidendam autem intentionem tuam Abbas Greg. VII. Papæ priuilegium exhibuit, quod prædictum arbitrium multo videbatur tempore præcessisse: per quod tam monasterium, quàm plebs & capellæ prædictæ videbantur libertati donatæ:.·.·. Aliorum quoque Roman. Pontific. dictus Abbas priuilegiis vtebatur, post arbitrium promulgatum obtentis, qui libertatis priuilegia sibi concedere videbantur:.·. Quia prædictus Abbas sufficienter ostendit monasterium suum super institutionibus, destitutionibus, & ordinationibus plebani & clericorum, baptismo, pœnitentia in leuioribus culpis, sepultura, decimarum perceptione, ac diuinis officiis celebrandis, tam in plebe, quàm in capellis prædictis, in excommunicando atque interdicendo, & etiam absoluendo legitimâ præscriptione munitum: Abbatem ipsum ab impetitione tua super iam dictis articulis duximus absoluendum, super illis tibi perpetuum silentium imponendo: super aliis omnibus, quæ ad ius Episcopale

ſpectare noſcuntur, iuxta tenorem arbitrij eumdem Abbatem, quoad plebem & capellas prædictas ſententialiter condemnantes.

HVIVS cap. ſpecies huiuſmodi eſt: Epiſcopus Lucanus, ſeu potiùs Lucenſis in Thuſcia vindicabat iura Epiſcopalia, putà inſtitutionem Clericorum, & alia aduerſus Abbatem S. Saluatoris in quadam plebe, id eſt, parœcia. Plebis nomine deſignatur parœcia, quæ plebem habet, & in capellis ipſi ſubiectis, & iuris ſui ſtabiliendi gratiâ imprimis nitebatur iure communi, quo vniuerſæ Eccleſiæ, quæ ſitæ ſunt in diœceſi, pertinent ad iuriſdictionem Epiſcopi, *can. omnes baſilicæ, can. nullus*, XVI. *qu.* VII. Præterea idem nitebatur quâdam ſententiâ arbitrorum. Econtrà Abbas in medium adducebat priuilegium Gregorij VII. editum ante prædictam ſententiam, & priuilegia aliorum Pontificum, quæ erant poſteriora. Inſuper Abbas allegauit præſcriptionem iurium Epiſcopalium, & probauit quoad quædam, putà quoad inſtitutionem Clericorum. Quapropter Pontifex abſoluit Abbatem in his articulis, in quibus præſcriptum erat, in aliis iura Epiſcopalia reſeruauit Epiſcopo, iuxta ſententiam arbitrorum. Abbas vel alius inferior Prælatus poteſt præſcribere iura Epiſcopalia, quod velim intelligas ciuiliter de his quæ poſſidere poteſt, *cap. auditis*, *ſuprà*, *hoc tit.* putà de inſtitutione Clericorum, & aliis, quæ pertinent ad legem diœceſanam, ſeu iuriſdictionem: ſed ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis inferior nullo tempore præſcribere poteſt, *cap. aqua. de conſecr. Eccleſ. vel altar. cap. accedentibus. de priuileg.* Abbas autem præſcribendo iura Epiſcopalia quoad quædam, non præſcribit in aliis; quia præſcriptio eſt ſtricti iuris, & tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum, vt modò adnotatum eſt in *d. cap. auditis*.

CAPITVLVM XIX.

VENIENS ad præ. no. Abbas ſancti Martini de Pannonia: .˙.˙. Petiit à nobis poſtmodum idem Abbas, vt Veſprimen. Epiſcopus non impediat vel faciat impediri: quominus omnes, qui in Simagien. parœcia vel Comitatu conſiſtunt, de omnibus quæ poſſident, decimas ſibi ſoluant: ſicut in priuilegiis Paſchalis Pa. præ. no. & ſancti Regis Stephani continetur. Præfatus verò Epiſcopus poſtulauit, vt decimas Simagien. Comitatus intra ſuæ diœce. terminos conſtitutas, quas detinet idem Abbas, ſibi reſtitui faceremus, niſi aliquo iure ſpeciali ſe ipſas poſſidere monſtraret: .˙.˙. Chriſma verò, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ſacros ordines promouendi fuerint, clerici Eccleſiarum vel capellarum ipſius monaſterij, quod eſt in Veſprim. diœceſi conſtitutum, à Veſprimen. Epiſcopo poſtulabunt: ſi quidem catholicus fuerit, & gratiam Sed. Apoſtolic. habuerit, & ea gratis ſine prauitate aliqua voluerit exhibere: alioquin ab alio, quem maluerint, Præſule catholico ſuſcipiendi ea liberam habeant facultatem: ſicut in priuilegio dicti Paſchalis, & Alexand. Papæ prædeceſſ. noſt. perſpeximus contineri. Non obſtante priuilegio Clementis Papæ, per quod priuilegiis ſuorum prædeceſſorum non extitit derogatum, cùm de ipſis nullam fecerit mentionem, præſertim cùm & ipſe Clemens priuilegium illud conceſſerit, ſaluis inſtitutionibus, non ſolùm Romanæ Eccleſiæ, ſed ipſius etiam Legatorum. Nec obſtare poterat præſcriptio, quam idem Abbas in ſuum ſubſidium opponebat: quia ſi conſummata erat quando ab Alexandro Papa priuilegium impetrauit, iuri præſcriptionis renunciaſſe videtur, præſertim cùm coram vobis priuilegio illo ſit vſus, quòd ſuæ intentioni (quantum ad hunc articulum)

contradicit. Si verò nondum consummata erat præscriptio, sed erat in præscribendo: post impetratum huiusmodi priuilegium, bonam fidem non habuit: & ideo secundùm canones non præscripsit.

HVIVS capitis, quod integrum leges apud Innocent. ipsum registr. XV. epist. VII. species hæc est: Abbas monasterij S. Martini de Pannonia, id est, in Vesprimensi diœcesi, à Stephano I. Protochristiano Rege Hungarorum fundatum, de quo Bonfin. rer. Hungaric. decad. II. lib. I. & Chartuitius Episcopus in vita ipsius Stephani apud Surium tom. IV. die XX. Augusti, Abbas, inquam, S. Martini de Pannonia agebat interdicto Vti possidetis coram Summo Pontifice aduersus Vesprimensem Episcopum de decimis Simagiensis parœciæ vel Comitatus. Regnum Hungariæ diuidi in LXX. Comitatus, auctor est Otto Frisingens. de gest. Frideric. lib. I. cap. XXXI. *Hinc est, vt cùm prædictum regnum per LXX. vel amplius diuisum sit Comitatus, de omni iustitia ad Fiscum regium duæ lucri partes cedant, tertia tantùm Comiti remaneat.* Idque ex priuilegio Stephani Regis confirmato à Paschali II. quòd in decimis concedendis non sufficeret auctoritas Regis, qui nihil iuris haberet in decimis, *cap. tua, infrà, cap. dudum, infrà, de decim.* Econtrà Vesprimensis Episcopus vendicabat decimas Simagiensis parœciæ, tamquam in sua diœcesi positæ. Sed Pontifex priuilegium regium de decimis ratum esse pronuntiauit accedente auctoritate Pontificis, vel etiam quòd Rex esset Legatus Sedis Apostolicæ in Hungaria, vt notat hîc Innocent. & post eum Hostiensis, qui magistri ferè vestigiis hæret. Stephanum I. Regem Hungarorum, in perpetuum Pontificiæ legationis insigne, qua sibi posterisque Regibus fungi liceret, præferendæ Crucis potestate cohonestatum, auctores habemus ipsum Bonfinium, & scriptorem vitæ Stephani locis modò laudatis. Sed quod ad confectionem chrismatis, consecrationem Ecclesiarum & altarium, ordinationem Clericorum, & alia quæ sunt ordinis Episcopalis, negat ea petenda ab Abbate; quia Abbas ea quæ sunt ordinis Episcopalis non potest assequi priuilegio, vel præscriptione, *cap. aqua. de consecr. Eccles. vel altar.* Sed ea petenda à Vesprimensi, si sit catholicus, & gratiam Sedis Apostolicæ habuerit, id est, non sit excommunicatus, suspensus, vel interdictus, *cap. quod sedem. de offic. ordinar.* vel ab alio Episcopo. Nec obstare priuilegium Clementis III. quod datum erat Abbati generaliter, vt à quocumque Episcopo Episcopalia peti possent, cùm priuilegium Clementis non derogaret prioribus priuilegiis Pontificum, de quibus nulla fiebat mentio, sicut in rescriptis obtinet, *cap. cæterum, suprà, de rescript.* maximè cùm dictum priuilegium Clementis saluis institutionibus Romanæ Ecclesiæ, & ipsius Legatorum, conceptum esset. Priuilegia Pontificia solent Ecclesiis, vel monasteriis concedi saluo iure aliarum Ecclesiarum, vt mandata quibus Pontifices vices suas Legatis committunt concipi solent saluo iure Metropolitanorum, *can. seruatis.* XXV. *qu.* II. Nec obstare demum præscriptionem, quam idem Abbas subsidiariè opponebat, in casum deficientis priuilegij; quia vel impleta erat præscriptio tempore impetrati priuilegij Alexandri III. hoc casu præscriptioni renunciasse videtur: qui priuilegium impetrat, videtur renunciare iuri communi, arg. *can. cum renunciatur.* XXXII. *qu.* I. etsi quandoque priuilegium concurrit cum iure communi, *cap. cùm dilectus. de consuetud.* Si verò præscriptio nondum erat impleta, à die impetrati rescripti desiit habere bonam fidem, & ideo secundùm Canones non præscripsit, quia superueniens mala fides impedit præscriptionem, vt proximè dicemus.

CAPITVLVM XX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

QVONIAM omne, quod non est ex fide, peccatum est: Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quàm ciuilis. Cùm generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non po-

test obseruari. Vnde oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

IVRE ciuili in vsucapione bona fides sufficit ab initio, superueniens mala fides non interrumpit vsucapionem, *l.* IV. §. *si antequam, ff. de vsucap.* Iure canonico in præscriptione perpetua bona fides requiritur, id est, non tantùm ab initio, sed etiam ad vltimum vsque momentum præscriptionis, ita vt superueniens mala fides interrumpat præscriptionem bona fide inchoatam, quæ est sententia *huius cap. & cap. veniens prox.* Ex quo verò completa est præscriptio, non obest mala fides superueniens, *d. cap. veniens*, quia præscriptio semel quæsita non tollitur ex casu, vel facto superueniente.

TIT. XXVII. *De sententia, & re iudicata.*

CAPITVLVM XII.

INNOCENTIVS III. ARCHIDIAC. ET SACRISTÆ MAGALON.

CVM olim Magalon. Episcopus P. de Castro nouo, ad vacantem Archidiaconatum eiusdem Ecclesiæ nominasset, I. Præposito, vt nullus ibi (nisi priùs duplici sibi voce concessâ) institueretur per adpellationem interpositam inhibente, Episcopus dictum P. de Archid. per suum annulum inuestiuit. Præpositus verò alium ad eumdem Archidiaconatum nominare præsumpsit. Tandem C. prædecessor noster, quod factum fuerat ab vtraque parte, cassauit: pronuncians, quòd aliquibus scriberet, vt tam Episcopum, quàm personas ad ordinandum concorditer Archidiaconum monerent: & eorum fortè monitis non admissis, hoc ipsi exequi non differrent. Post hæc verò dictus prædecessor noster, G. qui nondum ad Diaconatus erat promotus officium, præter conscientiam procuratoris Episcopi apud Sedem Apost. tunc morantis, ipsum Archidiaconatum contra pronunciationem suam contulit, sicut credimus circumuentus. Nos igitur inhærentes vestigiis prædecessorum nost. dicentium sententiam Rom. Sedis, cùm aliquid fuerit subreptum, posse in melius commutari, quod de prædicto G. factum est, non obstante donatione, quam ab eodem Episcopo in elusionem donationis Apostolicæ nuper dicitur recepisse, in irritum reuocamus: & ei licèt absenti, cùm de subreptione liquidò constet, super dicto Archidiaconatu perpetuum silentium imponentes, præcipiendo mandamus, quatenus sæpedictum Archidiaconatum (plenâ omnium vestrûm, qui præsentes fuerint in Ecclesia, interueniente concordiâ) ordinare curetis.

HÆc decretalis integra petenda est ex Innocent. III. lib. I. epist. CCLXVI. & DXXXIV. Huius species hæc est: Vacante Archidiaconatu Magalonensis Ecclesiæ, quæ erat dignitas electiua ex consuetudine, vel priuilegio. Magalona olim ciuitas in insula cognomine, quæ obiacet oræ Narbonensi, hæc fuit sedes Episcopalis, quâ solo euersâ, ne fortè occupata, Sarracenis præsidium esset: de qua Sugerius in vita Ludouici Crassi: *Qui cùm nauali subsidio applicuisset Magalonam, arctam in pelago insulam, cui superest, solo Episcopo, Clericis, & rara familia contempta, singularis & priuata; imò tamen propter mare commeantium Sarracenorum impetus munitissima ciuitas.* Tandem verò sedes translata Montempessulanum anno Dom. MDXXXVI. Rebuffo in prax. *part.* I. *tit. forma signatur, in verb. Magalonensis.* Vacante, inquam, Archidiaconatu Magalonensi Episcopus Petrum de Castro nouo ad vacantem Archidiaconatum nominauit. Hic

alius fortè à Petro de Castronouo, qui eodem tempore ab Innocentio legatus est cum F. Radulfo aduersus Albigenses hæreticos (hic enim erat monachus Cisterciensis) de quo Petrus Vallis-sernens. Hist. Albig. cap. 1. *Monachi duo Cistercienses zelo fidei succensi, F. Petrus videlicet de Castronouo, & F. Radulphus auctoritate Summi Pontificis contra pestem infidelitatis instituti legati*, &c. Contrà Præpositus vetuit, ne quis nisi electione communi factâ, & in ea duplici sibi voce concessâ in Archidiaconum institueretur: ne aliter fieret appellauit ad Summum Pontificem: Decanus, vel Præpositus, qui obtinent primariam dignitatem in plerisque Ecclesiis, de consuetudine duplici voce, seu suffragio gaudent, & in pari numero diuersa sententium præualent; vt in iudiciis vbi pares numero vtrimque sententiæ proferuntur, eius pars vincit in qua Papinianus emineat, *l. 1. C. Th. de respons. prudent.* & ex Nou. Manuelis Comneni, cuius meminit Balsamo in *can. VI. Nican. Conc.* in pari numero discrepantium, eorum sententia præfertur in quam ierit, qui iudicio præest. Sed Episcopus prædictum Petrum de Archidiaconatu inuestiuit per annulum. Inuestitura etiam inferiorum dignitatum, & beneficiorum fiebat per traditionem annuli, *cap. IV. infrà, de concess. prab. cap. ex ore, infrà, de his qua fi. à maior. part. Capitul.* quod est de inuestitura Præposituræ Augustensis. Vel per traditionem libri: Iuo Carnotens. epist. CLXXXII. *Nuper cùm in Capitulo nostro quadam officia secundùm Ecclesiæ consuetudinem dispensarem, & porrecto libro inuestituram Subdecania Fulconi Clerico strenuo, & in agendis causis Ecclesiasticis valde necessario facere vellem, veteri odio inflammati insurrexerunt in me.* Et idem epist. CCLXXXV. *Et per librum ipsam Ecclesiam fratri Guillelmo Beccensi Abbati dedimus.* Inuestituram Cancellariæ Mediolanensis per hoc symbolum celebratam signat ipse Innocent. lib. 1. epist. *In secretiore palatij tui Camera eundem H. secundum tenorem præscriptum de Cancellaria inuestisti per librum, & recepisti fidelitatem ab eo.* Præpositus verò mox alium nominauit ad eumdem Archidiaconatum. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, & vtrimque disceptatâ, Celestinus III. vtriusque nominationem cassam & irritam pronunciauit, & interloquendo edixit, se quibusdam in partibus mandaturum, vt Episcopum, & Capitulum monerent de ordinando concorditer Archidiacono, & his cessantibus post monitionem, eorum vices ipsi supplerent. Post hæc idem Celestinus Geraldo Ioannino, qui nondum ad Subdiaconatum promotus erat, ipsum Archidiaconatum contra fidem propriæ interlocutionis, circumuentus, vt par est credere, contulit: quapropter Innocentius rerum potitus rescidit collationem Ioannino factam à Celestino secutus priscos Canones, sententiam Sedis Apostolicæ posse in melius commutari cùm aliquid fuerit subreptum, quod sumptum est ex *can. sententiam.* XXXV. *qu.* IX. & antè vsurpatum ab ipso Innocent. *cap. tum ex literis, suprà, de in integr. restitut.* Bernard. epist. CLXXX. *Hoc solet habere pracipuum Apostolica Sedes, vt non pigeat reuocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* Immo Archidiaconatum abiudicauit Geraldo absenti, nec citato, non obstante donatione, siue collatione eiusdem Archidiaconatus, quam idem susceperat ab Episcopo in elusionem donationis Apostolicæ, vt hoc pacto beneficium obtineret, potiùs ex beneficio Episcopi, quàm ex gratia S. Pontificis, vt rectè interpretatur Tancredus hoc loco: in beneficialibus licet plures titulos cumulare; quod verum est in collatiuis *cap. post electionem, infrà, de concess. prabend.* Aliud verò in electiuis, *cap. inter dilectos. de fid. instrument.* Præterea ex quo semel Archidiaconatus de quo agitur collatus erat à S. Pontifice, non poterat eidem conferri ab Episcopo, ne illusio fieret Pontifici, *cap. bona memoria, suprà, de postulat. Pralat. Clem. vn. de renunc.* & hoc est quod innuitur his verbis: *In elusionem donationis Apostolica.* Non iniuriâ Archidiaconatus Gerardo absenti, & non citato demptus à S. Pontifice, quia liquidò constabat Celestino obreptum fuisse, nempe quòd Gerardus iste nondum esset Diaconus, quod de iure requirebatur in promouendo in Archidiaconum, *can. 1. & 11. LX. dist. & cap. 1. de ætat. & qual. & ord. præfic.* Non obstat *cap. 1. suprà, vt lit. non contestat.* ex quo lite non contestatâ contra absentem non pronunciatur, quia hoc iuris locum habet in odium notoriæ subreptionis, quòd palam & liquidò constaret de subreptione, quo casu remittuntur solemnia iuris.

CAPITVLVM XIII.

IDEM ABBATI, ET CONVENTVI S. ZENONIS VERON.

CVM inter vos pro Ecclesia vestra, & Archipresbyterum & clericos S. Proculi, super subiectione eiusdem Ecclesiæ quæstio verteretur: ex parte vestra fuit propositum, quòd dicta Ecclesia monasterio vestro pleno iure debet esse subiecta: videlicet in institutione, destitutione, inuestitura Archipresbyteri, & eiusdem fidelitate, ipsius, & fratrum obedientiâ, correctione, repræsentatione ad ordines, tonsuratione, susceptione chrismatis, letaniis, & aliis similibus, per quæ plena subiectio declaratur: ad quod probandum, instrumentum publicum concessionis B. quondam Veron. Episcopi pars vestra in medium producebat, quam concessionem successor eius T. ratam habuit, & etiam confirmauit. Super his quoque tam Rom. Pont. quàm Patriarcharum Aquileg. priuilegia & confirmationes induxit: quorum vnus, de subiectione plenaria, in priuilegio suo euidenter expressit, quod sub testimonio R. quondam Veron. Episcopi, qui eiusdem Ecclesiæ Archipresbyter extitit, factum fuerat & completum, & in eo à Priore sancti Zenonis mandauit suâ vice subscribi. Adiecit etiam pars vestra, quòd inter B. quondam Abbatem eiusdem monasterij, & sancti Proculi Archipresbyterum & fratres ipsius procedente tempore de fidelitate & obedientia manuali, controuersia fuit exorta, ad quæ duo illi se dumtaxat teneri negabant, & super his testes producti fuerunt. Tandem præfatus G. Veron. Episcopus quemdam Cardinalem sequens, à quo idem fuerat iudicatum, quòd vel Archipresbyter dimitteret Ecclesiam, aut Abbati obedientiam repromitteret, sententialiter definiuit: cuius sententia (cùm nullâ fuerit adpellatione suspensa) in rem transit iudicatam :.·.·. Quamuis fortè dicto instrumento donationis non sit plurimùm innitendum, nec confirmationibus, nec priuilegiis, quæ de ipso causam & originem acceperunt: adtendentes tamen, quòd quantum ad litigantes ipsos, ius ex sententia factum fuit, postquam in rem transiit iudicatam, etiamsi contra ius litigatoris lata fuisset: cùm contra ius constitutionis expresse lata non fuerit, veritate gestorum sermonibus præualente, quæ præsumitur ritè per omnia celebrata: definimus, vt Archipresbyter S. Proculi, qui pro tempore fuerit, fidelitatem & obedientiam præstet Abbati S. Zenonis.

HÆc Decretalis integra petenda est ex Innocent. III. lib. I. epist. CCLXXXII. Huius species hæc est: Quæstio vertebatur inter Hugonem Abbatem S. Zenonis Veronensis, & Archipresbyterum ac Clericos S. Proculi super subiectione ipsius Ecclesiæ S. Proculi. Re perlatâ ad Sedem Apostolicam, Abbas S. Zenonis proponebat Ecclesiam pleno iure, id est, in spiritualibus & temporalibus sibi esse subiectam, videlicet in institutione, & destitutione, inuestitura Archipresbyteri, fidelitate eiusdem, & fratrum obedientia, correctione, præsentatione ad ordines, tonsuratione, susceptione chrismatis, letaniis, vel vt legitur apud Innocent. *stat is & letaniis*, & aliis, per quæ plena subiectio probatur. Cuius rei probandæ causâ in medium adducebat instrumentum publicum concessionis, seu donationis Brunonis quondam Veronensis Episcopi, cum confirmatione Theobaldi proximi eius successoris, necnon Rom. Pontificum,

tificum, & Patriarcharum Aquileiensium, quibus subest Veronensis Episcopus. Idem subdebat inter Abbatem S. Zenonis, & Archipresbyterum S. Proculi litem olim motam fuisse de fidelitate & obedientia manuali, id est hominio, ad quæ duo dumtaxat Archipresbyter se teneri negabat; & re cognitâ Theobaldum Veronensem Episcopum, apud quem ea res disceptabatur, confirmasse sententiam cuiusdam Cardinalis, intellige delegati à Summo Pontifice, vt rectè supplet glossa hoc loco) à quo fuerat iudicatum, vt Archipresbyter obedientiam præstaret, aut Ecclesiam dimitteret; quæ sententia cùm ab ea non fuerit appellatum, transiit in rem iudicatam, ita vt nullo iuris remedio tentari posset. Prætereà à dicta sententia effluxerant L. anni, intra quos monasterium S. Zenonis Ecclesiam S. Proculi pleno iure possedisse probabatur, & Archipresbyterum S. Proculi obedientiam præstitisse Abbati S. Zenonis. Igitur Abbas sese tuebatur triplici exceptione, priuilegio & confirmatione, auctoritate rei iudicatæ, & præscriptione temporis. E diuerso Archipresbyter S. Proculi excipiebat priuilegium dicti B. Veronensis Episcopi, non esse publicè confectum, nec sigillo Episcopali munitum, & ob rasuras quasdam suspectæ esse fidei, atque ita non obstare, nec consequenter confirmationes priuilegij, quæ essent accessoriæ. Re cognitâ, Pontifex non valde motus est instrumento donationis seu priuilegio, nec confirmationibus, quæ ab ipso originem, & causam acceperunt. Confirmatio non tribuit ius nouum, sed antiquum, si quod est confirmat; sublato priuilegio corruit confirmatio, quæ est accessoria, *l. eos qui. C. de vsur.* Sed attendens quoad litigantes ius ex sententia natum, & sententiam habere vim tituli postquam transiit in rem iudicatam: sententia transit in rem iudicatam, si intra decendium appellatum non sit, *cap. quod ad consultationem, infrà, hoc tit.* idque etiam si sententia contra ius litigatoris lata sit, cùm contra ius constitutionis, id est, contra ius commune expresè lata non sit. Sententia scilicet contra ius constitutionis, id est, contra leges lata, ipso iure sine appellatione rescinditur. Lata autem contra ius litigatoris sine appellatione non rescinditur, *l. 1. §. item cum, ff. quæ sentent. sine appellat. rescind.* Veritate gestorum sermonibus prævalente, id est, auctoritate sententiæ pro qua præsumendum est; in antiquis omnia præsumuntur rite & solemniter acta, *l. sciendum. ff. de V. O.* prævalente priuilegiis, & confirmationibus allegatis, definiuit Pontifex, vt Archipresbyter S. Proculi fidelitatem, & obedientiam præstet Abbati S. Zenonis.

CAPITVLVM XIV.

IDEM CANONICIS NOVARIEN.

CAVSAM, quæ inter vos & A. Clericum super præbenda Nouarien. Ecclesiæ vertebatur, Laudun. Episcopo de consensu partium commisimus terminandam, qui pro vobis contra dictum A. definitiuam sententiam promulgauit: à qua fuit ad nostram audientiam adpellatum: .·.·. Licèt ex parte ipsius A. fuisset propositum quòd contra formam mandati nostri dictus Episcopus sententiam promulgauit, sicut per adtestationes nitebatur probare: quia tamen iudicis animus non semper ad vnam probationis speciem inclinatur, & ipsa sententia nihil continebat iniquum, & eidem iudici de communi partium adsensu fuerat causa commissa, qui vt sententiam ferret post examinationem causæ, ab vtraque parte fuerat requisitus: sententiam ipsam curauimus confirmare.

HANC Decretalem integram videre est apud Innocent. lib. I. epist. XL. Causam quæ vertebatur inter Nouariense Capitulum, & Albertum Clericum super præbenda Nouariensis Ecclesiæ, Laudensi Episcopo (sic lege pro Laudunensi) de consensu partium definiendam mandauit Pontifex. Episcopus re cognitâ sententiam definitiuam promulgauit contra Albertum, à qua cùm fuisset appellatum ab Alberto, Pontifex sententiã confirmauit. Nihil mouit Pontificem, quòd Albertus per attestationes nitebatur

probare sententiam promulgatam esse ab Episcopo contra formam mandati. Nitebatur, inquam, probare, & fortè non probabat; alioquin sententia lata contra formam rescripti nulla esset, *cap. cùm dilecta, suprà, de rescript. & cap. venerabili. de offic. delegat.* Nihil motus est Pontifex quòd Albertus niteretur probare sententiam latam esse ab Episcopo contra formam mandati; quia iudicis animus non semper ad vnam probationis speciem inclinatur, vt *hic, & cap. in præsentia. de renunciat.* Confirmatur sententia iudicis dati, quia nihil continebat iniquum, & consensu partium iudex datus fuerat, & idem sententiam dixerat ab vtraque parte rogatus. A iudice dato etiam consensu partium appellare permittitur, *l. ex consensu. ff. de appellat.* Sed facilè sententia eius confirmatur, si nihil contineat iniqui, etiamsi præter formam mandati quadamtenus lata probetur. Imò ab arbitris electis ex consensu partium appellare non licet, si sumpti sint ex compromisso, *l. non distinguemus. §. cum quidam. ff. de receptis arbitr. l. 1. C. eod. can. à iudicibus, can. sanè. 11. qu. VI.* In hoc postremo Canone perperam dempta est negatiua, rectè in can. CXXIII. Synodi Carthagin. apud Balsamonem legitur, *μὴ ἐξεῖναι ἐκκαλεῖσθαι.* & ita Nicolaus I. in epistol. apud Reginonem II. Chronic. *Secundùm Canones à iudicibus quos communis consensus elegerit, non licet prouocare.*

CAPITVLVM XV.

IDEM CONSTANTINO EPISCOPO.

QVOD ad consultationem: .·.·. Quia postulasti, vtrum adpellationi sit Clerici deferendum, qui purgationem indictam sibi per sententiam, & ad ipsius receptionem terminum competentem, putà viginti dies vel ampliùs, sine contradictione recipiens: & ad diem veniens consequenter adpellat, causam non exprimens adpellandi: nec sit locus nisi suscipiendæ purgationi & executioni sententiæ, à cuius prolatione & purgatione iniuncta vltra decendium dicitur effluxisse: Taliter duximus respondendum, quòd cùm post decem dierum spacium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatæ, qui ad prouocationis subsidium intra id temporis non recurrit, adpellandi sibi aditum denegauit: cùm per hoc videatur per interpretationem iuris latæ sententiæ paruisse, præsertim vbi causa non redditur adpellandi. Sed nec executionem ipsius sententiæ ideo conuenit retardari, licèt ad hoc agendum quadrimestre tempus regulariter sit statutum: quia id arctari potest nonnumquam à sedente in medio, & etiam prorogari: & qui ab initio spontè recipit terminum breuiorem, imputari sibi potest & debet: cùm ex hoc videatur amplius beneficium contempsisse: vnde talis non audietur adpellans, nisi fortè aduersus eum modus executionis canonicus excedatur.

HÆc decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. 1. epist. cuius species hæc est: Quidam Clericus reus postulatus de furto, vel quopiam alio crimine, indictâ sibi purgatione per sententiam intra viginti vel triginta dies præstandâ, acquieuit sententiæ, & recepit seu promisit se pariturum sententiæ intra terminum, ac demum, elapso termino, mutato consilio appellauit, non expressâ causâ appellationis. Quæsitum est an esset deferendum appellationi: consultus Pontifex respondit, non esse deferendum appellationi, cùm sententia transeat in rem iudicatam, postquam intra decem dies appellatum non sit. A sententia iudicis appellandum est intra decem dies; alioquin sententia transit in rem iudicatam, vt *hic, & cap. cùm inter vos, suprà, hoc tit.* Nou. Iustin. XXIII. *cap.* I. vnde sumpta est *auth. hodie, C. de appellat.* Sententia transit in rem iudicatam, scilicet quoad effectum executionis, *l. seruo inuito. §. cùm Prætor. ff. ad Trebell.* & appellationi renunciasse videtur, qui intra decem dies non

appellauit, cùm per hoc iuris interpretatione videatur sententiæ paruisse; vt & qui petit dilationem ad soluendum, sententiæ acquieuisse probatur, *l. tale pactum. §. qui prouocauit. ff. de pact. l. ad solutionem, C. de re iudicat.* Præsertim vbi post diem appellauit causâ non expressâ. Appellans enim tenetur allegare causam appellationis coram iudice à quo, *l. appellanti. ff. de appellat.* Sed nec executio sententiæ suspenditur per huiusmodi appellationem, licèt regulariter quadrimestre tempus detur condemnatis iudicati faciendi causâ, vt *hic, & cap. quærenti, suprà, de offic. delegat.* quod sumptum est ex *l.* II. *&* III. *C. de vsur. rei iudicat.* Quia tempus iudicari faciendi coërceri, vel prorogari potest à sedente in medio, *l.* II. *ff. hoc tit.* Ait à sedente in medio, id est, à Prætore qui præest iudicio. In medio sedet Prætor, vel Præses, habens hinc inde Assessores consilij causâ, Libanius Orat. v. tom. II. εἶθ᾽ ὁ μὲν ἐν μέσῳ κάθηται, κατὰ τὸν νόμον, οἱ δὲ ἔνθεν, καὶ ἔνθεν, οὐκ ἐῶσιν εἶναι δικαστὴν, *Deinde hic in medio considet iuxta legem, alij hinc inde iudicem esse non permittunt.* In consilium Prætoris adhibentur in vrbe quinque Senatores, & quinque Equites, in medio eorum sedet Prætor. Inde rectè sexto loco sedere dicitur, cùm ei assideant ab vtroque latere quinque, M. Tull. pro Cluent. *Quid est Quinti Naso cur tu in hoc sexto loco sedeas.* Medius locus apud maiores fuit honoratior in consessu, & incessu, Virgil. I. Æneid.

Aulais iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediámque locauit.

Et Ouid. in Fastis.

Et medius iuuenum non indignantibus ipsis
Ibat, & interior si comes vnus erat.

Etiam apud Numidas Sallust. de bello Iugurth. *Reguli in vnum conuenere, vt inter se de cunctis negotiis disceptarent; sed Hiempsal qui minimus ex illis erat dextra Adherbalem adsedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Iugurtha foret.* Et qui breuiorem terminum vltro recepit, iudicati exequendi causâ, sibi imputare debet, cùm hoc videatur beneficium legis contempsisse. Vnde non auditur si appellet ab executione sententiæ, nisi executor modum excedat, vt proponitur *hic, & cap. super quæstionum. §. nos autem, suprà, de offic. delegat.* quod haustum est ex *l. ab executione. C. quor. appell. non recip. cap. super quæstionum. §. nos autem, de offic. delegat.*

CAPITVLVM XVI.

IDEM DECANO, CANCELLARIO, ET CANONICO LVND.

SICVT nobis intimastis, cùm causa, quæ inter H. Subdiac. & B. Presbyterum super quinque modiis frumenti vertebatur ipsi Subdiac. per annos singulos exoluendis vobis commissa fuisset, & restitutionem sibi fieri postularet Subdiaconus supradictus: aduersarius se ad hoc non teneri respondit, cùm aliâ vice super hoc conuentus fuerit, & sententialiter absolutus: quod ostendere voluit duorum testimonio, ex quorum depositione constitit quòd magister A. auctoritate Episcopi Lundun. ipsum absoluit ab impetitione Subdiac. memorati. Verùm quia testimonium ipsorum quasi nudè prolatum fuerat, cùm de causis quæ iudicem mouere solent ad sententiam proferendam nihil dixerint, quid tenendum sit, Sedem duxistis Apost. consulendam. Cùm autem in plerisque locis in quibus copia prudentum habetur, id moris existat, quòd omnia, quæ iudicem mouent, non exprimantur in sententiis proferendis: vobis taliter respondemus, quòd cùm ex depositionibus testium prædictorum constiterit sententiam à iudice suo prolatam, propter auctoritatem iudiciariam præsumi debet omnia legitimè processisse.

HÆc Decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. 1. epist. XLVI. Huius species hæc est: Causâ quæ vertebatur inter Henricum Subdiaconum, & Huardum Presbyterum super quinque modiis frumenti per annos singulos Subdiacono exsoluendis, certis iudicibus demandatâ. Presbyter pensionem solutam repetebat condictione indebiti soluti: econtrà Subdiaconus sese tuebatur exceptione sententiæ in eadem causa latæ, quâ se absolutum dicebat ab impetitione Presbyteri. Is quidem sententiam ex scripto non proferebat, sed olim latam nitebatur probare per duos testes. Verùm quia erant nudi testes, qui non edebant causam quâ iudex motus fuerat ad proferendam sententiam, Iudices dati in dubio propter varias ea de re sententias iurisperitorum consuluere Pontificem. Consultus Pontifex rescripsit, cùm moribus passim receptum sit, vt in sententiis proferendis iudices causam sententiæ non exprimant, & per testes probetur sententiam prolatam esse, in ea præsumi omnia rectè processisse propter auctoritatem rerum iudicatarum: in sententiis omnia præsumuntur solemniter acta propter auctoritatem rerum iudicatarum, vt *hîc, & cap. cùm inter vos, suprà, hoc tit.* vt in instrumentis publicis propter auctoritatem fidei publicæ, *l. sciendum, ff. de V. O.* Nimis absonum, & à iure alienum videbatur sententiam probari per testes, cùm ex scripto sententiam ferri oporteat, *l. vlt. C. de sent. ex peric. recitand. cap. vlt. hoc tit. in* VI. Sed testes admittuntur ad probandam sententiam, quòd sententia casu deperdita esset, quo casu tenor sententiæ, vel instrumenti amissi potest probari per testes, dummodo appareat de casu amissionis, *l. testium, C. de testib. cap. cum olim, in fin. infrà, de priuileg.* Sententia probatur per testes, etsi non exprimant causam sententiæ, quia iudices non solent exprimere causam, & omnia præsumuntur rectè gesta propter auctoritatem rerum iudicatarum, quæ id efficit, vt res iudicata pro veritate habeatur, *l. ingenuum. ff. de stat. hom. l. res iudicata, de R. I.* Vnde solutum ex condemnatione, seu sententia non potest repeti condictione indebiti, propter auctoritatem rerum iudicatarum, *l. si fideiussor. §. in omnibus. ff. mandat. l. Iulianus. ff. de condict. indebit. l. 1. C. eod.* Tanti est in republica auctoritas rerum iudicatarum, vt harum euersio ruentis reipublicæ signum esse soleat, M. Tull. II. in Rullum: *Iudiciorum perturbationes, rerum iudicatarum infirmationes, restitutio damnatorum, ciuitatum afflictarum, perditis iam rebus extremi exitiorum solent esse exitus.*

CAPITVLVM XVII.

IDEM ASTORICEN. EPISC. ET ABBATI SANCTI ISIDORI LEGIONEN.

CVM super controuersia, quæ inter Aurien. Episcopum & monasterium Cellæ nouæ super statu ipsius vertebatur, pro Episcopo diuersæ sententiæ latæ fuissent: Nuncius Oueten. Episcopi per eas Oueten. Ecclesiam læsam grauiter querebatur, ad quam proponebat monasterium pertinere: .·.·. Cùm ex parte monasterij nihil rationabile fuerit propositum & ostensum, quare sententia pro Episcopo promulgata deberit irritari, eam quantum ad monasterium duximus confirmandam: .·. Mandamus, quatenus si constiterit adpellationem pro Ecclesia Oueten. rationabiliter interpositam, & ad eam prosequendam nuncium eius intra tempus legitimum destinatum fuisse, executio sententiæ differatur, ne circa possessionem Oueten. Ecclesia detrimentum incurrat: alioquin (sicut ius postulat) executioni absque Oueten. Ecclesiæ præiudicio demandetur: cui, quæ præmissa sunt, non præiudicent, quominus suam valeat consequi rationem, cùm res inter alios acta non noceat regulariter aliis iuxta constitutiones canonicas & ciuiles.

QVæstio erat inter Auriensem Episcopum, hic est in Gallecia, & Abbatem Cellæ nouæ de statu, id est, subiectione ipsius monasterij, Episcopo intendente

monasterium sibi lege diœcesana esse subiectum; econtrà Abbate asserente ab initio, id est, à fundatione id esse liberum & exemptum à iurisdictione Ordinarij. Quò pertinent geminæ epistolæ Innocent. III. nempe LX. lib. I. & CVII. lib. II. In hac causa cùm dictæ essent plures sententiæ pro Episcopo Autiensi aduersus monasterium, Ouetensis Episcopus intendens idem monasterium esse suæ iurisdictionis, ab his sententiis appellauit ad S. Pontificem. In causa appellationis rescripsit Pontifex appellationem tertij suspendere executionem sententiæ. Ratio vtriusque iuris est, quia res inter alios iudicata aliis non nocet, vt *hîc, & cap. pen. infrà, hoc tit. & l. pen. ff. hoc tit.*

CAPITVLVM XVIII.

CVM Bertholdus miles curiam suam, P. militi pignori obligasset: eodem P. sublato de medio, A. nepos eius, qui successit eidem, vacante Ecclesiâ eiusdem loci, adserens quòd ius patronatus cum vniuersitate transisset in eum, D. Clericum eiusdem loci Archidiacono ad supradictam Ecclesiam præsentauit: qui de consensu Episcopi ipsum instituit in eadem, in possessionem eum induci faciens corporalem. Prædictus verò B. dominus fundi T. sacerdotem memorato Episcopo præsentauit: sed ipsum Episcopus non admisit. Cùm autem dictus T. aduersus memoratum D. super prædicta Ecclesia deposuerit quæstionem, Remen. Episcopus Apost. Sedis Leg. iudicibus negotium delegauit: ad quem cùm adtestationes vtrimque receptas per partes postmodum remisissent, & præfato D. cum suis adtestationibus accedente, dictus T. nec per se, nec per responsalem idoneum comparere curaret, ipse adtestationibus inspectis Clerici memorati ipsum ab impetitione sæpedicti T. sententialiter reddidit absolutum, eidem T. imponens silentium super Ecclesia memorata. Postmodum autem idem Presbyter ad Archiepiscopi præsentiam infra breue tempus accedens, iustam causam absentiæ allegauit. Archiepiscopus verò Argentino Electo, & Altæ Siluiæ, & Tudebernen. Abbatibus dedit suis literis in mandatis, vt si iustam absentiæ causam ille ostenderet coram eis, prædictam sententiam nullius decernerent esse valoris, & causam fine debito terminarent; alioquin facerent sententiam obseruari. Verùm dicto Electo & præfatis Abbatibus committentibus aliis vices suas, ipsi subdelegati testes super prædicto articulo receperunt: à quibus dictus Clericus vocem ad nos adp. emisit: .·.·. Licèt autem iustam causam absentiæ minùs sufficienter Presbyter probauisset, ne tamen præiudicaret opinio veritati, R. Diaconum Card. eis concessimus auditorem: qui cùm nobis omnia fideliter retulisset, ex tenore sententiæ Archiepiscopum inuenimus circumuentum: tum quia continebatur in illa, quòd per adtestationes ipsius Clerici fuerat sufficienter probatum, quòd præfatus A. in possessione iuris patronatus extiterat, cùm eumdem ad prædictam Ecclesiam præsentauit; cùm tamen per adtestationes illas nihil ostensum aliud fuerit, nisi quòd pro quodam iure quod de illa Ecclesia consueuit exhiberi patronis, prædicti P. & A. annuatim x. solidos acceperunt: tum etiam quia in eadem sententia dicitur, quòd dictus T. in probatione defecit, cùm per adtestationes suas appareat ipsum suam intentionem sufficienter probasse: tum etiam quia causam non recepit sufficienter instructam, cùm vnius tantùm partis adtestationes receperit,

quæ parum faciebant ad causam. Vnde sententiam ipsam duximus irritandam, memorato T. adiudicantes Ecclesiam supradictam, cùm per adtestationes nobis constiterit euidenter ipsum à vero patrono fuisse ad sæpedictam Ecclesiam præsentatum.

HOc cap. est in III. collect. cuius species hæc est: Bertoldus miles curiam suam siue fundum. Curia est villa, seu manerium cum mansu. Abbas Vrspergens. in Lothar. Sax. *Cuius curiæ mille & centum mansus sunt, vno mallo comprehensi.* Cuius diminutiuum Curtis eâdem significatione, Frodoard. in Chronic. ad ann. DCCCCXXXVII. *Quidam Presbyter de Bononis Curte, sic enim villa vocatur.* Et Adamus Bremens. lib. IV. cap. V. *Quinquaginta ergo Cortes dominicales habuit Archiepiscopus, ex quibus Vvalde maxima vnius mensis persoluit seruitium, cæterùm Ambergon minima* XIV. *dierum.* Bertoldus, inquam, miles curiam siue fundum peregrino militi creditori pignori obligauit, nominatim sibi excepto iure patronatus in Ecclesia, quæ in hoc fundo constructa est: quamobrem & in fine huiusce cap. idem Bertoldus verus Patronus dicitur. Itaque vacante Ecclesiâ sitâ in illo fundo, cùm hæres creditoris pigneratitij nominasset Brunum Clericum, quasi Patronus, intendens ius patronatus cum vniuersitate ad se transiisse, & eumdem præsentasset Archidiacono, qui de consensu Episcopi eumdem instituit ad supradictam Ecclesiam, & induxit in possessionem corporalem, siue realem: aliàs ad Archidiaconum non pertinet instituere Clericos, sine mandato Episcopi, *cap. cùm satis. de offic. Archidiac.* Bertoldus verò T. Presbyterum Episcopo præsentauit, sed is eum repulit. Post hæc dictus T. Presbyter egit aduersus Brunum Clericum de prædicta Ecclesia coram Argentinensi Electo, in cuius diœcesi intellige sitam fuisse Ecclesiam, à quo appellatum est ad Remensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum. Hic fuit Guido ex Abbate Cisterciensi Cardinalis, & Prænestinus Episcopus, tum Remensis Archiepiscopus, & Legatus Sedis Apostolicæ in Germania, de quo in *cap. dilectus, suprà, de offic. legat. & cap. dilectus, infrà, de præbend.* Remensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus certis iudicibus causam delegauit, qui attestationibus vtrimque receptis cùm eas remisissent ad Remensem Arch. & dictus T. legitimè citatus coram eodem, nec per se, nec per procuratorem idoneum adesset iudicio, ipse Legatus receptis testibus productis à Bruno Clerico ipsum absoluit à petitione dicti T. Paulò pòst cùm dictus T. Archiepiscopum adiisset, vt contumaciam purgaret, & coram eo iustas absentiæ causas allegaret, dictus Archiepiscopus mandauit Argentinensi Electo, & aliis iudicibus, vt si præfatus T. iustam absentiæ causam probaret, sententiam à se latam reuocarent, & testibus vtrimque receptis totam litem definirent; alioquin ipsam sententiam exequerentur. Sententia dicta aduersus absentem non mandatur executioni, si post condemnationem iudicio adfuerit, & probauerit se habuisse iustam causam absentiæ, *l. si Prætor. ff. de iudic. l. contumacia. §. pen. de re iudicat.* Verùm cùm delegati ab Archiepiscopo Remensi, ob iusta impedimenta huic rei operam dare non possent, alios subdelegarunt, quod proponitur de facto non de iure, quia delegatus ab alio quàm à S. Pontifice non potest subdelegare, *cap. super quæstionum. §. si verò, suprà, de offic. delegat.* A subdelegatis Brunus Clericus appellauit ad S. Pontificem. Re disceptatâ, Pontifex comperit sententiam à Remensi Archiepiscopo per obreptionem elicitam, quod probabatur his argumentis: Primò, quia falsum erat quod in ea continebatur, Brunum probasse hæredem creditoris pigneratitij fuisse in possessione, vel quasi possessione præsentandi tempore præsentationis, cùm probasset dumtaxat Rectorem ipsius Ecclesiæ pensionem annuam pensitasse creditori pigneratitio, & eiusdem hæredi; quæ sola pensionis præstatio non est idoneum argumentum iuris patronatus, vel dominij, *cap. inter dilectos, in fin. suprà, de fid. instrument.* Secundò, quia etiam falsum erat, quod eâdem sententiâ continebatur, dictum T. in probatione defecisse, cùm ex testibus per ipsum productis liquidò constaret, ipsum suam intentionem rectè probasse. Tertiò, quòd Archiepiscopus sententiam dixerat receptis dumtaxat attestationibus alterius partis. His rationibus motus Pontifex rescidit sententiam Archiepiscopi, & dicto T. Presbytero adiudicauit Ecclesiam, de qua lis erat; quia constabat eum fuisse præsentatum à vero Patrono, nempe à domino

feudi, cui inhærebat ius Patronatus. Ius Patronatus cum vniuersitate transit in emptorem, vel credirotem pigneraririum, vel conductorem, nisi specialiter exceptum sit, vt *hic*, & *cap. cum seculum.* & *cap. ex litteris, infrà, de iure patronat.* Quædam per se alienari non possunt, quæ cum vniuersitate transeunt in emprorem, *l. quædam. ff. de acquir. rer. domin. l. in medicis. de contrah. empt.*

CAPITVLVM XIX.

IN causis, quæ Summi Pont. iudicio deciduntur, & ordo iuris & vigor æquitatis est subtiliter obseruandus. Cùm in similibus casibus cæteri teneantur similiter iudicare. Nisi fortè cùm aliquid (causâ necessitatis & vtilitatis inspectâ) dispensatiuè duxerit statuendum.

PRINCEPS solebat de quibusdam maioribus causis extra ordinem cognoscere, *l. Æmilius. ff. de minorib. l. non putabam. de condit. & demonstr.* quæ tes cognitionis dicebarur, Tranquill. in Claud. cap. xv. *Alium interpellatum ab aduersariis de propria lite, negantémque cognitionis rem, sed ordinarij iuris esse, agere causam confestim apud se coëgit.* Exemplo Principis S. Pontifex solet de quibusdam causis cognoscere, & in quibus causis ius dicit debet seruare iudiciarium ordinem, cùm eius sententiæ standum sit in paribus causis, nisi fortè ex necessitate, vel vtilitate, id est, æquitate dispensatiuè aliud duxerit statuendum, quæ est definirio *huius cap.* S. Pontifex in iudicando deber seruare ordinem iudiciarium optimâ ratione, quòd eius sententia ius facit in paribus causis. Sententia Principis similium causarum fata componit, *l. III. & vlt. C. de legib.* Regularirer non exemplis rerum iudicatarum, sed legibus iudicandum est, *l. nemo, C. de sentent. & interlocut.* Consuetudo quidem iudicandi, & rerum perpetuò similiter iudicatarum auctoritas vim legis obtinet, *l. nam Imperator. ff. de legib.* Licèt exempla rerum non semel iudicatarum moueant iudicem, *l. 1. §. eodem autem. ff. ad Syllan.* tamen his exemplis iudex non alligatur, quæ non debent apud eum esse potiora legibus: Cyprian. libr. de singularit. Cleric. *Callidi argumentatores, & iurisperiti fallaces, qui dum cupiunt prauaricari controuersias actionésque causarum, etiam ipsa iura transuertunt, & cùm nolunt competentibus coërceri iussionibus legum, ad illudendos iudices inconuenientibus exemplis velut similes coniecturas iuris obiiciunt.* Speciale est in sententia, seu decreto Principis, vt ius faciat in similibus causis, propter auctoritatem iudicantis. Sententia lata contra solitum iudiciorum ordinem, auctoritatem rei iudicatæ non obtinet, *l. IV. C. de sentent. & interlocut.* Etiam Princeps ipse, licèt non teneatur legibus, in iudicando inter priuatos ordinem iudiciarium seruare debet, nisi ex dispensatione aliud duxerit statuendum. Princeps potest sententiam ferre præter iuris ordinem, putà in causa correctionis, vel hæresis, *cap. ad petitionem, infrà, de accusat. cap. final. de hæretic. in VI.* Idémque potest mandare, vt procedatur simpliciter, & de plano sine strepitu, & figurâ iudicij, *Clem. sæpè. de V. S.*

CAPITVLVM XX.

IDEM CONVENTVI SANCTI LEODII.

INTER monasterium sancti A. Rothom. & vestrum super modo eligendi Abbatem in monasterio vestro fuit quæstio agitata: .·. Cùm constiterit nobis primam commissionem non fuisse per vltimam reuocatam, tum quia causæ suspicionis in iure propositæ friuolæ videbantur: quas etiam tamquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent; quibus coram delegatis eisdem subeundo iudicium renunciasse videntur: tum etiam quoniam de priuilegiis Apost. Sedis, & processu negotij coram primis iudicibus nihil in secundis literis dicebatur, quod si

fuisset expressum, obtinere minimè potuissent: Non obstante sententiâ, quæ pro monasterio sancti A. dicebatur fuisse prolata, quæ tamen nobis ostensa non fuit: cùm si prædictis iudicibus fuisset ostensa, eâ posthabitâ contrarium statuissent: alioquin eam obiicienribus imputetur, cùm sub prætextu nouorum instrumenrorum lites non debeant instaurari. Factum priorum iudicum ratum & firmum habemus, & eorum senrenriam confirmantes, electo à vobis nos ipsi munus benedictionis (saluo iure diœcesani) curauimus exhiberi.

HÆc Decretalis integra extat apud Innoc. III. lib. II. epist. LXXVIII. Huius species hæc est: Vacante monasterio S. Leufredi de Cruce, quod est in vrbe Rothomagensi: Willelm. Gemiticens. lib. VII. cap. XXII. *Monasterium verò S. Taurini, & S. Leufredi, & Villare monasterium, & cœnobium S. Amandi intra vrbem Rothomagensem inter antiquiora computanda sunt.* Sic dictum à conditore. Auctor vitæ S. Audoëni apud Surium XXIV. Augusti: *In quo etiam loco Leutfridus Ecclesiam condidit, quæ in sancta Crucis, & reuerendissimi Audoëni Pontificis honorem dedicata est, vbi hodieque Monachi non pauci ad monasticæ regula præscriptum Deo seruiunt.* & idem memoratum in *cap. constitutis, suprà, de elect.* Monachi Richardum Monachum vnum è gremio elegerunt in Abbatem, & electum diœcesano præsentarunt, vt ab eo benedictionis munus acciperet; sed intercedente Abbate S. Audoëni, quod Monast. est in suburbio Rothomagensi, Willelm. Gemiticens. lib. VI. cap. II. *Nam ab infantia literis traditus, & in cœnobio S. Audoeni in suburbio Rothomagensi nutritus monachile iugum diutissimè portauit.* Episcopus benedictionis munus non impertiit: itaque Monachi S. Leufredi, ne quid fieret in fraudem monasterij appellauerunt ad S. Pontificem. Postulantibus Monachis S. Leufredi lis fuit demandata quibusdam iudicibus, coram quibus lis contestata, & testes recepti. Post hæc Abbas S. Audoëni literas impetrauit ad alios iudices, quibus continebatur priores iudices certis de causis sibi suspectos esse; sed priores iudices non detulere secundis iudicibus, quin immo per sententiam confirmarunt electionem Abbatis factam à Monachis S. Leufredi. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, quia constitit prius rescriptum non esse per posterius reuocatum; tum quia causæ suspicionis propositæ contra priores iudices friuolæ videbanrur, quæ etiamsi idoneæ essent serius propositæ erant, cùm essent proponendæ ante litem contestatam, vt aliæ quælibet exceptiones dilatoriæ, *cap. Pastoralis, suprà, de except. l. apertissimi. C. de iudic.* & lite contestatâ coram primis iudicibus recusationi tacitè renunciatum videbatur; tum etiam quia in posteriori rescripto non fiebat mentio de priuilegio Sedis Apostolicæ, ex quo scilicet Monachis erat ius eligendi Abbatem è gremio, nec de processu iudicij facto coram primis iudicibus. Pontifex factum seu processum priorum iudicum, & eorumdem sententiam confirmauit, non obstante sententiâ, quæ pro monasterio S. Audoëni dicebatur prolata, quæ nec apud Pontificem, nec apud priores iudices producta est, & post rem iudicatam frustra opponeretur. Lis enim semel iudicata obtentu nouorum instrumentorum, id est, de nouo repertorum instaurari non debet, *l. Imperatores. ff. de re iudicat. l. admonendi. de iureiurand.* Pontifex igitur electionem Abbatis confirmauit, & electo munus benedictionis impertiit saluo iure diœcesani. Sic cessante Metropolitano Pontifex electum consecrat saluo iure Metropolitani, *can. nunc verò. IX. qu. III.* & idem Legatis vices suas mandare solet, saluis priuilegiis Metropolitanorum, *can. seruatis. XXV. qu. II.* Et vt Episcopus Æliæ honoretur, id est, dignitatem Patriarchalem obtineat saluo iure Metropolis, statutum est Nicænæ Synodi *can. VII. C. quoniam. LXV. dist.*

CAPI-

CAPITVLVM XXI.

IDEM EPISCOPO, DECAN. ET CANCEL. PARISIEN.

SVBORTA inter Melden. Episcopum, & monasterium Resbacen. super ipsius monasterij subiectione materia quæstionis, & procuratoribus partium litigantibus coram nobis: quia per confessionem partis aduersæ constitit eumdem Episcopum, quasi possessionem obedientiæ in eodem monasterio habuisse; ipsum restituendum decreuimus ad eamdem. Verùm quia priuilegium Innoc. Papæ præd. no. libertatem monasterij plenariam exprimebat, Decano Suession. & suis coniudicibus dedimus in mandatis, vt Episcopo in quasi possessionem obedientiæ restituto, nisi contra priuilegium rationabile aliquid obiiceret & probaret, super subiectione monasterij sibi silentium imponere procurarent: ·.·. Iudicibus autem causam instructam remittentibus, quia cognouimus efficaciores Episcopi rationes, subiectionem eidem adiudicauimus memorati monasterij, vt ibidem habeat tamquam diœcesanus Episcopus potestatem: ita tamen vt nullum per hoc Apost. Sedi præiudicium generetur, quominus, si voluerit, suam iustitiam prosequatur. Nimirum si præfati Innocentij priuilegium Alexandro fuit in iudicio præsentatum, & ipse tulit sententiam contra illud, intelligitur reprobasse. Si verò non fuit coram eo exhibitum, prætextu priuilegij de nouo reperti prædicta non debet sententia retractari.

HVIVS cap. species hæc est: Lis erat inter Meldensem Episcopum, & Resbacense monasterium, vt rectiùs legitur in III. collect. (monasterium Resbacense est in Meldensi diœcesi, cuius conditor fuit B. Audoënus; testes sunt author ipsius vitæ apud Surium, Sigebertus in Chronic. ad ann. DCXXXVII. & Aimoin. lib. IV. cap. XLI.) Lis erat, inquam, inter Meldensem Episcopum & Resbacense monasterium de statu, id est, de subiectione ipsius monasterij: nempe Episcopus agebat interdicto possessorio, id est, de recuperanda possessione, vel quasi possessione obedientiæ, quam Episcopum in ipso monasterio obtinuisse liquebat ex ipsa confessione procuratoris monasterij. In ea lite iudicio possessorio vicit Episcopus, & restitutus est in possessionem, vel quasi possessionem obedientiæ qua spoliatus fuerat. Sed quia procurator monasterij proferebat priuilegium Innocentij II. de libertate seu exemptione ipsius monasterij, Pontifex mandauit certis iudicibus, vt Episcopo restituto in possessionem, vel quasi possessionem obedientiæ, à iurisdictione Episcopi liberum, & immune monasterium pronunciarent, nisi Episcopus priuilegium idonea ratione tolleret. Priuilegia enim Ecclesiarum improbè abrogati & conuelli non debent, & à S. Pontifice maximè tuenda sunt, *can. priuilegia* 1. *&* 11. XXIII. *qu.* II. Re perlatâ ad Sedem Apostolicam, Pontifex pronunciauit monasterium lege diœcesanâ subiectum esse Meldensi Episcopo, quia cognouit Episcopum potioribus niti rationibus, & maximè sententiâ Alexandri III. latâ pro Episcopo. Sed ita demum pronunciauit Pontifex, saluo iure Ecclesiæ Romanæ: nimirum vt si priuilegium Innocentij II. quo Monachi se tuebantur, fuerit productum coram Alexandro III. per sententiam videatur id reprobasse; & si non fuerit productum, sententia non possit retractari obtentu priuilegij de nouo reperti; quia sententia non retractatur obtentu nouorum Instrumentorum, vt definitur *hic, & cap. proximo, suprà, hoc tit.* In causa monasterij quod se exemptum contendebat, sententia fertur saluo iure Ecclesiæ Romanæ. S. Pontifex iudicando non intelligitur præiudicare Ecclesiæ Romanæ, vnde semper solet reseruare ius Sedis Apostolicæ, *cap. dilectus, infrà, de capell. monach.*

CAPITVLVM XXII.

IDEM S. MARIÆ IN CATAG. ET VALLIS SECRETÆ ABBATI.

CVM I. & A. Canonici ſancti Dion. Remen. ex parte quorumdam Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ noſtro Apoſtolatui reſerarint, quòd Abbas eorum ſuper dilapidatione, periurio, ſimonia, & quibuſdam aliis erat multipliciter infamatus: nos Cathalan. Epiſcopo, & eius collegiis dedimus in mandatis, vt ad Eccleſiam perſonaliter accedentes, tam in capite, quàm in membris corrigerent corrigenda, & ſtatuerent quæ ſtatuenda viderent :.·.·. Iudices autem Abbatis & Canonicorum iuramenta recipientes, Abbatem ab adminiſtratione ipſius Eccleſiæ per ſententiam remouerunt, correctione membrorum dilatâ, quam tunc non poteranr expedire. A qua ſententia, cùm procurator prædictus ad noſtram audientiam adpellauerit, propoſuit dictam ſententiam reprobandam, tum quia iudices lite non conteſtatâ in ipſo negotio proceſſerunt, tum quia iuramenta conſpiratorum contra ipſum recipientes (depoſitionibus coram partibus minimè publicatis, nec oſtenſis eiſdem) ad ſententiam procedere præſumpſerunt :.·.·. Quia verò de conſpirationis articulo nobis non potuit fieri plena fides: mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit, quòd illi conſpiratores fuerint, quorum conſtat à iudicibus iuramenta recepta, quod Abbas probare voluit coram eis, & eorum dicta iudices ſecuti tantummodo, cùm per alios ea probata non eſſent, ſententiam protulerunt: vos irritantes proceſſum eorum, in negotio iuxta prædictam formam comprehenſam in prioribus literis procedatis. Si verò eos conſpiratores fuiſſe nequiuerit comprobare: vel licèt de hoc conſtaret, adpareat tamen illos nihil ſuper his depoſuiſſe, pro quibus idem Abbas fuit amotus: vel etiam ſi aliqua ſuper his depoſuerint, ea tamen per aliorum dicta fuerant ſufficienter oſtenſa, proceſſum ipſorum iudicum confirmetis: quia licèt aduerſus Abbatem non debuerint conſpiratores admitti, iuramenta tamen ipſorum de veritate dicenda ſuper ſtatu ipſius domus recipi potuerunt: vt per ipſorum dicta, ſuper aliis fides poſſit haberi, quæ Abbatem minimè conringebant, præſertim cùm tunc probatum non eſſet eos conſpiratores fuiſſe.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt. Cùm Abbas S. Dionyſij Remenſis: eſt monaſterium Canonicorum regularium in vrbe Remenſi fundatum ab Heriueo Arch. Remenſi, de quo Flodoard. lib. IV. Remenſ. Hiſt. cap. XIII. *Remis quoque Eccleſiam in honore S. Dionyſij extra murum ciuitatis à Canonicis vrbis conſtructam conſecrauit.* Cùm, inquam, Abbas S. Dionyſij, à quibuſdam Canonicis apud Pontificem reus poſtulatus eſſet variis de criminibus, putà de dilapidatione, periurio & ſimonia, & per ſententiam iudicum datorum à Pontifice ſubmotus eſſet ab adminiſtratione Eccleſiæ, Abbas appellauit ad S. Pontificem multis rationibus. I. quòd ſententia lata eſſet lite non conteſtatâ contra regulam iuris, *vt lite non conteſtatâ, &c.* II. quòd ſententia lata eſſet ex depoſitionibus teſtium conſpiratorum, id eſt, qui conſpiraſſent aduerſus Abbatem, quos non eſſe recipiendos certum eſt, *can. conſpiratores.* III. *qu.* IV. in Clericis & Monachis graue & deteſtandum eſt crimen conſpirationis aduerſus Epiſcopum, φρατρίας ἔγκλημα Synod. Calchedonenſ. can. XVIII. *can. coniurationum.* XI. *qu.* I. & Synod. VI. in Trull. can. XXXIV. Id genus criminis Clericis in Gallia & Germania vernaculum fuiſſe, teſtis

Callixtus I. epist. II. ad Episcopos Galliæ, *can. conspirationum. ead. caus. & qu. Conspirationum crimina vestris in partibus vigere audivimus, & plebes contra Episcopos suos conspirare nobis manifestum est.* Idem probatur Synodi Wormaciens. can. LXXIV. & Burchard. Wormaciens. lib. I. cap. XCII. III. quòd sententia lata fuisset non publicatis, & reo editis depositionibus testium: sententia non fertur ante publicationem testium, vt *hic, & cap. qualiter, & quando. §. debet. & cap. olim. §. si verò, infrà, de accusat.* Quod iuris forensis factum est constitutione regiâ, sed quia ad plenum, id est, liquidò non constabat, an testes recepti essent conspiratores, Pontifex mandauit aliis iudicibus, quòd si eis constaret testes conspiratores à prioribus iudicibus receptos, & ex his sententiam dictam, eamdem in irritum reuocarent: quod si non liqueret testes esse conspiratores; vel non deposuerint de his propter quæ sententia dicta est; vel, etsi ea de re deposuerint, idem tamen aliis testibus idoneè probatur, ita vt sententia constet ex dictis aliorum testium, sententiam priorum iudicum confirment: quia etsi testes conspiratores non essent recipiendi aduersus Abbatem; tamen nihil vetabat eos interrogari super aliis, putà de statu Ecclesiæ, cuius correctio prioribus iudicibus mandata erat in capite & membris, & de aliis quæ non spectabant ad Abbatem, maximè cùm adhuc non liqueret testes esse conspiratores.

CAPITVLVM XXIII.

IDEM H. DE CASTRO GVARTI.

CVM te à B. iniuriarum actione conuenro, eo quòd diceres equum tuum non esse minoris precij, quàm capillos ipsius; iudices, qui super hoc cognoscebant, te in decem solidos condemnassent: tu timens ne ipsorum sententia te notaret infamiâ, beneficium restitutionis ad famam à Sede Apostolica implorasti. Nos autem considerantes, quia nulla fuerit, vel minima facta iniuria: volumus te per prædictam sententiam infamia non notari.

DAMNATVS actione iniuriarum est famosus, *l. athletas. §. vlt. ff. de his, qui not. infam.* maximè damnatus ob carmen famosum, *l. ob carmen, ff. de testib. l. lex Cornelia. §. si quis librum. de iniur.* Damnatus autem ob leues iniurias penitus non notatur infamiâ. Frustra igitur desiderat à Pontifice famæ restitui, cùm non egeat beneficio restitutionis, vt proponitur *in hoc cap.* Principis est famæ restituere, *l. imperialis. C. de nupt. l. si quâ. C. ad Tertull.* Eodem iure vtitur Pontifex in terris, in quibus iurisdictionem obtinet temporalem, *cap. si duobus. in fin. de appellat.*

CAPITVLVM XXIV.

AD probandum quòd procurator dominæ:.·.·. Vos autem interim agnoscatis de confirmationis sententia, quæ lata est à iudicibus delegatis de electione custodis, vt eam (sicut de iure fuerit faciendum) confirmare vel infirmare curetis, ita vt si pro eo quòd vnus ex delegatis iudicibus, qui eamdem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset publicè innodatus, quando sententia lata fuit, sicut per Metropolitani literas perhibetur, aut ex alia iusta causa eamdem sententiam constiterit infirmandam: ipsâ cassatâ, de ipsius electione custodis iterum cognoscatis.

SI vnus è iudicibus datis fuerit publicè excommunicatus, sententia nullius est momenti, vt definitur *in hoc cap.* Excommunicatus iudicis officio fungi non potest: absurdum enim est, vt cui non liceret etiam cum minimis communicare, liceat de ma-

ioribus iudicare, *can. miramur.* XXIV. *qu.* I. Etiamsi plures sint iudices, ob incapacitatem vnius sententia vitiatur in totum, quia iurisdictio est indiuidua.

TIT. XXVIII. *De adpellationibus, recusationibus, & relationibus.*

CAPITVLVM XLIII.

INNOCENTIVS III. ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

NOVIT ille, qui nihil ignorat: .·.·. Præterea interdicti sententiam Cardinalis non edidit, sed potiùs publicauit: nec fuit dictator ipsius, sed veriùs executor. Vnde cùm secundùm ius ab executoribus adpellari non possit, nisi forsan modum excederent in exequendo, nos etiam in literis super hoc directis ad ipsum, adpellationis curauimus obstaculum inhibere, adpellationi ab eo interpositæ non fuerat deferendum. De suspicione autem obiecta, licèt eum meritò tibi suspectum non fuisse credamus: non tamen & si fuisset, propter adpellationem interpositam ab eo desistere debuisset: ad quod non proprio motu, sed nostro potiùs præcepto processit.

HVIVS cap. quod est pars *cap. nouit. de off. legat.* species hæc est. Quidam Cardinalis, cuius nomen à collectore prætermissum, (hic fuit Petrus de Capua Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ab Innocentio III. missus in Galliam anno Dom. MCXCIX. vt consentiunt Rogerus Houeden. in Richard. I. & Rigordus in Philipp. A.) regno Francorum sacris interdixit, latâ sententiâ. Post appellationem à nunciis Philippi Regis interpositam, quanam de causa missum sit interdictum non conuenit: si credimus Hostiensi, interdictum latum fuit occasione controuersiæ, quæ erat inter Philippum & Regem Anglorum; sed si verum amamus, alia fuisse causa euincitur hoc argumento, quòd controuersia, quæ erat inter prædictos Reges, à Petro Capuano sopita est pactis induciis in quinquennium, ex Houedeno & Rigordo. Immò verius est interdictum latum à Petro Cardinali, ob repudiatam à Philippo Ingeburgen legitimam vxorem: & superductam pellicem: testis idem Houedenus in Ioanne ad annum MCC. *Eodem mense Ianuarij statim post Natale Domini, cùm induratum esset cor Philippi Regis Franciæ, nec blandis, nec asperis posset emolliri, vt adulteram suam dimitteret, & legitimam sponsam suam resumeret, prædictus Petrus de Capua Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legatus dedit sententiam interdicti in regnum Franciæ, & abiit præcipiens Clero in virtute obedientiæ, vt nulla diuina permitterent celebrari, præter baptismata & pœnitentias. Sed Papa Innocentius hanc confirmans sententiam, excepit omnes qui susceperunt, vel susciperent crucem peregrinationis Hierosolymitanæ, statuens quòd ipsi missam audirent, & sepulturam Christianorum haberent; cæteri omnes missa & sepultura Christiana carerent.* Decretum interdicti à Petro Capuensi in Concilio Episcoporum Diuione habito narrat Rigordus: *Eodem anno mense Decemb. in Festo S. Nicolai conuocatum est Concilium apud Diuionem à Petro prædicto Cardinali omnium Episcoporum, Abbatum, & Priorum totius regni. Sed quia contra Regem Franciæ regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à nuntiis Regis ad Romanam Sedem est appellatum: tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens in eodem loco, astantibus Episcopis vniuersis, sententiam protulit, sed vsque ad viginti dies post Natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit. Transactis verò XX. diebus à Natiuitate, tota terra Regis Francorum interdicto subiacuit.* Neque pugnat quod in *d. cap. nouit. de offic. legat.* interdictum huiusmodi dicitur promulgatum extra fines Regni Francorum, quia etsi latum fuerit Diuione, quod oppidum iam tum erat Regni Francorum, non statim publicatum ex ipso Rigordo, & facile est credere non priùs publicatum à Legato quàm pedem extulisset è finibus Regni. Contra huiusmodi sententiam interdicti tria proponebantur. Primum, quòd sententia lata esset à Legato extra fines Regni Francorum, quod soluitur in *d. cap. nouit. de offic. legat.* II. quòd decretum latum esset à Legato post appella-

tionem: sententia post appellationem lata irrita est, *cap. 1. hoc tit.* III. quòd Legatus esset suspectus Regi. Quibus respondet Pontifex *in hoc cap.* non fuisse deferendum appellationi, quia Legatus interdicti sententiam non edidit, sed potiùs publicauit, nec fuit dictator ipsius, sed veriùs executor, quòd nempe sententiam interdicti tulerit de speciali mandato Pontificis, vt discimus ex postremis verbis *huiusce cap.* Vnde à Legato non licebat appellare tamquam mero executore, cùm ab executore non appelletur, nisi modum excedat, *l. quoniam, C. de appellat. C. ab executione. C. quor. appellat. non recip.* Item spernenda fuit appellatio, quia Legatus datus erat appellatione remotâ, vt proditur *in hoc cap.* Et licèt fortè Regi suspectus esset, quòd non proprio motu, sed ex Pontificis mandato processit, id est, non iudicis officio functus est, qui sententiam emittit de proprio motu. Vnde sententia dicitur motus iudicis, *l. si is cum quo. ff. comm. diuid.* Arnulph. Lexouiens. epist. xxx. *desertáque prouocatio motum iudicis excitabit.* Græcis κίνησις. Euseb. lib. VIII. cap. XXI. ἐπὶ δὲ τῆς κατὰ τούτοις κινήσεως διὰ στόμα τοῖς πᾶσι λαλουμένης, *Porrò dum sententia aduersus istos lata in omnium ore versabatur.* Et non ineleganter hoc loco iudex dictator sententiæ dicitur, quòd proprio ore sententiam dictet pro tribunali. Rogerus Houeden. in Richardo: *Rex autem Franciæ duos elegit dictatores, & Rex Angliæ similiter duos, quorum arbitrio vel maioris partis, si alter Regum aduersus alterum, vel aliquis hominum suorum inter se interciperet, emendatio hinc inde fieret intra quadraginta dies.* Sed processit vt nudus minister, & merus executor. Vnde vt ab eo non potuit appellari, idem non potuit recusari. Et quod addit Hostiensis, non potuit etiam recusari propter dignitatem. Præsumitur enim non aliter iudicaturus, quàm ipse Pontifex iudicasset, vt de Præfecto Prætorio scriptum est, *l. vn. ff. de offic. Præf. Prætor.*

CAPITVLVM XLIV.

SÆPE contingit, quòd cùm ad nostram audientiam adpellatur, propter defectum partis alterius neque per se, neque per responsalem idoneum adpellationem interpositam prosequentis, vel forsitan ex malitia subsequentis responsalis mandatum procuratorium occultantis, lites, quæ de facili poterant terminari, remaneant indecisæ, cùm frequenter iuris quæstio moueatur, cuius apud nos probationes necessariæ in contrario non existunt, & interdum etiam facti quæstio de leui posset partibus præsentibus comprobari. Vnde licèt in Lateranensi Concilio fuerit constitutum, vt si in quocumque negotio aliquis adpellauerit, & eo qui adpellatus fuerat veniente, qui adpellauit venire neglexerit: competentem illi recompensationem faciat expensarum, vt hoc saltem timore deterritus, in grauamen alterius non facilè quis adpellet. Quia tamen propter hoc quæstiones prorogantur, præsenti decreto statuimus, vt si huiusmodi adpellatio vel à iudice recepta, vel à parte fuerit adprobata, post terminum adpellationi præfixum edicti peremptorij vires obtineat, ita videlicet, vt ex tunc in absentem perinde procedatur, ac si peremptoriè vocatus ad iudicium extitisset. Quòd si forsitan interposita prouocatio malitiosè recepta, vel adprobata non fuerit, cùm constiterit legitimè prouocatum, nihilominus eam vigorem volumus obtinere. Saluis constitutionibus de prouocantibus post sententiam promulgatis: quibus adpellationes suas prosequi non curantibus, post terminum adpellationi prosequendæ præfixum rata manet sententia, quæ fuerat adpellatione suspensa. Quicquid autem contra citationem peremptoriam possit ab absente proponi, aduersus adpellationem huiusmodi valeat allegari. Si quis autem terminum adpellationis præue-

niens, tacitâ veritate literas impetrauit; & careat impetratis, & pœnam contumaciæ non euadat. Hoc autem in litibus, siue iudiciis exercendis volumus obseruari.

EX Concilio Lateranensi, si is qui appellauit per se, vel per procuratorem appellationem non prosequatur intra constituta tempora, aduersario condemnatur in expensas litis, *cap. reprehensibilis, suprà, hoc tit.* Quod repetitum est ab Innocent. III. *in hoc cap.* & quod addit idem Pontifex, si appellator appellationem non prosequatur intra tempus constitutum, vbi appellatio semel à iudice recepta est, vel à parte approbata, in absentem proceditur, perinde ac si peremptoriè, id est, trino edicto, vel vno pro tribus quod peremptorium dicitur vocatus fuisset; quia appellatio post terminum appellationi præfixum, edicti peremptorij vires obtinet: etiam iure ciuili causa appellationis agi potest parte præsente, vel absente, *l. vlt. §. illud. C. de tempor. appellat.* Et hoc est quod dicitur in *l. vlt. ff. ad Trebell.* in causa appellationis sententiam latam *μονομερῶς*, id est, altera parte præsente: in causa appellationis contra absentem contumacem proceditur & alia ratione, quòd cùm hoc casu iniquitas prioris iudicis, à quo appellatum est arguatur, non est rigor iuris spectandus, *cap. interposita. §. vlt. infrà, hoc tit.* Quòd si appellatio dolo malo recepta, vel approbata non fuerit, nihilominus valet, & si appellator appellationem non prosequatur intra constitutum tempus, rata manet sententia, vt concluditur *in fin. huius cap.* & qui appellauit sententiæ parere compellitur, *cap. personas. cap. reprehensibilis. cap. ad aures, suprà, hoc tit.*

CAPITVLVM XLV.

IDEM LEMOVICEN. ET CANTVARIEN. EPISCOPIS.

CONSTITVTVS in præsentia nostra Archidiaconus Claremon. nobis exposuit, quòd Claremon. Decanatu vacante, quidam Canonici vota sua in Episcopum transtulerunt, & Episcopus cum quibusdam aliis expressè consentientibus in eumdem Archid. ei contulit Decanatum, XI. Canonicis priùs adpellantibus, ne quis adsumeretur præter adsensum omnium in Decanum, cùm electioni eius XXV. tum per se, tum Episcopo medio consentirent. Cúmque sancti Marcelli Presbyter Cardinalis tunc Apost. Sed. Leg. per partes illas transitum faceret, non vt adpellationi ad nos interpositæ derogaret, sed vt instructam transmitteret ad nos causam, sancti Egidij & sancti Andreæ Abbatibus examinationem delegauit ipsius, & mandauit eisdem, vt partem contradicentem electioni Decani citarent ad ipsum, contradictionis suæ causam in eius præsentia ostensuram :.·.·. Intellecto igitur per adsertionem Cardin. quòd sub ea forma fuerat adpellatum, ne sine adsensu omnium procederetur in electione Decani, & quòd adpellantes adpellationem intra annum non fuerant prosecuti, nec erat propter quod eis esset biennium indulgendum, cùm sicut bis intra tempus legitimum simplicem nuncium ad Sedem Apost. destinauerant, sic potuissent saltem semel procuratorem idoneum destinasse. Ne tamen peremptorias exceptiones ex eorum parte propositas videamur sub silentio præterire, mandamus, quatenus si vobis constiterit Archidiaconum facto Episcopi, ex quo nititur, sponte renunciasse: vel prædictum Episcopum processisse ad electionem ipsius prætermissis prædictis, sine quibus ne procederet in illa translatione voluntatum, ex qua nititur Archidiaconus, proponitur esse actum, ei super Decanatu silen-

tium imponatis: alioquin nominationem seu electionem taliter factam de alio, & quicquid fuerit secutum ex ipsa, denuncietis irritum & inane.

SPECIES *huius cap.* ad quam pertinet etiam *cap. veniens, suprà, de testib.* hæc est. Vacante Decanatu Claremontensis Ecclesiæ, quæ est in Aruernis, quidam Canonici in Episcopum vota sua transtulerunt, id est, per compromissum contulerunt potestatem eligendi Decanum, ita vt non procederet ad electionem sine consensu omnium: non valet electio ex compromisso, nisi compromittatur de consensu omnium, *cap. cùm dilectus, suprà, de elect.* Episcopus accedente aliorum quorumdam consensu, Archidiacono contulit Decanatum. Vndecim verò è Canonicis, qui non compromiserant in Episcopum, appellarunt ne quis eligeretur sine consensu omnium. Quidam autem Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus, cùm per partes illas iter haberet, non vt appellationi interpositæ derogaret, sed vt causam instructiorem ad Pontificem remitteret. Legatus non potest cognoscere de appellatione ad Sedem Apostolicam interposita, quod de Metropolitano, & quolibet alio iudice inferiori probatur, in *cap. si duobus. & cap. sollicitudinem, hoc tit.* In causa appellationis Archidiaconus obtendebat electionem ratam esse, quòd facta esset ab Episcopo in vim compromissi: è contrà obiiciebatur electionem nullam & irritam esse, quòd facta esset post appellationem, & contra formam compromissi, quo id actum erat ne Episcopus procederet ad electionem, absque assensu omnium, & quòd Archidiaconus sponte renunciasset facto Episcopi, id est, electioni de se factæ. Ad hæc pro Archidiacono replicatum, non esse habendam rationem appellationis, quæ ita fuerat interposita, ne electio fieret sine assensu omniũ, & quòd appellantes intra annum appellationem non sunt prosecuti, nec iusta causa intercessit propter quam daretur biennium; appellationis scilicet prosequendæ causâ datur annus, vel ex iusta causa biennium, *l. 11. l. v. C. de temp. appellat.* Et si is qui appellauit, intra annum, vel biennium appellationem non prosequatur, appellatio deserta habetur, & rectè fit executio rei iudicatæ, *l. si contra. l. quoniam. C. hoc tit. cap. ex ratione, hoc tit.* Lite contestatâ, Pontifex rescripsit Lemouicensi & Caturcensi Episcopis, vt si eis constaret electionem factam de Archidiacono contra formam compromissi, & Archidiaconum electioni de se factæ renunciasse, nominatio, seu electio ipsius nulla & irrita diceretur: electio facta contra formam compromissi nulla est, *d. cap. cùm dilectus*, vbi dixi. & si electus renunciet electioni, electio corruit, quia vnicuique licet ius pro se introductum contemnere, *l. si iudex. ff. de minorib. l. pen. C. de pact.*

CAPITVLVM XLVI.

IDEM CANCELLARIO METENSI.

CONSTITVTIS in præsentia nostra N. Decano sancti Saluatoris, & Cantore Meten:.·.·. Meten. intimauit Episcopus, quòd sancti Saluatoris Præpositurâ vacante, die electioni præfixo, per Patrem & Filium & Spiritum sanctum in virtute obedientiæ, ac sub animæ periculo Canonicos adiurauit, vt secundùm Deum, & iuxta conscientiam suam vnum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendisse, quem Ecclesiæ magis vtilem & idoneum reputarent. Decanus autem cum duobus Diaconis & Subdiaconis tribus dictum Cantorem in Præpositum nominauit. Cantor verò ipse, qui presbyterali officio fungitur, & Custos cum Scholastico, & magistro B. sacerdotibus, leuitis duobus, & Subdiaco. quinque te concorditer elegerunt: cuius electionem tamquam à maiori & saniori parte Capituli factam (cùm de personæ tuæ honestate constaret) prædictus Episcopus confirmauit: & cùm tibi vellet domum & inuestituram porrigere (vt moris est) Decanus ad Sedem Apost. adpellauit, contra te impotentiam dumtaxat allegans, proponendo te in par-

tibus illis, quasi penitus impotentem, in quibus Præposituræ possessiones existunt, addens quòd alia tibi obiiceret in præsentia nostra, quæ tunc in præsentia iudicis suspecti noluit explicare.

Nos ergo, quia constitit euidenter illam adpellationis causam quæ fuit expressa, rationabilem non fuisse: aliam autem tunc non expressit, etsi dixerit idem Decanus, quòd aliam vellet obiicere coram nobis: decernimus tuæ confirmationis effectum non debere per ea, quæ sunt proposita, impediri. Si quid tamen contra te non in modum exceptionis ad impediendum electionis & confirmationis effectum, sed in modum denunciationis, vel accusationis duxerit proponendum, postquam pacificam ipsius Præposituræ possessionem fueris adsecutus, proponendi licentiam non negamus.

SPECIES huius cap. hæc est: Vacante Præpositurâ Ecclesiæ S. Saluatoris Metensis, cùm Canonici conuenissent Præpositi eligendi causâ, votis in diuersa diuisi, Decanus cum paucis elegit Cantorem maioris Ecclesiæ, Cantor ipse cum aliis quorum erat maior, & sanior pars, elegit Cancellarium, cui *hoc cap.* inscribitur; cuius electionem, vtpote à maiori & saniori parte Capituli factam, & honestate personæ commendabilem Episcopus confirmauit: & cùm paratus esset domum & inuestituram ei præstare, vt moris est, Decanus ad Sedem Apostolicam appellauit, non aliâ causâ allatâ, quàm impotentiâ electi, quasi impotens esset, id est, minùs potens gratiâ & auctoritate in illis partibus, in quibus Præposituræ prædia sita sunt. Episcopum in temporalibus, & spiritualibus idoneum esse præstat, & secularium negotiorum non imperitum esse oportet, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinseca subiectorum vtilitate, & cautela sciat esse sollicitus, vt ait Gregor. I. in *cap. Petrus.* XXXIX. *dist.* Electus tamen non est reiiciendus ob huiusmodi impotentiam, id est, imperitiam in rebus secularibus, quia Episcopus debet adhibere œconomum, qui res temporales Ecclesiæ administret, *can. volumus. can. quia in quibusdam.* LXXXIX. *dist. can. quoniam.* XVI. *qu.* VII. Decanus appellans non aliam causam obiecit, quàm impotentiam electi, licèt aliam se obiecturum coram Summo Pontifice significauerit: sed quia causa quæ obiecta est, non est visa probabilis, nec habenda fuit ratio causarum exprimendarum, non admittitur appellatio, nisi rationabilis causa sit expressa, *cap. debitus, cap. dilecto, infrà, hoc tit.* Electionem Cancellarij in Præpositum confirmauit Pontifex, reseruatâ potestate agendi contra electum per modum denunciationis, vel accusationis, postquam pacificam possessionem adeptus fuerit. Confirmatio electionis non impedit, quominus electus possit denunciari, vel accusari de criminibus, quæ semel probata impedirent promouendum, *cap. super his. de accusat.*

CAPITVLVM XLVII.

IDEM VIGORIEN. EPISCOPO.

EX parte tua: .·.·. Præsenti pagina respondemus, quòd cùm excusetur honestè, qui ad præsentiam delegatorum iudicum non potest securè venire citatus, tu vel tui quoties ad illos iudices vos euocari contigerit, ad quorum præsentiam vobis periculosum est ire, liberè poteritis adpellare, etiam si in literis commissionis adpellationis fuerit remedium interclusum, nisi iudices vobis adsignent locum idoneum & securum.

HVIVS cap. species hæc est: Wigorniensis Episcopus proposuit apud Pontificem, quòd cùm inter Anglos, & Wallenses essent notoriæ inimicitiæ & perpetua bella, & ad eos securus Anglis non esset accessus, multos de causarum meritis diffi-

diffidentes se, & suos rescriptis Apostolicis pertrahere ad iudices in Wallia positos, vt indefensam causam relinquerent, nec iniquiores conditiones subirent. Britones, qui ab Anglis suis sedibus pulsi in eam insulæ partem, quæ Wallia dicitur, secesserunt, iniuriæ memores ira Anglis infensi fuêre, vt Augustino aduenienti in Angliam Euangelij docendi gratiâ, ei adesse noluerint, vel Anglis iam Christianis communicare non secùs ac Paganis, vt scribunt Beda lib. II. cap. 11. & xx. hist. Anglic. & Polydor. Virgil. lib. IV. Quale fuerit Anglorum iudicium de Vallensibus hac ætate, tradidit Io. Saresber. epist. LIII. *Gens enim rudis & indomita, bestiali more viuens, aspernatur verbum vitæ, & Christum nomine tenus profitentes, vita & moribus diffitentur. Ab his enim Christiani vsitato commercio in partes transmarinas venundati ab infidelibus concaptiuantur*, &c. Consultus Pontifex respondit, quòd cùm excuserur honestè, qui citatus non potest securè venire ad iudicem, citatum loco non tuto posse rectè appellare, etiamsi iudex datus sit appellatione remota. Non solùm suspecti iudices recusari possunt, sed etiam si locus non tutus partibus assignetur, æquè recusari potest; & non admissa recusatione appellatur, ne ob iustum metum causæ indefensæ relinquantur, vel iniquæ conditiones subeantur, vt *hic*, & *cap. cùm R. Canonicus, suprà, de offic. delegat. cap. statuimus. eod. tit. in VI. can. fine. de coniugij. XXXII. qu. II. l. si locus. ff. de iudic. l. quid tamen. §. pen. de recept. arbitr.* Inde meritò quiritabantur Angli inter alia grauamina, se in ius rapi extra regnum, vel apud hostes, contra ius scriptum, & priuilegia ipsorum Pontificum. Marth. Paris. ad ann. MCCXLVI. *Grauatur regnum Angliæ, quod Anglici extra regnum in causis auctoritate Apostolica trahuntur contra Regni consuetudines, contra iura scripta, eo quòd inter inimicos conueniri non debent, & contra indulgentias à prædecessoribus domini Papæ Regi & regno Angliæ concessas.*

CAPITVLVM XLVIII.

IDEM EPISCOPO, DECANO, ET PRÆCENTORI HERFORDEN.

SIGNIFICAVIT nobis magister hospitalis Eboracen. . . . . Præterea Capitulum Eboracen. auctoritate quarumdam litterarum, in quarum sigillo continebatur sigillum Capituli ad citationes tantùm, cùm aliud sigillum Capitulum illud noscatur habere, quemdam constituebat actorem. Sed licèt idem magister allegauerit, quòd occasione litterarum illarum actor non deberet admitti, & insuper adiunxisset, quòd auctoritate litterarum quarumdam à nobis ad alios iudices obtentarum priùs conuentus non debuit per litteras posteriores, in quibus nulla fuerat mentio de prioribus, conueniri: iudices tamen exceptiones huiusmodi admittere noluerunt, propter quod vocem ad nos adpellationis emisit. Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit ob dictas causas, vel earum aliquam ad nostram fuisse audientiam adpellatum: reuocato in irritum, quicquid post adpellationem huiusmodi noueritis esse factum, partes &c.

HVIVS cap. species eiusmodi est: Vitâ functo magistro hospitalis Eboracensis, Archiepiscopus Eboracensis, ad quem hospitalis ordinario spectabat, eidem quemdam Presbyterum præfecit. Postea Decanus & Capitulum Eboracense, quasi ad se pertineret eiusdem hospitalis ordinatio, à Summo Pontifice super hoc impetrauit litteras ad Decanum Lingonensem, & alios iudices, nec non idem Capitulum actorem seu procuratorem constituit, per litteras quæ munitæ erant sigillo, quo vtebatur Capitulum ad citationes tantùm, cùm alio sigillo vteretur ad alios actus solemnes. Capituli est habere sigillum, *cap. dilecta. de excess. Prælat.* Io. Saresber. epist. CCXCI. *Sigillum Ecclesiæ fratribus abstulit, vt malè factas alienationes possit pro libito roborare.* Et sigillum Capituli est authenticum, id est, fidem facit sine testium subscriptione, *cap. II. de fid.*

instrum. cap. 11. *de offic. ordin. in* vt. Et plerumque Capitulum duplici sigillo vtitur, maiori, & minori; & sigillo constituto ad certos actus, putà ad citationes, fides non adhibetur in aliis rebus, vt *hic*. Cùm verò magister hospitalis constitutus ab Archiepiscopo hoc allegaret coram iudicibus datis, non esse admittendum actorem à Capitulo constitutum sigillo, quo vteretur Capitulum ad citationes tantùm, & idem allegaret, quòd alio rescripto priùs conuentus coram aliis iudicibus, non debuerit conueniri ex secundo rescripto, in quo non fiebat mentio prioris, quod est de iure in *cap. caterum, suprà, de rescript.* Iudices huiusmodi exceptiones non admiserunt: de quo cùm appellatum esset à magistro hospitalis, Pontifex iudicauit, quod gestum esset post appellationem irritum esse; vnde ducitur hæc regula: Excipiens procuratorem, vel actorem non habere idoneum mandatum ad agendum, vel defendendum, si non audiatur, rectè appellat.

CAPITVLVM L.

IDEM EBORACEN. EPISCOPO, ET DE LVC. ET DE MONTE MOLLI ABBAT.

EX insinuatione Prioris & Canonicorum sanctæ Barbaræ nobis innotuit, quòd cùm inter ipsos ex vna parte, & V. Camerarium de Tangar ex altera, super quodam manerio coram iudice ordinario quæstio verteretur, & idem Camerarius ad nostram audientiam adpellauerit adpellationi terminum non præfigens dictus iudex, qui causam illius videbatur fouere, pro eo quòd quidam Clericus commensalis suus, dicti Camerarij in eadem causa fuerat Aduocatus, hunc terminum adpellationi præfixit, vt ad festum Purificationis vtraque pars esset ab adpellationis prosecutione reuersa, licèt non potuerit nobis legem imponere, vt eam teneremur intra dictum terminum expedire; cùm & secundùm legitimas sanctiones lis, quæ in consistorio Principis speratur inferri, absque damno moræ intacta permaneat, donec ipsam faciat introduci, & à proceribus dirimi iuxta morem. Interim autem nuncius Camerarij præueniens nuncium eorumdem, nec ipso vsque ad terminum legitimum expectato, impetrauit litteras & recessit. Quia verò fraus & dolus alicui patrocinari non debent, mandamus, quatenus si est ita, partibus conuocatis, audiatis causam.

HVIVS cap. species hæc est: Coram iudice ordinario quæstio vertebatur inter Priorem & Canonicos S. Barbaræ, & W. Camerarium de Tangar, super quodam manerio. A sententia iudicis Camerarius appellauit ad S. Pontificem, appellationi prosequendæ non dicto termino. Iudex qui appellantis causam fouere videbatur, quòd eius Aduocatus in eadem causa esset commensalis ipsius, ad prosequendam, & expediendam causam appellationis, appellanti terminum præfixit. Interim verò nuncius Camerarij, nondum elapso legitimo termino appellationis prosequendæ, litteris impetratis, scilicet commissionis ad iudices, è Curia recessit. Quo cognito rescripsit Pontifex, vt causa appellationis audiatur, etsi lapsus sit legitimus terminus prosequendæ appellationis præfixus à iudice, à quo appellatum est. Quia iudex à quo appellatum est ad S. Pontificem, non potuit appellanti terminum præfigere ad prosequendam, & ad exitum perducendam appellationem, quòd non possit legem imponere Superiori. Etiam Iure Ciuili lis quæ introducenda est in consistorio Principis, absque damno moræ manet intacta, donec ipse faciat eam introduci, & à proceribus secundùm morem dirimi, vt refertur *hic. ex auth. sed & lis. C. de temporib. appellat.* Olim causæ ciuiles vel criminales finiendæ erant intra annum. Seru. in illud 11. Æneid. *Quidve moror si omnes vno ordine habetis Achiuos. Est de antiqua tractum scientia, quia in ordine dicebantur causæ, propter multitudinem, vel tumultum festinantium, quum erat annus*

litium, quod probat illo loco Iuuenalis, *Expectandus erit qui lites incboat annus.* Addatur M. Tull. pro Quinct. *Quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur.* Ob id Pontifices anno demebant, vel addebant dies, vt gratificarentur publicanis, seu conductoribus vectigalium, & litiganribus: Ammian. lib. XXVI. *Sacerdotes libenter gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant.* Constitutione Iustiniani litibus criminalibus præstitutum est biennium, ciuilibus triennium, *l. properandum. C. de iudic. l. vlt. C. vt intra cert. temp. criminal. quæst. terminet.* In causis appellationum datur annus, vel, si qua iusta causa exigat, biennium, *l. 11. l. vlt. §. illud. C. de tempor. appellat.* Quod posteriores Pontifices admisere, vt instantia iudicij perimatur triennio, nisi dolo aduersarij vltra triennium protracta fuerit, *cap. venerabilis. de iudic.* & vt causa appellationis non prorogetur vltra annum vel biennium, *cap. ex ratione, suprà, hoc tit.* Verùm Patres melioris æui tempora finiendarum litium vix tulere in iudiciis Ecclesiasticis: Augustin. in Breuicul. collat. *Quoniam cognitor superiùs dixerat de tempore præscribere, vt causa non ageretur, non esse Episcopalis, sed forensis potiùs esse obiectionis.* Et idem libro contra Donatist. post collat. *Et adhuc vtique dies erat, quando nobis forensi more de tempore præscribebant, dicentes causam lapsam esse, & agi iam omnino non posse.* Lis cœpta perimitur triennio à die litis contestatæ: lapsu temporis lis mortua habetur, *l. 11. ff. iudicat. solui.* Excipiuntur causæ fiscales, & quæ pertinent ad munera publica & honores, *d. l. properandum*, & causæ quæ inferuntur in auditorium Principis, in quibus peremptio instantiæ locum non habet ex *d. auth. sed & lis.* Quà vtitur Pontifex hoc loco, quia nihil est quod imputetur moræ partium in causis, quæ inferuntur in auditorium Principis.

CAPITVLVM LI.

IDEM ROFEN. ET BONDEN. EPISCOPIS.

BONÆ memoriæ O. de Camera persona Ecclesiæ de Fan. viam vniuersæ carnis ingresso, Abbas sancti Augustini Cantuariensis eiusdem Ecclesiæ, quam ad se adserit pertinere, primò per quosdam Monachos, secundò per seipsum possessionem ingressus, ad nos pluries vocem adpellationis emisit, ne quis eum super possessione ipsius Ecclesiæ præsumeret molestare: cúmque aliquamdiu prædictam Ecclesiam pacificè possedisset, quidam laïci Cantuariensis diœcesis ipsum Abbatem & Monachos de possessione ipsius Ecclesiæ, per violentiam eiecerunt: .·. Procurator verò Archidiaconi proposuit ex aduerso, quòd defuncta persona Ecclesiæ, Archidiacono tantùm datur eius custodia. Imò Archidiaconi, qui fuerunt pro tempore, tam de iure communi, quàm de generali consuetudine, tam in illa Ecclesia, quàm in aliis vniuersis eiusdem diœcesis, hoc iure semper vsi fuerunt. Præterea præfatus O. nomine Archidiaconi Ecclesiam possedit eamdem, vtpote qui ei vnam procurationem, & v. sol. nomine Ecclesiæ annis singulis exoluebat: .·. Præmissis igitur diligenter inspectis, prædictos Abbatem & Monachos in eum statum, in quo tempore adpellationis factæ ex verisimilibus & probabilibus causis ad nos legitimè interpositæ, fuisse noscuntur (proprietatis parti vtrilibet saluo iure) decernimus reducendos, ac fructus medij temporis perceptos censuimus pariter adsignandos eisdem.

HVIVS cap. species hæc est: Mortuo Odone de Camera persona, id est, Rectore Ecclesiæ de Fano, sic vocant Rectores Ecclesiarum Parochialium in Anglia, vt in *cap. personas, suprà, hoc tit. cap. ex parte. de rescript. cap. illud etiam. de excess. Prælat. Archidiac. in cap. 1. de consuetud. in* VI. Abbas S. Augustini Cantuariensis eiusdem Ec-

instrum. cap. 11. *de offic. ordin. in* VI. Et plerumque Capitulum duplici sigillo vtitur, maiori, & minori; & sigillo constituto ad certos actus, putà ad citationes, fides non adhibetur in aliis rebus, vt *hic.* Cùm verò magister hospitalis constitutus ab Archiepiscopo hoc allegaret coram iudicibus datis, non esse admittendum actorem à Capitulo constitutum sigillo, quo vteretur Capitulum ad citationes tantùm, & idem allegaret, quòd alio rescripto priùs conuentus coram aliis iudicibus, non debuerit conueniri ex secundo rescripto, in quo non fiebat mentio prioris, quod est de iure in *cap. cæterum, suprà, de rescript.* Iudices huiusmodi exceptiones non admiserunt: de quo cùm appellatum esset à magistro hospitalis, Pontifex iudicauit, quod gestum esset post appellationem irritum esse; vnde ducitur hæc regula: Excipiens procuratorem, vel actorem non habere idoneum mandatum ad agendum, vel defendendum, si non audiatur, rectè appellat.

CAPITVLVM L.

IDEM EBORACEN. EPISCOPO, ET DE LVC. ET DE MONTE MOLLI ABBAT.

EX insinuatione Prioris & Canonicorum sanctæ Barbaræ nobis innotuit, quòd cùm inter ipsos ex vna parte, & V. Camerarium de Tangar ex altera, super quodam manerio coram iudice ordinario quæstio verteretur, & idem Camerarius ad nostram audientiam adpellauerit adpellationi terminum non præfigens dictus iudex, qui causam illius videbatur fouere, pro eo quòd quidam Clericus commensalis suus, dicti Camerarij in eadem causa fuerat Aduocatus, hunc terminum adpellationi præfixit, vt ad festum Purificationis vtraque pars esset ab adpellationis prosecutione reuersa, licèt non potuerit nobis legem imponere, vt eam teneremur intra dictum terminum expedire; cùm & secundùm legitimas sanctiones lis, quæ in consistorio Principis speratur inferri, absque damno moræ intacta permaneat, donec ipsam faciat introduci, & à proceribus dirimi iuxta morem. Interim autem nuncius Camerarij præueniens nuncium eorumdem, nec ipso vsque ad terminum legitimum expectato, impetrauit litteras & recessit. Quia verò fraus & dolus alicui patrocinari non debent, mandamus, quatenùs si est ita, partibus conuocatis, audiatis causam.

HVIVS cap. species hæc est: Coram iudice ordinario quæstio vertebatur inter Priorem & Canonicos S. Barbaræ, & W. Camerarium de Tangar, super quodam manerio. A sententia iudicis Camerarius appellauit ad S. Pontificem, appellationi prosequendæ non dicto termino. Iudex qui appellantis causam fouere videbatur, quòd eius Aduocatus in eadem causa esset commensalis ipsius, ad prosequendam, & expediendam causam appellationis, appellanti terminum præfixit. Interim verò nuncius Camerarij, nondum elapso legitimo termino appellationis prosequendæ, litteris impetratis, scilicet commissionis ad iudices, è Curia recessit. Quo cognito rescripsit Pontifex, vt causa appellationis audiatur, etsi lapsus sit legitimus terminus prosequendæ appellationis præfixus à iudice, à quo appellatum est. Quia iudex à quo appellatum est ad S. Pontificem, non potuit appellanti terminum præfigere ad prosequendam, & ad exitum perducendam appellationem, quòd non possit legem imponere Superiori. Etiam Iure Ciuili lis quæ introducenda est in consistorio Principis, absque damno moræ manet intacta, donec ipse faciat eam introduci, & à proceribus secundùm morem dirimi, vt refertur *hic. ex auth. sed & lis. C. de temporib. appellat.* Olim causæ ciuiles vel criminales finiendæ erant intra annum. Seru. in illud 11. Æneid. *Quidve moror si omnes vno ordine habetis Achiuos. Est de antiqua tractum scientia, quia in ordine dicebantur causæ, propter multitudinem, vel tumultum festinantium, quum erat annus*

litium, quod probat illo loco Iuuenalis, *Expectandus erit qui lites incboat annus.* Addatur M. Tull. pro Quinct. *Quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur.* Ob id Pontifices anno demebant, vel addebant dies, vt gratificarentur publicanis, seu conductoribus vectigalium, & litigantibus: Ammian. lib. XXVI. *Sacerdotes libenter gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant.* Constitutione Iustiniani litibus criminalibus præstitutum est biennium, ciuilibus triennium, *l. properandum. C. de iudic. l. vlt. C. vt intra cert. temp. criminal. quæst. terminet.* In causis appellationum datur annus, vel, si qua iusta causa exigat, biennium, *l. 11. l. vlt. §. illud. C. de tempor. appellat.* Quod posteriores Pontifices admisere, vt instantia iudicij perimatur triennio, nisi dolo aduersarij vltra triennium protracta fuerit, *cap. venerabilis. de iudic.* & vt causa appellationis non protogetur vltra annum vel biennium, *cap. ex ratione, suprà, hoc tit.* Verùm Patres melioris æui tempora finiendarum litium vix tulere in iudiciis Ecclesiasticis: Augustin. in Breuicul. collat. *Quoniam cognitor superiùs dixerat de tempore præscribere, vt causa non ageretur, non esse Episcopalis, sed forensis potiùs esse obiectionis.* Et idem libro contra Donatist. post collat. *Et adhuc vtique dies erat, quando nobis forensi more de tempore præscribebant, dicentes causam lapsam esse, & agi iam omnino non posse.* Lis cœpta perimitur triennio à die litis contestatæ: lapsu temporis lis mortua habetur, *l. 11. ff. iudicat. solui.* Excipiuntur causæ fiscales, & quæ pertinent ad munera publica & honores, *d. l. properandum*, & causæ quæ inferuntur in auditorium Principis, in quibus peremptio instantiæ locum non habet ex *d. auth. sed & lis.* Quâ vtitur Pontifex hoc loco, quia nihil est quod imputetur moræ partium in causis, quæ inferuntur in auditorium Principis.

CAPITVLVM LI.

IDEM ROFEN. ET BONDEN. EPISCOPIS.

BONÆ memoriæ O. de Camera persona Ecclesiæ de Fan. viam vniuersæ carnis ingresso, Abbas sancti Augustini Cantuariensis eiusdem Ecclesiæ, quam ad se adserit pertinere, primò per quosdam Monachos, secundò per seipsum possessionem ingressus, ad nos pluries vocem adpellationis emisit, ne quis eum super possessione ipsius Ecclesiæ præsumeret molestare: cúmque aliquamdiu prædictam Ecclesiam pacificè possedisset, quidam laïci Cantuariensis diœcesis ipsum Abbatem & Monachos de possessione ipsius Ecclesiæ, per violentiam eiecerunt: .·. Procurator verò Archidiaconi proposuit ex aduerso, quòd defuncta persona Ecclesiæ, Archidiacono tantùm datur eius custodia. Imò Archidiaconi, qui fuerunt pro tempore, tam de iure communi, quàm de generali consuetudine, tam in illa Ecclesia, quàm in aliis vniuersis eiusdem diœcesis, hoc iure semper vsi fuerunt. Præterea præfatus O. nomine Archidiaconi Ecclesiam possedit eamdem, vtpote qui ei vnam procurationem, & v. sol. nomine Ecclesiæ annis singulis exoluebat: .·. Præmissis igitur diligenter inspectis, prædictos Abbatem & Monachos in eum statum, in quo tempore adpellationis factæ ex verisimilibus & probabilibus causis ad nos legitimè interpositæ, fuisse noscuntur (proprietatis parti vtrilibet saluo iure) decernimus reducendos, ac fructus medij temporis perceptos censuimus pariter adsignandos eisdem.

HVIVS cap. species hæc est: Mortuo Odone de Camera persona, id est, Rectore Ecclesiæ de Fano, sic vocant Rectores Ecclesiarum Parochialium in Anglia, vt *in cap. personas, suprà, hoc tit. cap. ex parte. de rescript. cap. illud etiam. de excess. Prælat. Archidiac. in cap. 1. de consuetud. in* VI. Abbas S. Augustini Cantuariensis eiusdem Ec-

clesiæ, quam ad se contendebat pertinere, primùm per quosdam Monachos, tum per se possessionem ingressus, pluries appellauit ad Summum Pontificem, ne in possessione ipsius Ecclesiæ molestaretur; cúmque per tempus prædictam Ecclesiam pacificè possedisset, quidam laïci Cantuariensis diœcesis Abbatem, & Monachos de possessione ipsius Ecclesiæ, per vim deiecerunt. Vnde Abbas & Monachi petierunt Ecclesiam sibi restitui, cum fructibus medij temporis. Lite contestatâ inter Monachos & Archidiaconum Cantuariensem, testes hinc inde producti: demum lite perlatâ ad Summum Pontificem, his ex parte Abbatis propositis, Procurator Archidiaconi excepit, quòd iure communi, & ex consuetudine generali custodia vacantium Ecclesiarum ad Archidiaconum pertineret. quod probatur & in *cap. cùm venissent, infrà, de institut.* Vnde inuestitura Ecclesiarum, & missio in possessionem corporalem pertinet ad ipsum Archidiaconum, *cap. in tantum. de simon. cap. vt nostrum. de off. Archid.* Io. Saresber. epist. 1. *Ad hæc Hunffredus Ecclesiam suam ab antiquo liberam esse dicebat, offerens se ab Abbate Abbendinone Ecclesiam liberam, & sine expressione cuiusque oneris recepisse, & per Archidiaconum Episcopi, vt mos est, in possessionem liberam canonicè introductum.* Præter hæc aiebat idem Procurator Archidiaconi, quòd præfatus Odo nomine Archidiaconi eamdem Ecclesiam possedit; quod nitebatur probare hoc argumento, quòd ei vnam procurationem, & quinque solidos nomine Ecclesiæ singulis annis exoluebat. Re cognitâ Pontifex pronunciauit Abbatem & Monachos, vtpote spoliatos in eum statum reducendos, in quo erant tempore appellationis, & in possessionem restituendos esse cum fructibus medij temporis, saluo iure proprietatis vtrique parti: spoliati restituuntur cum fructibus medij temporis, quia in interdicto Vnde vi restitutio fit cum omni causa, vt *hic, & cap. conquerente, suprà, de restit. spoliat.* Spoliati quoque restituuntur saluo iure proprietatis, quia spoliatus possessione priùs restituendus est, quàm agatur de proprietate: prior est causa possessionis, quàm proprietatis, *cap. 1. de restit. spoliat. cap. III. de ord. cognit. l. vn. C. si de moment. possess. fuer. appellat.* Interdictum verò hîc datur aduersus Archidiaconum, licèt spoliatio facta fuisset per alios, quàm per Archidiaconum, quòd fortè facta fuerat per laicos quosdam mandante Archidiacono, vel ratum habente; & interdictum Vnde vi datur non modò aduersum eum qui deiecit, sed etiam aduersus eum qui mandauit, vel ratum habuit, *cap. cùm ad sedem, suprà, de restit. spoliat.* Nihil profuit Archidiacono ad probandam possessionem quam allegabat solutio procurationis vel pensionis, quia solutio pensionis non est idoneum argumentum possessionis vel dominij, vt *hic, & cap. inter dilectos. suprà, de fid. instrum. cap. cùm Bertoldus. de re iudicat. l. quamuis. §. 1. ff. de acq. possess. l. Titia. de solut.*

CAPITVLVM LII.

IDEM SANCTI AVGVSTINI, ET SANCTI GREGORII PRIORIBVS.

DILECTI filij Io. & H. Prioris & Monachorum Cantuarien. Ecclesiæ nuncij retulerunt, quòd cùm pro causa, quæ inter dictos Priorem & Monachos, & Cantuarien. Archiepiscopum super Capella de Lamehe vertebatur, ab ipsis ad Sedem Apostolicam mitterentur, idem Achiepiscopus, post iter adreptum in eos excommunicationis sententiam promulgauit. Cùm autem plus sit ad Sedem Apostolicam facto prouocare, quàm verbo, & ipsis propter dictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus intelligatur ad Sedem Apostolicam prouocatum: mandamus, quatenus si est ita, dictos Io. & H. denuncietis excommunicationis vinculo non teneri.

HOC caput integrum extat apud Innocent. III. lib. 1. epist. CCCXLVI. & eodem pertinet epist. CXI. eiusd. libri sub annum MCLXXXIX. Balduinus Cantuatiensis Archiepiscopus Ecclesiam, seu Capellam de Lamehe construere adorsus, Canonicos seculares & præbendas pro his ibidem instituit: de quo cùm Monachi Cantuarienses

appellassent ad Sedem Apostolicam, Archiepiscopus mandato Sedis Apostolicæ opus intermisit: de quo Rogerus Houedenus in Richardo I. ad hunc ann. & Gu. Neubrigens. lib. IV. cap. XXXIII. Vitâ functo Balduino, Hubertus proximus eius successor, Capellam à decessore inchoatam exædificauit, & Canonicos seculares ibidem instituit, de reditibus mensæ Cantuariensis Ecclesiæ; quod Monachi Cantuarienses non ferentes nouum opus nuntiarunt, vt exponitur in *cap. cùm ex iniuncto, infrà, de nou. oper. nuntiat.* quod pertinet ad eamdem speciem, & nuntios misere ad Summum Pontificem petituros, vt solo æquaretur huiusmodi Capella: de quo Rogerus Houedenus in ipso Richardo ad ann. MCXCVIII. *Accusabant etiam eum dicentes, quòd ipse in præiudicium Matris Ecclesiæ Cantuariæ Capellam nouam construxerat apud Lambce, & in ea Canonicos seculares de bonis, & reditibus Monachorum Cantuariæ ditatos constituerat, & in ea contra consuetudinem, & dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ Episcopos consecrauerat, & nisi celerius remedium adhiberetur, timuerunt quòd dignitas Cantuariensis Ecclesiæ minueretur, & ad Capellam illam apostatricem transferri videretur.* Immo & impetrarunt à Pontifice, vt Archiepiscopus qui erat Iustitiarius totius Angliæ, ab hoc munere deponeretur: Matth. Westmonaster. ad eumd. ann. *Circa dies illos orta est dissensio inter Archiepiscopum & Monachos Cantuar. propter Ecclesiam quam idem Archiepiscopus apud Lambeshe de nouo construxerat. Timuerunt enim Monachi, ne, sicut comminatum fuerat, Archiepiscopus sedem illuc Cathedralem transferret. Vnde Romam profecti Innocentio Papæ conquesti, impetrarunt vt Archiepiscopus à iustitiariâ deponeretur.* His valde commotus Archiepiscopus, quæ est spec. *huius cap.* post iter arreptum nuntios Cantuariensium excommunicauit. Quâ re cognitâ, Pontifex pronuntiauit eos excommunicationis vinculo non teneri, cùm excommunicatio post appellationem lata nulla habeatur, quòd plus sit facto prouocare quàm verbo. Quo iure suspensio, vel excommunicatio post appellationem lata nullius est momenti, *cap. I. suprà, hoc tit. cap. per tuas, infrà, de sentent. excommunic.* Etiam excommunicatio lata post iter arreptum ad Sedem Apostolicam nulla & irrita est, quia arreptio itineris habet vim appellationis, *cap. ad hæc, suprà, hoc tit.* si modò probabilis causa allegetur, id est, talis quæ probata esset legitima, *cap. vt debitus, infrà, hoc tit.* Non modò verbo appellatur, vt si quis dixerit, appello, sed etiam re vel facto, id est, arrepto itinere. Iure Ciuili appellatio fit viua voce, vel per libellum, *l. à sententia. §. vlt. ff. de appellat. l. litigatoribus. C. eod. tit.* Iure antiquo à iudicibus Ecclesiasticis viua voce appellabatur, non in scriptis: cuius iuris vestigium deprehenditur in *can. Synodum.* XVII. *dist.* his verbis: *Nam si seculares in publicis iudiciis libellis vtuntur appellatoriis, quantò magis Sacerdotibus hæc eadem agere licet, qui super illos sunt.* Primus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, vbi de gradu submotus in Seleuciensi Concilio factione Acacij Cæsariensis appellauit ad Sedem Apostolicam, libello appellatorio vsus est, quod nouum & insolens fuisse obseruat Socrates lib. II. cap. XXXII. καθαιρεθεὶς δ' ὅμως ἐκκλήτου βιβλίον τοῖς καθελοῦσι διαπεμψάμενος, μεῖζον ἐπεκαλέσατο δικαστήριον. Et mox: τοῦτο μὲν οὖν μόνος καὶ πρῶτος παρὰ τὸ σύνηθες τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι Κύριλλος ἐποίησεν, ἐκκλήτοις ὡς ἐν δημοσίῳ δικαστηρίῳ χρησάμενος. *Qui simulatque de gradu esset deiectus, appellationis libello, ad eos qui eum deiecerant misso, ad maiores iudices prouocauit, atque à Cyrillo solo ac primo perinde ac si res apud laicos iudices ageretur, contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem prouocatum est.* Labente æuo etiam in causis Ecclesiasticis libelli appellatorij passim recepti, *can. Lotharius.* XXXI. *qu.* II. *cap. Cordi. hoc tit. in* VI. Quæ secuta sit sententia in hacce causa discimus ex *d. cap. iniuncto*, quo mandatum Archiepiscopo Cantuariensi, vt suis sumptibus Capellam solo æquaret; quod executionem sortitum esse testis est Matth. Paris. in Richard. ann. gratiæ MCXCIX. *Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam de Lambeiâ, quam Baldeuuinus prædecessor suus in honorem beati Thomæ Martyris fundauerat, & ipse ferè consummauerat, procurantibus Monachis Cantuariensibus, Summóque Pontifice imperante, propriis sumptibus ad sui & multorum ignominiam complanauit.*

Capitvlvm LIII.

IDEM EPISCOPO ELIEN.

Pastoralis officij diligentia: . . . Quæsiuisti, vtrum quando inhibetur adpellatio in rescripto, frustratoria tantùm inhibita videatur? Nos igitur attendentes, quòd per adpellationem frustratoriam, etiamsi non fuisset inhibita, negocium non debeat impediri: respondemus, quòd quælibet prouocatio intelligitur remoueri, quæ à iure non indulgetur expresse. Sed si adpellans fuerit grauatus iniustè, grauamen huiusmodi per Superiorem poterit emendari.

In rescripto per clausulam, appellatione remotâ, non modò prohibetur frustratoria appellatio, quia appellatio frustratoria iure communi remota censetur, & appellationibus friuolis à iudice non est deferendum, *cap. cùm appellationibus, hoc tit. in* vi. Sed remota intelligitur quælibet appellatio, quæ à iure non indulgetur expresse, vt definitur initio *huius cap.* etiam remotâ appellatione in rescripto indulgetur appellatio in casibus expressis à iure, vt *in cap. super eo, cap. postremo, cap. ex parte, cap. significantibus, hoc tit. cap. super quaest. in fin. de offic. delegat. cap. ex conquestione. de restit. spoliat.*

Verum quia multotiens quis ad tempus per adpellationem legitimam à iudicis sui, quoad aliquem certum articulum, eximitur potestate: consuluisti nos, vtrum si quis excommunicationis sententiâ innodatus, ante denunciationem ipsius ab ea, tamquam minus rationabiliter promulgata in eo casu, in quo ante sententiam adpellatio vires obtinuisset, curauerit prouocare, eo quòd per adpellationem interpositam excommunicantis videtur iurisdictio dormitasse, ipse denunciare possit eumdem, & ad tempus Ecclesiasticis beneficiis Clericum spoliare? Nos itaque respondemus, quòd cùm executionem excommunicatio secum trahat, & excommunicatus per denunciationem ampliùs non ligetur, ipsum excommunicatum denunciare potes, vt ab aliis euitetur. Et illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.

Appellationis duplex est effectus; vnus, quòd suspendit executionem sententiæ, *l. si causa cognita. C. de transact. cap. Pastoralis. §. praeterea. de off. deleg. cap. venientes. de iureiur.* quia appellatio iniquitatis sententiæ querelam continet, *l. Praefecti. ff. de minorib.* Alter est, quòd suspendit iurisdictionem iudicis à quo, quantum ad illam causam, vt *hic, & cap. super eo, suprà, hoc tit.* Speciale est in causa excommunicationis, quòd si excommunicatus à sententia excommunicationis, ante denuntiationem ipsius appellet, etiam post appellationem denuntiari potest excommunicatus, & fructibus beneficij priuari, vt definitur *in hoc* §. Ratio dubitandi esse videbatur, quòd per appellationem excommunicantis videtur iurisdictio dormitasse, vt sibi obiicit ipse Pontifex; sed singulare est, quòd sententia excommunicationis non suspenditur per appellationem, quòd executionem excommunicatio secum trahat, vt eleganter traditum est *in hoc* §. Appellatio non suspendit effectum excommunicationis, vt *hic, & cap. is cui. de sentent. excomm. in* vi. Appellatio, inquam, non suspendit excommunicationem, sed deuoluit causam ad Superiorem, *cap. cùm contingat. de off. deleg.* quia non homo ligat, sed Deus, vt refertur ex Chrysostom. in *can. nemo.* xi. *qu.* iii. Hinc excommunicatus interim priuatur fructibus beneficij sui, excommunicatus comparatur deportato, cuius bona publicantur, quia malè meritus publicè, vt exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, egestate laborare debet, *l. bona fides. ff. depositi.* De gratia tamē speciali

excommunicato interim prouidetur de bonis Ecclesiæ, vt deposito, in *can. studeat.* 1. *dist.* Ita in Conc. Matisconensi Faustiniano Aquensi Episcopo gradu deiecto constituta est annua pensio centum aureorum ab ordinatoribus præstanda, & Vrsicino Cadurcensi Episcopo ibidem excommunicato relicta est perceptio fructuum Ecclesiæ. Gregor. Turonens. lib. VIII. cap. XX. *Faustinianus autem qui ex iussu Gundobaldi Aquensis vrbis Episcopus ordinatus fuerat, ea conditione remouetur, vt eum Bertchramnus, Orestesque siue Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent, centenósque ei aureos annis singulis ministrarent. Vrsicinus Cadurcensis Episcopus excommunicatur, pro eo quòd Guntdobaldum excepisse publicè est confessus: accepto huiusmodi placito, vt pœnitentiam tribus annis agens, neque capillum, neque barbam tonderet, vino & carnibus abstineret, missas celebrare, Clericos ordinare, Ecclesiásque & chrisma benedicere, eulogias dare penitus non auderet: vtilitas tamen Ecclesiæ per eius ordinationem sicut solita erat omnino exerceretur.*

Capitvlvm LIV.

IDEM EPISCOPO PARISIEN.

SOLICITVDINEM pastoralis officij :. · . · . Sanè cùm sicut recepimus, duobus coram suo Episcopo litigantibus, alter eorum ad Sedem Apostolicam adpellasset, Episcopus adpellantem reputans contumacem, ipsum excommunicationis vinculo innodauit: qui coram Metropolitano de Episcopo sibi petiit iustitiam exhiberi, adserens, quòd post adpellationem legitimè ad nos interpositam ipsum excommunicauerat, & petens se ad eum statum, in quo fuerat adpellationis tempore, à Metropolitano reduci, denunciari videlicet absolutum: adiiciens etiam, quòd adpellationi non renunciabat obiectæ, sed prosequi volebat eamdem: . · . Nos igitur inquisitioni t. taliter respondemus, quòd sicut Metropolitanus de adpell. ad nos interposita cognoscere omnino non valet; sic nec de his, quæ post adpellationem fuerant innouata: dummodo de aliis cognosci non possit, nisi de adpellatione pariter cognoscatur, vel de iis, quæ adpellationis causam contingere dignoscuntur. In quo casu si Metropolitanus ad cognoscendum partes suas interponere fortè præsumeret, Episcopus posset ad adpellationis beneficium conuolare: nam ad officium eius, qui de adpellatione cogniturus est, pertinet prudenter corrigere, quæ contra ipsam inuenerit adtentata. Si verò notorium existeret, quòd mandatum Episcopi indiscretum fuerat vel iniustum, cui non tenebatur subditus obedire, ac per consequentiam ei liqueat euidenter subditum legitimè prouocasse: potest Archiepiscopus auctoritate metropolitana declarare subditum irrationabiliter extitisse anathematis mucrone percussum. Cùm autem excommunicatus, qui adpellauerat, iuxta præscriptam formam coram Archiepiscopo deponit contra Episcopum quæstionem, Metropolitanus ad cognoscendum de causa potest interponere partes suas, cùm ille adpellationis prosecutioni renunciare tacitè videatur. Sed si verbo vel facto adpellationem se velle prosequi protestetur, non est tamquam aduersa petens, & sibi contrarius audiendus.

SI is qui appellauit ab Episcopo suo ad Sedem Apostolicam, & mox ab Episcopo quasi contumax excommunicatus, hac de re querelam instituerit apud Metropolitanum: Metropolitanus non potest cognoscere de appellatione interposita, neque de his quæ post appellationem fuerunt innouata, vel de his quæ ita contin-

gunt appellationem, vt horum cognitio diuelli non possit à cognitione appellationis. Metropolitanus non potest cognoscere de appellatione interposita ab Episcopo ad Sedem Apostolicam, quia Metropolitanus non potest adiri per querelam, cùm iudex sit tantùm ex causa appellationis, *cap. I. suprà, de off. legat.* Etiam Legatus non potest cognoscere de appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, *cap. constitutus, suprà, hoc tit.* Etiam iudex à quo appellatum est, non potest cognoscere de appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, *cap. cùm teneamur, suprà, hoc tit.* quia per appellationem desinit esse iudex. Sanè si is qui appellauit perturbetur in possessione, iudex à quo appellatum est, per querelam aditus, interim possessionem ei qui appellauit reformare potest, omisso eo de quo appellatio interposita est, *d. cap. cùm teneamur.* Hoc distat querela ab appellatione, quòd appellatio deuoluitur ad Superiorem, querela etiam ad parem, vt ab Episcopo querela defertur ad vicinos Episcopos, *can. si quis Presbyter. can. Episcopi. XI. qu. III.* Appellatio fit in maioribus causis, querela in minoribus & summariis, quæ summariè & de plano expediuntur. Vbi appellatur, tempora appellationum seruanda sunt: vbi proceditur per querelam, mox sine solemnibus iudiciorum disceptatur, *l. si nominatus. C. Th. hoc tit. l. III. C. quomod. & quand. iudex.* Et hæc distinctio querelæ, & appellationis maximè obseruatur in *d. cap. I. de off. legat.* quo definitur Legatum per querelam, vel per appellationem adiri posse. Quærit Glossa hoc loco, cur iudex à quo appellatum est, nequeat cognoscere de appellatione à se interposita, cùm cognoscat, an sua sit iurisdictio, *l. si quis ex aliena. ff. de iudic. l. II. si quis in ius vocat. non ierit, & cap. cùm parati, hoc tit.* Et hæc ratio distinctionis adducitur, quòd per appellationem is qui appellauit eximitur à iurisdictione iudicis à quo appellatum, & illum sibi suspectum habet, quòd periculum sit ne tueatur sententiam suam; aliud est cùm quæritur de iurisdictione, quia semper præsumitur pro iurisdictione, quoad contrarium probetur. Si verò notorium esset excommunicationem iniquè inflictam esse post appellationem interpositam, hoc casu Metropolitanus potest declarare excommunicationem esse nullam: quòd si iniustè excommunicatus ab Episcopo suo post appellationem interpositam ad Romanum Pontificem, querelam instituerit apud Metropolitanum de iniuria Episcopi; Metropolitanus potest de toto negotio principali cognoscere, quia ille adeundo Metropolitanum, appellationi interpositæ tacitè renunciare videtur, nisi protestatus sit se appellationi non renunciare, quæ est summa *huius cap.* Iure Ciuili appellatio reuocari potest, etiam post oblationem libelli appellatorij, ne iustæ pœnitudinis humanitas amputetur, *l. si quis libellos. C. hoc tit.* Olim intra triduum post oblationem libelli reuocari poterat appellatio, *l. LVI. C. hoc tit.* Sed Iustinianus appellationem quandocumque reuocare licere voluit intelligi in *d. l. si quis libellos.* quòd in ea demta sunt verba illa, *intra triduum*, quæ adsunt in *d. l. LVI.* Iure Pontificio appellationi etiam quandocumque renunciare licet, *cap. directæ, hoc tit.* Quòd huic rei nullus terminus imponatur, speciale est in appellatione ab electione Episcopali, quòd ab ea recedere non licet, nisi antequam Sedi Apostolicæ fuerit præsentata, *cap. quamuis. de elect. in VI.*

CAPITVLVM LV.

IDEM EPISCOPO, ET CANTORI TRECEN.

DILECTIS filiis Decano Altissiodorensi, ac Magistro R. Altissiodorensis Episcopi procuratore in nostra præsentia constitutis, idem Magister proposuit, quòd cùm dictus Episcopus Presbyterum domus Dei, in qua dispensationem plenariam obtinere dignoscitur, detineri faceret vinculis mancipatum, pro eo quòd bona quædam eiusdem domus, quæ furtiuè subtraxerat restituere detractabat, propter quod etiam ab eodem Episcopo fuerat excommunicationis vinculo innodatus: & supradictus Decanus Episcopum monuisset, vt ei restitueret, vel saltem redderet Presbyterum memoratum, quem ad iurisdictionem suam spe-

ctare

ctare firmiter adserebat, Episcopus metuens, ne Decanus aliquid in suum præiudicium adtentaret, se ac suos, statum Ecclesiæ, ac ciuitatis protectioni Metropol. supponens, ad eius audientiam adpellauit. Verùm Decanus post modicum tempus interdictum huiusmodi promulgauit, vt Episcopo in ciuitate præsente, à diuinis in Altissiodoren. Ecclesia cessaretur. Postmodum verò cùm die adpellationi præfixo comparuissent partes coram Officiali Curiæ Senon. Decanus allegans, quòd adpellationi ab Episcopo interpositæ, ideo non duxerat deferendum, quoniam Presbyter supradictus adhuc in vinculis tenebatur, quando ad nos vocem adpellationis emisit. Officialis autem iudicauit irritum interdictum à Decano post adpellationem Episcopi promulgatum :.·.·. Quia verò idem Episcopus diuersos modos expressit, secundùm quos Decano paratus fuerit super captione Presbyteri iustitiam exhibere, ad metropolitanam sedem adpellans, Decanus non potuit post hoc ferre sententiam interdicti, & ideo sententiam ipsam ab eo post adpellationem legitimè promulgatam, irritam decernimus & inanem, non obstante, quòd Decanus ad excusationem suam, quasi variando proposuit, quòd priusquam Episcopus adpellasset, sententiam tulerat, cuius effectum ad tempus duxerat suspendendum : cùm interim adpellatione interpositâ procedere non debuerit ad sententiam exequendam, Officialis processum, qui post adpellationem huiusmodi sententiam interdicti irritam & inanem decreuit, temeratium iudicantes: cùm adpellatione ad nos interpositâ nil debuit innouari. Præterea licèt excommunicationis sententia in Decanum per Episcopum promulgata, ritè lata prima facie videretur, cùm per dictum Officialem esset prohibitum ne seruaretur in Ecclesia interdictum, & Decanus ne celebraretur in Ecclesia prohibendo diuinum videretur officium perturbare: quia tamen per adpellationem ad nos interpositam ex parte Decani, cui etiam Officialis duxerat deferendum, apostolos concedendo, non solùm principale negotium, sed accessoria etiam ad nostrum referebantur examen, eamdem sententiam, post adpellationem promulgatam decernimus viribus caruisse. Verùm licèt Archiepiscopus post adpellationem prædictam, de qua sibi per Officialis literas innotuerat, Decanum denunciauerit euitandum: Senon. tamen Canonicos (qui saniori ducti consilio communicauerunt eidem, vt adpellationi ad nos interpositæ magis, quàm denunciationi ab Episcopo factæ deferrent) inculpabiles iudicamus.

HVIVS cap. species hæc est. Altissiodotensis Episcopus Presbyterum siue Rectorem xenodochij, cuius plenaria dispensatio pertinebat ad Episcopum, quod est de iure, vt *hîc, & cap. significauit, suprà, hoc tit. cap.* III. *infrà, de religios. domib. can. hinc est etiam.* XVI. *qu.* I. Conc. Aurelianens. V. can. XV. & apud Epiphan. hæresi LXXV. Gregor. Nazianz. orat. XX. Theodorit. lib. V. cap. XVIII. Pallad. Hist. Laus. cap. I. detinuit in vinculis, ob res xenodochij furto subreptas. Decanus autem Altissiodorensis, qui contendebat huncce Presbyterum suam ad iurisdictionem spectare quam fortè habebat ex consuetudine, vel priuilegio, *cap. significauit. de conuers. coniugat.* monuit Episcopum, vt sibi redderet, aut saltem recrederet præfatum Presbyterum. Reddere, & recredere sunt diuersa; recredere Forensibus est restituere per modum prouisionis pendente lite, Iuo Carnotens. epist. CCLXXV. *Dicit enim Comes, quòd liben-*

ter reddet, aut recredet Comitem Niuernensem. Et Goffrid. Vindocinens. lib. II. epist. xxx. *Olim Carnotensis Ecclesia boues & oues, vel quæcumque Ecclesiarum prædæ, si caperentur, reddi, aut recredi faciebat.* Vnde & recredentia pro fiduciaria, seu momentaria reformatione possessionis. Episcopus veritus ne Decanus quid in sui detrimentum tentaret, appellauit ad Metropolitanum, id est, ad Archiepiscopum Senonensem, se & suos, vnà & statum Ecclesiæ, ac ciuitatis Metropolitani protectioni submittens. Post appellationem Decanus interdictum promulgauit: ita vt Episcopo præsente à diuinis in Altissiodorensi Ecclesia cessaretur. Interdictum tulit Decanus ex consuetudine præscripta, vel priuilegio, vt de Capitulo fertur in *cap. cùm inter vos, suprà, de consuetud.* Et interdicto ab initio potest modus imponi, putà vt seruetur quamdiu adfuerit Episcopus, vt & interdictum potest ferri quoad certos actus, putà quoad Ecclesiæ ingressum, *cap. is cui. de sentent. excommunic. in* VI. Die appellationi præfixo, cùm vtraque pars adfuisset coram Officiali Senonensi, Decanus ne de omni causa Officialis cognosceret, appellauit ad Sedem Apostolicam. Mox Officialis irritum pronuntiauit interdictum à Decano post appellationem Episcopi promulgatum. Post appellationem Decani Episcopus dictum Decanum excommunicauit, quòd temerè sacris interdixisset. Re cognitâ Pontifex sententiam interdicti à Decano latam post appellationem, irritam iudicauit, quòd pendente appellatione nihil sit innouandum. Nec mouit Pontificem quòd Decanus in sui excusationem quasi variando allegauit, quòd ante appellationem Episcopi protulerat interdictum, cuius effectum ad tempus duxerat suspendendum; quia constabat antequam proferrerut interdictum, Episcopum appellasse: & licèt verum esset quod Decanus allegabat, non potuit interim, id est, appellatione interpositâ, procedere ad sententiam exequendam, quia sententia interdicti vt excommunicationis suspenditur per appellationem, *d. cap. is cui.* Item processum Officialis Senonensis, qui post appellationem interpositam ab Episcopo sententiam interdicti à Decano latam, inanem, & irritam iudicauit idem Pontifex, cùm appellatione interpositâ nihil fuerit innouandum. Præterea idem Pontifex sententiam excommunicationis ab Episcopo in Decanum promulgatam irritam iudicauit, vtpote latam post appellationem à Decano interpositam, cui etiam Officialis duxerat deferendum concedendo apostolos, id est, libellos dimissorios, per quos iudex à quo appellatum est, causam dimittere solet ad eum iudicem ad quem appellatum est, *l. dimissoria. ff. de V. S. l. 1. ff. de libell. dimissor. l. Lucius. de iure fisc.* Nec mouit quòd sententia excommunicationis ab Episcopo promulgata in Decanum, primâ facie ritè lata videbatur, cùm Officialis Senonensis vetuisset, ne interdictum seruaretur in Ecclesia, & Decanus prohibendo ne celebraretur in Ecclesia videretur officium perturbare, quòd interpositâ appellatione nihil fuerit innouandum.

CAPITVLVM LVI.

IDEM MEDIOLAN. ARCHIEPISCOPO.

VT nostrum prodeat de vultu Dei iudicium : .·.·. Iudicibus dedimus in mandatis, vt si post secundum mandatum, per quod totius cognitionem negotij ad nostrum iudicium reuocauimus, traditionem sigilli dicto H. à te cognoscerent esse factam, eam decernerent irritam & inanem, inhibentes illi, ne quomodolibet eo vti præsumeret. Cùm plus sit Romanum Pontificem ad se aliquod reuocare negotium quàm quemquam ad eum super aliquo negotio prouocare.

HOc cap. est pars *cap. vt nostrum, infrà, vt Ecclesiast. benef.* Quæ ambo delibata sunt ex Innocent. III. lib. 1. epist. CCCLXIII. Huius cap. species huiusmodi est: Cùm Cancellaria Mediolanensis Ecclesiæ vltra annum vacasset, ita vt iuxta Lateranensis Conc. statuta, eius collatio esset deuoluta ad S. Pontificem. Pontifex adhuc indulgens Archiepiscopo Mediolanensi mandauit, vt eam conferret Henrico Subdiacono Sedis Apostolicæ, & Canonico Mediolanensi; & si quid aliter de ea disponeretur,

decreuit id irritum & inane. Accepto mandato Pontificis Archiepiscopus sibi non constans primùm respondit se Cancellariam non contulisse, quòd eam sibi reseruasset ad subleuandum æs alienum, cum sibi contrarius dixit se eam contulisse cuipiam. Huiusmodi variatione offensus Pontifex secundo mandato totius negotij cognitionem ad se euocauit. Post euocationem Archiepiscopus Cancellariam contulit Henrico de Lampunia, publicè tradito ei sigillo Capituli. Quamobrem Pontifex mandauit certis iudicibus, vt si à secundo ipsius mandato, quo totius negotij cognitionem ad se reuocauit, traditum dicto Henrico sigillum constaret, traditionem decernerent irritam & inanem, ne eo vteretur prohibentes, cùm plus sit Rom. Pontificem ad se aliquod reuocare negotium, quàm quempiam ad eum super aliquo negotio prouocare. Ab appellatione argumentum ducitur ad euocationem: si quod fit post appellationem nullum & irritum est propter vulgatam regulam, *Pendente appellatione nihil innouandum*, multo magis quod fit postquam Pontifex ad se rem euocauit: maiores vires habet euocatio quàm appellatio. Iudicium soluitur vetante iudicare eo, qui maius imperium in ea iurisdictione habet, *l. iudicium soluitur, ff. de iudic.* Irritum & inane est quicquid gestum est postquam Princeps vel Pontifex ad se negotium reuocauit, vt *hîc, & cap. Ecclesia. 11. vt lit. pendent. nihil innou.* Ita & appositio manus Pontificis afficit beneficium, & ligat manus Ordinariorum, *cap. 11. de prabend. in VI. & cap. si Papa. de priuileg. eod.* Obseruatione dignum, inuestituram Cancellariæ Mediolanensis factam Henrico per traditionem sigilli. Inuestitura officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum varia fit per symbola, putà per annulum *cap. cùm olim, suprà, de re iudicat. c. proposuit. de conceß. prabend.* vel per traditionem libri, Iuoni epist. CLXXXII. & CCLXXXV. vel simul per traditionem libri & sigilli, vt *hîc* in Cancellaria Mediolanensi vsu celebratum fertur ab Innocentio in integra epist. *In secretiore palatij tui Camera eumdem H. secundùm tenorem præscriptum de Cancellaria inuestisti per librum, & recepisti fidelitatem ab eo.* Et paulò pòst, *Adiecit autem vnus vestrûm prædictorum quòd postquam ad te mandatum peruenerat, & ipse H. iam Bononiâ rediisset, tu & solemniter & publicè tradidisti se vidente sigillum, mandans ei vt Cancellarij officium exerceret.* Per sigillum inuestituram Cancellariæ Mediolanensis factam, quasi in tesseram officij credendum est; quòd fortè in eius potestate esset sigillum Capituli, vt in Ecclesia Argentinensi apud Cantorem: Albertus Argentinens. de gest. Bertoldi Episcopi Argentinens. *Spectat autem ad solum Cantorem Capituli conseruare sigillum.* Et vt traditio sigilli fuit idoneum argumentum inuestituræ, ita & fractio sigilli fuit signum depositionis. Innocent. ipse libri 11. epist. XXXVIII. *Abbas Conchensis & ipse à lite spontanea voluntate recessit, & instrumenta fracto sigillo, quo vsus fuerat, in manibus eorumdem iudicum resignauit, & Abbatiam abiurauit.* Matth. Paris ad ann. MCCXIV. *Illis diebus per prædictum Legatum depositus est Radulphus de Arundel Abbas Vuestmonasteriensis in crastino S. Vincentij per N. Abbatem de Vuestham missum ex parte Legati, fracto ipsius sigillo in Capitulo.*

CAPITVLVM LVII.

IDEM ABBATI SANCTI FELICIS, ET G. CANONICO BONON.

OBLATÆ nobis vestræ litteræ continebant, quòd cùm quidam iudices, quibus causa, quæ inter Sambr. & Rinocor. plebes vertebatur, fuerat ab Apostolica Sede commissa, pro plebe Sambriensi sententiam protulissent, & à procuratore plebis de Rinocor. ad nos fuerit sine termino adpellatum, nec delatum adpellationi fuisset, nec ad prosecutionem ipsius terminus à iudicibus partibus adsignatus: plebanus de Sambro super obseruatione prædictæ sententiæ (sicut rationabiliter lata erat) nostras ad vos litteras, & alia pars alias commissionis litteras à nobis super infirmanda eadem postmodum ad alios iudices impetrauit, nullâ in posterioribus litteris de prioribus habitâ mentione. Vnde in dubitationem reuocato, an posteriores iudices, vel vos de illa debeatis

cognoſcere, nos ſuper hoc conſulere voluiſtis: .·.·. Licèt igitur adpellanti legitimè à ſententia indulgeatur annus à lege, aut ex iuſta cauſa biennium ad adpellationem interpoſitam proſequendam: quia tamen huiuſmodi terminus poteſt reſtringi non ſolùm à prouocante, verùm etiam à iudice, à cuius ſententia prouocatur (cùm ideo ſit conſtitutum, non vt terminus ipſe præueniri non poſſit, ſed ne valeat prorogari) credimus diſtinguendum in quo caſu litteræ impetrantur: & quidem quando certus terminus ab adpellante vel à iudice adpellationi præfigitur proſequendæ, ſi eo tacito adpellatus litteras impetrauerit, huiuſmodi litteræ tamquam tacitâ veritate ſubreptæ, obtinere non debent aliquam firmitatem. Si verò non ſit aliquis terminus à iudice vel ab adpellante præfixus, pars adpellata intra terminum conſtitutum à lege (dummodo nimium non præcurrat, vt adpellantem in commiſſione impetranda ſupplantet) commiſſionis litteras poterit impetrare, quarum auctoritate in adpellationis cauſa legitimè procedatur: ita quòd ſi adpellans voluerit in cauſa adpellationis procedere, oportebit eum agere ſub iudice ſic obtento, niſi poſſit eum legitimè recuſare: quòd ſi agere noluerit adpellatus, poteſt nihilominus proſequi cauſam ipſam, maximè ſi ſentiat ſibi ex dilatione imminere grauamen. Superior quoque iudex ſi viderit ex dilatione periculum imminere, poteſt & debet neutro proſequente adpellationem, occurrere, vt periculum euitetur, putà ſi à ſententia lata ſuper confirmatione alicuius electi fuerit prouocatum, & vtraque pars velit etiam ad annum proſecutionem adpellationis differre, poteſt vtique (immo debet) ſuperior iudex, ad quem fuerat adpellatum, terminum prouidè moderari, ne gregi dominico diu deſit cura Paſtoris. Ex his igitur conſultationi veſtræ noueritis eſſe reſponſum, quòd per poſteriores non derogatur prioribus legitimè impetratis, per quas ad confirmandam ſententiam vel infirmandam, præuia poteſt ratione procedi.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt. Quæſtio vertebatur inter plebes, ſeu Eccleſias de Sambro, & de Rinocornadario, coram iudicibus datis à Sede Apoſtolica, à ſententia lata pro plebe de Sambro appellauit procurator plebis de Rinocornadario, ſine termino, id eſt, non præfigens ſibi terminum appellationis proſequendæ cauſa. Plebanus de Sambro pro confirmanda ſententia, litteras impetrauit ad certos iudices, quibus *hoc cap.* inſcribitur. Aduerſarius poſtea alias litteras impetrauit ad alios iudices pro infirmanda eadem ſententia, nullâ in poſterioribus litteris de prioribus factâ mentione. Vnde conſultus Pontifex an poſteriores iudices, an priores deberent de appellatione cognoſcere, reſpondit licèt appellanti detur annus à lege, aut biennium ex iuſta cauſa ad proſequendam appellationem, *cap. cùm ſit Romana. cap. conſtitutus, ſuprà, hoc tit. l.* 11. *l. vlt.* §. *illud. C. de temp. appellat.* quia tamen huiuſmodi terminus poteſt coërceri, non ſolùm à prouocante, verùm etiam à iudice, à quo appellatum eſt, *d. cap. cùm ſit Romana*, cùm tempus huiuſmodi ſit conſtitutum, non vt præueniri non poſſit, ſed ne valeat prorogari, diſtinguendum eſſe quo pacto litteræ impetrentur. Et quidem ſi appellans, vel iudex à quo certum diem præfixerit appellationi proſequendæ, & eo tacito appellatus alias litteras impetrauerit ad alios iudices, huiuſmodi litteræ, quaſi obreptitiæ nullius ſunt momenti. Quòd ſi iudex vel appellans diem non præfixerit appellationi proſequendæ, appellatus intra tempus conſtitutum à lege poteſt impetrare litteras, vt alij iudices dentur, qui de appellatione cognoſcant, dummodo nimium non præcurrat, vt appellantem ſupplantet, putà ſtatim poſt appellationem interpoſitam, nullo dato ſpatio appellanti, quo ſe compararet ad proſequendam

appellationem, nemo debet dolo malo præuenire diligentiam alterius, *can. placuit. n. xvi. qu. iii. l. ii. §. si mater. ii. ff. ad Tertyll.* Quin immò superior iudex ad quem appellatum est, si periculum immineat, neutro prosequente appellationem, putà si prouocatum sit à sententia latâ super confirmatione electi, potest vtique terminum breuiorem præfigere, ne Ecclesia diutius vacet pastore; quo casu etiam lite non contestatâ potest procedi, *cap. quoniam. §. i. suprà, vt lit. non contestat.* Ex quibus concludit Pontifex priores iudices præferri posterioribus in causa appellationis, cùm posteriore rescripto non derogetur priori.

CAPITVLVM LVIII.

PER tuas litteras requisisti, vtrum si post latam sententiam, vel saltem post depositiones testium publicatas fuerit ad Sedem Apostolicam adpellatum, hi qui super hæc delegantur à nobis, si altera partium eorum se noluerit conspectibus præsentare, causam sibi delegatam iudiciali possint calculo terminare. Nos igitur consul. t. taliter respondemus, quòd cùm lis super eodem negocio coram primis iudicibus sit legitimè contestata, poterunt iudices delegati (eo, qui conuenitur, se per contumaciam absentante) cùm eis de meritis causæ liquebit, commissum sibi negocium definire.

IN priori iudicio, seu prima instantia sententia definitiua ferri non potest, lite non contestatâ, *cap. i. & hoc tit. suprà, vt lit. non contest.* In causa appellationis sententia ferri potest etiam lite non contestatâ contra absentem per contumaciam, vt *hic, & cap. interposita. §. vlt. infrà, hoc tit. l. vlt. ff. ad Trebell. l. vlt. §. illud. C. de temp. appell.* Ratio duplex est: prima, quòd litis contestatio quæ habita est in priori iudicio, prorogatur in iudicio appellationis ex *hoc cap.* Litis contestatio facta in priori iudicio prodest in iudicio appellationis, quia idem videtur iudicium appellationis, ac prius iudicium, *l. ita demum. C. de procurat.* Altera, quòd cùm in iudicio appellationis, iniquitas prioris iudicis maximè arguatur, quia appellatio est querela iniquitatis sententiæ prioris iudicis, *l. præfectis. ff. de minorib.* non est rigor iuris, ex quo sequi posset causæ perplexitas requirendus, vt traditum est in *d. cap. interposita. §. vlt.*

CAPITVLVM LIX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

VT debitus honor deferatur iudicibus & litigatoribus consulatur super laboribus & expensis: Statuimus, vt si quis coram idoneo iudice conuenerit aduersarium, ille ante sententiam ad superiorem iudicem absque rationabili causa non prouocet, sed coram illo suam iustitiam prosequatur, non obstante si dicat, quòd ad superiorem iudicem nuncium destinauerit, aut litteras impetrauerit ab eodem priusquam delegato fuerint adsignatæ. Cùm autem ex rationabili causa putauerit adpellandum, coram eodem iudice causa probabili adpellationis exposita, tali videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari, superior de adpellatione cognoscat. Et si minùs rationabiliter eum adpellasse constiterit: illum ad inferiorem remittat, & in expensis alteri parti condemnet: alioquin ipse procedet, saluis constitutionibus de maioribus causis ad Sedem Apostolicam referendis.

IVRE Ciuili ab articulo seu interlocutione appellare non licet, *l. vlt. C. de sentent. & interlocut. l. eos qui. l. oportet. C. de appellat. l. ab executione. l. pen. C. quor. appell. non recip.*

at iure Pontificio ab interlocutoria, & quocumque grauamine licet appellare, *cap. super eo, hoc tit. can. non ita.* II. *qu.* VI. & hoc iure vtimur. Ex Conc. gen. Later. quicumque appellat ante sententiam, id est, ab interlocutione vel grauamine, debet proponere causam appellationis coram iudice à quo, quæ sit probabilis, id est, huiusmodi, quæ si fuerit probata sit legitima, vt definitur *hoc loco.* & hoc iure satis est vt causa appellationis proponatur viua voce sine scripto, sed ex Constitut. Innocentij IV. si appelletur ab interlocutione, causa appellationis proponenda est in scriptis, *cap. cordi, hoc tit. in* VI. Appellans verò à sententia definitiua non tenetur causam appellationis exprimere; sed sufficit si dicat, appello, & iudex debet deferre appellationi, *cap. cùm sit Romana, hoc tit.* & hoc innuitur in *d. cap. cordi*, cùm dicitur, si appelletur à sententia definitiua, ius antiquum seruari. Qui appellat, inquam, debet proponere causam appellationis coram iudice à quo, vt debitus honor deferatur iudicibus, vt fertur initio *huius cap.* Iniuria enim fit iudici ex superuacua, seu iniusta appellatione, *l. vlt. C. quand. prouoc. non est necess.* Eiusdem obsequij argumentum est quòd qui appellat, à iudice, à quo appellatum est, apostolos, seu libellos dimissorios petere debet, *l.* I. *ff. de libell. dimissor. l. dimissoria. de V. S. l. qui suspectum. ff. hoc tit. d. l. eos qui.* §. *vlt. C. eod. & d. cap. cordi.* Iuo Carnot. epist. LXXVIII. *Post appellationem verò intra quinque dies postulabitis litteras ab eo, à quo appellatum est, ad eum ad quem appellatum est, vt diem vtrique parti constituat, in quo causam vestram iudiciali sententiâ terminari præcipiat*, &c. Idem epist. CCXX. *Debet autem ipse appellator, intra quinque dies litteras accipere à iudice, à quo appellatum est, dirigendas ad iudicem ad quem appellatum est, quas qui accipere, aut postulare neglexerit, secundùm statuta legum, ab agendo remouendus est.* Ex eodem Conc. qui agere cœpit coram idoneo iudice, id est, coram iudice ordinario, non debet appellare absque rationabili causa, id est, absque grauamine; sed coram illo ius suum prosequi debet, non obstante si dicat se destinasse nuntium ad superiorem, aut litteras impetrasse, priusquam delegato fuerint præsentatæ. Arreptio itineris vim habet appellationis, quia plus operatur facto prouocare quàm verbo, *cap. dilecti, suprà, hoc tit.* Destinatio nuntij non item, quia hoc pacto non intelligitur quis prouocasse facto vel verbo. Item allegatio rescripti quo dentur alij iudices, non soluit mandatum prioris iudicis, priusquam ei fuerit præsentatum; quia in rescriptis ad lites spectatur tempus præsentationis, *cap. super eo, suprà, hoc tit. cap. Capitulum S. Crucis, suprà, de rescript.* Et qui temerè appellauit, remittitur ad priorem iudicem, & in expensas litis aduersario condemnatur, vt subiungitur *hîc, & cap. interposita.* § *illo denique, infrà, hoc tit.* Iuo Carnotens. d. epist. CCXX. *Quòd si fortè iniustè appellauerit, sumptus quos expendit aduersarius, dum appellationem sequeretur soluere cogendus est.* Immo & qui temerè appellat punitur arbitrio iudicis, vt passim appellandi licentia refrenetur, *d. l. eos qui.* §. *pen.* Quòd si iusta sit causa appellandi, iudex ad quem appellatum est non debet remittere negotium ad priorem iudicem: sed ipse procedet, id est, principalem causam propriâ sententiâ terminabit. Quod dictum est initio *huius cap.* iudicem ordinarium posse procedere in omnibus causis quæ coram eo in iudicium deductæ fuerint, non obstante vlla appellatione, nisi ex causa rationabili fiat, priùs apud eum proponendâ, non derogat constitutionibus, per quas maiores causæ Sedi Apostolicæ reseruantur: quò pertinet clausula illa quæ apponitur in fine *huius cap. Saluis constitutionibus*, &c. Maiores causæ reseruatæ sunt Sedi Apostolicæ, *can. multis.* XVI. *dist. can. ideo. can. qui se scit.* II. *qu.* VI. vt postulatio & translatio Episcoporum, *cap. bonæ memoriæ.* I. *&* II. *de postulat. Prælat. cap.* I. *cap. inter corporalia. de translat.* depositio & restitutio eorumdem, *d. can. ideo. can. quamuis.* III. *qu.* VI. erectio & translatio sedium Episcopalium, *cap.* I. *ne sede vacante. can. temporis qualitas.* VII. *qu.* I. *can. & temporis qualitas.* XVI. *qu.* I. Bernardus Clareuallens. epist. CXXXI. ad Mediolanens. *Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilominus potens plenitudo, si quidem potestatis supra vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est; qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit: potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt; potest eos qui sunt alios deprimere alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit: ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso si necesse visum fuerit.* diuisio & vnio Episcopatuum, *cap. quod translationem, & ibi gloss. de off. legat. cap. sicut vnire. de excess. Prælat.* exemptio Episcoporum à iurisdictione Metropolitani, *can. frater noster.* XVI. *qu.* I. & generaliter exemptio Ecclesiarum, & Mo-

nasteriorum à iurisdictione Ordinarij, *can. quam sit. can. luminoso.* XVIII. *qu.* II. congregatio Conciliorum, *d. can. multis.* decisio quæstionum fidei, *can. quoties.* XXIV. *qu.* I. *cap. maioris. de baptism.* facultas prædicandæ cruciatæ, seu sacri delectus, & redemptio voti transmarini, *cap. ex multa, infrà, de vot. & vot. redempt.* & hoc seruatur in Gallia, vt omnes causæ terminandæ sint apud iudices in partibus, exceptis maioribus causis, quæ sunt reseruatæ Sedi Apostolicæ ex Pragmatic. & Concordat. *tit. de causis.* Nec prætereo *hoc cap.* esse de appellationibus quæ à iudice ordinario deuoluuntur ad superiorem, id est, ad proximum superiorem, putà ab Episcopo ad Metropolitanum. Appellatio fit gradatim, & si appelletur ab Ordinario, appellandum est ad proximum superiorem, *can. placuit.* II. *qu.* VI. Si verò appelletur à delegato, aut est delegatus ad vniuersitatem causarum, qualis est Vicarius Episcopi, ab eo non appellatur ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, *cap. Romana, hoc tit. in* VI. si est delegatus ad causam singularem, ab eo appellatur ad delegantem, *l.* I. *ff. quis & à quo appellet.* Tamen ex speciali iure, omisso medio potest appellari ad Sedem Apostolicam, *can. ad Romanam. can. si quis Episcopus.* II. *qu.* VI. Sed hodie id iuris obsoletum est. A proprio iudice appellatio deuoluitur ad proximum superiorem, nec omisso medio licet appellare ad Pontificem, ex Pragmatic. *tit. de caus.* & Concord. *tit. de friuolis appellat.* & generaliter non licet rectà appellare ad Principem, *l. Imperatores. ff. hoc tit. l. non putabam. de condit. & dem.*

CAPITVLVM LX.

CVM cessante causâ, cesset effectus: statuimus, vt siue iudex ordinarius, siue delegatus aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium grauaretur, & sano vsus consilio ab huiusmodi interlocutionis vel comminationis effectu destiterit, liberè in causæ cognitione procedat, non obstante si à tali comminatione vel interlocutione fuerit adpellatum, dummodo non sit ex alia causa legitima suspectus: ne processus negotij friuolis occasionibus retardetur.

IVDEX non potest retractare sententiam definitiuam, quia postquam sententiam dixit desinit esse iudex, semel functus est officio suo, *l. iudex. ff. de re iudicat.* Potest verò reuocare sententiam interlocutoriam, vel comminatoriam re integra, id est, priusquam executioni mandata sit, etiam ab ea appellatum sit, & si grauamen illatum per interlocutoriam reuocet, potest vlteriùs procedere in causa principali, non obstante appellatione, cùm cessante causâ cesset effectus. Interlocutoria reuocari potest re integrâ, quia non transit in rem iudicatam re integra: interlocutio non habet vim sententiæ, quia plerumque causam non perimit, *l. post sententiam. C. de senten. & interlocut.* Sublato grauamine nihil obstat appellatio, quominus iudex procedat, nisi aliàs sit suspectus, ne processus iudicij friuolis appellationibus retardetur.

CAPITVLVM LXI.

CVM speciali sit prohibitione prouisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissâ, promulgare præsumat. Volentes etiam prouidere, ne fortè commonitus frustratoriæ recusationis vel adpellationis obtentu monentis possit declinare examen: Statuimus, vt si allegauerit se iudicem habere suspectum, coram eodem causam iustæ suspicionis adsignet, & ipse cum aduersario, vel (si fortè aduersarium non habeat) cum iudice arbitros communiter eligat: aut si communiter conuenire non possint, absque malitia ipse vnum, & ille alium eligat, qui de suspicionis causa cognoscant:

& si nequiuerint in vnam concordare sententiam, aduocent tertium: vt quod duo ex ipsis decreuerint, robur obtineat firmitatis: sciántque se ad id fideliter exequendum ex iniunćto à nobis in virtute obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij districto præcepto teneri. Causâ verò suspicionis legitimâ coram ipsis intra competentem terminum non probatâ, sua iurisdictione iudex vtatur. At ipsâ probatâ legitimè de recusatoris adsensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittat vt in eo ipso procedat, secundùm quod fuerit procedendum.

IVRE Ciuili solus iudex delegarus potest recusari, *l. apertissimi*, *C. de indic.* Ordinarius non potest recusari, quia Magistrarus non iudicabant, sed iudicem dabant. Non iudicabant, inquam, nisi de quibusdam causis extra ordinem, quo casu eos recusare fas erat, Nou. Iust. xcvi. Iure Canonico iudex ordinarius vel delegatus potest recusari, vt *hic*, *& cap. secundo requiris, suprà, hoc tit. cap. suspicionis. de offic. delegat. cap. licet. de foro compet.* Recusatio fit porrecto libello iudici, qui recusarur, *d. l. apertissimi.* Iure Ciuili non est exprimenda causa recusationis coram iudice qui recusatur. Olim recusario fiebat simpliciter his verbis: Eiero illum iudicem, quia mihi iniquus est. M. Tull. II. de Orat. *Cùm ei* (loquitur de Scipione) *M. Flaccus multis probris obiectis, P. Mutium iudicem tulisset, Eiero inquit, iniquus est.* Ait eiero, quòd interposito iureiurando fieret reiectio iudicum: sufficiebat iurisiurandi religio; nec erat exponenda, vel probanda causa suspicionis. Quintus Tullius de petit. Consularus: *Vocem audiuimus iurantis, se Romæ iudicio æquo, cum homine Græco certare non posse.* Iure Canonico causa recusationis proponenda est coram iudice, qui recusarur, & probanda coram arbitris, quos partes communi consensu eligere debent; & si non conueniant, quisque eliget suum; & si hi dissentiant, aduocent tertium, ita vt stetur sententiæ duorum è tribus. Causâ verò suspicionis intra competentem terminum non probatâ: Iudicis recusati est electis arbitris præfigere competentem terminum, intra quem de causis recusationis iudicent: suâ iurisdictione iudex vtetur. At causâ recusationis coram arbitris probatâ iudex recusatus de recusatoris assensu potest negotium committere idoneæ personæ; vel ad superiorem remittere, vt ipse procedat, vt ostenditur *hic*, *& in d. cap. secundo requiris. cap. suspicionis, & cap. licèt.* Quod dictum est, iudicem recusatum committere negotium alij, verum est in iudice ordinario, aliud in iudice delegato, quia probatâ recusatione desinit esse iudex, & alius subrogandus est à superiore, *cap. si quis contra Clericum. de foro comp. can. peruenit.* XI. *qu.* I. Hoc iure, iudice recusato eliguntur arbitri, qui de causis recusationis cognoscant, sed Iure Ciuili recusatione factâ eliguntur arbitri litis disceptandæ, & finiendæ causâ, *d. l. apertissimi, & l. vlt. C. de senten. & interlocut.* Et in hoc forrè decepti auctores Iuris Canonici, putarunt hac constitutione eligi arbitros recusationis dispungendæ causâ, cùm disertè eligantur litis disceptandæ causâ.

PORRÒ commonito ad adpellationis obstaculum conuolante, si eius excessus euidentia rei vel ipsius confessione aut alio modo legitimo fuerit manifestus, (cùm adpellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum) non est prouocationi huiusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne friuolæ adpellationis diffugio adpellans iudicis processum impediat, coram eodem probabilem causam adpellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari, & tunc si habuerit aduersarium, intra terminum, secundùm locorum distantiam, & temporis qualitatem, & naturam negotij ab eodem iudice moderandum adpellationis causam prosequatur: quam si prosequi non curauerit, extunc ipse iudex (adpellatione non obstante) procedat, nullo autem aduersario

com-

comparente, tunc iudex ex suo officio procedit. Adpellationis causâ coram superiore probatâ, superior suæ iurisdictionis officium exequatur. Sed si adpellans in eius probatione defecerit, ad eum, à quo ipsum maliciosè adpellasse constiterit, remittatur. Cæterùm has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi, contra suas speciales obseruantias.

Ex Concil. Generali Lateranensi sententia excommunicationis ferri nequit, nisi competenti monitione præmissâ, *cap. sacro, infrà, de sentent. excommun.* quod repositum est initio *huius cap.* id est, trina monitione, *can. omnes decimæ.* XVI. *qu.* VII. *can. de Presbyterorum.* XVII. *qu.* IV. *can. de illicita.* XXIV. *qu.* III. Quòd si commonitus appellet, in notoriis delictis, prouocationi huiusmodi non est deferendum, cùm appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum, in dubiis ne friuolæ appellationis effugio appellans iudicis processum impediat, coram iudice probabilem appellationis causam exponere debet, id est, talem quæ si fuerit probata legitima reputetur; & tunc si aduersarium habuerit, intra terminum à iudice præfixum appellationem prosequi debet, quo cessante iudex non obstante appellatione vlteriùs procedet; deficiente aduersario ex officio procedet: appellationis causâ probatâ superior de causa appellationis cognoscet; sed si appellans stultè appellauerit, ad suum iudicem remittetur. Cæterùm hæ duæ constitutiones præmissæ, id est, quæ continetur in *hoc cap.* & quæ in *d. cap. sacro*, non extenduntur ad regulares. Sicut à correctione Abbatis appellare non licet, *cap.* III. *cap. reprehensibilis, suprà, hoc tit.* sic Abbas vt suspectus recusari non potest. Appellatio & recusatio eodem iure reguntur, quoniam vtraque est prouocationis auxilium, quod eo iuuat, vt declinetur examen iudicis. Vnde hic tit. est *de appell. & recusat.* Hoc interest, quòd appellatio fit post litem contestatam, recusatio ante litem contestatam, *d. l. apertissime, & d. l. vlt.* nisi ex causa suspicionis emergente de nouo.

TIT. XXX. *De confirmatione vtili, vel inutili.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. DECANO PADEBVRN.

CVM dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & sorores Ecclesiæ de Gardeuen. sua cuperent priuilegia innouari: propter viarum discrimina quatuor Episcopis & Abbatibus eiusdem, vt ea inspicerent diligenter, & tenorem ipsorum fideliter transcribentes sub sigillis suis nobis remitterent, duximus iniungendum: .·.·. Nos autem tam Legato, qui sub sigillo proprio ea nostro fecit conspectui præsentari, quàm inquisitoribus ipsis fidem debitam adhibentes, licèt non videremus, quare non deberent eadem priuilegia innouari: quia tamen C. maioris Ecclesiæ, & I. sanctæ Crucis Canonici proposuerunt Hildesemen. Ecclesiam in possessione subiectionis ipsius monasterij per centum annos & ampliùs extitisse, priuilegia ipsa tunc non duximus innouanda. Vnde iudicibus dedimus in mandatis, vt ad locum idoneum accedentes (citatis, qui fuerint euocandi) inquirerent super his diligentiùs veritatem, à quibus pars Hildesemen. Ecclesiæ ad Apost. Sedem adpellauit. Nuper autem iteratò prædicta petiit Abbatissa, quatenus deberemus priuilegia suæ Ecclesiæ renouare. Ex aduerso verò fuit postulatum, vt causam ipsam discretis viris committere dignaremur, qui testes reciperent, quos contra

priuilegia monasterij, & ad probandum præscriptionem legitimam inducere proponebant. Nos igitur attendentes, quòd Iure sit Ciuili statutum, vt quando periculum testium formidatur, ne veritas occultetur, & probandi copia fortuitis casibus subtrahatur, etiam lite non contestatâ testes valetudinarij, & alij de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, ad testimonium admittantur: eiusdem æquitatis similitudine prouocati, prædicta priuilegia quasi iam nimia vetustate consumpta, cùm fuerint non in pergameno, sed in papyro conscripta, duximus innouanda: nolentes, quòd ex innouatione huiusmodi nouum ius monasterio adquiratur, sed antiquum (si quod habet) per innouationem priuilegij conseruetur. Quia verò præfatum monasterium ad ius & proprietatem Apost. Sed. per priuileg. præd. no. pertinere monstratur: ne ius Ecclesiæ Romanæ remaneat indefensum, eamdem Abbatissam procuratricem ipsius duximus statuendam: vt cùm aduersus Romanæ Ecclesiæ possessiones, & iura non nisi centenaria currat præscriptio, ipsa super hoc & aliis vice nostra procuret, quæ coram te in iudicio fuerint procuranda. Nolentes igitur, quòd de statu eiusdem monasterij diutiùs dubitetur, mandamus, quatenus locum tutum & commodum eligens, recipias testes, quos ad præscriptionem probandam Hildesemen. Ecclesia, vel ad interruptionem ostendendam cœnobium duxerit producendos: & si legitimam præscriptionem probauerit, vt intendit, nisi probata fuerit interruptio ex aduerso, subiectionem ipsius monasterij adiudices Episcopo memorato, cùm constet ipsum in sua diœcesi constitutum; priuilegium, quod monasterio innouari fecimus, corrumpendo: alioquin eidem super hoc perpetuum imponens silentium, monasterium pronuncies perpetua libertate gaudere, nostro sibi priuilegio resignato.

HVIVS cap. species hæc est: Cùm Abbatissa & Moniales cœnobij de Gardeuen. L. Gandesheimensis, id nomen monasterio virginum Hildeshemensis diœcesis in Saxonia, in quo claruisse fertur Rosuida sacrarum & secularium literarum peritissima; de qua Albertus Krantzius Metropol. lib. vi. cap. xx. & Trithem. in Chron. Hirsaug. ad ann. DCCCCXXX. Cùm, inquam, Abbatissa & Moniales huiusce monasterij expeterent priuilegia sibi à Sede Apostolica concessa innouari, id est, in nouas tabulas referri, quòd vetustate, & situ confecta essent, propter viarum discrimina, id est, periculum quod imminebat, ne in via interciperentur, quatuor Episcopis & Abbatibus totidem iniunxit, vt ea diligenter exscripta, & sigillis suis obsignata missitarent; quod ab ipsis factum est, & à Guidone Prænestino Episcopo, tum Apostolicæ Sedis Legato in Germania, & postea Rhemensi Archiepiscopo. Sed quia Hildeshemensis Episcopus contendebat monasterium sibi tum lege diœcesana, cum centenaria præscriptione sibi esse subiectum; mandauit quibusdam iudicibus, vt loco congruo, & vocatis qui erant vocandi, inquirerent de rei veritate. Inquisitio scilicet debet fieri loco idoneo, vbi adest copia testium, qui sunt rei compotes. *cap. scriptum, suprà, de elect.* A quibus appellauit Hildeshemensis Episcopus. Post appellationem iterum Abbatissa petijt priuilegia innouari: Ex aduerso Hildeshemensis, vt causa ipsa discretis viris committeretur, qui testes reciperent quos contra priuilegia monasterij, & ad probandam præscriptionem producturus erat. Pontifex igitur attendens quòd Iure Ciuili, vbi periculum subest, ne testium copia depereat, testes senes, & valetudinarij audiuntur etiam lite non contestatâ, *l. in lege. ff. ad l. Aquil. cap. quoniam, suprà, vt lit. non contestat.* Eadem ratione prædicta priuilegia, quasi iam vetustate consumpta duxit innouanda, ita vt ex innouatione huiusmodi nouum ius non quæratur, sed antiquum

conferuetur: innouatio priuilegij nouum ius non tribuit, fed antiquum conferuat, *cap. ex parte. cap. quia intentionis, infrà, de priuileg.* Quia verò præfatum monafterium ad ius & proprietatem Sedis Apoftolicæ ex priuilegiis prædictis pertinere conftabat, ne ius Ecclefiæ Romanæ maneret indefenfum, Pontifex ipfam Abbatiffam in hanc rem procuratricem conftituit. Quod iuri minimè fuit incongruum. Licèt enim fœmina procuratoris officio fungi nequeat in re aliena, *l.* VI. *de Reg. iur.* nihil vetat eas procuratrices exiftere in re propria, vel communi cum alio, quia magis fuum negotium gerere videntur, quàm alienum. Idémque Pontifex mandauit Decano Paderburnenfi, cui *hoc cap.* infcribitur, vt fi receptis teftibus probetur, Epifcopum Hildeshemenfem niti præfcriptione non interrupta C. annorum, quæ fola opponi poteft Romanæ Ecclefiæ, *cap. cùm nobis. de præscript.* fubiectio monafterij adiudicetur Epifcopo. Iubetur corrumpi priuilegium præfcriptione temporis amiffum, quo recidiuæ litis materia tollatur: eodem confilio etiam iuftas fifci actiones, id eft, rationes fifci concremari, quòd fuis temporibus prolatæ non fint, præcepit Conftantinus in *l.* VI. *C. de iur. fifc.* & vbi remittebantur reliqua vectigalium beneficio Principis, ipfi codices vectigalium igni tradi folebant. Aufon. in Panegyr. Gratian. *Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere iußisti. Videre in fuis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem falubris incendij.* Et Gregor. Tur. lib. V. cap. XXXIV. *Hac effata Regina* (Fredegundis) *pugnis verberans pectus, iußit libros exhiberi, qui de ciuitatibus fuis per Marcum venerant, proiectóſque in ignem iterum ad Regem* (Chilpericum) *conuerfa, Quid tu, inquit, moraris. fac quod vides à me fieri, vt & fi dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus certè tradidit omnes libros defcriptionis igni, conflagratiſque illis, mifit qui futuras prohiberent defcriptiones.* Alioquin faluo priuilegio monafterium pronuncietur liberum, & exemptum.

CAPITVLVM V.

IDEM EPISCOPO, ET PRÆPOSITO VTICEN.

AD noftram audientiam Præpofito Nemaufen. Ecclefiæ fignificante peruenit, quòd quidam Canonici Nemaufen. Ecclefiæ à nobis litteras confirmationis fuper adminiftrationibus fuis obtinere laborant, religionis fuæ conditione fuppreffa. Cùm igitur regularibus perfonis non confueuerit Apoftolica Sedes aliqua perfonaliter confirmare: mandamus, quatenus confirmationes, quas ab ipfis Canonicis (cùm regulares exiftant) noueris taliter impetratas, denuncieris irritas & inanes.

CAPITVLVM VI.

PORRECTA nobis ex parte tua petitio continebat, quòd plures ex religiofis, qui prioratibus & aliis adminiftrationibus præfunt, à nobis fuper ipfis, quoad vixerint, poffidendis confirmationis litteras fe adferunt impetraffe: .·.·. Cùm igitur à Cancellaria noftra huiufmodi litteras emanaffe non credamus: mandamus, quatenus illos, qui tales litteras exhibuerint, in quibus prioratus vel adminiftrationes, tamquam religiofis confirmantur, eofdem punias, tamquam falfitatis auctores. Si verò in eis non fit mentio religionis ipforum, illas tamquam tacita veritate fubreptas denuncies non valere.

OLIM collegia Canonicorum in Epifcopalibus Ecclefiis, vt plurimum erant regularia, vt in Ecclefia Nemaufenfi in *hoc cap. ad noftram*, & in Burdigalenfi, & Tolofana *cap. præterea, infrà, de præbend.* & in Auxitana, *cap. quanto. de offic. ordinar.* & in Gratianopolitana, *cap. per tuas. de vot. & vot. redempt.* Poftremis feculis quamplura

Canonicorum collegia desierunt in secularia: vnde secutum, vt cæteri qui à priori statu non defecerant, non simpliciter Canonici, sed Canonici regulares distinctionis causâ vocarentur, licèt vtrumque idem significaret. Canonici Nemausensis Ecclesiæ, quæ est species *huius prioris capitis*, litteras confirmationis Prioratuum, seu administrationum suarum à S. Pontifice per obreptionem impetrarunt, suppressa religionis suæ conditione. Re auditâ, declarauit Pontifex huiusmodi litteras confirmationis esse irritas, & inanes tamquam obreptitias, cùm non consueuerit Apostolica Sedes regularibus Prioratus vel administrationes in perpetuum personaliter confirmare, cui congruum est quod statuitur in *cap. sequent.* Huiusmodi litteras confirmationis Prioratuum, vel administrationum esse falsas, si impetratæ sint eo expresso quòd sint regulares; quia non consueuit Pontifex regularibus Prioratus, vel temporales administrationes, in perpetuum, seu ad vitæ tempus confirmare. Si verò suppressum sit eos esse regulares, litteras esse obreptitias: nimirum Prioratus, seu cellæ regulares non sunt beneficia propriè & sui natura, sed nudæ & simplices administrationes, quæ ad nutum Abbatis dantur & reuocantur: vnde obedientiæ dictæ, & ne in perpetuum dentur vetatur *cap. cùm ad monasterium, infrà, de stat. Monachorum*, vbi hac de re opportuniùs dicemus.

EX LIBRO TERTIO DECRETALIVM.

TIT. I. *De vita & honestate Clericorum.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS III. PRÆLATIS, ET CLERICIS LOMBARDIÆ.

CVM ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere: .·.·. Sanè ad audientiam Apostolatus nostri peruenit, quòd cùm ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas; more secularium super decima litis, vel parte alia pro diuersa terrarum consuetudine præter expensas victualium cum litigantibus receptis pignoribus, pro salario conuenitis. Nos attendentes, quòd ad hoc vobis & aliis Clericis sint Ecclesiastici redirus depurati, vt ex ipsis honestè viuere debeatis: .·. Ideóque mandamus, quatenus ab huiusmodi exactionibus de cætero abstinentes vigorem iudiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri, non obstante quòd in fraudem à quibusdam proponitur, quòd id exigatur nomine adsessorum: cùm nec iustum iudicium iudici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

CLERICI iudices dati à Summo Pontifice, vetantur eo nomine quidquam exigere, vel de salario pacisci: gratuitò enim iudicum officio defungi debere, cùm eis abunde sint reditus Ecclesiastici ex quibus honestè se tueri & alere possint. Notatur hoc loco corruptela Prælatorum & Clericorum Lombardiæ, qui cùm ex mandato Pontificis causas disceptandas susciperent, more secularium iudicum de decima, vel alia quota litis, pro diuersa regionum consuetudine, præter sumptus victualium, cnm litigantibus de mercede pactiones inibant, captis pignoribus; quod vetatur etiam Iure Ciuili, *l.* 1. §. *si cui cautum, ff de extraord. cognit.* Nec excusatur noxa pactionis, quòd id de quo paciscebantur acciperetur nomine assessorum, cùm nec iustum iudicium iudici vendere liceat. Augustin. epist. LIV. *Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vendit Aduocatus iustum patrocinium, & Iurisperitus verum consilium. Illi enim inter vtramque partem ad examina adhibentur, illi ex vna parte consistunt.* Quod à Gratiano repetitum est duobus locis in *can non licet* XI. *qu.* III. *& can. non sane* XII. *qu.* II. More secularium iudicum Clerici pro impensis patrociniis xenia accipere vetantur, vt Tarraconens. Conc. can. X. *can. obseruandum.* XV. *qu.* II. Contradictas sportulas vetat Conc. Vernens. can. XXV. *Vt nullus Episcopus nec Abbas, nec laicus, propter iustitiam faciendam sportulas contradictas accipiat, quia vbi dona intercurrunt iustitia euacuatur.* Excipiuntur esculenta & poculenta vltrò oblata, & quæ paucos intra dies consumi possint, *cap. statutum* §. *insuper. de rescript in* VI. quod desumptum ex *l. solent.* §. *vlt. ff. de offic. Proconsul.* Malè audiuit Paulus Samosatenus, auctore Dionysio Alexandrino apud Euseb. lib. VII. cap. XXIV. quòd ad maximas opes peruenerit, pietatem ducens in quæstu, πορισμὸν ἡγούμενος τὴν θεοσέβειαν, & munera emungendo à litigantibus, [illegible]

ἐπιμένοντα πρὸς τὸ διδόναι, ὥστε ἀπαλλαγῆναι τῶν ἐνοχλούντων *Frustra fructum colligens ex facilitate litigatorum ad dandum, vt liberarentur ab his qui eos vexabant.* E diuerso maximam laudem tulit Syluanus primùm Philippopolis, tum Troadis Episcopus, quòd cùm è litibus Clericos lucrum captare videret, eos iudices esse vetuerit, & quempiam è fidelibus laïcis iudicandi officio addixerit; Socrat. lib. VII. cap. XXXVI. ἐπειδὴ γὰρ τοὺς κληρικοὺς ἐμπορίαν ποιουμένους, τὰς τῶν διαφερομένων ἐριστικίας, οὐδένα τῶν ἐκ τοῦ κλήρου δικαστὴν ἐπεδίδου ποτε, ἀλλὰ τὰ βιβλία τῶν δεομένων δεχόμενος, καλεῖ ἕνα τῶν πιστῶν λαϊκῶν, ὃν ᾔδει φιλοῦντα τὸ δίκαιον, ἐκείνῳ ἐγχειρίσας τὴν ἀκρόασιν τοὺς διαφερομένους τῆς φιλονεικίας ἀπήλλαττεν. *Nam cùm Clericos ex litigantium controuersiis quæstum facere videret, deinceps neminem ex Clero iudicem esse permisit, sed acceptis supplicantium libellis, vnum ex fidelibus laïcis, quem æquo & bono fauere pro certo cognosceret, causarum cognitioni præfecit, sicque litigantes contentione, & controuersia liberauit.*

CAPITVLVM XI.

IDEM LIVONIEN. EPISCOPO, ET EIS, QVI CVM IPSO SVNT FRATRIBVS.

DEVS qui Ecclesiam suam nouâ semper prole fœcundat: .·.·. Ne igitur, si dispar in vobis obseruantia fuerit, & dissimilis habitus, apud eos, quibus vnum Euangelium prædicatis, scandalum suscitetur: Mandamus, quatenus eo non obstante, quòd inter vos Monachi sunt, & Canonici regulares, vel alij etiam regularem vitam sub alia districtione professi, omnes pariter in vnum regulare propositum & honestum habitum, quantum ad hoc spectat, officium conformetis.

LIVONIA, quæ contributa est regno Poloniæ, tempore Innocentij III. ad Christianam fidem maxima ex parte feliciter conuersa, vt colligitur ex *hoc cap. & cap. vlt. infrà, de diuort. & cap. Deus qui. de pœnitent.* quæ sunt partes *huiusce cap.* Monachi verò & Canonici regulares eò missi ad propagandam fidem, quia erant diuersi habitus, Canonicorum scilicet regularium proprium schema est linea tunica, & byrrus; Monachorum cuculla: vnde ne Canonici cucullas Monachorum induant vetat Conc. Aquisgranens. cap. CXXV. Et si fortè Canonicus regularis transierit ad Monachos, reuocatur & pœnæ causâ reiicitur in imum chori, & memorialem cucullam, id est, defectionis ad memoriam, cucullam ferre iubetur, *can. mandamus.* XIX. *qu.* III. *cap. intelleximus, suprà, de ætat. & qualit. præfic.* Iubet Pontifex *in hoc cap.* vt Monachi & Canonici regulares in hac prouincia pari & honesto schemate vtantur, ne populi recèns Christiana fide initiati dispari cultu vestium scandalizentur. Neophyti facilè conturbantur, & habenda est ratio nouitatis Ecclesiæ, *d. cap. Deus qui. de pœnit.*

CAPITVLVM XII.

CVM decorem domus Dei: .·.·. Interdum ludi fiunt in Ecclesiis theatrales, & non solùm ad ludibriorum spectacula introducuntur in eis monstra laruarum, verùm etiam in aliquibus festiuitatibus Diaconi, Presbyteri, ac Subdiaconi insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt: .·.·. Frat. v. mandamus, quatenus ne per huiusmodi turpitudinem Ecclesiæ inquinetur honestas, prælibatam ludibriorum consuetudinem, vel potiùs corruptelam, curetis à vestris Ecclesiis extirpare.

HIs temporibus ludi theatrales solebant fieri in Ecclesiis, & ad ludibrium introducebantur monstra laruarum: verùm etiam nonnullis in festiuitatibus Clerici insaniæ suæ ludibria exercebant, id est, personati seu laruati procedebant in Ecclesia; quæ consuetudo, seu potiùs corruptela damnatur *hîc*, ne per huiusmodi turpitudinem Ecclesiæ coinquinetur honestas. Eadem consuetudo iam olim irrepserat in Ecclesia Constantinopolitana, vt Clerici laruati luderent in Ecclesia in die Natalis Christi, & Luminarium, amictu Monachorum, vel militum, vel variorum animalium specie: quam consuetudinem notat Balsamo in can. LXII. Synod. VI. in Trullo, ἀλλὰ καὶ τινὲς κληρικοὶ κατά τινας ἑορτὰς, πρὸς διάφορα μετασχηματίζονται πρόσωπα, καὶ ποτὲ μὲν ξιφήρεις ἐν τῷ μεσαιτάτῳ τῆς ἐκκλησίας μετὰ στρατιωτικῶν ἀμφίων εἰσέρχονται, ποτὲ δὲ καὶ ὡς μοναχοὶ προέρχονται, ἢ καὶ ὡς ζῶα τετράποδα. *Sed & quidam Clerici in quibusdam festis varias personas suscipiunt, & effingunt, & aliquando quidem ense cincti cum militaribus vestibus, in Ecclesia meditullium ingrediuntur: aliquando verò vt Monachi progrediuntur, & vt quadrupedia animalia.* Eamdem labem Ecclesiæ variis Conciliis insectati sunt Latini, & hoc est quod dicitur vetola, vel ceruolo ludere. Synod. Altissiodor. can. I. *Non licet Kalendis Ianuarij vetola, aut ceruolo facere, vel strenas diabolicas obseruare, vel vrso ludere.* Conc. Nannetens. *Nullus Presbyterorum, aut turpia ioca, vel vrso, vel tornatricibus ante se fieri patiatur. Can. nullus.* XLIV. *dist. can. nullus. de consecr. dist.* V. Vetantur etiam Clerici turpes ludos vrso vel tornatricibus facere, id est, torneamenta, seu ludos equestres & hastiludia, quæ vulgò torneamenta à Latino-barbaro tornare, quo vsus est ipse Augustin. lib. I. contra litteras Petiliani cap. LXXXIX.

Non solùm fustes tornare, sed etiam ferrum librare, & fundas circumagere didicerunt. Eiusdem ætatis probrum fuit, quòd in diebus solemnibus Paschæ, & Pentecostes solebat vna è meretriculis Clericorum regina creari, quæ porpurâ amicta, & coronâ redimita in sublimi solio collocabatur, & circum quam non sine idololatria per totum diem choreæ ducebantur. Ægid. aureæ vallis, de gest. Leodiens. cap. XL. *Sacerdotes quippe cateraque Ecclesiastica persona cum vniuerso populo in solemnitatibus Pascha, & Pentecostes, cùm sanctam deuotiùs aliis diebus Ecclesiam frequentare, & Deo seruire tenerentur, aliquam ex concubinis Sacerdotum purpuratam, ac diademate renitentem, in eminentiori solio constitutam, & cortinis velatam, Reginam creabant, & coram ea assistentes in choreis, tympanis, & aliis musicalibus instrumentis tota die psallebant, & quasi idololatra effecti ipsam tamquam idolum colebant.* Ait *monstra laruarum*, Nanoetense Conc. locis modò laudatis *laruas damonum*. Addit Burchard. lib. II. cap. CLXI. *quas vulgò Talamascas dicunt*, nostri *Masques*. Non prohibentur autem Clerici pia spectacola edere, veluti Natiuitatis Christi, adorationis Magorum, infanticidij Herodiani, & Passionis Christi, quia hæc magis prosunt ad pietatem excitandam, quàm ad voluptatem, vt ait gloss. hoc loco, quam sequuntur interpretes passim.

CAPITVLVM XIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

VT Clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter & castè viuere studeant vniuersi, præsertim in sacris Ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcauentes, maximè illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde, ac mundo corpore valeant ministrare. Ne verò facilitas veniæ, incentiuum tribuat delinquendi, statuimus, vt qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minùs peccauerint, puniantur secundùm canonicas sanctiones, quas efficaciùs & districtiùs præcipimus obseruari: vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato. Si quis igitur hac de causa suspensus præsumpserit celebrare diuina: non solùm Ecclesiasticis beneficiis spolietur, verùm etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur. Prælati verò, qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maximè obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis: pari subiaceant vltioni. Qui autem secundùm regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, grauiùs puniantur, cùm legitimo matrimonio vti possint.

EX Concil. generali Lateranensi Clerici castè & continenter viuere debent, maximè in sacris ordinibus constituti. A prioribus seculis nuptiæ interdictæ Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, permissæ verò sunt inferioribus Clericis, Conc. Carthag. V. can. III. *can. placuit.* XXXII. *dist. can. cum de quorumdam.* LXXXIV. *dist.* Hinc Episcopi, Presbyteri & Diaconi, cùm ordinabantur, segregabantur ab vxoribus. Hieronym. ad Pammach. *Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium in aternum pudici*, & idem adu. Vigilant. *Quid facient Orientis Ecclesia, quid Ægypti, & Sedis Apostolica, qua aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint mariti esse desistunt.* De Episcopis illud non negabat vel impurissimus Iouinianus. Idem Hieronym. lib. I. aduersus ipsum. *Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui filios faciat, alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Postea nuptiarum prohibitio producta est ad Subdiaconos. *can. ante triennium.* XXXI. *dist. can. omnium. can. multorum.* XXXII. *dist.* Idque maximè ex quo Subdiaconatus accensus est sacros inter ordines à Gregor. I. *can. nullum.* XXVIII. *dist. can. miramur de seru. non ordinand.* Vt Clerici omnis incontinentiæ labis expertes sint, cauetur eodem Conc. maximè sodomiticæ ob quam exarsit ita Dei in filios diffidentiæ. Turpius est flagitium quod contra naturam perpetratur, *can. flagitia.* XXXII. *qu.* VII. Nec ipsum nominandum, vnde illud per extraordinarias voluptates intelligit Hieronym. in *can. in eo.* XXXII *qu.* IV. Ne verò facilitas veniæ materiam tribuat peccandi, si qui Clerici deprehensi fuerint in venere, puniuntur pro modo delicti, putà stupri, vel adulterij; & suspensus hac de causa celebrans fit irregularis, nec modò Ecclesiasticis beneficiis spoliatur, verùm etiam in perpetuum deponitur, id est, à gradu submouetur, vt *hîc, & cap. Clerici. cap. latores, infrà, de Cleric. excommunic. ministr.* Prælati verò qui talibus indulserint acceptâ pecuniâ, vel aliâ re, pari pœnâ plectuntur. Et qui ex consuetudine regionis non abdicarunt vxorem, si fortè lapsi sint, grauiùs puniuntur, cùm legitimo matrimonio vti possint: intellige Orientales, apud quos ex Synodi VI. in Trullo can. XIII. Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis vxores ante ordinationem ductas retinere, & earum consuetudine vti licet, dummodo his abstinerent, κτ' τὸν ἴδιον ὅρον, *secundùm proprios terminos*, id est, tempore quo sacra faciebant, *can. quoniam.* XXXI. *dist.* Quem modum antè imposuit Synod. Carthag. can. LXXIV. & hoc iure vtuntur Orientales, aliter ab Occidentalibus. *can. aliter.* XXXI. *dist. cap. cum olim, infrà, de Cleric. coniugat.*

Capitvlvm XIV.

A Crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant: vnde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur: cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit: nisi à Superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.

Eodem cauetur Conc. vt Clerici à crapula & ebrietate abstineant, neque ad bibendum se inuicem prouocent; & damnatur abusus, quo compotatores ad potus æquales se obligant, id est, sibi propinando, seu porrigendo pocula inuicem paribus poculis decertant, quo in genere certaminis plus laudatur, qui plures inebriat, id est, bibendo vincit, & fœcundiores calices exhaurit. Vetantur propinationes inter Clericos, ebrietatis & temulentiæ vitandæ causâ; quò pertinet illud, ne Clerici ad pinnas bibant, id est, paribus poculis, ducta metaphora à volatu auium, quæ paribus pinnis, id est, æqualiter expansis alis volitant. Synod. Londinens. habita anno MCII. præside Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo apud W. Malmesbur. lib. 1. de gest. Pontif. Anglor. *Statutum est inter alia, vt Presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant.* Eodem consilio, id est, Clericalis temperantiæ restituendæ gratiâ, vetantur Clerici ne conuiuia celebrent, *ἐκ συμβολῆς*, ex collatione seu ære collato. Synod. Laodicens. can. LV. *can. non oportet.* XLV. *dist.* Tenuiores scilicet solebant inire epulas ex symbolis, vt sumptui parcerent. Io. Chrysostom. Homil. XI. ad Antiochenos, *ποιῶμεν ἑταιρείας, καὶ συμμορίας, καὶ ὅπερ ἐπὶ τῶν συμποσίων οἱ πένητες ποιοῦσιν, ἐπειδὴ αὐτοὶ ἕκαστος ἰδίᾳ τὸ ὁλόκληρον φιλοτιμεῖσθαι οὐ δύνανται, συνελθόντες ἅπαντες ἐξ ἐράνου τὴν εὐωχίαν ἀπαρτίζουσι, τοῦτο καὶ ἡμεῖς ποιῶμεν.* *Faciamus sodalitia & classes, & quod in conuiuiis pauperes faciunt, quoniam non potest quisque solus conuiuium exhibere perfectum, conuenientes omnes in vnum ex symbolo conuiuium conferunt, hoc & nos faciemus.* In eandem sententiam vetantur & Clerici bibere in Gilda, id est, in collegio Sodalium. Anselm. Cantuar. lib. II. epist. VII. *De domino Henrico, qui Camerarius fuit, audio quia in multis inordinatè se agit, & maximè in bibendo, ita vt in Gildis cum ebriosis bibat, & cum eis inebriet.* Et mox: *Ne postquam hanc nostram prohibitionem agnouerit, amplius in Gilda, aut in conuentu eorum, qui ad inebriandum solùm conueniunt, vinere audeat.*

Ouid. 2. Metamorph. *Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis.*

Capitvlvm XV.

Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maximè inhonesta. Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant. Et tabernas prorsus euitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem. Et se in officiis Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter. Clausa deferant desuper indumenta nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut sotularibus consuticiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant; sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio & personatibus constituti: nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec anulos: nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis, omnes vtantur: nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. Palliis diffibulatis non vtantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.

Varia continet *hoc cap.* quod desumptum est ex eodem Conc. Lateranensi, quæ pertinent ad honestatem Clericorum, sic vocitauit ea ætas congruens vitæ institutum. Victor Vticensis de persecut. Vandal. lib. III. *Vbi societatis vincula, quæ inter nos dudum honestatis iure tabula publica fecerunt.* Et Petr. Cellens. lib. VII. epist. XXI *Maximum argumentum est honestatis & religionis ad se vocare, & iuxta se statuere alumnos & cultores bona conuersationis.* Singula huius capitis paulò diligentiùs expendenda erunt. Clerici officiis & commerciis secularibus abstinere debent maximè inhonestis, putà officio Vicecomitis, seu Præpositi, *cap. Clericis, infrà, ne Cleric. vel Monach.* vel negotiatione & mercatura. *can. negotiatorem.* LXXXVIII. *dist.* Clerici negotiari vetantur, & negotiantes si post trinam monitionem non abstineant, ipso facto amittunt priuilegium clericale. *cap. vlt. hoc tit.* optima ratione, quòd negotiatio valde aliena sit à Clericis propter fraudem & periurium qui-

bus passim patet. Vnde negotiatores in infima classe fidelium locantur, quòd longè omnium absint à perfectione Euangelica. Epiphan. in calce Panar. ἐκκλησία ἐμπορευτὰς οὐκ ἀποδέχεται, ἀλλὰ ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. *Ecclesia negotiatores non recipit, sed infimos omnium constituit.* Et Io. Chrysostom. Homil. XXII. in Matth. vbi respici iubet volatilia, quæ non cauponum & negotiatorum more victitant, ταῦτα γὰρ τῶν σφόδρα ἀπηλπισμένων ἐστί. *Hæc enim desperatorum omnino professio est.* Cæsareis Constitut. Clerici non remouentur à mercatura, honestati tamen conscia, *l.* 11. *C. de Episc. & Cleric.* iidem vetantur *hoc cap.* mimis, ioculatoribus, & histrionibus intendere, id est, ludis scenicis interesse. Ioculatores sunt mimi, & histriones qui iocis & facetiis vulgus oblectant, vt *hîc, & cap. vn. hoc tit. in* VI. *cap.* I. *vt Cleric. vel Monach. can. Clericum.* XLVI. *dist.* Multo magis prohibentur Clerici histrioniam exercere, *cap. cùm decorem, suprà, hoc tit.* ob infamiæ labem & scandalum: nimirum famosi sunt, qui ludi causâ in scenam prodierint, *l.* II. *§. vlt. ff. de his qui not. infam.* Arnob. adu. gentes lib. VII. *Itane istud non est deorum imminuere dignitatem, dicare & consecrare turpissimas res eis, quas censor animus respuat, & quarum actores inhonestos esse ius vestrum, & inter capita computari iudicauit infamia, mimis nimirum dij gaudent.* Et Augustin. de Ciuit. Dei lib. II. cap. XIII. *Ecce enim rectè quisquis ciuium Romanorum esse scenicus elegisset, non solùm ei nullus ad honorem dabatur locus, verùm etiam Censoris notâ tribum tenere propriam minimè sinebatur.* Apud Græcos ars scenica in laude fuit. Liuius lib. XXIV. de Aristone Tragico. *Huic & genus & fortuna honesta erant; nec ars, quia nihil tale apud Græcos pudori est, ea deformabat.* Nec turpe fuit apud eos etiam quæstus causâ artem exerceri. Cornel. Nepos de vit. Imper. in præf. *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta. magnis in laudibus totâ fuit Græciâ, victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini.* Iidem vetantur cauponam ingredi, nisi necessitatis causâ in itinere, vt subiungitur *hîc, & can. Clerici,* XLIV. *dist.* Auctor Serm. ad Fratres in Erem. *Non enim debet qui animarum curam gerit, transire de domo in domum, non frequentare forum cum rusticis, non mercantias acquirere, non commatres procurare, non ligonizare, non tabernas intrare, non discurrere, nisi necessitate compulsus.* Non licet etiam Clericis cauponam habere. Synod. VI. in Trull. can. IX. *can. nulli Clerico. ead. dist.* id est, exercere, ἐνεργεῖν, vt interpretatur Balsamo. Nec abs iure: caupones enim infamia non carent. Greg. Nazianz. epist. VI. τοὺς καπήλους, καὶ ὅσα αἱ πόλεις μοχθηρὰ φέρουσιν. *Caupones & quicquid vrbes turpe habent.* Iidem prohibentur alea & taxillis ludere & huiusmodi ludis interesse, vt exponitur *hîc*, quod antè statutum est, *l. vlt. C. de episc. aud.* & Syn. VI. in Trull. can. L. Adeóque aleatores arcentur à sacris ordinibus. *cap. vlt. dilectos. de excess. Prælat.* Notandum est quod sequitur, vt Clerici coronam, & tonsuram habeant congruentem: nimirum coronam Clericorum, quo pateat, latiorem esse oportet. Synod. Tolet. IV. can XI. *Omnes Clerici vel lectores sicut Leuitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant, non sicut huc vsque in Gallicia partibus facere videntur, qui prolixis vt laici comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispaniis huc vsque hæreticorum fuit.* Et Synodus Londinens. apud W. Malmesbur. lib. I. de gest. Pontif. Anglor. *Item vt Clerici patentes coronas habeant.* Coronæ Clericalis formam satis intelliges ex natiua corona Nicetij Treuirensis Episcopi, quam depingit Gregor. Tur. de vita Patr. cap. XVI. apud Sur. I. Octobr. *Igitur S. Nicetius Episcopus, ab ipso ortus sui tempore Clericus designatus est: nam cùm partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam.* Nimirum corona Clericorum toto vertice patebat, limbo capillorum circum orbem capitis distincta, qualis est hodie corona Monachorum. Hoc more Theodorum Monachum Græcum, qui erat tonsus ad cutem ritu Orientalium, à Vitaliano Papa ordinatum, quoad illi capillus cresceret sustinuisse, qui in coronam attonderi posset, tradit Beda lib. IV. Hist. cap. I. *Qui subdiaconus ordinatus quatuor expectauit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset: habuerat enim tonsuram more Orientalium S. Pauli Apostoli.* Hinc decurtatam coronam Scotorum, quali vsum fertur Simonem Magum, damnat idem Beda lib. V. cap. XXII. *Cæterùm tonsuram eam quam Magum ferunt habuisse Simonem, quis rogo fidelium non statim cum ipsa magia primò detestetur, & meritò exsufflet, quæ aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre; sed vbi ad ceruicem considerando perueneris decurtatam eam, quam te videre putabas inuenies coronam.* Latiore corona vsi Clerici etiam postremis seculis. Matth. Paris ad ann. MCCXXXIV. *Inter quos Petrus de Riuallis primus in causam vocatus apparuit coram Rege in habitu Clericali cum tonsura & lata corona.* Iubentur & Clerici clausa deferre desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. De Abbatibus & Monachis idem cauetur, vt extra Monasterium, floccum, cucullam, aut cappam clausam habeant, *Clem. ne in agro. §. statuimus. de stat. Monach.* Vestem demissam Clericorum commendat Chrysostom. de diuers. vtriusque testam. loc. serm. de fugiend. simulat. spec. τοὺς μὲν χιτῶνας μέχρι τῆς γῆς ἕλκοντες ἐν σχήματι ἁγίων. *Dum vestem quidem in terram trahimus, in habitu Sanctorum.* Item prohibentur vti pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut sotularibus consutitiis, frænis, sellis, pectoralibus, aut calcaribus deauratis, quò pertinet can. V. Conc. Matisconens. I. ne Clerici vtantur sago, quod est indumentum militare, aut aliis vestibus vel calceis, quæ religionem non deceant, & can. XXVII. Synod. VI. in Trull. ne Clerici vtantur vestibus indecoris, putà veste militari, aut vestibus auro intextis, quæ Græcis vulgò dicuntur μαργέλλια χάμματα, vel ἀτίμως, aut vestibus purpureis,

vt

vt adnotat hîc Balſamo. Ait ſotularibus conſutitiis, id eſt, conſutis è variis pellibus, quo ſenſu manicas conſutitias dici obſeruo in *d. Cle. ne in agro*, pro manicis conſutis variis pannis; in ipſo Lateranenſi Conc. conſutiis, ſeu roſtratis, quæ duo valde diuerſa ſunt: roſtratos enim non alios intelligere eſt, quàm aculeatos calceos, de quibus iam olim Chryſoſt. hom. 8. 1. ad Timoth. *τὸ δ᾽ ἵνα τὸ ὑπόδημα, ἐν τῷ μέλανι σφόδρα ἀποστίλβῃ, δι᾽ αὐτὸ λόγον εἰς ἔξω. Quid autem quum calceus ipſe pulla veſti ſubiectus deſinens in acumen.* Et W. Malmeſb. de geſt Reg. Anglor. lib. IV. *Tunc* (ſub tempore Willelmi Iunioris) *fluxus crinium, tunc luxus veſtium, tunc vſus calceorum cum arcuatis aculeis inuentus.* Ordericus Vitalis lib. VIII. *Ipſe nimirum* (Fulco Comes Andegauenſis) *quia pedes habebat deformes inſtituit ſibi fieri longos, & in ſummitate acutiſſimos ſubtolares, ita vt operiret pedes, & eorum celaret tubera, quæ vulgò vocantur vniones: inſolitus inde mos in occiduum orbem proceſſit, leuibúſque & nouitatum amatoribus vehementer placuit; vnde ſutores in calceamentis, quaſi caudas ſcorpionum, quas vulgò pigacias appellant, faciunt.* Et idèm libr. XI *Pernicaces nempe filij Belial capita ſua comis mulierum comunt, & in ſummitate pedum ſuorum caudas ſcorpionum gerunt.* Inde cornuta ſandalia in *Clem. attendentes. de ſtat. Monach.* Male vulgata lectio, *ſandaliciis comatis, & cornutis crinibus*; quam ſic reſtitui velim, *ſandaliciis cornutis & comatis crinibus.* Etiam Clerici cappas manicatas ad diuinum officium intra Eccleſiam gerere vetantur. Cappa eſt veſtis talaris manicis carens, quæ caput & totum corpus tegit. Cappæ manicatæ vetantur in ſacris tamquam minùs decoræ. Olim & veteribus, tunicis manicatis vti, molle & effœminatum. Auguſtin. de doct. Chriſtian. lib. V. cap. XII. *Sicut enim talares, vt manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat: nunc autem honeſto loco natis, cùm tunicati ſunt, non eas habere flagitium eſt* Eò alluſit Seneca epiſt. XXXIII. *Apud me verò Epicurus eſt, & fortis, licèt manuleatus ſit.* Iidem, fibulas omnino non ferant, neque corrigias auro vel argento intertextas, nec annulos niſi quibus competit ex officio dignitatis, putà Epiſcopis, quibus in ordinatione annulus traditur ex ordine Romano, vt ab iiſdem in renuntiatione dimittitur. Iuo Carnot. epiſt. VIII. *Ita vt ſe purgare non valens virgam Paſtoralem redderet & annulum.* Et depoſitis, cùm reſtituuntur, redditur. *can. Epiſcopus. XI. qu. III.* Vnde annuli numerantur inter inſignia Pontificalia. Conrad. in Chronic. Mogunt. *Erant infulæ, vel thiara XVIII. aurifrigiata, chirotheca valde bona XVI. annuli Pontificales boni & magni*, &c. Et quæ ornamenta Rogero Siculo conceſſit Innocent. II. ea fuere cætera inter virga & annulus. Otho Friſingenſ. lib. I. de geſt Frideric. cap. XXVIII. *Papa conceſſit Siculo virgam, & annulum, dalmaticam & mitram, atque ſandalia.* Primis tamen temporibus etiam Clericis ordinandis annulum tradi moris fuiſſe ſignat Hieronym. in Eſaiam cap. III. *Habent mulieres & annulos, quibus ſignantur ad Domini militiam.* Hodie iure annuli gaudent & Abbates exempti. Bernard. Epiſt. XLII. *Verùm apertè indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio Apoſtolicis adeptis priuilegiis, per ipſa ſibi vendicant inſignia Pontificalia, vtentes & ipſi, more Pontificum, mitra, annulo, atque ſandaliis.* Denique cauetur in fine *huius cap.* vt Pontifices in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis vtantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. Monachus Epiſcopus factus non mutat veſtem, quia non abſoluitur à voto Monachi. *can. de Monachis.* XVI. *qu.* I. *can. ſtatuimus.* XVIII. *qu.* I.

TIT. II. *De cohabitatione Clericorum, & mulierum.*

CAPITVLVM VIII.

INNOCENTIVS III. EXON. EPISCOPO.

TVA nos duxit fraternitas conſulendos, ſi de Clericis publicè concubinas habentibus, qui quando à te conueniuntur, ſe eſſe concubinarios diffitentur, nec adparet contra eos legitimus adcuſator, credendum ſit teſtimonio bonorum virorum, inter quos viuere dignoſcuntur. Nos igitur con. t. t. reſpon. quòd ſi crimen eorum ita publicum eſt, vt meritò debeat adpellari notorium: in eo caſu nec teſtis, nec adcuſator eſt neceſſarius: cùm huiuſmodi crimen nulla poſſit tergiuerſatione celari. Si verò publicum eſt, non ex euidentia, ſed ex fama: in eo caſu ad condemnationem eorum ſola teſtimonia non ſufficiunt: cùm non ſit teſtimoniis, ſed teſtibus iudicandum. Sed ſi de Clericis ipſis talis habeatur ſuſpicio, vt ex ea ſcandalum generetur in populo, licèt contra ipſos non adparuerit accuſator, eis tamen eſt canonica purgatio indicenda: quam ſi præſtare noluerint, vel defecerint in præſtanda, eos canonicâ debebis animaduerſione punire.

HOc cap. extat apud Innocent. III. epiſt. XXII. lib. II. Clerici notorij concubinatij, id eſt, publicè habentes domi concubinam, damnantur, etiam ſi deſit teſtis, vel accuſator. Notoria ſcilicet non indigent probatione. *can. de manifeſto. II. qu. I. cap. euidentia, infrà, de accuſat.* Si verò crimen eorum publicum eſt, non euidentiâ, ſed famâ, ad condemnationem ipſorum non ſufficiunt

ſola teſtimonia proborum virorum, cùm non ſit credendum teſtimoniis, ſed teſtibus, vt *hic*, & *cap cùm olim, ſuprà, de dol & contumac.* & *l. III. §. idem Diuus: ff. de teſtib.* Sed ſi Clerici ita laborent ſuſpicione criminis, vt hæc ſcandalum pariat, licèt abſit accuſator, eis indicenda eſt purgatio canonica; quam ſi præſtare noluerint, vel in præſtanda defecerint, canonicè punientur: quæ eſt ſumma *huius cap.* Clerici ſuſpecti criminis, etiam deficiente accuſatore non abſoluuntur, niſi priùs præſtitâ purgatione canonicâ. *can. Mennam, & paſſim. II. qu. v. can. de crimine. XV. qu. v. cap. quotiens, infrà, de purgat. canonic.* vbi hac de re opportuniùs dicemus.

CAPITVLVM IX.

IDEM PISTORIENSI EPISCOPO.

A Nobis tua fraternitas requiſiuit: .·.·. Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus, nihil permittat ſæui criminis ſuſpicari.

CLERICIS non licet habere extraneas mulieres quas Græci vocant *συνεισάκτους*, ſubintroductas Conc. Nicæn. can. III. *can interdixit.* XXXII. *diſt.* Baſilius *συνάκτους* epiſt. CXCVIII. vbi Canonis Nicæni meminit. Clerici ſolebant apud ſe habere aſcititias mulieres, quas *ἀγαπητάς* ſeu *συνεισάκτους* appellitabant. Euſeb. lib. VII. cap. XXIV. *τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι.* *Aſcititias illius mulieres, quas ſubintroductas Antiocheni appellant.* Epiphan. hær. LXIII. *κατηγορεῖν δὲ δῆθεν τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας κεκτημένων.* *Interim verò Clericos illos accuſant, qui dilectas, quas vocant, & contubernales fœminas aſciſcunt.* Io. Chryſoſtomus cùm nactus eſſet Clericos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ domi habentes huiuſmodi mulierculas, harum contubernium interdixit: quâ de re duos ſcripſit libros, & idem multis aliis locis in id genus mulierum vehementiùs inuectus eſt, vt in ſyntagmate de diuerſ. vtriuſque teſtam. loc. ſerm. de Pſeudopropher. *ὅτι γὰρ τὸ ἀκαίρου πλούτου συνεισάκτους ἐκτήσαντο θεραπαινῶν προφάσει.* *Quin & opum affluentiâ ſubintroductas tenent, prætextu ancillarum.* Et idem ibidem ſerm. cui thema eſt, Religioſum faceтiis vti non debere, *πάνυ γὰρ ἀλγῶ, ὅταν ἴδω ἀσκητὴν συνείσακτον ἐπισυρόμενον.* *Valde quippe doleo, cùm video religioſum ſubintroductam mulierem ſibi aſciſcere.* Sorores vel ſororias eaſdem vocarunt turpitudinis velandæ gratiâ, vt in Conſtitut. Honorij, *l. cùm qu. C. de Epiſc. & Cleric. eum qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet.* Clericis, inquam, vetitum eſt habere apud ſe alias mulieres, præterquàm matrem, ſororem, aut amitam, quæ omnis ſuſpicionis expertes ſunt, vt ſubiungitur in d. can. Nicæn. vel vt eleganter dicitur in *d. l. cùm qui. In his enim nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit.* Immo ex Concil. Nannetenſ. can. III. ſancitum ne Clerici domi habeant mulieres, non modò eas in quas ſuſpicio cadere poteſt, ſed neque illas quas Canones concedunt, ſcilicet matrem, ſororem, amitam; quia, inquit, inſtigante diabolo, etiam in illis ſcelus frequenter perpetratum reperitur. quem Canonem Moguntino Conc. tribuit collector. *cap. 1. hoc tit.* Sed Conſtitutione Innocentij III. in hoc cap. reſtitutum ius antiquum, dempto Clericis vſu & conſuetudine mulierum, niſi ſint coniunctæ perſonæ, putà mater, ſoror, vel amita, quæ ab omni ſuſpicione longè abſunt.

TIT. III. *De Clericis coniugatis.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. NORVICEN. EPISCOPO.

DIVERSIS fallaciis: .·.·. Accepimus autem, quòd quidam Clerici tuæ diœceſis, qui matrimonium contraxerunt, Eccleſiaſtica beneficia detinere contendunt: in quorum conuerſatione cithara cum pſalterio malè concordat. Cùm ergo vir cogitet quomodo placere poſſit vxori, & ideo minùs, quæ Dei ſunt valeat cogitare, cùm quaſi diuiſus in duo plenam ſui non habeat poteſtatem: vt ei, à quo ſtipendium recipit, pleniùs famuletur: mandamus, quatenus huiuſmodi Clericos beneficiis Eccleſiaſticis, quæ in tua diœceſi ſunt adepti, priues adp. re. præſertim cùm rerum Eccleſiaſticarum ſubſtantia per tales ſoleat deperire. Niſi fortè tu talibus ſcienter contuleris Eccleſiaſtica beneficia: quibus eos non per te, ſed per ſuperiorem decernimus ſpoliandos.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt. Nonnulli Clerici NorWicenſis diœceſis in Anglia, qui obtinebant Eccleſiaſtica beneficia, duxerunt vxores, & poſt nuptias beneficia retinere non dubitarunt. Re auditâ Pontifex mandauit Ordinario, vt huiuſmodi Clericos priuaret beneficiis appellatione

remota, eùmterum Ecclesiæ substantia per tales personas soleat deperire; quod mandatur Ordinario, vt huiusmodi Clericos priuaret beneficiis, non facit eum iudicem delegatum: mandatum non tribuit iurisdictionem Ordinario, sed eam quæ suppetebat excitat quasi sopitam, *cap. licet in corrigendis. de off. ordinar.* & iurisdictio Ordinarij per mandatum ampliatur, quatenus datus est appellatione remotâ. Excipitur, nisi Episcopus sciens contulerit beneficia iam coniugatis Clericis, quo casu non sunt priuandi per ipsum Episcopum, sed per Superiorem, id est, per Metropolitanum. Clericus si vxorem duxerit, priuatur beneficio, *cap. I. cap. III. hoc tit.* & beneficium vacat ipso iure per nuptias. Gloss. in *d. cap* I. Iuo Carnotens. CCXVIII. *Verumtamen consilium quod mihi ipsi darem, si aliquem de commissis mihi fratribus vxoria compede adstrictum deprehenderem, tutum esse intelligo, videlicet vt sacramentum coniugij maneat, Clericus verò qui postposità Clericali continentià de superiori ordine ad inferiorem descendit, stipendia militia Clericalis amittat.* Quòd si Episcopus contulerit beneficium Clerico coniugato, collatio est nulla tamquam facta indigno & incapaci. Clericus tamen non est spoliandus beneficio per ipsum Episcopum, sed per Superiorem; vel quia non potest quis venire contra suum factum, *l. post mortem. ff. de adopt. l. per fundum. ff. de seruit. rustic.* vel vt consulatur verecundiæ Ordinarij, ne cogatur ipse proprium opus euertere, vt interdum iudex datur quem altet è litigatoribus nominatim periit, vt parcatur verecundiæ petiti iudicis, *l. obseruandum. ff. de iudic.* vel potiùs hoc ei interdictum est in pœnam, ne ipse possit emendare factum suum, vt rectè adnotauit postrema glossa hoc loco.

CAPITVLVM VI.

IDEM ARCHERONEN. ARCHIEPISCOPO.

CVM olim ad nostram audientiam peruenisset, quòd Canonici Anglorien. Cantorem Tricaricen. sibi elegerant in Pastorem: .·.·. Licèt tibi de forma electionis canonicæ, ac idoneitate personæ in aliis constitisset: mouit te tamen, quòd cùm pater eius Græcus fuerit, & iuxta ritum Græcorum vxorem duxerit in minoribus ordinibus constitutus, Cantorem ipsum ex vxore legitima in Sacerdotio suscepisset. Nos igitur attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus vtuntur matrimonio iam contracto: mandamus, quatenus nisi pro eo, quòd inter Latinos Græci huiusmodi conuersantur, regionis consuetudo repugnet: si aliud canonicum non obsistat, ad confirmationem & consecrationem eiusdem sine dubitatione procedas.

HVIVS cap. species hæc est. Canonici Anglonensis Ecclesiæ, quæ est in finibus Apuliæ, vacante Sede Episcopali in Pastorem elegerunt Cantorem Tricaricensem. Archiepiscopus Acherontinus, ad quem spectabat confirmatio electi, expensâ formâ electionis, & idoneitate electi, nonnihil motus est, quòd electus susceptus esset ex patre Græco Presbytero, qui minoribus in ordinibus constitutus iuxta ritum Græcorum vxorem duxerat, & Cantorem ipsum ex legitima vxore in sacerdotio genuerat. Consultus Pontifex respondit nihil vetare, quin electus esset confirmandus, si aliud canonicum non obstaret, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, & Orientales in minoribus ordinibus constituti ritè contrahunt nuptias, & in superioribus vtuntur matrimonio iam contracto Apud Græcos Presbyteris, Diaconis, & Hypodiaconis licuit vxoris consortio vti, secus atque in Romana Ecclesia. Synodus VI. in Trull. can. XIII. *can. quoniam. can. aliter. XXXI. dist. cap. vt Clericorum. suprà. de vit. & honest. Cleric.* Eodémque iure vsi sunt Græci Latinis permixti, qui fuere in finibus Calabriæ & Apuliæ, vt disertè traditum est in *cap. cùm secundùm, suprà, de temp. ordinat.* Apulia & Calabria fuere in ditione Græcorum vsque ad tempora Roberti Guiscardi, quo duce Normanni vtramque simul & Siciliam occuparunt: de quo Leo Ostiens. lib. II. cap. LXVIII. & lib. III. cap. XV. Otto Frisingens. lib. I. de gest. Frideric. cap. IV. Excipe, nisi quòd inter Latinos Græci hic versabantur, consuetudo regionis repugnet: spectatur consuetudo regionis, ne Latinis detur Græcus Episcopus: non est dandus alienigena, & alterius linguæ Episcopus ad vitandam offensionem & scandalum, *cap. quoniam, suprà, de offic. ordinar.*

CAPITVLVM VII.

IDEM EPISCOPO PICTAVIEN.

IOANNES nobis conquerendo monstrauit, quòd tu eum, quamquam iamdudum vxorem legitimam duxerit, pro eo, quòd priùs in acolytum fuerat ordinatus, compellere niteris, vt tonsuram deferat Clericalem, ex qua inter ipsum & vxorem suam posset scandalum generari, cùm de consuetudine terræ tuæ Clerici vxorati

non cogantur inuiti portare tonsuram. Quoniam igitur idem etiam tonsuratus non potest priuilegio Clericali gaudere: mandamus, quatenus ipsum super tonsuratione huiusmodi non molestes, dummodo nullum percipiat beneficium Ecclesiasticum, cuius ratione teneatur Clericalem deferre tonsuram: quia cùm eum oporteat secularibus negotiis immisceri, tonsura ipsius secularia exercentis videretur profectò in ministerij nostri vituperium redundare.

CAPITVLVM VIII.

CVM decorem: .·.·. Eos qui sunt publicè vxorati, non admittatis de cætero ad Ecclesiasticas dignitates, dimissis ab eis, quas non possunt sine prauo exemplo & graui scandalo retinere.

HVIVS cap. species eiusmodi est. Ioannes questus est apud Pontificem, quòd licèt in minoribus ordinibus constitutus, putà Acolythus, iam olim vxorem duxisset, Episcopus Pictauiensis nitebatur eum compellere vt tonsuram deferret Clericalem, ex quo inter ipsum & vxorem pateretur scandalum, cùm de consuetudine regionis Clerici coniugati non cogantur inuiti ferre tonsuram, quæ est signaculum Clericalis militiæ, vnde Græci vocant παπαλῆθραν coronam Clericorum, vt tradit Bals. in can. xxi. Synod. vi. in Trull. Re cognita præcepit Pontifex ne Clericus in minoribus constitutus, si vxorem duxerit cogeretur ferre tonsuram, dummodo nullum adeptus sit beneficium Ecclesiasticum. Clericus coniugatus non potest obtinere beneficium Ecclesiasticum ex vtroque *hoc cap.* Beneficium non potest conferri Laïco, sed Clerico tantùm, *cap. cùm adeo. suprà, de rescript. cap. ex literis. de transact. cap. ii. infrà, de institut.* Solus Summus Pontifex potest dispensare cum coniugato vt beneficium obtineat; Laïco quidem potest præstari stipendium de rebus Ecclesiæ in alimoniam & vitæ sustentationem, non in titulum ob bene merita de Ecclesia. *Can. possessiones. xvi. qu. i.* Ex quo colligitur Præbendas in Ecclesiis institui posse pro Laïcis: vt in Ecclesia S. Martini Carnotensis sunt Præbendæ institutæ in vsum nobilium virorum, ob paupertatem, vel seruitium temporale. de quibus Compostellan. & ex eo Panormitan. in *cap. cùm N. Ferrariensis de Constit.* & in Ecclesia Aurelianensi memorantur fuisse huiusmodi Præbendæ Laïcæ in vsum pauperum: Gregor. VII. lib. iii. epist. xvii. ad Rainerium Aurelianens. Episc. *Præcipimus etiam vt Canonicam concessam alimoniam pauperum, quam ab eo vsu subtractam diceris vendidisse, ad eundem vsum restituas,* Et in Ecclesia Claromontensi celebratur idem beneficij genus Laïcis conferri solitum, quod familiaritas appellatur; de quo Innocent. lib. ii. epist. ccclxxiii. In Germania etiam occurrunt huiusmodi Præbendæ, vt in Ecclesia Magdeburgensi, Helmold. lib. i. hist. Slau. cap. xvi. *Theodericus Marchio Slauorum, depulsus ab honore & omni hæreditate, Præbendarius apud Magdeburg. mala morte, vt dignus fuit, vitam finiuit.* Et in Ecclesia Spirensi: vnde Henricus IV. imperio deturbatus, ab Episcopo Spirensi petiit præbendam sibi conferri in eius Ecclesia, apud eundem Helmold. cap. xxxiii. eiusdem lib. in hæc verba. *Ecce destitutus regno decidi à spe, nihilque mihi vtilius est, quàm renuntiare militiæ, da ergo mihi Præbendam apud Spiram, vt sim famulus Dominæ meæ Dei genitricis, cui deuotus semper extiti: noui enim literas, & possum adhuc subseruire choro.* Apud Græcos etiam Patriarchæ CP. licuit Patriarchicis in monasteriis ἀδελφᾶτα, seu portiones alimentarias erogare pauperibus Laïcis, vel Episcopis sede sua pulsis incursione barbarica, ex Nou. Alexij Comneni, quæ à Balsamone tradita est in Can. xix. Synod. VII. & lib. ii. Iur. G.R. Duplici ratione mouetur Pontifex in hoc *cap. Ioannes.* Primâ, quòd Clericus tonsuratus si vxorem duxerit amittit priuilegium Clericale, vt *hîc & cap. ex parte, infrà, hoc tit.* Ergo minimè consentaneum est, vt compellatur ferre Tonsuram Clericalem. Secundùm naturam est, vt qui non percipit commodum non ferat incommodum. *l. secundùm naturam de Rep.* & incongruum est coniugatum ferre Tonsuram in promiscuo secularium; & periculum subest, ne inde nascatur occasio scandali inter coniuges, ægrè ferente muliere virum conspici in habitu Clericali, & tollenda est occasio rixæ inter virum & vxorem, ne benè concordans matrimonium turbetur, *l. i §. vlt ff. de liber. exhibend. cap. non est de sponsalib.* Ex iure decretalium Clericus si vxorem duxerit amittit priuilegium Clericale: tamen ex Constit. Bonifacij VIII. Clericus, qui vnicas & cum virgine nuptias contraxit, non excidit priuilegio. *Can. si quis suadente,* nec priuilegio fori, si tonsura & veste Clericali vtatur. *cap. i. in hoc tit. in v.*

TIT. IV. *De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel præbenda.*

CAPITVLVM IX.

INNOCENTIVS III. CA. RAGVSINO.

QVALITER Archiepiscopus vester temeritate propria recessit ab Ecclesia Ragusinensi, nec iam vltra quadriennium expectatus redierit per literas etiam

vestras reuocatus: .·.·. Discret. v. mandamus, quatenus (nisi forsitan iam redierit) vos post mensem à receptione præsentium, personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis.

HVIVS cap. species hæc est. Archiepiscopus Ragusiensis temere, id est, sine licentiâ Summi Pontificis, recessit ab Ecclesia sua, nec vltra quadriennium expectatus rediit; etiam à Capitulo per literas reuocatus. Re acceptâ Pontifex mandauit Capitulo, nisi redierit intra mensem à receptione mandati Pontificij, vt idoneum virum eligant in Pastorem. Episcopus debet residere in Ecclesia sua: quòd si fortè post congruam monitionem non resideat, Ecclesiæ tanquam vacanti prouidetur de Pastore, vt hîc; vel idem relegatur in monasterium, pœnitentiæ causâ. *Can. peruenit*. VII. *qu.* I. Vltra annum Episcopus non debet abesse suâ Ecclesiâ, nisi euocatus sit à Principe; & si diutiùs absit, deponitur, Nou. Iustin. VI. cap. II. & Nou. CXXIII. cap. IX. Ne Episcopus absit suâ Ecclesiâ diebus solemnibus Paschæ, Pentecostes & aliis, sancitum in *Can. si quis in Clero*. VII. *qu.* I. Per tres hebdomadas Episcopum abesse sua ab Ecclesia vetuit Conc. Eliber Can. XXI. vltra quindecim dies Leo epist. LXXXI. cap. X. Absque necessaria causa numquam se Ecclesiâ abfuisse profitetur Augustin. Epist. CXXXVIII. *Illud nouerit dilectio vestra numquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria seruitute qua sæpe sanctos fratres & collegas meos, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere.* Adeóque Episcopus debet residere in Ecclesia Cathedrali, nec potest relicta principali Cathedra ad aliquam Ecclesiam diœcesis secedere. *Can. placuit*, VII. *qu.* I. Conc. Paris. VI. Can. XXI. Aquisgranens. II. Can. XII. Apud gentiles etiam sacrificulis nefas fuit è templo se mouere, propter loci religionem; de quibus intelligenda est *l.* II. *ff. de in ius voc.* illis verbis, *qui propter loci religionem inde se mouere non possunt*. De iisdem Senec. de Tranquillit. anim. cap. X. *Quosdam exilia vno loco tenent, quosdam Sacerdotia.* Vnde & Sacerdotij omen fuit in somnis sibi viso catenâ templo alligari. Artemidor Oneirocritic. lib. V. ἔδοξέ τις ποσειδῶνος τῷ βάθρῳ ἁλύσει προσδεδέσθαι, ἱερεὺς ἐγένετο τοῦ ποσειδῶνος. ἔδει γὰρ αὐτὸν ἀχώριστον εἶναι ἱερέα. *Visus est sibi quis ad fundamentum templi Neptuni, catenâ alligatus esse: oportebat enim ipsum inseparabilem Sacerdotem esse.* Non sine causa tamen Ragusiensem Archiepiscopum discessisse ab Ecclesia sua probatur ex *cap. ad supplicationem, suprà, de renunciat.* quod est eiusdem Pontificis, quo idem Archiepiscopus cùm dimissâ Ecclesiâ suâ ob vitæ periculum secessisset in Angliam, ab Ecclesiæ suæ vinculo absolutus est per ipsum Pontificem, & ei collatum beneficium alimoniæ causâ in diœcesi Carleolensi.

CAPITVLVM X.

IDEM CONSTAN. PATRIARCHÆ.

INter quatuor animalia: .·.·. De clericis, qui Ecclesias vel præbendas sibi concessas, sine iusta & necessaria causa deserunt, tuo præsertim non accedente consensu, hoc tibi duximus respondendum, quòd postquam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, possunt eis iustè priuari, dummodo non sint iusto impedimento detenti.

CAPITVLVM XI.

IDEM ARCHIEPISCOPO PANORMITANO.

EX tuæ deuotionis: .·.·. In Ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio peruenire, trinæ citationis edictum facias publicari: & si nec sic curauerint obedire, & vltra sex menses suas deseruerint Ecclesias, iuxta sanctiones canonicas, eis debent meritò spoliari.

HÆc duo capita coniungenda sunt, & pertinent ad eandem speciem nempe ad coërcitionem Episcoporum & Clericorum non residentium, & vtrumque inscribendum est Constantinopolitano Patriarchæ; ipsis enim verbis disertum est, licètmutata serie, ex Epist. Innocentij III. quæ incipit *inter quatuor*, ad Patriarcham CP. directâ, apud Gesta Innocentij III. quæ bono publico edidit vir Clarissimus Fr. Bosquetus Montispessulanus Episcopus. Vnde restituenda est inscriptio *huius cap. ex tua*, quæ perperam habet Archiepiscopo Panormitano, vel vt alij malunt Patracensi. Vtriusque capitis, restitutâ suâ serie, species hæc est. Captâ Constantinopoli, Thomâ Mauroceno Veneto ex pacto inito inter Francos & Venetos electo Patriarchâ CP. alij Episcopi Patriarchæ parere contempserunt; alij peregrini impetij, & rerum mutationis impatientes, ab Ecclesiis suis fugâse subduxerunt: consultus Pontifex, quo pacto aduersus eos esset procedendum, respondit cautiùs agendum, ob recentem mutationem rerum, & absentes Episcopos iterum ac tertiò citandos: quòd si in contumacia perseuerent, suspensionis & excommunicationis sententiâ coërcendos esse: quòd si hoc pacto eorumdem duritiesfrangi non valeat, ab Episcopatuum administratione remouendos

per B. tit. S. Susannæ Presbyterum Cardinalem, tum Apostolicæ Sedis Legatum in illis partibus, & quibus præsunt Ecclesiis de personis idoneis prouidendum, ita vt in eos non sæuiatur ad degradationis vsque sententiam, vt cum eis indulgentiùs, si visum fuerit, faciliùs agi possit. Remotio Episcoporum ab administratione Episcopatus reiicitur ad Legatum Sedis Apostolicæ, quia, vt depositio est de maioribus causis quæ reseruatæ sunt Sedi Apostolicæ, nec pertinent ad Legatum absque speciali mandato, *cap. quod translat. suprà, de offic. legat.* Et hæc debuit esse prima pars *cap. ex tua*, quæ peruerso ordine est posterior. Quòd si qui dolo absint à suis Ecclesiis per longius tempus saltem semestre, nec ad ipsos valeat citatio peruenire, quòd fortè absint extra prouinciam, vel ignoratur vbi sint, tunc eos trinæ citationis edicto, interposito scilicet idoneo spatio, citandos esse ad valuas Ecclesiæ. Regulariter citatio fieri debet ad personam vel domicilium, ad faciem vel ad domum, *l. scire oportet*, §. 1. *ff. de excus. tut.* Sed in priuatione beneficij ob non residentiam sufficit citatio ad fores Ecclesiæ, quia ibi domicilium habere videtur qui in loco residere debet; & si post tria edicta vltra sex menses absint, tunc beneficio priuantur. Priuationem beneficij ob non residentiam præcedere debet trina monitio. Absens non damnatur per contumaciam nisi post tria edicta, interposito in singulis spatio decem dierum, *l. ad peremptorium, & seqq. ff. de iudic. l. properandum*, §. *& si quidem, C. e. d.* Et hæc est postrema pars eiusdem cap. quam collector malè præposuit. Et quia, sequiori Antistitum exemplo, in hac Bysantini Imperij mutatione quamplures Clerici Ecclesias & Præbendas suas derelinquebant; quæ est species *huius cap. inter quatuor.* à Patriarcha super his etiam consultus Pontifex respondit, nisi per congruum tempus expectati redierint, supple post trinam monitionem interposito legitimo spatio, Ecclesiis & Præbendis multandos esse. Ob non residentiam remouentur non modò Episcopi, sed & minores Clerici: quod enim Christus dixit Petro, *Pasce oues meas*. non solùm ad Sacerdotes, seu Episcopos pertinet, sed etiam ad inferiores Ecclesiarum præpositos. Ioan. Chrysostom. in Matth. Homil. LXXIX. in illud *Pasce oues meas*, οὐ περὶ ἱερέων δὲ τοῦτο μόνον εἴρηται, ἀλλὰ καὶ περὶ ἑκάστου ἡμῶν, τῶν καὶ μικρὸν ἐμπεπιστευμένων ποίμνιον. μὴ γὰρ ἐπειδὴ μικρόν ἐστι καταφρονείτω. *Quod non ad Sacerdotes solummodo dictum est, verùm etiam ad singulos nostrûm, quibus vel minimus grex commissus esse videtur. nec enim quia minimus est, negligi debet.* Ob non residentiam beneficiis multantur etiam inferiores Clerici, vt *hîc & cap. vlt. infrà, hoc tit.* nisi iusta de causa absint, puta studiorum causâ, *cap. relatum, cap. tua fraternitatis, hoc tit.* vel iurium Ecclesiæ suæ persequendorum causâ, *cap. ex parte, hoc tit.* vel alia de causa idonea, puta si sint in obsequio Episcopi, *cap. ad audientiam, hoc tit.*

CAPITVLVM XII.

IDEM ALTISSIODORENSI EPISCOPO.

TVÆ fraternitatis discretio postulauit: . . . Quæsiuisti præterea, vt cùm interdum Canonici, quibus studiorum gratiâ est indultum, vt in absentia sua fructus percipiant præbendarum suarum, acceptâ licentiâ se ad vllas transferunt vel castella, in quibus nullum est vel minùs competens exercitium studiorum: vtrum præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi? Ad quod breuiter respondemus, eis qui huiusmodi fraudem committunt (cùm fraus & dolus nemini debeant patrocinium impartiri) præfatam indulgentiam competere non debere.

CANONICI absentes studiorum causâ lucrantur fructus præbendarum suarum, vt *hîc, & cap. relatum, suprà, hoc tit.* quia fauore studiorum pro præsentibus habentur, *cap. ad audientiam, hoc tit. l. Seia.* §. *Pamphila. ff. de instruct. & instrum. legat.* minimè tamen lucrifaciunt distributiones quotidianas, quæ tantùm residentibus, & his qui intersunt horis Canonicis, dantur, *cap. licèt, infrà, de præbend. cap. vn. hoc tit. in* VI. & plerumque erogantur in pane & potu, *Extrauag. cùm nonnulla. de præbend.* Iuo Carnot. epist. CCXIX. *Deliberaui apud me, vt darem eis dimidiam præposituram, & inde fieret cotidianus panis quem acciperent assidui, amitterent tardi: vt ad quod eos panis interni dulcedo non mouebat, panis corporei refectio prouocaret, quamuis eorum annua præbenda ad hoc sufficiens esse deberet.* Et auctor vitæ S. Rigoberti Archiepiscopi Rhemens. apud Surium IV. Ianuar. *Ante enim illius Pontificatum, non dabatur eis panis (vt vocant) Canonicus, nec erant, vt sunt hodie Canonici.* Et Adamus Bremens. lib. II. Hist. Bremens. cap. LI. de Berclino Arch. *Ita ordinauit vt albus daretur fratribus panis vltra solitam annonam cottidie*, &c. Quòd si Clerici qui absunt studiorum causâ, hoc obtentu degant in villa, vel castro, vbi nullum, vel minùs competens est exercitium studiorum, fructus amittunt, vt definitur in *hoc cap.* Ratio subiungitur, quia dolus nemini patrocinari debet. Vt & si Ecclesia laboret penuria Clericorum, absentes Canonici & assisij reuocantur ad residendum, non obstantibus priuilegiis Apostolicis, *cap. pen. hoc tit.* quòd priuilegium euanescat si sit graue & onerosum, *cap. suggestum, infrà, de decim. cap. quanto. de censib.* Assisij sunt alij à Canonicis, nempe minores Clerici qui addicti sunt perpetuo seruitio Ecclesiæ, sic dicti quasi assidui: vnde in pluribus Ecclesiis iidem mansionarij dicuntur, vt rectè docet gloss. *in d. cap. pen.* Innocent. III. lib. I. epist. CXXVI. *Sanè ad nostram noueritis audientiam peruenisse, quòd Ecclesia tibi commissa propter beneficia tam mansionariis quàm non mansionariis assignata, cùm ipsius reditus ad hoc*

sufficere non valeant, iam ferè ad nihilum est redacta. Eò alludens Stephan. Tornac. epist. XII. *Nos multitudini parcentes, & fratrum compatientes infirmitatibus, eos de collegio nostro, qui amodo Canonici instituuntur in Ecclesia nostra, si assiduè in ea Mansionarij non fuerint, non omnino priuare volumus beneficio*; quod nomen deductum è re rustica, Mansionarij enim propriè dicti villici & actores prædiorum fisci vel Ecclesiæ, quos Græci *παραμονάριον*, vt Synod. Chalcedonens. Can. II. interpres vertit mansionarios, *can. si quis Episcopus*, 1. *qu.* 1. De his Regino, lib. II. Chronic. *Folconem Episcopum, & Adalengum Comitem sui Mansionarij ad Arnolphum venis à Carolo missis venientes in media via offendunt*: Inde Mansionarij æditui seu custodes sacrarum ædium, Gregor. dialog. lib. I. cap. V. *Iuxta eam namque ciuitatem Ecclesia B. Martyris sita est, in qua vir vita venerabilis Constantius nomine, qui Mansionarij functus officio deseruiebat.* & id. lib. III. dialogor. cap. XXIV. & XXV. Theodorum & Abundium eosdem modò Mansionarios, modò custodes Ecclesiæ appellar. & rursus idem lib. III. epist. XXX. *Monachi, & Mansionarij qui corpus eiusdem Martyris viderunt.* Et Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. II. cap. XXXIV. *Morisque est annis singulis ipso die cœna Dominica, ad mandatum fratrum à Mansionariis eam deferri, & in medium poni.*

TIT. V. *De prebendis & dignitatibus.*

CAPITVLVM XVI.

INNOCENTIVS III. ZAMOREN. EPISCOPO.

CVM secundùm Apostolum, qui altario seruit, viuere debeat de altari: & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede: patet à simili, vt Clerici viuere debeant de patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur: vt ipsa nominis ratio persuadet. Cùm enim à cleros, quod est sors vel hæreditas, Clerici adpellentur: quia in sui ordinatione, vel adsumuntur in hæreditatem Domini, vel adsequuntur hæreditatem in ipso, vt verè possint psallere cum Propheta, dicente: Dominus pars hæreditatis meæ: dignum est vt Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua & per quam diuinis obsequiis adscribuntur. Licèt autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint & inanes: nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiu per ordinatores vel successores eorum prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur. Inde est quòd cùm G. lator præsentium à prædecessore tuo fuerit ad Subdiaconatum nullo præsentante promotus: mandamus, quatenus si cùm hi, quibus examinationem ipsius duximus committendam, te citato legitimè, vt per teipsum vel idoneum responsalem intersis, & tam super idoneitate personæ, quàm etiam super quantitate ac qualitate beneficij proponere tibi liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, idoneum esse repererint, tamdiu ei vitæ necessaria congruè subministres, donec per te in Zamoren. Ecclesia, vel alia fuerit competens beneficium Ecclesiasticum adsecutus: sciturus pro certo, quòd si per examinationem eorum fuerit repertus idoneus, & tu ei iuxta mandatum nostrum neglexeris prouidere, cùm hoc nobis per literas eorum innotuerit, ad id exequendum, te per dictam Ecclesiam compellemus.

OLIM ordinatio non fiebat absolutè ἀπολελυμένως absque titulo, id est, titulo Ecclesiastico, ex Conc. Chalced. can. VI. *can. Sanctorum*, LXX. *dist.* Vnde Græcis gradus seu ordo Clericalis τόπος, id est, loci appellatione continetur, quòd Clerici cùm ordinarentur, simul & adscriberentur certæ Ecclesiæ. Euseb. lib. V. cap. IV. *εἰ γὰρ ᾔδειμεν τόπον τινὶ δικαιοσύνης ἐπιβάλλειν εἰς πρεσβύτερον ἐκκλησίας ὅπερ ἐστὶν ἐν αὐτῷ, ὡς πρώτιστ' ἂν παρεθέμεθα. Si animaduerteremus locum seu gradum Ecclesiasticum cuiquam iustitiam imperriri, hunc vt Presbyterum Ecclesia vt est, tibi commendassemus.* Et Clerici qui carebant titulo dicebantur acephali, quasi partus informes, sine capite, can. XXII. Conc. Mogunt. I. *De Clericis vagis, seu de acephalis, id est, de his qui sunt sine capite, neque in seruitio Domini nostri, neque sub Episcopo, neque sub Abbate, sed sine canonica, vel regulari vita degentes, hos neque inter Laicos secularium officiorum studia, neque inter Clericos religio tenet diuina*: vnde concinnatus est *can. nulla.* XCIII. *dist.* immutatis paulisper verbis, quem falsò Gratianus tribuit Conc. Parisiensi. Olim igitur ordinatio non fiebat sine titulo, & si quæ fieret sine titulo, erat irrita & inanis, *d. can. neminem. can. Sanctorum.* Ex Conc. Lateranensi si Episcopus quempiam ordinauerit in Presbyterum vel Diaconum sine certo titulo, ordinatio rata est; sed Episcopus tenetur ei necessaria ministrare donec eidem conferat beneficium Ecclesiasticum, *cap.* II. *&* IV. *hoc tit.* Idem iuris statuitur, si quis ordinetur in Subdiaconum, ex constitutione Innocent. III. in *hoc cap.* Non potest quis impunè ordinari ad sacros ordines absque titulo, vt *hîc & cap. proposuit, suprà, de fil. Presbyter.* secus ad in-

feriores ordines, *cap. tuis, infrà, hoc tit. cap. si Episcopus. eod. tit. in* VI. Ex eadem constitutione si Episcopus quempiam promonerit ad sacros ordines nemine præsentante, ordinator, vel successor eius tenetur ei prouidere de alimentis, donec conferat beneficium Ecclesiasticum, si idoneus repertus fuerit, subaudi maximè; quia si Episcopus quem ordinauerit sine titulo, non potest se tueri oppositâ exceptione si non est idoneus, nisi postea reddiderit se indignum, quia quem duxit idoneum ad ordines, non potest ducere non idoneum ad beneficium, *cap. accepimus. de etate & qualit. & ord. præficiendorum.* Maior idoneitas requiritur ad ordines quàm ad beneficium. Ait nullo præsentante, quia ordinandorum præsentatio pertinet ad Archipresbyterum, vel Archidiaconum, *can. quando.* XXIV. *dist. cap. ad hac. cap. vt nostrum. de offic. Archidiac.* Quòd si Episcopus quempiam ordinauerit sine titulo, interpositâ cautione, id est, chirographo, vel iureiurando, ne super prouisione beneficij molestia ei inferatur, ordinator à collatione ordinum per triennium suspenditur, & ordinatus à suscepto ordine, *cap. pen. de simon.* Quòd si Episcopus alienum Clericum cum dimissoriis proprij Episcopi ordinauerit sine titulo, non ordinator, sed proprius Episcopus tenetur ei prouidere, *d. cap. si Episcopus.* quod emanauit ad declarationem huiusce capit. quod integrum extat apud Innocent. III. lib. I. epist. LXXVI.

CAPITVLVM XVII.

IDEM ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

INTER cætera: . · . · . Factâ resignatione à G. quondam Canonico Laudunen. de præbenda eiusdem Ecclesiæ, quæ per commutationem præbendarum H. tunc Siclunen. Canonico auctoritate Apostolica adsignari debebat, magister P. per Laudunen. Episcopum de præbenda fuit inuestitus eadem. Super quo cùm inter magistrum ipsum & dictum H. controuersia suborta fuisset, per C. Papam prædecess. no. omnia retractata fuerunt: . · . · . Supradicto Episcopo dedimus in præceptis, vt donec idem magister in eadem Ecclesia fuerit præbendale beneficium adsecutus, nulli alij præbendam adsignare præsumat. quod si fortè præsumpserit, id irritum decernimus & inane. Decet enim, vt quia præbendam ei, quam de iure non potuit, adsignauit, eam, quam de iure potest, adsignet: ne præbendam illi fraudulenter visus sit adsignasse.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CIII. Huius species hæc est: Laudunensis Episcopus sciens Petrum de Cassanero contulit præbendam eiusdem Ecclesiæ, quæ ex resignatione Gu. Laudunensis Canonici facta permutationis causâ, auctoritate Apostolicâ, id est, ex mandato Celestini III. per Decanum Rhemensem conferenda erat H. Sicliuiensi Canonico. Sicliuium est oppidum Flandriæ haud procul Tornaco, cuius mentio fit in cap. sequenti, & apud Iacob. Meyer. Annal. Belgic. lib. XII. Vnde subortâ lite inter Petrum & Hugonem Celestinus III. omnia retractauit, id est, permutationem vtriusque beneficij, & vtrique proprium restituit. Mox Celestino III. vitâ functo, Petro conquerente Innocentius III. Celestini proximus successor, mandauit Laudunensi Episcopo, ne cui præbendam vllam conferret, donec idem in eadem Ecclesia præbendale beneficium esset assecutus. Decet enim, inquit, quia præbendam ei, quam de iure non potuit, assignauit, vt eam, quam de iure potest, assignet: ne præbendam illi fraudulenter visus sit assignare. Ratio dubitandi erat, quòd donator non tenetur de euictione, *l.* II. *C de euict.* ergo videbatur & collatorem beneficij non teneri de euictione. Sed qui sciens præbendam non vacantem contulit Petro, tenetur ei, quamprimum poterit, prouidere de alio beneficio, ne eum decepisse videatur; vt *hic, & can. præsentium.* VII. *qu.* I. *& cap. veniens. de fil. Presbyter.* Quod nititur ratione Iuris Ciuilis. Etsi enim donator non teneatur de euictione; qui sciens rem alienam donauit, tenetur de dolo, *l. Aristo.* §. *vlt. ff. de donat. l. ad res donatas, de adil. edict.* quia adiuuari nos beneficio, non decipi oportet, *l. in commodato.* §. *sicut. ff. commodat.* Qui rem alienam donat, videtur iniuriam facere, & panem lapidosum dare, vt vtar verbo Senecæ II. de benef. VII.

CAPITVLVM XVIII.

IDEM EPISCOPO, ET CANTORI TORNACENSI.

CVM iam dudum: . · . · . Verùm quoniam ab R. Sielunen. Canonico, I. de Bithynia quædam obiecta fuere, multitudo videlicet tam dignitatum, quàm etiam præbendarum, ambitionis & auaritiæ vitium: cui nondum finem imponens, contra definitionis nostræ tenorem, & Lateranen. Concilij statuta, ad obtinendam præposituram Sielunen. se ingerit & ingessit, & quòd die intrusionis suæ ante confirmationem præsumpserit ministrare, sicut & post confirmationem cassatam: Mandamus, quate-

nus

nus si inueneritis prædictum I. habere plures alias dignitates atque præbendas: aut aliquid aliud præmissorum quod ad cassationem eius sufficiat, inueneritis esse verum: ei super iam dicta Præpositura silentium imponatis, ab impetitione ipsius Siclunen. Ecclesiam absoluentes. Cùm multa per patientiam tolerantur: quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debeant tolerari.

HÆc Decretalis integra extat in *cap. 1. de re iudicat. in III. Collect.* & ad eamdem pertinent epist. CIX. & CX. libr. I. eiusd. Innocent. III. Huius cap. species hæc est. Vacante Præpositura Siclinienfis Ecclesiæ, (Hæc est Collegium Canonicorum fundatum ab Eligio Nouiomensi Episcopo, de quo actum est *cap. proximo*, eiusdem meminit Miræus in Chronic. Belgic.) Ioannes de Bithinia, vel de Betunia, vir domi nobilis, electus est in Præpositum à quinque ex Canonicis: ei verò cùm obiectum esset quòd plures dignitates & præbendas haberet in diuersis Ecclesiis contra Constitutionem ipsius Innocentij, quæ hodie non extat in collectione Raimundi, & quæ erat in *cap. tua nuper. de institut.* & contra Lateranense Conc. *cap. quia in tantum. suprà, hoc tit.* & quòd die intrusionis ministrauit ante confirmationem, & post electionem cassatam. Re cognitâ Pontifex eum Præpositurâ depellendum iudicauit. Nec mouit Pontificem quod obiici poterat, in Gallia & Germania passim ex consuetudine pluralitatem beneficiorum tolerari, quia multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium non debent tolerari. Tolerantia non habet vim dispensatiuis, *cap. super eo. de cognat. spiritual.* nec inducit possessionem *l. qui iure familiaritatis. ff. de acquir. possess.*

CAPITVLVM XIX.

IDEM ARCHIEPISCOPO, ET ARCHID. SENONEN.

DILECTVS filius T. Canonicus Linconien. proposuit, quòd cùm de mandato C. Papæ præ. no. Linconien. Episcopus quamdam præbendam adsignauit eidem in Ecclesia Linconien. quia Capitulum ipsum ad eamdem recipere contemnebat: .·.

Ad instantiam Remen. Archiepiscopi, tunc Episcopi Prænestinen. Apost. Sed. le. & auctoritate illius, talis inter eum & Episcopum & Canonicos Linconien. compositio intercessit, quòd ipso ab eis recepto in Canonicum, & concesso sibi stallo in choro, & participatione qualibet diuinorum, idem fructus præbendæ percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturæ: .·.·. Cùm ergo dictum T. in Canonicum recipi, canonicis non obuiet institutis, & vacaturam expectare præbendam Lateranen. Concilio non sit dubium obuiare, nos facto eiusdem Legati illicito reprobato, quod est licitum adprobantes; quia videtur indignum, vt receptus in Canonicum præbendæ beneficio defraudetur: mandamus, quatenus dictos Episcopum & Canonicos, vt ei præbendam (cùm se facultas obtulerit) non differant adsignare, adpell. postpositâ compellatis. Facientes eidem portiones quotidianas, quæ fiunt in Ecclesia memorata sine deminutione qualibet adsignari.

HVIVS cap. species hæc est. Cùm Lingonensis Episcopus ex mandato Celestini III. cuidam T. præbendam contulisset in Ecclesia Lingonensi, & Capitulum ad eamdem ipsum recipere contemneret; Capituli proteruiâ commotus Pontifex huic sacris interdixit. Instante verò Guidone Rhemensi Archiepiscopo, tum Prænestino Episcopo, & Apostolicæ Sedis Legato; huiusmodi compositio facta est inter eum, & Episcopum ac Capitulum, quòd ipso recepto in Canonicum, & concesso ei stallo in choro, loco in Capitulo, & participatione diuinorum, idem præbendæ fructus non perciperet, nisi quæ primò vacaret. Re cognitâ Pontifex non improbauit receptionem Thomæ in Canonicum, quia canonicis non aduersabatur institutis; (Potest quis recipi in Canonicum, etiam sine præbenda, ita vt ei conferatur quæ primò vacabit) sed idem reprobauit collationem præbendæ proximè vacaturæ, quòd pugnaret contra Conc. Lateranense. *cap. nulla. de concess. prabend.* & in hoc, factum Archiepiscopi damnauit, quia Legatus non potest dispensare contra Conc. sed solus Pontifex. *cap. significasti. suprà, de elect.* Sed quia incongruum videbatur, vt semel receptus in Canonicum diu careret præbendâ, idem Pontifex mandauit Episcopo & Capitulo, vt ei præbendam conferrent, quamprimum se facultas offerret, & interim ei distributiones quotidianas, quæ præsentibus erogantur, assignarent. Haudquaquam mandatur, vt ei conferatur præbenda quæ primùm vacauerit, quia hoc esset contra Conc. Lateranense; sed cùm se facultas præbuerit. Expressa nocent, non expressa non nocent, *l. expressa. de R. I.* Potest quis institui in Canonicum sine præbenda. Canonia seu Canonica nihil commune habet cum præbenda. Canonia propriè est spiritualis & canonicus titulus. Præbenda est quid temporale, nempe ius percipiendi fructus præbendæ, qui in temporalibus consistunt; & hac significatione præbendam accepit Helgald. in vit. Roberti. *Iisdem centum Clericis pauperibus præbendam panis, piscis & vini concedebat, duodecim vnumquem-*

que eorum honorans denariis. Et Guill. Tyr. de bell. sacr. lib. x. cap. ix. *Canonicos instituit, eisque ampla beneficia, qua prabendas vocant, assignauit.* Sæpius tamen præbendæ appellatione continetur ipsum Sacerdotium seu Beneficium Ecclesiasticum. Gregor. in *can. si quis dator.* 1. *qu.* III. *Beneficia Ecclesiastica, qua quidam prabendas vocant.* Et Alexander II. in can. *ex multis*. ead. caus. & quæst. *Beneficium Ecclesia, quod quidam Canonicam, vel prabendas, seu etiam ordines vocant.* Eâdem analogiâ vsus videtur auctor Sermon. ad fratres in Erem. Serm. XXXVII. *Similiter, fratres, qui Sacramentum emit, vel Ecclesiam, vel prabendas, vel Ecclesiarum introitus.* Et paulò pòst: *Diuites enim vel numquam pauperibus Sacerdotibus prabendas procurant.* Non statim igitur atque quis est institutus Canonicus, confertur ei præbenda. Non omnes Canonici statim præbendarij sunt. Et huius distinctionis causâ dicuntur Canonici præbendarij. *can. Sanctorum.* LXX. *dist.* Vt è diuerso non omnes præbendarij sunt Canonici, non omnes præbendæ sunt Canonicatus: vt in singulis Ecclesiis Cathedralibus, Grammaticæ & Theologiæ Magistri habent singuli præbendam, non ideo verò efficiuntur Canonici, *cap. quia nonnullis. infrà, de Magistr.* Et in quibusdam Ecclesiis Episcopus habet præbendam, licèt Canonicus non existat. *cap. cùm in Ecclesia. hoc tit. in* VI. Et ita præbendarios à Canonicis rectè distinguit Stephan. Tornac. epist. XXXIV. *De domo Cardinalis in numero, & pondere, & mensura dispensatur eis, vnde mercenarij potiùs quàm filij, stipendiarij quàm milites, prabendarij quàm Canonici reputantur fratres.* Sed semel recepto in Canonicum debet conferri præbenda cùm primùm facultas se præbuerit, quia semel receptus in Canonicum non debet diutiùs carere præbenda; quæ ratio redditur in *hoc cap. & cap. relatum. suprà, hoc tit.* Receptus in Canonicum cum expectatione vacaturæ præbendæ, interim habet stallum in choro, locum in Capitulo, participationem diuinorum, & distributiones quotidianas quæ præsentibus erogantur, vt exponitur in *hoc cap. & d. cap. relatum.* quia distributiones quotidianæ non sunt de corpore beneficij, non proueniunt ex ipsa præbenda, sed debentur ratione diurni ministerij, nec continentur appellatione fructuum, *extrauag. cùm nonnulla. hoc tit.* quo fit vt debeantur tantùm præsentibus, & actu seruientibus, *cap. de cætero. de Cleric. non residentib.* Quod autem statuitur in hoc cap. Canonicum, quem institui posse sub expectatione futuræ præbendæ, non est correctum per *cap.* II. *de concess. prabend. in* VI. quo directè & indirectè vetita est prouisio de vacaturis beneficiis; quia receptus in Canonicum debet habere præbendam, non vi promissionis, quæ est nulla & irrita, sed ratione Canoniæ; quia ex quo est Canonicus, congruens non est vt careat præbenda.

CAPITVLVM XX.

IDEM EPISCOPO BRIXIEN.

TVÆ fraternitatis deuotio: .'.'. Cùm sæpe contingat quòd ad vnam præbendam duo Clerici propter importunitatem petentium eligantur: Nos attendentes, quòd si duo vnam præbendam tenerent, illud esset contra Concilium Turonen. quod præbendarum prohibet sectionem: & si vnus illorum ipsam obtineret præbendam, sub expectatione alius contra Lateranen. Concilij statuta remaneret. Inquisi. t. t. r. quòd talis electio de rigore iuris penitus est cassanda.

SI duo Clerici ad vnam eamdémque præbendam eligantur, vtriusque electio ipso iure nulla & irrita est, quia ne duo vnam præbendam teneant, obstat Conc. Turonens. quod vetat sectionem præbendarum, *cap. maioribus, supra, hoc tit.* & apud ipsum Innocent. III. lib. 1. epist. CCIV. & si vnus ex illis præbendam ferret, sub expectatione alius remaneret, pugnaret Conc. Lateranense, quod vetat collationem non vacantis beneficij. *cap. nulla. de concess. prabend.* Et hæc est summa huiusce cap. Sicut vna Ecclesia, quæ est sponsa, non potest diuidi inter duos vel plures. *can. sicut in vnaquaque* XXI. *qu.* II. Conc. Nannet. can. VIII. Paris. VI. can. XLIX. duo non possunt esse Episcopi in vna & eadem ciuitate ex Nicæno Canone qui desideratur inter XX. Canones eiusdem Conc. qui supersunt. & quem tempore electionis suæ sibi notum non fuisse fatetur August. epist. CX. *Adhuc in corpore posito beata memoria Patre & Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicano prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Et cùm literis Constantij Liberius restitutus esset, eâ lege vt Ecclesiam regeret cum Felice qui in eius locum suffectus erat, Populus Romanus fortiter intercessit vno ore conclamans εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς ἐπίσκοπος, vt refert Theodorit. lib. II. cap. XVII. Sic & præbenda, quæ est beneficium Ecclesiasticum, scindi non potest ex Conc. Turonensi. Spiritualia, quæ sunt incorporalia, non diuiduntur; quod mysticè signatum in Abrahami sacrificio, in quo aues non fuisse diuisas obseruatur, quæ sunt typi rerum spiritualium, Ambros. de Abraham, lib. II. cap. VIII. *Denique supra columbam & turturem non descenderunt, quia diuisa ista aues non erant: non sunt enim diuisi iusti, quibus dicitur vt sint simplices sicut columba.* Non obstat *cap. proposuit. de filiis Presbyter.* Si patronus præsentauerit Subdiaconum Episcopo, ordinandum in Ecclesia, in qua habet ius Patronatus; quia indignum est, vt ordinatus in Subdiaconum omnino careat Ecclesiastico beneficio, Pontifex mandat Episcopo, vt aliquem idoneum Presbyterum cum assensu eiusdem Clerici eligat, qui supradictæ Ecclesiæ inseruiat, ita vt semissem ferat omnium beneficiorum, id est, redituum Ecclesiæ; quia hoc fit ex dis-

pensatione Summi Pontificis qui habet plenitudinem potestatis: & Presbyter adjungitur Titulari non tamquam Prælatus, sed tamquam minister & adiutor; ex quo non sequitur diuisio Ecclesiæ, vel tituli. Neque obstat *cap. ad audientiam, infrà, de Eccles. ædificand.* vbi propter nimiam distantiam potest alia Ecclesia ædificari intra fines matricis Ecclesiæ, quia titulus Ecclesiæ Parochialis non diuiditur, sed noua Ecclesia constituitur ex iusta causa, saluo honore matricis Ecclesiæ.

CAPITVLVM XXI.

NISI essent viri prouidi & honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quàm illi, circa quos est facta ordinario, in Ecclesia vestra super negotio Prioratus, ordinationem illam valde suspectam propter exempli perniciem haberemus. Quod ergo post concertationem diurinam ordinatum est circa vnum de duobus electis, vt ipse habeat Prioratum, hoc ex iurisdictione delegata secundùm iustitiam videtur esse statutum. Quod autem ordinatum est circa reliquum, vt ipse viginti libras de reditibus Capituli, & quadraginta de prouentibus Prioratus percipiat annuatim; hoc secundùm prouidentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate, cùm in delegatos fuerit compromissum, qui auctoritatem sibi retinendo commissam, se pro bono pacis & vtilitatis hoc ordinasse fatentur. Quia igitur hæc ordinatio ab omnibus est recepta, possúntque licitè Prior & Capitulum de prouentibus suis propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, sed ex iussione iudicum prouisionem huiusmodi exhibere: nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, vt ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne fortè circa prouentus aliqua videatur facta sectio Prioratus: ita quòd ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.

HVIVS cap. species hæc est. Vacante quodam Prioratu Conuentuali duo ad ipsum in concursu electi sunt. Lite subortâ, eáque à Pontifice demandatâ certis iudicibus, partes rei celeriùs expediendæ causâ compromiserunt in iudices delegatos, qui compromissum suscepere saluâ delegatâ potestate. Nihil vetat iudices datos suscipere compromissum, retentâ delegatâ potestate, vt ostenditur *hîc, & cap. literas. de præsumpt. cap. cùm olim. cap. innotuit. de arbitr.* Idémque iuris est in Ordinario, *cap. cum tempore, eod. tit. & cap. causam quæ. de elect.* Re cognitâ iudices dati, siue arbitri pro bono pacis statuerunt, vt vnus è litigantibus Prioratum obtineret, & alter pensionem haberet super fructibus beneficij, nempe XX. libras super reditibus Capituli, & XL. libras super prouentibus Prioratus; Intellige mensas Prioris, & Capituli esse diuisas, vt se habet in plerisque Ecclesiis, *cap. edoceri, suprà, de rescript.* Partes petiere à Pontifice huiusmodi sententiam confirmari, & Pontifex pensionem ratam habuit, quia eius ordinatio seu constitutio ab vtraque parte est recepta, & huiusmodi pensio constituta, non ex pactione partium, sed ex sententia iudicum, & pro bono pacis, tum quia pensio non excedebat modum. Pontifex verò huiusmodi pensionem admisit, adhibito hoc temperamento, vt ad præstationem pensionis, non dignitas Prioratus, non corpus beneficij, sed persona Prioris maneret obligata, ne fortè quoad reditus videretur facta sectio Prioratus, ita vt morte Prioris pensio extingueretur, nec onus eiusdem transiret in successorem. Iure antiquo Ordinarius, putà Episcopus, ob iustam causam, & ob vtilitatem Ecclesiæ potuit imponere pensionem beneficiis Ecclesiasticis. *can. possessiones.* XVI. *qu.* I. Hodie solus Pontifex potest imponere pensionem, quia habet plenitudinem potestatis in beneficiis, *cap.* II. *hoc tit. in* VI. Et quod statutum est à iudicibus datis arbitrariâ potestate, non valet nisi propter dispensationem Summi Pontificis quæ accessit. Inferior à Pontifice non potest imponere pensionem beneficio, quia constitutâ pensione scinditur beneficium; quod est contra Conc. Turonense. *cap. maioribus, suprà, hoc tit.* Probatur hîc pensio imposita pro bono pacis. Pensio potest imponi beneficio tribus casibus. Primò pro bono pacis, vt exponitur hîc: multa scilicet pro bono pacis contra ius tolerantur. *cap. Abbate. de V. S.* seu vexationis redimendæ causâ. *cap. dilectus de Simon. can. quæsitum.* I. *qu.* III. quando scilicet beneficium est litigiosum. Secundò in resignatione, ne resignans nimium patiatur dispendium, *cap. super hoc. de renuntiat.* Tertiò in permutatione beneficiorum, ob inæqualitatem redituum, alteri imponitur pensio. *cap ad quæstiones, infrà, de rer. permutat.* Schismatis tollendi causâ multis non turpe visum, quòd tribus Sedis Apostolicæ subsessoribus pecunia data, & Benedicto vni è tribus, qui maioris auctoritatis videbatur, reseruatum pensionis vice vectigal Anglicanum. Otho Frisingens. Chronic. lib. VI. cap. XXXII. *Hunc miserrimum statum Ecclesiæ Religiosus quidam Presbyter, Gratianus nomine videns, zelóque pietatis matri suæ compatiendo animaduertens præfatos viros adiit, eisque à Sede sancta cedere pecunia persuasit, Benedicto reditibus Angliæ, quia maioris videbatur auctoritatis esse, relictis: ob ea ciues præfatum Presbyterum, tamquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in Summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VII. vocauerunt.* Pensio constituta admittitur, quia non excedebat modum. pensio non debet imponi vltra modum, ne exhauriantur fructus beneficij, qui destinati sunt sumptui ministerij Ecclesiastici. Reseruatio mediæ

partis fructuum vice pensionis toleratur, *extrauag. suscepta Ioann. XXII. de elect.* Sed in Gallia pensionon constituitur vltra tertiam fructuum. Sui naturâ pensio est onus reale quod transit in successorem beneficij cui onus impositum est, quia est onus fructuum; sed hîc pensioni modus impositus est, vt morte Prioris extinguatur, nec transeat in successorem, quia recepta est pro bono pacis, & ex singulari dispensatione Pontificis, qui secutus est sententiam iudicum.

CAPITVLVM XXII.

IDEM VADEN. EPISCOPO, ET ABBA. VATIAN.

PRo illorum prouisione: .·.·. Burdegalen. Archiepiscopo mandauimus, vt magistro R. in aliqua Ecclesiarum suarum, vbi ei expedire cognosceret, comperens faceret beneficium adsignari, contradictores Ecclesiast. districtione compescens: qui Decano & Capitulo Xantonen. auctoritate nostrâ mandauit, vt ipsum admitterent in Canonicum & in fratrem. Cúmque iidem reluctarentur Canonici, ac indulgentiam de quadragenario Canonicorum numero ei opponerent: quia Archiepiscopus cognouit illos in elusionem mandati nostri indulgentia concessa eis irreuerenter abuti, prædictum magistrum de Præbenda & Canonica Xantonen. Ecclesiæ inuestiuit, contradictores vinculo excommunicationis adstringens: .·.·. Quia verò quod per dictum Archiepiscopum de memorato magistro auctoritate nostrâ prouidè factum est, firmitatem volumus obtinere: mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictos Canonicos indulgentiam, quam habent de certo Canonicorum numero, non seruasse, & aliquem vltra constitutum numerum in Canonicum auctoritate propriâ recepisse: cùm nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt obseruare, latam in ipsos excommunicationis sententiam à prædicto Archiepiscopo tamdiu denuncietis sublato adpellationis obstaculo seruandam, donec sæpe dictum magistrum recipiant in Canonicum, & ea, quæ ad canonicatum pertinent, cum stallo chori & loco Capituli ei studeant adsignare.

HVivs cap. species hæc est. Burdegalensis Archiepiscopus, cùm ei à Pontifice mandatum esset, vt R. Clerico, qui apud Sedem Apostolicam longiorem moram fecerat, in aliqua Ecclesiarum suarum competens beneficium conferret, Decano & Capitulo Santonensi mandauit, vt R Clericum reciperent in Canonicum & in fratrem: Non abs iure: Santones enim sunt sub Metropoli Burdegalensi. Gregor. Tur. lib. vii. cap. xxxi. *Bertchramnus autem Episcopus Burdegalensis, qui erat Metropolis, canens futura Palladium Sanctonicum iniungit, qui eum benediceret.* Et Archiepiscopus in vim mandati de conferendo beneficio in aliqua Ecclesiarum suarum, potuit mandare vni è suffraganeis, vt beneficium illi conferret; quia Archiepiscopus est Ordinarius omnium Episcoporum prouinciæ suæ, & quod mandat suffraganeis, intelligitur mandare in aliqua Ecclesiarum suarum, vt quod permittitur Archiepiscopo vti pallio intra Ecclesiam suam ita accipiendum est, vt eo vtatur intra quamlibet Ecclesiam prouinciæ suæ. *cap. 1. cap. ex tuarum. de vsu & auctoritat. Pallij.* Detrectantibus Canonicis Santonensibus iussa exequi, & tuentibus sese opposità exceptione, si non indulgentia eis concessa esset à Summo Pontifice de quadragenario Canonicorum numero, cùm tamen tum plures essent; Burdegalensis Archiepiscopus adhibito consilio & consensu Episcopi Santonensis R. Clericum inuestiuit de præbenda, & Canonia in eadem Ecclesia, & Canonicos contradicentes excommunicauit. Ait, de consensu Santonensis Episcopi; quia videbatur magis, vt Ordinarius quàm vt delegatus procedere, & Archiepiscopus nihil potest tentare in diœcesi suffraganei sui, absque ipsius assensu, nisi in casibus pressis à iure. *cap. sicut vnire. de excess. Prælat.* Re cognitâ Pontifex sententiam Metropolitani ratam esse iussit donec R. reciperetur in Canonicum, eique assignaretur stallum in choro, locus in Capitulo, & ea omnia quæ pertineant ad Canonicos. Nec mouit Pontificem quòd delegatus non potest prouidere in Ecclesia, vbi est certus numerus Canonicorum, nisi fiat mentio de numero. *cap. constitutus. de rescript.* quia etsi ex priuilegio in ea Ecclesia esset certus numerus Canonicorum, tamen ipsi Canonici vltro derogarant suo priuilegio, adscitis suâ auctoritate alijs Canonicis supra numerum; nec congruum erat legem eos dicere Summo Pontifici, quam ipsi non seruarent, vt eleganter proditur *hic, & cap. cùm accessissent. de constitut. cap. accedentibus. de priuileg.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM BISVNTINEN. ARCHIEPISCOPO.

TVIS quæstionibus respondemus, quòd Clericos in minoribus ordinibus constitutos de patrimonialibus bonis habentes, vnde possint congruè sustentari, etsi nondum fuerint beneficium Ecclesiasticum adsecuti; dummodo aliud canonicum non obsistat, ad superiores poteris ordines promouere.

CLERICI ad sacros ordines non sunt promouendi absque titulo. *can. neminem. can. Sanctorum.* LXX. *dist. cap.* II. *cap. Episcopus. cap. cùm secundùm, suprà, hoc tit.* ne in opprobrium Cleri mendicare cogantur, vel sordidum quæstum exercere. *can. Diaconi sunt.* XCIII. *dist.* Quòd si habeant idoneum & sufficiens patrimonium, hoc casu possunt ordinari sub titulo patrimonij, vt exponitur *hic, & d. cap. Episcopus. & cap. si Episcopus. hoc tit. in* VI. Quæritur an patrimonium, sub cuius titulo quis ordinatus est, possit alienari. Vincentius negat. Tancredus contrarium affirmat ex glossa hoc loco. Prioris sententia sequenda est ex decreto Conc. Trident. *sess.* XXI. *de reform. cap.* II. ex quo patrimonium ad cuius titulum quis fuit ordinatus, sine licentia Episcopi alienari, aut remitti non potest, donec beneficium sufficiens sit adeptus, vel aliunde haberet, vnde se tueri & alere possit.

CAPITVLVM XXIV.

IDEM EPISCOPO ZAMOREN.

ACCEDENS ad Apostolicam Sedem: .·.·. Inquisitioni t. t. r. quòd Clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso poterit de beneficio Ecclesiastico inuestiri.

INVESTITVRA Ecclesiarum, & missio in possessionem spectat ad Archidiaconum. *cap. ad hæc. cap. vt nostrum, suprà, de offic. Archidiacon. cap. in tantum. de simon.* Io. Saresber. epist. I. *Ad hæc Huntfredus Ecclesiam suam ab antiquo liberam esse dicebat, asserens se ab Abbate Abbendrone Ecclesiam liberam, & sine expressione cuiusque oneris recepisse, & per Archidiaconum Episcopi, vt mos est, in possessionem liberam canonice introductum.* Inuestitura & missio in possessionem fit per alium; qui enim propriâ auctoritate nactus est possessionem, prædo est *l. si ex stipulatione. ff. de acquir. possess.* Clericus absens potest inuestiri de beneficio, & mitti in possessionem per alium, id est, per procuratorem, vt definitur in *hoc cap.* Possessio per procuratorem adquiritur. *l.* 1. §. *per procuratorem. ff. de adquir. poss. l.* 1. *C. eod.* Possessio beneficij non potest apprehendi per Laïcum, sed per Clericum tantùm. *d. cap. ad hæc. & cap. ex frequentibus, infrà, de institut.* Inuestitura & missio in possessionem sunt diuersa; inuestitura enim non tribuit possessionem, sed ius obtinendi possessionem. *cap. pro illarum. hoc tit. cap. per tuas. de donat. cap. cum Ecclesiastica. de except. in* III. *collect.* Et apud ipsum Innocent. III. lib. I. epist. CCLVI. ideóque in *can. testis.* XVI. *qu.* II. maius est possessionem dare, quàm inuestituram concedere. Inuestitura præbendæ canonicæ, vel dignitatis fit per annulum. *cap. cùm olim, suprà, de capitul.* vel per traditionem libri, seu missalis, vt iam obseruatum est ex Iuone, epist. CLXXXII. & CCLXXXV. inuestitura Cancellariæ per traditionem sigilli. *cap. vt vestrum. de appellat.* inuestitura Episcoporum & Abbatum per virgam & annulum. Valtramo Naumburg. lib. singular. de inuestitur. Episcopor. Abbat. Vrspergens. & alijs inuestituræ beneficiorum & dignitatum varia sunt symbola pro ratione dignitatum. Bernard. Clareuallens. serm. de baptismo. *Sicut in exterioribus diuersa sunt signa, varia sunt inuestitura secundùm ea de quibus inuestimur: verbi gratiâ inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul; Sicut inquam in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt tradita Sacramentis.*

CAPITVLVM XXV.

IDEM TRECEN. EPISCOPO.

DILECTO filio P. sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali, Cellerario Trecen. & R. Procuratori tuo, auditore concesso, idem Cellerarius proposuit coram eo, quòd cùm in manibus Remen. Archiepiscopi tunc Apost. Sed. leg. intendentis prouidere G. nepoti suo in Trecen. Ecclesia præbendam, quam ibi obtinebat, liberaliter resignauit: dictus Legatus præfatum G. & eumdem Cellerarium in Canonicos Trecen. instituit, & ambobus idem Capitulum Trecen. stallum in choro, & locum in Capitulo, & idem Archiepiscopus suptadictæ præbendæ fructus diuidendos commu-

niter adsignarunt, donec idem G. integrum esset præbendale stipendium adsecutus: .·.·. Quorum receptionem procurator generalis præd. tui in partibus Constantinopolitanis tunc agentis postmodum adprobauit. Dictus quoque Cellerarius lectionem & Euangelium in hebdomada sua legisse dignoscitur, & tam Decani quàm Episcopi electioni, & aliorum negociorum tractatibus sicut Canonicus Trecen. interfuit, & domum quandam per Capitulum memoratum obtinuit, quæ non nisi Canonico consueuerat adsignari: túque cùm ad eamdem accessisses Ecclesiam consecratus, eum cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cùm tunc non nisi Canonici ad osculum admittantur: & eidem super prædictis non mouisti per biennium quæstionem: propter quod petiit, vt te ab ipsius super hoc molestatione indebita compescere dignaremur: .·.·. Procurator tuus proposuit ex aduerso, quòd ad vnicum ius spirituale, quod vacabat ibidem, insimul duos Canonicos instituere prædicto Legato non licuit. nam si duo vnicam præbendam haberent, id esse contra Turonen. Concilium, quod præbendarum inhibet sectionem. Si verò duobus receptis, vni tantùm præbenda daretur, sub expectatione alius contra Lateranen. Concilium remaneret. Præterea licèt in Ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum, nullâ etiam vacante, in Canonicum quis possit adsumi, cùm intelligatur ad quoddam ius eligi, quod ex electorum adsensu de nouo creatur, & cum electo in Canonicum nascitur, & desinit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ determinatum habet numerum præbendarum, vno indiuiduo iure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud, eo quòd huiusmodi spirituale ius diuidi seu communicari nequeat inter eos, quamquam interdum hi, ad quos spectat electio, de communi adsensu augmentare valeant numerum præbendarum quoddam ius spirituale de nouo creando, nisi fortè statutum aliquod obuiaret, quod esset iuramento firmatum, vel cui Sed. Apost. confirmatio accessisset, huiusmodi clausulâ prohibitionis adiectâ, vt si quicquam contra id fieret, non valeret: propter quod institutionem præfatam nullam fuisse dictus adseruit procurator, cùm in Trecen. Ecclesia certus sit præbendarum numerus, quem Capitulum vel Legatus augmentare minimè intendebat, vel ius aliquod de nouo creare. Vnde dictum Cellerarium ad restitutionem eorum, quæ ratione prædictæ institutionis tenebat, sententialiter duximus condemnandum, ei super præbenda ipsa vel eius parte silentium imponentes: Ita quòd per hoc prædicto G. nullum præiudicium generetur: cùm res inter alios acta, regulariter aliis non obsistat.

HÆc Decretalis integra extat apud Innoc. III. epist. LXXII. regist. XIII. Huius species hæc est. Cellerarius Trecensis Ecclesiæ in manibus Guidonis Rhemensis Archiepiscopi & Apostolicæ Sedis Legati liberaliter, id est, purè & simpliciter resignauit præbendam quam obtinebat in Ecclesia Trecensi. Idem Archiepiscopus G. nepotem suum, & eumdem Cellerarium in Canonicos Trecenses instituit, & præfatæ præbendæ fructus inter vtrumque ex æquis portionibus diuisit, donec idem nepos præbendam integram esset assecutus; idque de assensu Capituli, quod vtrique stallum in choro, & locum in Capitulo assignauit. Cùm Canonici instituuntur, solemniter installantur, id est, solemniter eis datur stallus in choro, & locus in Capitulo. *cap. dilectus, suprà, hoc tit. cap. cùm pro quæstione. de concess. præbend. in* II. *collect.* Solemniter installantur & Abbates & Abbatissæ. *cap. vt nostrum, suprà, de offic. Archid.* Ekkeard. iunior de Casib. Monast. S. Galli, cap. IX. *Stat consilium patrem filiis oblatum in Sanctis Benedictis, cuius imago appicta sedebat, ponere solium. inducitur manu Episcopi, locutúsque parumper residet.* & Priores Conuentuales; vnde distinctionis ergo, Priores installati dicuntur Matth. Paris ad ann. MCCXXXVII. *Misit autem* (Henricus III.) *continuò per omnes fines Angliæ scripta regalia, præcipiens omnibus ad regnum Angliæ spectantibus, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Prioribus installatis*, &c. & idem ibid. *Misit igitur* (Otho Cardinalis & Legatus Sedis Apostolicæ in Anglia) *literas suas, vt vocati omnes Angliæ Prælati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati tam sub Conuentus sui vel Capituli, quàm suo nomine literas procuratorias deferentes, vt quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum vtrobique haberetur.* Abbatibus Cisterciensis Ordinis solemnem installationem vetuit Honorius III. *cap. ne Dei Ecclesiam, infrà, de simon.* Stallus est locus in choro. Robertus Montens. supplem. Sigebert. ad ann. MCLXXX. *Walterius Cluniacensis Abbas, Priorem de stallo deposuit.* Cæsarius Cisterciens. de miracul. lib. I. cap. VI. *Et intrauit chorum vterque, stante Priore in stallo suo.* & idem lib. V. cap. V. *Vidit intra presbyterium duos dæmones intrare, & paulatim ascendere ad stallum Abbatis.* Et paulò pòst, *Dominus Eustachius, & Prior Hermannus qui hæc vidit, à stallis suis semoti.* Stallum Petro Vallis-sarnens. Hist. Albigens. cap. XVI. *Ipsa etiam stalla Ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt.* quo sensu stallum etiam sumitur pro statione carnificis in qua carnes venum exponuntur. *cap. significante, suprà. de appellat. Dicebant aliis quàm in stallis Decani & Capituli prædictorum carnifices carnes*

vendere non debere. Gall. *vn estail de Boucher.* Aliàs stallum pro præmio, seu mercede militiæ, Petrus de Vineis lib. VI. epist. IX. *Et terras omnes circumquaque iacentes, exceptis C. & P. quas N. & N. dilecti fideles nostri habere noscuntur ad præsens, vel habituri sunt in antea de stallis & recompensationibus vassallorum suorum, quos ibidem hactenus habuerunt.* Quandoque & stallum pro statione seu stabulo equorum, vnde Stallarius pro Comite regij stabuli, Roget. Houeden. *Quibus Eadnothus, qui fuit Haroldi Regis Stallarius, occurrit cum exercitu.* Idem actum est consentiente Procuratore Generali, id est, Vicario Episcopi, tum agentis in partibus Constantinopolitanis. Hic fuit Rainerius nomine, qui anno Christi MCXCVIII. sacræ militiæ tesseram suscepit vnà cum Theobaldo Comite Campaniæ, & aliis optimatibus Francorum, de quo in *cap. magnorum. infrà. de vot. & vot. redempt.* & apud Goffrid. Vilharduain lib. I. expedit. CP. Idem Cellerarius per biennium in Ecclesia Trecensi functus est officio Canonici recitando lectionem & euangelium in hebdomada sua. Canonici officium est recitare lectionem & euangelium, & missam celebrare per vices seu in hebdomada sua, vt liquet ex hoc *cap. & d. cap. cùm pro quæstione.* Iuo Carnoteus epist. CCLXXXVI. *Abbas autem electus in communi Capitulo B. Mariæ præsentetur & ab Episcopo recipiat Abbatiam, & sicut alij Canonici in Ecclesia B. Mariæ suam faciat septimanam.* Et in præmium officij, collatio beneficiorum, ex consuetudine vel statuto, spectat ad Canonicum hebdomadarium, qui ea confert vice Capituli. *cap. vlt. h. tit. in* VI. Ita à Sacerdotibus Iudaïcis sacrificandi officiũ per vices diuisum ἐξ ἐφημερίας Luc. I. ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. *Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia.* Et paulò pòst: ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ θεοῦ, κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας. *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundùm consuetudinem sacerdotij.* Idem etiam Canonicũ functus est, suffragium ferendo in electione Decani, & Episcopi; nimirũ in ea expeditione fatis functo Rainerio in eius locum suffectus est Herueus, cui *hoc cap.* inscribitur. Idem præterea à Capitulo quamdam domum obtinuit, quæ non solet nisi Canonico assignari. olim Canonici in commune viuebant; sed sublatâ communione vitæ, domus quæ antè in communem vsum comparatæ erant, vt quædam communis vitæ imago retineretur, singulis Canonicis assignatæ fuere, & singulis præbendis annexæ, vt ostenditur *hîc, & cap. constitutis. de appellat.* Præter hæc aliud possessionis argumentum adiiciebatur; quòd cùm primùm Trecensis Episcopus post consecrationem ad Ecclesiam accessit, ad osculum Episcopi cum aliis Canonicis idem G. admissus est: cùm tamen tunc non nisi Canonici ad osculum admittantur. Singulare est ius Canonicorum Cathedralium, quòd tamquam fratres admittuntur ad osculum Episcopi. Innocent. III. lib. I. epist. LXXV. de electione Pictauiensis Episcopi. *Et vt electio non publicaretur eadem die, ab Archiepiscopo postularunt, dantes ei osculum pacis, quòd ab electione ipsa nullatenus resilirent: imò eam omnes & singuli defensarent.* Vt Abbates exempti admittantur ad osculum Summi Pontificis tamquam ordinarij exemptorum, *cap. cùm olim. I. de Priuileg.* Admittere ad osculum dicitur de maiori ad minorem, vt hîc de Episcopo ad Canonicos, de Pontifice ad iubentes, vel de Magistro ad Discipulum. Achilles de Chirone erga se apud Papin II. Achilleid. *nec me antè nisi inspectis admisit ad oscula telis.* Quamuis hæc omnia ita se habuerint, Pontifex vtriusque institutionem nullam & irritam esse pronuntiauit, quasi factam à Legato Pontificio extra prouinciam; Rhemensis sc. Archiepiscopus erat Legatus in Teutonia seu Germania, vt liquet ex Epistola Innocent. III. & integra decretali in III. Collect. & ita non poterat se immiscere rebus Galliæ. Legatus extra prouinciam Legationis officium gerere non potest. *cap. venit. suprà. de offic. Legat.* Aliâ ratione subiungitur & institutionem Cellerarij nullam & irritam esse, quasi factam vel contra Conc. Turonense, quod vetat sectionem præbendarum; vel contra Lateranense, quo non potest vni dari præbenda integra, & alteri promitti proximè vacatura; & in fine capitis additur eamdem institutionem etiam nullam esse, quia in Ecclesia Trecensi erat certus numerus præbendarum à Canonicis iureiurando confirmatus. Nec fuit animus Capitulo, aut Legato, quo tempore admissus est Cellerarius, augere numerum præbendarum: vnde rectè concluditur eum parte præbendæ mulctandum, quæ tota cessit ab initio in manibus Legati. In Ecclesia in qua non est certus numerus præbendarum, etiam nullâ vacante præbendâ potest quis in Canonicum institui: quia intelligitur ius nouum creari. In Ecclesiis non numeratis non datur vacatio præbendarum, quia vacatio dicitur respectu existentiæ & certi numeri præbendarum; & morte Canonici non vacat præbenda, sed desinit esse. *cap. ex parte. infrà. de concess. præbend.* In Ecclesia non numerata cùm quis recipitur in Canonicum, creatur quoddam ius de nouo, quod eiusdem morte extinguitur, vt docetur hîc. In Ecclesiis verò numeratis, vacante vnâ præbendâ, ad eam duo pro partibus institui non possunt; quamuis interdum Canonici ex communi consensu possint augere numerum præbendarum supercrescentibus reditibus, nisi statutum obuiet, de certo sc. numero Canonicorum, maximè quod esset iureiurando firmatum, ne numerum excederet; & à Summo Pontifice ratum habitum: de quo in *cap. cùm accessissent. & cap. cùm Martinus. de Constit.*

CAPITVLVM XXVI.

VACANTE quadam præbenda in Ecclesia tua, duas ex ea constituens, ad illas de consensu Capituli tui duos Canonicos adsumpsisti: quorum altero viam vni-

versæ carnis ingresso, præbendam, quam defunctus habuerat, quidam Clericus nomine Hippolytus fuit auctoritate Se. apo. Adsecutus. Verùm cùm idem Hippolytus te super integritate præbendæ, per quasdam nostras litteras inquietet, & alius idem ius aduersùs te, se habere proponat, quid facere debeas requisisti. Super quo sic duximus respondendum, quòd cùm Turonen. statuta Conc. sectionem inhibeant præbendarum, teneris vtrique de his, quæ vacare contigerit, integrare præbendam, nisi rationabili causa de vacante præbenda supradicta duæ fuerint constitutæ, ac tot sint vtriusque prouentus, quòd per vtramque sit vtrique prouisum in beneficio competenti.

PRÆBENDÆ scindi non possunt ex Conc. Turonensi, *cap. Majoribus. suprà. h. tit.* nisi adeò sint opimæ, vt vna duobus sufficere possit. Vacante præbendâ, si Episcopus eam diuiserit in duas, & ad eam duos Canonicos instituerit, pro integratione præbendæ alterutrius non debet rursus aliam præbendam deintegrare: pro integratione vnius præbendæ alia de nouo scindi non debet. *cùm causam. infrà, h. tit.* Sed cùm primùm aliqua præbenda vacauerit, tunc de ea vtrique tenetur integrare præbendam, nisi ex rationabili causa præbendam vacantem diuiserit in duas: puta si adeò sit pinguis & luculenta, vt duobus commodè sufficere possit, vt definitur *in hoc cap.* Ratio est, quia beneficia Ecclesiastica instituta sunt pro pauperibus Clericis, & satis est, si sufficiant ad sustentationem vitæ. *can. Clericos. & seq.* I. *qu.* II. *can. vlt.* XVI. *qu.* I. Nihil ergo vetat beneficium diuidi, si excedat modum alimentorum vnius Clerici.

CAPITVLVM XXVII.

IDEM VERCELLEN. EPISCOPO.

DILECTVS filius G. Clericus nobis exposuit conquerendo, quod cùm pro eo ad Nouarien. Capitulum mandatum apostolicum misissemus, vt eum in Canonicum reciperent & in fratrem, præbendam (si qua tunc vacabat) conferentes eidem: .·.·. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si tibi constiterit, quòd in Nouarien. Ecclesia præbenda vacaret tempore quo eiusdem Ecclesiæ Canonici nostras litteras receperunt: cùm eam alij in elusionem mandati nostri duxerint conferendam, eumdem Clericum si non habet sufficiens beneficium ecclesiasticum, in Canonicum recipi facias, & sibi de reditibus Ecclesiæ singulis annis adsignari prouentus, donec ei sit in beneficio præbendali prouisum.

HVIVS cap. species hæc est. Pontifex mandauit Capitulo Nouariensi, vt G. Clericum reciperent in Canonicum & in fratrem, & præbendam si qua vacaret ei conferrent. Spreto mandato Pontificio Capitulum præbendam, quæ vacabat tempore præsentationis rescripti, alij contulit: hoc obtentu quòd non vacaret tempore impetrati rescripti. Quæsitum est an collatio alij facta in elusionem mandati Apostolici, valeret. Respondit Pontifex collationem valere, sed Capitulum teneri interim eum recipere in Canonicum, & ei alimenta exhibere sumptibus Ecclesiæ, donec præbendam ei contulerit. Collatio facta contra mandatum Pontificis valet, quia præsentatio rescripti non ita afficit beneficium, vt collatio alij facta sit nulla; nisi mandato insit clausula, irritum, id est, vt irritum sit & inane, quicquid contra prohibitionem factum fuerit. *cap. inter cætera. cap. dilecto. suprà. hoc tit.* & ita conciliantur *cap. si Capitulo. & cap. si soli. de concess. præbend. in* VI. quæ alioquin pugnantia videntur.

CAPITVLVM XXVIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

DE multa prouidentia fuit in Lateranen. Concilio prohibitum, vt nullus diuersas dignitates ecclesiasticas, vel plures Ecclesias parœciales reciperet contra sacrorum canonum instituta, alioquin recipiens, sic acceptum amitteret, & largiendi potestate conferens priuaretur. Quia verò propter præsumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de prædicto statuto fructus prouenit: nos euidentiùs & expressiùs occurrere cupientes; præsenti decreto statuimus, vt quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si priùs tale beneficium habebat, eo sit ipso iure priuatus: & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum: & si vltra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alios secundùm Lateranen. Concilij

cilij

cilij ſtatutum eius collatio deuoluatur, verùm etiam tantùm de ſuis cogatur prouentibus in vtilitatem Eccleſiæ, cuius eſt illud beneficium adſignare, quantum à tempore vacationis ipſius conſtiterit eſſe perceptum. Hoc idem & in perſonaribus eſſe decernimus obſeruandum: addentes vt in eadem Eccleſia nullus plures dignitates, aut perſonatus habere præſumat, etiam ſi curam non habeant animarum. Circa ſublimes tamen & litteratas perſonas, quæ maioribus beneficiis ſunt honorandæ: cùm ratio poſtulauerit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

EX Concilio Lateraneoſi habito ſub Alexandro III. idem non poteſt habere plores dignitates, vel præbendas, vel Eccleſias Parœciales, vt expooitur hîc; quod deſumptum eſt ex *cap. quia in tantum. ſuprà h. tit. & cap. quia nonnulls. de cleric non re ſidentib.* Et idem aotè prouiſum eſt Synod. VII. can. xv. *can. clericus.* xxi. *qu* 1. & Synod. Tolet. XVI. can. iv. ean. *vnio.* x. *qu.* iv. & Aurelianenſ. III. can. xviii. Ex eodem Conc. Lateranenſi habens plures Eccleſias vel præbendas, quod recipit amittit, & collator conferendi poteſtate prioatur; obtioens aliud beneficium incompatibile, ſecuodum amitrit, non ipſo iure, ſed per ſeoteotiam, non priuatur ſecundo ipſo iure ſed venit priuaodus, quod fuit de nouo inſtitutom: ante Lateranenſe enim Concilium habens duo beneficia incompatibilia poterat eligere vnum quod mallet, & alterum dimittere compellebatur, *cap. referente. cap. præterea. ſuprà h. tit.* ſed quia corroptelâ ſeculi ſtatutum Lateranenſe fructu ferè caruit, eâ ſcilicet ætate fœda Eccleſiæ labes fuit beoeficiorum coacetuatio. Io. Sareſber. Policratic. lib. VII. cap. XVII. *Vtique & inſignis prudentia, ſi quis tot quocunque modo conquirit altaria, vt quaſi ritu Memphitico quotidianas hoſtias nouis poſſit altaribus immolare.* & Iacob. à Vitriac. hiſt. Occid. lib. II. cap. XXX. *Hi igitur qui retributionem à Domino expectare poſſunt, qui cùm vnius Eccleſiæ ſeruitio non ſufficiunt plura ſibi beneficia à diuerſis Eccleſiis & plurimorum indigentium loca in damnationem ſuam occupare non formidant.* Igitur vt Eccleſiæ conſuleretur ex Conc. gen. Lateranenſi habito ſub Innocent. III. ſtatutum eſt hoc *cap.* vt qui receperit aliquod beoeficium coram habens animarum adnexam, ſi prius tale, id eſt, ſimile beneficium, obtineret, eo, id eſt priori, ſit ipſo iure priuatus, & ſi fortè illud retinere contenderit, vtroque ſpolietur Is quoque ad quem prioris ſpectabat collatio, illud poſt receptionem alterius liberè conferat, & ſi vltra ſex menſes conferre diſtulerit, collatio deuoluatur ad ſuperiorem. Ex Conc. Lateranenſi Ordinario dantur ſex menſes ad confereodum, poſt ſex menſes collatio deuoluitur ad ſuperiorem. *cap. nulla. infrà de conceſſ. præbend.* & tantùm de ſuis prouentibus cogatur ſoluere Eccleſiæ, qui moram fecit in confereodo, quantum conſtat fuiſſe perceptum à tempore vacationis beneficij. Ex eodem Conc. idem ſtatuitur in perſonatibus qood in dignitatibus. Perſooatus hoc diſtat à dignitate, quòd dignitas eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione: perſonatus eſt dignitas Eccleſiaſtica ſioe iuriſdictione: tamen perſonatus & dignitas ſæpios promiſcuè accipiontur. *cap. cùm acceſſiſſent. de conſtit. cap. ad aures. de reſcript.* Idem qooque noo poteſt obtinere plures vicarias perpetuas. *cap* II. *de officio vicar.* quia vicaria perpetua eſt beneficiom. *cap. poſtulaſti. de reſcript. Clem. vn. de offic. vicar.* imò eſt perſonatus. *cap. conſtitutus. de filiis Presbyter. cap. illud. de exceſſ. Prælat.* de qoo libro VI. diſſ. cap. I. Ex eodem Conc. molto fortiùs vetatur, ne quis plures dignitates, vel perſonatus, vel plura beneficia vniformia, etiamſi non habeant curam animarum, obtineat in eadem Eccleſia. Plura beneficia vniformia, etiam ſimplicia teneri prohibentur io eadem Eccleſia, vel ſub eodem tecto, vt loquuntur, ne minuatur diuinum miniſterium. *cap literas. infrà. de conceſſ. præbend.* Ex hoc Conc. prius beneficium curam animarum habeos ipſo iure vacat per aſſecutionem ſecuodi, & ſi vtrumque retioere quis conteuderit, priuatur vtroque etiam ſecundo, non ipſo iure, ſed per ſententiam, & *ex extrauag. execrabilis. §. quæ tamen. & §. qui verò. Ioannis XXII. h. tit.* non modò prius beneficium vacat ipſo iure, ſed etiam vacat ſecondom etiam ipſo iure, ſi vtrumque retinere præſumpſerit, quod ex Conc. Trident. *ſeſſ* VII. *de reformat. cap.* IV. locum habet ooo modò in dignitatibus, vel beoeficiis curatis, ſed etiam in aliis ſimplicibus quæ ſunt incompatibilia, quòd perſooalem reſidentiam requirant, vt ſunt præbendæ canonicæ, vel portiones. Ex eodem Conc. ſuper pluralitate beneficiorum circa ſublimes, & literatas perſonas quæ maioribus beneficiis ſuot honorandæ. per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari, vt ſubiungitor in fio. *h. cap.* plures dignitates, vel præbendæ, vel plura beoeficia curam animarum habentia non poſſunt obtineri ſine diſpenſatione Bernard. Clareuallenſ. epiſt. CCLXXI. *Honores & dignitates Eccleſiaſticas non ignoro deberi his qui eas dignè, & ſecundùm Deum adminiſtrant, & velint, & poſſint: nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus Eccleſiis habere licet. niſi diſpenſatoriè quidem, ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonarum vtilitatem* Hinc elatiooem Ioannis Blondi electi Cantuarienſ. reiecit Gregorius IX quòd ſine diſpenſatione teneret duo beoeficia curam animarum habentia, de quo Matth. Weſtmooaſter. ad ano MCCXXXIII. *quæ cauſa*, inquit, *ſatis valida fuit ad ipſius caſſationem.* Et Theſaurariam S. Hilarij Pictauienſis dimiſit Fulbertus Carnotenſ. Epiſcopus, quòd eam vnà com Epiſcopatu Carnotenſi tenere nefas duceret, teſtem ipſum habemus epiſt. CIII. & CXXX. Cum nobilibus & literatis facilè diſpenſatur circa pluralitatem beneficiorum, ob dignitatis natalitium & literarum ſcientiæ merita, vt *hîc eád. extrauag. execrabilis. §. vos itaque.* Nobiles

præferuntur in beneficiis quia Ecclesia defensatur per nobiles. *cap. constitutis.* 11. *suprà. de appellat.* ob gratiam generis plures præbendas in diuersis Ecclesiis obtinuisse Baldui num fratrem Godefridi Buillonij, & post eum Regem Hierosolymitanum adhuc iuniorem, refert Willelm. Tyr. de bell. sac. lib. x. cap 1. *Hic in adolescentia sua liberalibus disciplinis conuenienter imbutus, Clericus vt dicitur factus est, & in Rhemensi. Cameracensi. Leodiensi, Ecclesiis beneficia, quæ vulgò prabenda dicuntur, gratiâ generositatis, quâ singulariter praeminebat, obtinuit.* Cum literatis dispensatur, quòd horum scientiâ mundus illuminatur, *auth. habita. C. ne fil pro patre.* Literati nobilibus æquiparantur. Literæ tribuunt dignitatem. Seneca epist. xiv. *ha littera non adeò apud bonos, sed apud mediocriter malos dignitatum loco sunt.* Hodie solus Summus Pontifex potest dispensare circa pluralitatem beneficiorum curatorum, vel aliàs incompatibilium. quia solus potest dispensare contra Concilium. *cap. significasti. suprà. de electione.* Ante Concilium Lateranense commune Episcopis ius fuit dispensandi circa pluralitatem beneficiorum ex iustis causis. *can. Sanctorum.* lxx. *dist.* d. Conc. Aurelianen. III. can. xviii. puta propter tenuitatem Ecclesiarum, *d. can. vnic. & cap. cùm te docet. suprà de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* vel propter inopiam Clericorum, *d. can. clericus.* Sed in Concilio Lateranensi in signum plenitudinis potestatis Sedi Apostolicæ reseruatum ab Innocentio III. vt posset dispensare circa pluralitatem beneficiorum, non tamen effugit hocce decretum sinistram interpretationem scriptorum sæculi Matth. Paris ad ann. mccxxxv. vbi de collectione Decretalium, quæ facta est auctore Gregorio IX. *In quibus*, inquit, *quadam innouauit, ne scilicet illegitimi in Prælatias, vel Ecclesiastica beneficia, nisi adeptâ à Sede Roman. legitimationis dispensatione obtineant; sciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta prouenire, sicut ex statuto Innocentij, pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum.* Notatur Stephanus de Segraue homo Anglus, quòd pactus esset cum Stephano Gregorij IX. Capellano de obtinenda pro vno è liberis, Sedis Apostolicæ dispensatione ad beneficia, quotquot obtineri possent: sed voto patris occurrit numen diuinum secutâ paulò pòst morte nati, de quo Matth. Westmonaster. loco modò laudato. Quod dictum est adeptione secundi incompatibilis ipso iure prius vacare, intelligendum est à die adeptæ pacificæ possessionis: non dicitur autem quis pacificè possidere beneficium, nisi per annum possederit sine lite, gloss. in pragmatic. *tit. de pacific.* §. 1. *verb. non violentus.*

CAPITVLVM XXIX.

IDEM IN EODEM.

GRAVE nimis est & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere: adsumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes adfectum, non iudicium rationis: vnde quanta Ecclesiis damna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, vt prætermissis indignis, idoneos adsumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum. fiatque de hoc in prouinciali Concilio diligens inquisitio annuatim: ita, vt qui post primam & secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur, instituta in eodem Concilio persona prouida & honesta, quæ suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa capitula, quæ in his deliquerint, obseruetur. Metropolitani verò delictum, superioris iudicio relinquatur ex parte Concilij nunciandum. Vt autem hæc salubris prouisio pleniorem consequatur effectum: huiusmodi suspensionis sententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ minimè relaxetur, vt in hoc quoque quatuor Patriarchales Sedes specialiter honorentur.

IVRE communi collatio beneficiorum spectat ad Episcopum, *can. omnes Basilica. can. nullus* xvi. *qu.* vii. *cap. cùm olim. de caus. possess.* vel ad Capitulum, & inferiores ex cõsuetudine, vel priuilegio. *cap. cùm Wlterana. de elect. cap. mandatum, hoc tit. in* vi. Beneficia conferenda sunt idoneis & capacibus scientia & moribus, quibus morum honestas & literarum scientia suffragatur, vt exponitur *in hoc cap.* In promouendis ad beneficia, magis spectatur literatura, & probitas morum, quàm nobilitas generis. *cap. cùm nobis. de elect.* Nec probatur statutum quod viget in Argentinensi Ecclesia & aliis Ecclesiis Germaniæ, ne præter nobiles admittantur in Canonicos Cathedralium Ecclesiarum *cap. venerabilis. infrà, h. tit.* In promonendis spectatur etiam ætas; impuberibus non debent conferri beneficia. *cap. super inordinata. infrà h. tit. cap. indecorum, suprà, de ætat. & qualit. pref.* Episcopus vel Capitulum ad quos spectat collatio vetantur cõferre beneficia indignis; & de hoc diligens inquisitio annuatim fieri debet in Concilio prouinciali, ex Concilio G. Lateranensi habito sub Inn. III Annuatim celebrari debet Concilium Prouinciale. *cap. sicut olim. infrà, de accusat.* Quòd si Epi-

ſcopus, vel Capitulum poſt primam & ſecundam correctionem ſeu monitionem deprehenſi fuerint beneficia indignis conferre, per ipſum Concilium ſuſpenduntur à collatione beneficiorum, inſtitutâ in eodem Concilio perſonâ prouidâ & honeſtâ, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis. Ex Conc. Lateranenſi habito ſub Alexandro III. ſi Epiſcopus beneficia Eccleſiaſtica conferat indignis, conferendi poteſtate multatur, & collatio deuoluitur ad Capitulum, vel ipſo diſſentiente ad Metropolitanum, *cap. cùm in cunctis. in fin. ſuprà, de elect.* Sed ex Lateranenſi habito ſub Innocentio III. conferens indignis ſuſpenditur à collatione beneficiorum, & à Concilio Prouinciali eligitur perſona idonea quæ ſuſpenſi vices ſuppleat in collatione beneficiorum. Speciale eſt hoc caſu, vt ſuſpenſo Epiſcopo per Concilium Prouinciale detur Coadiutor vel Vicarius quoad collationem beneficiorum: aliàs Epiſcopo ob ætatem, ægritudinem, vel dilapidationem dandus eſt Coadiutor à Sede Apoſtolica. *cap. ex parte, infrà, de Cleric. agrot. vel debilit. cap. Venerabilis. de off. delegat. can. ſcripſit. can. peſiiſti. can. quia frater.* VII. *qu.* I. Quòd ſi Metropolitanus in eadem cauſa deliquerit, Metropolitani delictum ſuperioris, id eſt, Primatis, vel Patriarchæ iudicio relinquitur, ex parte Concilij nuntiandum. Conc. Prouinciale non habet poteſtatem iudicandi de Metropolitano, ſed denuntiandi. Inferior non habet iuriſdictionem in ſuperiorem, & ſententia ſuſpenſionis lata in Conc. Prouinciali non relaxatur præter auctoritatem Summi Pontificis, vel proprij Patriarchæ; vt in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes honorentur: de quarum iure opportuniùs dicetur in *cap. antiqua. infrà, de priuileg.* quod eſt eiuſdem Concilij.

CAPITVLVM XXX.

IDEM IN EODEM.

EXTIRPANDÆ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inoleuit, quòd ſcilicet parœcialium Eccleſiarum patroni, & aliæ quædam perſonæ prouentus ipſarum ſibi penitus vindicantes, Preſbyteris earum ſeruitiis deputatis relinquunt adeò exiguam portionem, quòd ex ea nequeant congruè ſuſtentari. nam (vt pro certo didicimus) in quibuſdam regionibus parœciales Presbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent, niſi quartam quartæ, id eſt, ſextam decimam decimarum. Vnde fit, vt in his regionibus penè nullus inueniatur Sacerdos parœcialis, qui vllam vel modicam habeat peritiam literarum. Cùm igitur os bouis ligati non debeat triturantis; ſed qui altario ſeruit, de altari viuere debeat: ſtatuimus vt (conſuetudine quâlibet Epiſcopi vel patroni, ſeu cuiuſlibet alterius non obſtante) portio Presbyteris ipſis ſufficiens adſignetur.

PATRONI & Aduocati Eccleſiarum vetantur quidquam exigere ab Eccleſiis præter antiquos & moderatos reditus ab initio inſtitutos, *cap. præterea. de iure Patron. can. Eleutherius.* XXIII, *qu.* II. Ob id damnatur in *hoc cap.* quod eſt Concilij Lateranenſis habiti ſub Innocentio III. praua conſuetudo quarumdam regionum, in quibus Patroni Parœcialium Eccleſiarum & alij prouentus ipſarum ſibi penitùs fore vindicabant, modico Preſbyteris relicto, veluti quarta quartę, id eſt, ſexta decima decimarum quæ impar eſſet congruæ ſuſtentationi. Itaque ſtatuitur hîc, vt non obſtante huiuſmodi conſuetudine, Preſbyteris penes quos eſt cura Eccleſiæ, congrua portio aſſignetur. De Monachis & Canonicis Regularibus, qui habent Parœciales Eccleſias Monaſteriis adnexas idem cauetur, vt Vicariis perpetuis congruam portionem aſſignent, vnde hi ſeſe alere poſſint, hoſpitalitatem colere, & iura Epiſcopalia præſtare. *cap. auaritia. cap. de Monachis, ſuprà, h. tit. cap. ſicut. de ſupplend. neglig. prælat. cap. vlt.* §. *vbi autem. de decim. in* VI. Sordiditatem Monachorum hac in re notauit Arnulph. Lexouienſ. epiſt. LXIX. *Eſt quiddam quod tam meam quàm alias vehementer angit Eccleſias, quorumdam ſcilicet rapax, & intemperans audacia Monachorum, qui quò liberiùs effluant ſæcularis potentiæ præſidia redimentes, primò Epiſcopis omnem obedientiam ſubtrahunt, & Parochiales Eccleſias cum altariis & decimationibus cæteriſque beneficiis de manu laica recipere pactis quibuslibet, ſacrilega temeritate præſumunt. In his ergo ab eis nec canonicus ordo, nec Epiſcopalis aſſenſus exigitur, ſed deuocatis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tanta paupertate ibi conſtituunt Sacerdotes, vt ad exhibitionem ſuam, & ad onera Eccleſiæ portanda, non habeant quod opilioni ſufficeret, aut curſori. Generale eſt hoc, ſed in Epiſcopatu meo vehementiùs hac eſt graſſata malignitas, nec iam nobis cuiuslibet rationis obtentu, ſed fallaciis, ac muneribus, nobis præſidióque violentia ſæcularis obſiſtunt.*

Qui verò parœcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi fortè dignitati vel præbendæ parœcialis Eccleſia ſit adnexa: in quo caſu concedimus, vt qui talem habet præbendam vel dignitatem, cùm oporteat eum in maiori Eccleſia deſeruire, in ipſa Eccleſia parœciali idoneum & perpetuum habeat Vicarium Canonicè inſtitutum, qui

(vt prædictum est) congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ prouentibus portionem: alioquin illâ se sciat auctoritate huius decreti priuatum, liberè alij conferendâ, qui velit & possit, quod dictum est, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de prouentibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprij sacerdotis, pensionem alij quasi pro beneficio conferre præsumat.

RECTOR Parœcialis Ecclesiæ curam animarum per se, non per Vicarium exercere, debet ex *hoc* §. *& cap. quia nonnulli, suprà, de Cleric. non resid.* quia cura animarum est munus personale, in quo electa est industria & diligentia personæ, *l. inter artifices. ff. de solut. cap. quoniam Apostolica.* §. 1. *de off vicar. can. placuit.* XVI. *qu.* III. illis verbis, *magis illius electam negligentiam ab hæreticis, vt impune ibi sint, & suam diligentiam fuisse preuentam, vt eo modo eius cura sollicitior vitaretur.* Vnde ne conductitiis Presbyteris Ecclesiæ committantur, vetitum. *can. præcipimus.* XXI. *qu.* II. Et qui habet Parœcialem Ecclesiam, per se illi deseruire debet in ordine quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, id est, in ordine Presbyterali, quia Parochi officium non valet sine altaris ministerio adimpleri, *cap. ex literis infrà. de excess. prælat.* Vnde prouisus de beneficio curato, intra annum promouendus est ad Presbyterium, *cap. licet. can. de elect. in* VI. Qui habet, inquam, Parœcialem Ecclesiam per se, non per Vicarium illi deseruire debet, nisi fortè ipsa Ecclesia sit annexa dignitati vel præbendæ: quo casu qui huiusmodi habet præbendam, cùm ipse debeat deseruire in maiori Ecclesia, Ecclesiæ Parœciali debet imponere Vicarium perpetuum canonicè institutum, cui ascribatur congrua portio de fructibus ipsius Ecclesiæ; aliàs illa priuatur ipso iure, sc. ad tempus vitæ non in perpetuum, quia delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ, *can. si Episcopum.* XVI. *qu.* VI. *cap. delictum de R. I. in* VI. Si Parœcialis Ecclesia vniatur dignitati vel præbendæ, non inducit incompatibilitatem, potéstque teneri absque dispensatione. *cap. suggestum, infrà, de iure Patronat. cap. super eo, h. tit. in* VI. *Clem vlt eod. tit. Clem. vlt. de reb. Eccles. non alienand.* quia beneficium extinguitur per vnionem, & semel vnitum non est ampliùs beneficium, sed membrum seu prædium alterius beneficij cui vnitur. In Ecclesiis Parœcialibus quæ sunt adnexæ dignitati, vel præbendæ, vel mensæ Episcopi, vel Capituli, deseruiri debet per Vicarium perpetuum: idem dicendum est si vniantur Monasterio, vel Canoniæ regulari. *cap. auaritiæ. cap. de monachis, suprà, h. tit.* Clem. de iure Patronat. Hac de re notantur Monachi S. Bertini olim Morinensis diœcesis, hodie S. Audomari, quòd Ecclesias Parœciales vnitas Monasterio curarent per annuos & conductitios Presbyteros. Steph. Tornacens. epist. CC. *Ecclesiam habent apud Coelech, in quâ per annuos & conductitios mercenariósque Sacerdotes, sæpe & per se ipsos (quod sacris Canonibus inhibitum est) Parochialia ministrant.* Non omittendum, quòd in calce h. cap. vetatur ne Episcopus in fraudem proprij rectoris de reditibus ipsius Ecclesiæ pensionem alij quasi pro beneficio conferre præsumat. Iure communi non potest imponi pensio beneficij, ne indicatur sectio beneficij contra Canones, *can. si quis prebendas.* I. *qu.* III. *cap. maioribus, suprà, h. tit. & cap. vnic. infrà, vt Eccles. benef. sine diminut. confer.* Olim Episcopus potuit imponere beneficio pensionem ex iusta causa ob vtilitatem Ecclesiæ. *can. possessiones* XVI. *qu.* I. *cap. ad audientiam. de Eccles. ædific.* Hodie solus Summus Pontifex potest imponere pensionem beneficiis Ecclesiasticis, & solus admittit resignationem cum reseruatione pensionis.

CAPITVLVM XXXI.

IDEM IN EODEM.

IN Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet regulares, Ecclesias seu decimas sine Episcoporum consensu de manu laïci præsumant accipere, nec excommunicatos, vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad diuina. Nos autem id fortiùs inhibentes, transgressores digna curauimus animaduersione punire, statuentes nihilominus, quatenus in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent, iuxta eiusdem Concilij statuta Episcopis instituendos Presbyteros repræsentent, vt illis de plebis cura respondeant: ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, institutos verò remouere non audeant Episcopis inconsultis.

Sanè adiicimus, vt illos repræsentare procurent, quos vel conuersatio notos reddit, vel commendat probabile testimonium Prælatorum.

A Temporibus Caroli Martelli Principis Francorum decimæ erant ferè in potestate Laïcorum. quod variis Conciliis, & Pontificum decretis vetitum, maximè Constitutione Gregorij VII. *can. decimas* XVI. *qu.* I. inde quò à Laïcis decimæ faciliùs auellerentur, eas ab his redimere, Clericis crimen non fuit. Ordericus Vitalis, lib. V. *Decimas quas Dominus ab Israëlitis per Moysen sibi ad vsum Sanctuarij, & Leuitarum exegit, nostrates Laïci retentant, nec Ministris Ecclesiæ, nisi magno redi-*

mantur precio, reddere affectant. Non alio consilio, etiam Monachis decimas & Ecclesias à Laïcis accipere permissum, non tamen sine consensu Episcopi: Ex Conc. enim Claromontensi veritum, ne Monachi Ecclesias & decimas à laïcis acciperent, absque consensu Episcopi. *can. congregato. can. decimas*, XVI. *qu.* VII. quod repetitum in Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. & rursum in Lateranensi habito sub Innocentio III. de quibus *hic & in cap. cùm Apostolica, infrà, de his qua fi. à pralat. sine consens. Capitul. cap. cura Pastorali. de iur. Patronat.* Monachi verò in Ecclesiis Parœcialibus concessis propriis Monasteriis, non possunt per se exercere curam animarum, sed per Vicarios perpetuos, ex ipso Conc. Claromontensi *can. sane.* XVI. *qu.* II. *can. Capellanos.* XIII. *qu.* II. *& cap. de Monachis, suprà, h. tit. & cap. sicut. de suppl. neglig. pralat.* In iisdem Monachi vario iure vtuntur: in Ecclesiis enim quæ ad se pertinent pleno iure, id est in temporalibus & spiritualibus, Monachis licet instituere Clericos; sed in Ecclesiis quæ non pleno iure ad se spectant, ad Monachos spectat tantùm præsentatio Presbyteri, institutio ad Episcopum, ita vt de spiritualibus seu de plebis cura Episcopo respondeat, de temporalibus Abbati & Monachis, *d. can. sanè. & can. visis, eadem causa & quast. cap. cùm & plantare. §. in Ecclesiis, infrà, de privileg. & signanter in hoc cap. & d. cap. sicut. & Clem. 1. de excess. pralat.*

TIT. VI. *De Clerico agrotante, vel debilitato.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

EX parte tua fuit propositum, quòd cùm Aurasiensis Episcopus graui morbo & incurabili ferè per quadriennium laborauit, ita quòd pastorale officium non potest vllatenus exercere, princeps terræ illius, ac ciues ciuitatis eiusdem à te postulant incessanter, vt ipsis (cùm sis Metropolitanus eorum) studeas prouidere. Verùm cùm ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas vllo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, imò potiùs ipsius miseriæ miserendum, eo quòd idem vir bonus extiterit, & Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernauerit: nos volentes tam Episcopo, quàm Ecclesiæ prouidere; mandamus, quatenus illi coadiutorem adsocies virum prouidum & honestum: per quem tam Episcopo, quàm populo vtiliter consulatur.

HVIVS capitis species hæc est: Aurasiensis, vel Arausicensis Episcopus; Aransio Cauarum, quæ etiam Arausica vel Aurasica, est vrbs Episcopalis Arelatensis Metropolis suffraganea, in temporalibus ditionis olim gentis Bauciorum, hodie Nassaniæ, Principatus titulo insignis; Arausicensis inquam Episcopus, cui nomen fuit Arnulphus, vt paret ex syllabo Antistitum huius loci, cùm iam per quadriennium graui & ferè incurabili morbo laboraret, ita vt Pastorali officio non posset omnino defungi, Princeps pagi illius, cui nomen erat Guillelmus de Baucio (hic enim tractus suos eâ ætate Dynastas & Principes habuit ex clarissimo Bauciorum stemmate, de quo Zurita in Indicib. rer. Aragonens.) Princeps, inquam, pagi illius, & ciues eiusdem oppidi coniunctis votis sæpius postularunt ab Arelatensi Archiepiscopo tamquam Metropolitano, vt super hac re prouideret. Metropolitanus rem maioris fori esse intelligens, rem retulit ad Summum Pontificem. Re auditâ Pontifex respondit Arelatensi Archiepiscopo, ob ægritudinem inuitum non esse compellendum cedere Episcopatu, cùm afflicto non sit danda afflictio. *can. cùm percussio.* VII. *qu.* 1. & alienæ calamitati insultare nefas sit. *l. 7. C. de naufrag. lib.* XI. sed ei dandum coadiutorem idoneum. Ob ægritudinem inuitus non cogitur cedere Episcopatu, sed dandus est ei coadiutor. *can. scripsit. can. prasentium. can. qualiter. can. quamuis. can. quia frater.* VII. *qu.* 1. idémque locum habet in Rectoribus Parœcialium Ecclesiarum. *cap. de Rectoribus. h. tit.* & coadiutori datur congrua de prouentibus Ecclesiæ, de qua se tueri & alere valeat, *d. cap. de Rectoribus. h. tit. & cap. Tua nos. h. tit. & cap. vnic. eod tit. in* VI. Sic Odalrico Aquensi Episcopo coadiutori dato Hugoni filio Heriberti Comitis Veromanduensis in Rhemensi Episcopatu congruæ vice assignata est Abbatia S. Timothei cum præbenda canonica. Frodoard. in Chronic. ad annum DCCCCXXVIII. *Odalricus Aquensis quidam Episcopus in Ecclesia Rhemensi recipitur ab Heriberto Comite, ad celebrandum Episcopale duntaxat ministerium vice Hugonis ipsius Comitis filij, adhuc paruuli, conceditúrque ipsi Odalrico Abbatia tantùm S. Timothei, cum prabenda canonica.* De quo idem lib. IV. Rhem. hist. cap. XVIII. & XX. & XXII. Quod Pontifex mandat Metropolitano de dando coadiutore non ita accipiendum est, vt detur auctoritate Metropolitica, sed potiùs Apostolica: Coadiutoris enim datio, vna est è maioribus causis quæ pertinet ad Sedem Apostolicam. *cap. Pastoralis. h. tit. in* VI. *cap. Si Episcopus. de suppl. neglig. pralat. eod.* & hoc satis arguitur proprio iudicio Archiepiscopi Arelatensis, qui aditus à Principe & ciuibus Arausicensibus vt laboranti

partis fructuum vice pensionis toleratur, *extrauag. suscepta Ioann. XXII. de elect.* Sed in Gallia pensio non constituitur vltra tertiam fructuum. Sui naturâ pensio est onus reale quod transit in successorem beneficij cui onus impositum est, quia est onus fructuum; sed hîc pensioni modus impositus est, vt morte Prioris extinguatur, nec transeat in successorem, quia recepta est pro bono pacis, & ex singulari dispensatione Pontificis, qui secutus est sententiam iudicum.

CAPITVLVM XXII.

IDEM VADEN. EPISCOPO, ET ABBA. VATIAN.

PRo illorum prouisione: .·.·. Burdegalen. Archiepiscopo mandauimus, vt magistro R. in aliqua Ecclesiarum suarum, vbi ei expedire cognosceret, competens faceret beneficium adsignari, contradictores Ecclesiast. districtione compescens: qui Decano & Capitulo Xantonen. auctoritate nostrâ mandauit, vt ipsum admitterent in Canonicum & in fratrem. Cùmque iidem reluctarentur Canonici, ac indulgentiam de quadragenario Canonicorum numero ei opponerent: quia Archiepiscopus cognouit illos in elusionem mandati nostri indulgentia concessa eis irreuerenter abuti, prædictum magistrum de Præbenda & Canonica Xantonen. Ecclesiæ inuestiuit, contradictores vinculo excommunicationis adstringens: .·.·. Quia verò quod per dictum Archiepiscopum de memorato magistro auctoritate nostrâ prouidè factum est, firmitatem volumus obtinere: mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictos Canonicos indulgentiam, quam habent de certo Canonicorum numero, non seruasse, & aliquem vltra constitutum numerum in Canonicum auctoritate propriâ recepisse: cùm nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt obseruare, latam in ipsos excommunicationis sententiam à prædicto Archiepiscopo tamdiu denuncietis sublato adpellationis obstaculo seruandam, donec sæpe dictum magistrum recipiant in Canonicum, & ea, quæ ad canonicatum pertinent, cum stallo chori & loco Capituli ei studeant adsignare.

HVius cap. species hæc est. Burdegalensis Archiepiscopus, cùm ei à Pontifice mandatum esset, vt R. Clerico, qui apud Sedem Apostolicam longiorem moram fecerat, in aliqua Ecclesiarum suarum competens beneficium conferret, Decano & Capitulo Santonensi mandauit, vt R. Clericum reciperent in Canonicum & in fratrem: Non abs iure: Santones enim sunt sub Metropoli Burdegalensi. Gregor. Tur. lib. VII. cap. XXXI. *Bertchramnus autem Episcopus Burdegalensis, qui erat Metropolis, causas futura Palladium Sanctonicum iniungit, qui eum benediceret.* Et Archiepiscopus in vim mandati de conferendo beneficio in aliqua Ecclesiarum suarum, potuit mandare vni è suffraganeis, vt beneficium illi conferret; quia Archiepiscopus est Ordinarius omnium Episcoporum prouinciæ suæ, & quod mandat suffraganeis, intelligitur mandare in aliqua Ecclesiarum suarum, vt quod permittitur Archiepiscopo vti pallio intra Ecclesiam suam ita accipiendum est, vt eo vtatur intra quamlibet Ecclesiam prouinciæ suæ. *cap. I. cap. ex tuarum. de vsu & auctoritat. Pallij.* Detrectantibus Canonicis Santonensibus iussa exequi, & tenentibus sese oppositâ exceptione, si non indulgentia eis concessa esset à Summo Pontifice de quadragenario Canonicorum numero, cùm tamen tum plures essent; Burdegalensis Archiepiscopus adhibito consilio & consensu Episcopi Santonensis R. Clericum inuestiuit de præbenda, & Canonia in eadem Ecclesia, & Canonicos contradicentes excommunicauit. Ait, de consensu Santonensis Episcopi; quia videbatur magis, vt Ordinarius quàm vt delegatus procedere, & Archiepiscopus nihil potest tentare in diœcesi suffraganei sui, absque ipsius assensu, nisi in casibus pressis à iure. *cap. sicut vestre. de excess. Prælat.* Re cognitâ Pontifex sententiam Metropolitani ratam esse iussit donec R. reciperetur in Canonicum, eique assignaretur stallum in choro, locus in Capitulo, & ea omnia quæ pertinent ad Canonicos. Nec mouit Pontificem quòd delegatus non potest prouidere in Ecclesia, vbi est certus numerus Canonicorum, nisi fiat mentio de numero. *cap. constitutus. de rescript.* quia etsi ex priuilegio in ea Ecclesia esset certus numerus Canonicorum, tamen ipsi Canonici vltro derogarant suo priuilegio, adscitis suâ auctoritate alijs Canonicis supra numerum; nec congruum erat legem eos dicere Summo Pontifici, quam ipsi non seruarent, vt eleganter proditur *hic, & cap. cùm accessissent. de constitut. cap. accedentibus. de priuileg.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM BISVNTINEN. ARCHIEPISCOPO.

TVIS quæstionibus respondemus, quòd Clericos in minoribus ordinibus constitutos de patrimonialibus bonis habentes, vnde possint congruè sustentari, etsi nondum fuerint beneficium Ecclesiasticum adsecuti; dummodo aliud canonicum non obsistat, ad superiores poteris ordines promouere.

CLERICI ad sacros ordines non sunt promouendi absque titulo. *can. neminem. can. Sanctorum.* LXX. *dist. cap.* II. *cap. Episcopus. cap. cùm secundùm, suprà, hoc tit.* ne in opprobrium Cleri mendicare cogantur, vel sordidum quæstum exercere. *can. Diaconi sunt.* XCIII. *dist.* Quòd si habeant idoneum & sufficiens patrimonium, hoc casu possunt ordinari sub titulo patrimonij, vt exponitur *hîc, & d. cap. Episcopus. & cap si Episcopus. hoc tit. in* VI. Quæritur an patrimonium, sub cuius titulo quis ordinatus est, possit alienari. Vincentius negat. Tancredus contrarium affirmat ex glossa hoc loco. Prioris sententia sequenda est ex decreto Conc. Trident. *sess.* XXI. *de reform. cap.* II. ex quo patrimonium ad cuius titulum quis fuit ordinatus, sine licentia Episcopi alienari, aut remitti non potest, donec beneficium sufficiens sit adeptus, vel aliunde haberet, vnde se tueri & alere possit.

CAPITVLVM XXIV.

IDEM EPISCOPO ZAMOREN.

ACCEDENS ad Apostolicam Sedem: .·.·. Inquisitioni t. t. r. quòd Clericus absens per alium, vel alius magis pro ipso poterit de beneficio Ecclesiastico inuestiri.

INVESTITVRA Ecclesiarum, & missio in possessionem spectat ad Archidiaconum. *cap. ad hæc. cap. vt nostrum, suprà, de offic. Archidiacon. cap. in tantum. de simon.* Io. Saresber. epist. I. *Ad hæc Huntfredus Ecclesiam suam ab antiquo liberam esse dicebat, asserens se ab Abbate Abbendione Ecclesiam liberam, & sine expressione cuiusque oneris recepisse, & per Archidiaconum Episcopi, vt mos est, in possessionem liberam canonicè introductum.* Inuestitura & missio in possessionem fit per alium; qui enim propriâ auctoritate nactus est possessionem, prædo est. *l. si ex stipulatione. ff. de acquir. poss.* Clericus absens potest inuestiri de beneficio, & mitti in possessionem per alium, id est, per procuratorem, vt definitur in *hoc cap.* Possessio per procuratorem adquiritur. *l.* I. *§. per procuratore. ff. de adquir. poss. l.* I. *C. eod.* Possessio beneficij non potest apprehendi per Laïcum, sed per Clericum tantùm. *d. cap. ad hæc. & cap. ex frequentibus, suprà, de institut.* Inuestitura & missio in possessionem sunt diuersa; inuestitura enim non tribuit possessionem, sed ius obtinendi possessionem. *cap. pro illarum. hoc tit. cap. per tuas. de donat. cap. cum Ecclesiastica. de except. in tit. collect.* Et apud ipsum Innocent. III. lib. I. epist. CCLVI. ideóque in *can. visis.* XVI. *qu.* II. maius est possessionem dare, quàm inuestituram concedere. Inuestitura præbendæ canonicæ, vel dignitatis fit per annulum. *cap. cùm olim, suprà, de capitul.* vel per traditionem libri, seu missalis, vt iam obseruatum est ex Iuone, epist CLXXXII. & CCLXXXV. inuestitura Cancellariæ per traditionem sigilli. *cap. vt vestrum. de appellat.* inuestitura Episcoporum & Abbatum per virgam & annulum. Valtramo Naumburg. lib. singular. de inuestitur. Episcopor. Abbat. Vrspergens. & alijs inuestituræ beneficiorum & dignitatum varia sunt symbola pro ratione dignitatum. Bernard. Clareuallens. serm. de baptismo. *Sicut in exterioribus diuersa sunt signa, varia sunt inuestitura secundùm ea de quibus inuestimur: verbi gratiâ inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul; Sicut inquam in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt tradita Sacramentis.*

CAPITVLVM XXV.

IDEM TRECEN. EPISCOPO.

DILECTO filio P. sanctæ Pudentianæ Presbytero Cardinali, Cellerario Trecen. & R. Procuratori tuo, auditore concesso, idem Cellerarius proposuit coram eo, quòd cùm in manibus Remen. Archiepiscopi tunc Apost. Sed. leg. intendentis prouidere G. nepoti suo in Trecen. Ecclesia præbendam, quam ibi obtinebat, liberaliter resignauit: dictus Legatus præfatum G. & eumdem Cellerarium in Canonicos Trecen. instituit, & ambobus idem Capitulum Trecen. stallum in choro, & locum in Capitulo, & idem Archiepiscopus supradictæ præbendæ fructus diuidendos commu-

nitet adsignarunt, donec idem G. integrum esset præbendale stipendium adsecutus: .·.·. Quorum receptionem procurator generalis præd. tui in partibus Constantinopolitanis tunc agentis postmodum adprobauit. Dictus quoque Cellerarius lectionem & Euangelium in hebdomada sua legisse dignoscitur, & tam Decani quàm Episcopi electioni, & aliorum negociorum tractatibus sicut Canonicus Trecen. interfuit, & domum quandam per Capitulum memoratum obtinuit, quæ non nisi Canonico consueuerat adsignari: túque cùm ad eamdem accessisses Ecclesiam consectatus, eum cum Canonicis aliis ad osculum recepisti, cùm tunc non nisi Canonici ad osculum admittantur: & eidem super prædictis non mouisti per biennium quæstionem: propter quod petiit, vt te ab ipsius super hoc molestatiene indebita compescere dignaremur: .·.·. Procurator tuus proposuit ex aduerso, quòd ad vnicum ius spirituale, quod vacabat ibidem, insimul duos Canonicos instituere prædicto Legato non licuit. nam si duo vnicam præbendam haberent, id esse contra Turonen. Concilium, quod præbendarum inhibet sectionem. Si verò duobus receptis, vni tantùm præbenda daretur, sub expectatione alius contra Laretanen. Concilium remaneret. Præterea licèt in Ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum, nullâ etiam vacante, in Canonicum quis possit adsumi, cùm intelligatur ad quoddam ius eligi, quod ex electorum adsensu de nouo creatur, & cum electo in Canonicum nascitur, & definit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ determinatum habet numerum præbendarum, vno indiuiduo iure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud, eo quòd huiusmodi spirituale ius diuidi seu communicari nequeat inter eos, quamquam interdum hi, ad quos spectat electio, de communi adsensu augmentare valeant numerum præbendarum quoddam ius spirituale de nouo creando, nisi fortè statutum aliquod obuiaret, quod esset iuramento firmatum, vel cui Sed. Apost. confirmatio accessisset, huiusmodi clausulâ prohibitionis adiectâ, vt si quicquam contra id fieret, non valeret: propter quod institutionem præfatam nullam fuisse dictus adseruit procurator, cùm in Trecen. Ecclesia certus sit præbendarum numerus, quem Capitulum vel Legatus augmentare minimè intendebat, vel ius aliquod de nouo creare. Vnde dictum Cellerarium ad restitutionem eorum, quæ ratione prædictæ institutionis tenebat, sententialiter duximus condemnandum, ei super præbenda ipsa vel eius parte silentium imponentes: Ita quòd per hoc prædicto G. nullum præiudicium generetur: cùm res inter alios acta, regulariter aliis non obsistat.

HÆc Decretalis integra extat apud Innoc. III. epist. LXXII. registr. XIII. Huius species hæc est. Cellerarius Trecensis Ecclesiæ in manibus Guidonis Rhemensis Archiepiscopi & Apostolicæ Sedis Legati liberaliter, id est, purè & simpliciter resignauit præbendam quam obtinebat in Ecclesia Trecensi. Idem Archiepiscopus G. nepotem suum, & eumdem Cellerarium in Canonicos Trecenses instituit, & præfatæ præbendæ fructus inter vtrumque ex æquis portionibus diuisit, donec idem nepos præbendam integram esset assecutus; idque de assensu Capituli, quod vtrique stallum in choro, & locum in Capitulo assignauit. Cùm Canonici instituuntur, solemniter installantur, id est, solemniter eis datur stallus in choro, & locus in Capitulo. *cap. dilectus, suprà, hoc tit. cap. cùm pro quæstione. de concess. præbend. in III. collect.* Solemniter installantur & Abbates & Abbatissæ. *cap. vt nostrum, suprà, de offic. Archid.* Ekkeard. iunior de Casib. Monast. S. Galli, cap. IX. *Stat consilium patrem filiis oblatum in Sancti Benedicti, cuius imago appicta sedebat, ponere solium, inducitur manu Episcopi, locatúsque parumper residet.* & Priores Conuentuales; vnde distinctionis ergo, Priores installati dicuntur Matth. Paris ad ann. MCCXXXVII. *Misit autem* (Henricus III.) *continuò per omnes fines Angliæ scripta regalia, præcipiens omnibus ad regnum Angliæ spectantibus, videlicet Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Prioribus installatis*, &c. & idem ibid. *Misit igitur* (Otho Cardinalis & Legatus Sedis Apostolicæ in Anglia) *literas suas, vt vocati omnes Angliæ Prælati, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores installati tam sub Conuentu sui vel Capituli, quàm suo nomine literas procuratorias deferentes, vt quicquid in Concilio statueret Legatus, ratum vtrobique haberetur.* Abbatibus Cisterciensis Ordinis solemnem installationem vetuit Honorius III. *cap. ne Dei Ecclesiam, infrà, de simon.* Stallus est locus in choro. Robertus Montensis. supplem. Sigebert. ad ann. MCLXXX. *Walterius Cluniacensis Abbas, Priorem de stallo deposuit.* Cæsarius Cisterciens. de miracul. lib. I. cap. VI. *Et intrauit chorum vterque, stante Priore in stallo suo.* & idem lib. V. cap. V. *Vidit intra presbyterium duos dæmones intrare, & paulatim ascendere ad stallum Abbatis.* Et paulò pòst, *Dominus Eustachius, & Prior Hermannus qui hæc vidit, à stallis suis semoti.* Stallum Petro Vallissarnens. Hist. Albigens. cap. XVI. *Ipsa etiam stalla Ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt.* quo sensu stallum etiam sumitur pro statione carnificis in qua carnes venum exponuntur. *cap. significanto, suprà. de appellat. Dicebant alibi quàm in stallis Decani & Capituli prædictorum carnifices carnes*

vendere non debere. Gall. *vn estal de Boucher.* Aliàs stallum pró præmio, seu mercede militiæ, Petrus de Vineis lib. VI. epist. IX. *Et terras omnes circumquaque iacentes, exceptis C. & P. quas N. & N. di-Ecti fideles nostri habere noscuntur ad præsens, vel habituri sunt in antea de stallis & recompensationibus vassallorum suorum, quos ibidem hactenus habuerunt.* Quandoque & stallum pro statione seu stabulo equorum, vnde Stallarius pro Comite regij stabuli, Roger. Houeden. *Quibus Eadnothus, qui fuit Haroldi Regis Stallarius, occurrit cum exercitu.* Idem actum est consentiente Procuratore Generali, id est, Vicario Episcopi, tum agentis in partibus Constantinopolitanis. Hic fuit Rainerius nomine, qui anno Christi MCXCVII. sacræ militiæ tesseram suscepit vnà cum Theobaldo Comite Campaniæ, & aliis optimatibus Francorum, de quo in *cap. magnorum. infrà. de vot. & vot. redempt.* & apud Goffrid. Vilharduain lib. 1. expedit. CP. Idem Cellerarius per biennium in Ecclesia Trecensi functus est officio Canonici recitando lectionem & euangelium in hebdomada sua. Canonici officium est recitare lectionem & euangelium, & missam celebrare per vices sen in hebdomada sua, vt liquet ex hoc *cap. & d. cap. cùm pro quæstione.* Iuo Carnoteus epist. CCLXXXVI. *Abbas autem electus in communi Capitulo B. Mariæ præsentetur & ab Episcopo recipiat Abbatiam. & sicut alij Canonici in Ecclesia B. Mariæ suam faciat septimanam.* Et in præmium officij, collatio beneficiorum, ex consuetudine vel statuto, spectat ad Canonicum hebdomadarium, qui ea confert vice Capituli. *cap. vlt. h. tit. in* VI. Ita à Sacerdotibus Iudaïcis sacrificandi officiũ per vices diuisum ἐξ ἐφημερίας Luc. 1. ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. *Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia.* Et paulò pòst: ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἔναντι τοῦ θεοῦ. κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας. *Factum est autem cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum secundùm consuetudinem sacerdotij.* Idem etiam Canonicũ functus est, suffragium ferendo in electione Decani, & Episcopi; nimirũ in ea expeditione fatis functo Rainerio in eius locum suffectus est Herueus, cui *hoc cap.* inscribitur. Idem prætereà à Capitulo quamdam domum obtinuit, quæ non solet nisi Canonico assignari. olim Canonici in commune viuebant; sed sublatâ communione vitæ, domus quæ antè in communem vsum comparatæ erant, vt quædam communis vitæ imago retineretur, singulis Canonicis assignatæ fuere, & singulis præbendis annexæ, vt ostenditur *hic, & cap. constitutis. de appellat.* Præter hæc aliud possessionis argumentum adiiciebatur; quòd cùm primùm Trecensis Episcopus post consecrationem ad Ecclesiam accessit, ad osculum Episcopi cum aliis Canonicis idem G. admissus est: cùm tamen tunc non nisi Canonici ad osculum admittantur. Singulare est ius Canonicorum Cathedralium, quòd tamquam fratres admittuntur ad osculum Episcopi. Innocent. III. lib. 1. epist. LXXV. de electione Pictauiensis Episcopi. *Et vt electio non publicaretur eadem die, ab Archiepiscopo postularunt, dantes ei osculum pacis, quòd ab electione ipsa nullatenus resilirent: imò eam omnes & singuli defensarent.* Vt Abbates exempti admittantur ad osculum Summi Pontificis tamquam ordinarij exemptorum, *cap. cùm olim.* 1. *de Priuileg.* Admittere ad osculum dicitur de maiori ad minorem, vt hîc de Episcopo ad Canonicos, de Pontifice ad iubentes, vel de Magistro ad Discipulum. Achilles de Chirone erga se apud Papin 11. Achilleid. *nec me antè nisi infoectis admisit ad oscula telis.* Quamuis hæc omnia ita se habuerint, Pontifex vtriusque institutionem nullam & irritam esse pronuntiauit, quasi factam à Legato Pontificio extra prouinciam; Rhemensis sc. Archiepiscopus erat Legatus in Teutonia seu Germania, vt liquet ex Epistola Innocent. III. & integra decretali in 11. t. Collect. & ita non poterat se immiscere rebus Galliæ. Legatus extra prouinciam Legationis officium gerere non potest. *cap. venit. suprà. de offic. Legat.* Aliâ ratione subiungitur & institutionem Cellerarij nullam & irritam esse, quasi factam vel contra Conc. Turonense, quod vetat sectionem præbendarum; vel contra Lateranense, quo non potest vni dari præbenda integra, & alteri promitti proximè vacatura; & in fine capitis additur eamdem institutionem etiam nullam esse, quia in Ecclesia Trecensi erat certus numerus præbendarum à Canonicis iureiurando confirmatus. Nec fuit animus Capitulo, aut Legato, quo tempore admissus est Cellerarius, augere numerum præbendarum: vnde rectè concluditur eum parte præbendæ mulctandum, quæ tota cessit ab initio in manibus Legati. In Ecclesia in qua non est certus numerus præbendarum, etiam nullâ vacante præbendâ potest quis in Canonicum institui: quia intelligitur ius nouum creari. In Ecclesiis non numeratis non datur vacatio præbendarum, quia vacatio dicitur respectu existentiæ & certi numeri præbendarum; & morte Canonici non vacat præbenda, sed desinit esse. *cap. ex parte. infrà. de concess. prabend.* In Ecclesia non numerata cùm quis recipitur in Canonicum, creatur quoddam ius de nouo, quod eiusdem morte extinguitur, vt docetur hic. In Ecclesiis verò numeratis, vacante vnâ præbendâ, ad eam duo pro partibus institui non possunt; quamuis interdum Canonici ex communi consensu possint augere numerum præbendarum supercrescentibus reditibus, nisi statutum obuiet, de certo sc. numero Canonicorum, maximè quod esset iureiurando firmatum, ne numerum excederet; & à Summo Pontifice ratum habitum: de quo in *cap. cùm accessissent. & cap. cùm Martinus. de Constit.*

CAPITVLVM XXVI.

VACANTE quadam præbenda in Ecclesia tua, duas ex ea constituens, ad illas de consensu Capituli tui duos Canonicos adsumpsisti: quorum altero viam vni-

versæ carnis ingresso, præbendam, quam defunctus habuerat, quidam Clericus nomine Hippolytus fuit auctoritate Se. apo. Adsecutus. Verùm cùm idem Hippolytus te super integritate præbendæ, per quasdam nostras litteras inquietet, & alius idem ius aduersùs te, se habere proponat, quid facere debeas requisisti. Super quo sic duximus respondendum, quòd cùm Turonen. statuta Conc. sectionem inhibeant præbendarum, tenêtis vtrique de his, quæ vacare contigerit, integrare præbendam, nisi rationabili causa de vacante præbenda supradictæ duæ fuerint constitutæ, ac tot sint vtriusque prouentus, quòd per vtramque sit vtrique prouisum in beneficio competenti.

PRÆBENDÆ scindi non possunt ex Conc. Turonensi, *cap. Majoribus. suprà. h. tit.* nisi adeò sint opimæ, vt vna duobus sufficere possit. Vacante præbendâ, si Episcopus eam diuiserit in duas, & ad eam duos Canonicos instituerit, pro integratione præbendæ alterutrius non debet rursus aliam præbendam deintegrare: pro integratione vnius præbendæ alia de nouo scindi non debet. *cùm causam. infrà, h. tit.* Sed cùm primùm aliqua præbenda vacauerit, tunc de ea vtrique tenetur integrare præbendam, nisi ex rationabili causa præbendam vacantem diuiserit in duas: pura si adeò sit pinguis & luculenta, vt duobus commodè sufficere possit, vt definitur *in hoc cap.* Ratio est, quia beneficia Ecclesiastica instituta sunt pro pauperibus Clericis, & satis est, si sufficiant ad sustentationem vitæ. *can. Clericos. & seq. 1. qu. 11. can. vlt.* XVI. *qu.* I. Nihil ergo vetat beneficium diuidi, si excedat modum alimentorum vnius Clerici.

CAPITVLVM XXVII.

IDEM VERCELLEN. EPISCOPO.

DILECTVS filius G. Clericus nobis exposuit conquerendo, quod cùm pro eo ad Nouarien. Capitulum mandatum apostolicum misissemus, vt eum in Canonicum reciperent & in fratrem, præbendam (si qua tunc vacabat) conferentes eidem: .*. .*. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus si tibi constiterit, quòd in Nouarien. Ecclesia præbenda vacaret tempore quo eiusdem Ecclesiæ Canonici nostras litteras receperunt: cùm eam alij in elusionem mandati nostri duxerint conferendam, eumdem Clericum si non habet sufficiens beneficium ecclesiasticum, in Canonicum recipi facias, & sibi de reditibus Ecclesiæ singulis annis adsignari prouentus, donec ei fit in beneficio præbendali prouisum.

HVIVS cap. species hæc est. Pontifex mandauit Capitulo Nouariensi, vt G. Clericum reciperent in Canonicum & in fratrem, & præbendam si qua vacaret ei conferrent. Spreto mandato Pontificio Capitulum præbendam, quæ vacabat tempore præsentationis rescripti, alij contulit: hoc obtentu quòd non vacaret tempore impetrati rescripti. Quæsitum est an collatio alij facta in elusionem mandati Apostolici, valeret. Respondit Pontifex collationem valere, sed Capitulum teneri interim eum recipere in Canonicum, & ei alimenta exhibere sumptibus Ecclesiæ, donec præbendam ei contulerit. Collatio facta contra mandatum Pontificis valet, quia præsentatio rescripti non ita afficit beneficium, vt collatio alij facta sit nulla; nisi mandato insit clausula, irritum, id est, vt irritum sit & inane, quicquid contra prohibitionem factum fuerit. *cap. inter cætera. cap. dilecto. suprà. hoc tit.* & ita conciliantur *cap. si Capitulo. & cap. si soli. de conceß. præbend. in* VI. quæ alioquin pugnantia videntur.

CAPITVLVM XXVIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

DE multa prouidentia fuit in Lateranen. Concilio prohibitum, vt nullus diuersas dignitates ecclesiasticas, vel plures Ecclesias parœciales reciperet contra sacrorum canonum instituta, alioquin recipiens, sic acceptum amitteret, & largiendi potestate conferens priuaretur. Quia verò propter præsumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus hactenus aut rarus de prædicto statuto fructus prouenit: nos euidentiùs & expressiùs occurrere cupientes; præsenti decreto statuimus, vt quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si priùs tale beneficium habebat, eo sit ipso iure priuatus: & si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum: & si vltra sex menses conferre distulerit, non solùm ad alios secundùm Lateranen. Concilij

cilij statutum eius collatio deuoluatur, verùm etiam tantùm de suis cogatur prouentibus in vtilitatem Ecclesiæ, cuius est illud beneficium adsignare, quantum à tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem & in personatibus esse decernimus obseruandum: addentes vt in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiam si curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ maioribus beneficiis sunt honorandæ: cùm ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.

EX Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. idem non potest habere plures dignitates, vel præbendas, vel Ecclesias Parœciales, vt exponitur hîc; quod desumptum est ex *cap. quia in tantum. suprà h. tit. & cap. quia nonnulli. de cleric. non re'dentib.* Et idem antè prouisum est Synod. VII. can. XV. *can. clericus.* XXI. *qu.* I. & Synod. Tolet. XVI. can. IV. *can. vnio.* X. *qu.* IV & Aurelianens. III. can. XVIII. Ex eodem Conc. Lateranensi habens plures Ecclesias vel præbendas, quod recipit amittit, & collator conferendi potestate priuatur; obtinens aliud beneficium incompatibile, secundum amittit, non ipso iure, sed per sententiam, non priuatur secundo ipso iure sed venit priuandus, quod fuit de nouo institutum: ante Lateranense enim Concilium habens duo beneficia incompatibilia poterat eligere vnum quod mallet, & alterum dimittere compellebatur, *cap. referente. cap. præterea. suprà h. tit.* sed quia corruptelâ seculi statutum Lateranense fructu ferè caruit, eâ scilicet ætate fœda Ecclesiæ labes fuit beneficiorum coaceruatio. Io. Saresber. Policratic. lib. VII. cap. XVII. *Vtique & insignis prudentia, si quis tot quocunque modo conquirit altaria, vt quasi ritu Memphitico quotidianas hostias nouis possit altaribus immolare.* & Iacob. à Vitriac. hist. Occid. lib. II. cap. XXX. *Hi igitur qui retributionem à Domino expectare possunt, qui cùm vnius Ecclesiæ seruitio non sufficiunt plura sibi beneficia à diuersis Ecclesiis & plurimorum indigentium loca in damnationem suam occupare non formidant.* Igitur vt Ecclesiæ consuleretur ex Conc. gen. Lateranensi habito sub Innocent. III. statutum est hoc *cap.* vt qui receperit aliquod beneficium curam habens animarum adnexam, si prius tale, id est, simile beneficium, obtinuerat, eo, id est priori, sit ipso iure priuatus, & si fortè illud retinere contenderit, vtroque spolietur Is quoque ad quem prioris spectabat collatio, illud post receptionem alterius liberè conferat, & si vltra sex menses conferre distulerit, collatio deuoluatur ad superiorem. Ex Conc. Lateranensi Ordinario dantur sex menses ad conferendum, post sex menses collatio deuoluitur ad superiorem. *cap. nulla. infrà de concess. præbend.* & tantùm de suis prouentibus cogatur soluere Ecclesiæ, qui moram fecit in conferendo, quantum constat fuisse perceptum à tempore vacationis beneficij. Ex eodem Conc. idem statuitur in personatibus quod in dignitatibus. Personatus hoc distat à dignitate, quòd dignitas est administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione: personatus est dignitas Ecclesiastica sine iurisdictione: tamen personatus & dignitas sæpius promiscuè accipiuntur. *cap. cùm accessissent. de constit. cap. ad aures. de rescript.* Idem quoque non potest obtinere plures vicarias perpetuas. *cap* II. *de officio vicar.* quia vicaria perpetua est beneficium. *cap. postulasti. de rescript. Clem. vn. de offic. vicar.* imò est personatus. *cap. constitutus. de filiis Presbyter. cap. illud. de excess. Prælat.* de quo libro VI. diss. cap. I. Ex eodem Conc. multo fortiùs vetatur, ne quis plures dignitates, vel personatus, vel plura beneficia vniformia, etiamsi non habeant curam animarum, obtineat in eadem Ecclesia. Plura beneficia vniformia, etiam simplicia teneri prohibentur in eadem Ecclesia, vel sub eodem tecto, vt loquuntur, ne minuatur diuinum ministerium. *cap literas. infrà. de concess. præbend.* Ex hoc Conc. prius beneficium curam animarum habens ipso iure vacat per assecutionem secundi, & si vtrumque retinere quis contenderit, priuatur vtroque etiam secundo, non ipso iure, sed per sententiam, & *ex extrauag. execrabilis. §. quæ tamen. & §. qui verò. Ioannis XXII. h. tit.* non modò prius beneficium vacat ipso iure, sed etiam vacat secundum etiam ipso iure, si vtrumque retinere præsumpserit, quod ex Conc. Trident. *sess* VII. *de reformat cap.* IV. locum habet non modò in dignitatibus, vel beneficiis curatis, sed etiam in aliis simplicibus quæ sunt incompatibilia, quòd personalem residentiam requirant, vt sunt præbendæ canonicæ, vel portiones. Ex eodem Conc. super pluralitate beneficiorum circa sublimes, & literatas personas quæ maioribus beneficiis sunt honorandæ. per Sedem Apostolicam poterit dispensari, vt subiungitur in fin. *h. cap.* plures dignitates, vel præbendæ, vel plura beneficia curam animarum habentia non possunt obtineri sine dispensatione Bernard. Clareuallens. epist. CCLXXI. *Honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas dignè, & secundùm Deum administrant, & volunt, & possint: nam nec cuiquam, vel adulto, plures in pluribus Ecclesiis habere licet. nisi dispensatoriè quidem, ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel personarum vtilitatem* Hinc electionem Ioannis Blondi electi Cantuariens. reiecit Gregorius IX quòd sine dispensatione teneret duo beneficia curam animarum habentia, de quo Matth. Westmonaster. ad ano MCCXXXIII. *qua causa*, inquit, *satis valida fuit ad ipsius cassationem.* Et Thesaurariam S. Hilarij Pictauiensis dimisit Fulbertus Carnotens. Episcopus, quòd eam vnà cum Episcopatu Carnotensi tenere nefas duceret, testem ipsum habemus epist. CIII. & CXXX. Cum nobilibus & literatis facilè dispensatur circa pluralitatem beneficiorum, ob dignitatis natalitium & literarum scientiæ merita, vt *hic eâd. extrauag. execrabilis. §. vos itaque.* Nobiles

præferuntur in beneficiis quia Ecclesia defensatur per nobiles. *cap. constitutis. II. suprà. de appellat.* ob gratiam generis plures præbendas in diuersis Ecclesiis obtinuisse Balduinum fratrem Godefridi Bullonij, & post eum Regem Hierosolymitanum adhuc iuniorem, refert Willelm. Tyr. de bell. sac. lib. x. cap I. *Hic in adolescentia sua liberalibus disciplinis conuenienter imbutus, Clericus vt dicitur factus est, & in Rhemensi. Cameracensi, Leodiensi, Ecclesiis beneficia, quæ vulgò præbendæ dicuntur, gratiâ generositatis, qua singulariter præeminebat, obtinuit.* Cum literatis dispensatur, quòd horum scientiâ mundus illuminatur, *auth. habita. C. ne fil. pro patre.* Literati nobilibus æquiparantur. Literæ tribuunt dignitatem. Seneca epist. XIV. *ha litteræ non adeò apud bonos, sed apud mediocriter malos dignitatum loco sunt.* Hodie solus Summus Pontifex potest dispensare circa pluralitatem beneficiorum curatorum, vel aliàs incompatibilium. quia solus potest dispensare contra Concilium. *cap. significasti. suprà. de electione.* Ante Concilium Lateranense commune Episcopis ius fuit dispensandi circa pluralitatem beneficiorum ex iustis causis. *can. Sanctorum. LXX. dist.* d. Conc. Aurelianen. III. can. XVIII. puta propter tenuitatem Ecclesiarum, *d. can. vnio. & cap. cùm te docet. suprà de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* vel propter inopiam Clericorum, *d. can. clericus.* Sed in Concilio Lateranensi in signum plenitudinis potestatis Sedi Apostolicæ reseruatum ab Innocentio III. vt posset dispensare circa pluralitatem beneficiorum, non tamen effugit hocce decretum sinistram interpretationem scriptorum sæculi Matth. Paris ad ann. MCCXXXV. vbi de collectione Decretalium. quæ facta est auctore Gregorio IX. *In quibus, loquit, quædam innouauit, ne scilicet illegitimi in Prælatias, vel Ecclesiastica beneficia, nisi adepta à Sede Romana legitimationis dispensatione obtineant; sciens inde Curia Romana pro impetratione tali multa emolumenta prouenire, sicut ex statuto Innocentij, pro dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum.* Notatur Stephanus de Segraue homo Anglus, quòd pactus esset cum Stephano Gregorij IX. Capellano de obtinenda pro vno è liberis Sedis Apostolicæ dispensatione ad beneficia, quotquot obtineri possent: sed voto patris occurrit numen diuinum secutâ paulò pòst morte nati, de quo Matth. Westmonaster. loco modò laudato. Quod dictum est adeptione secundi incompatibilis ipso iure prius vacare, intelligendum est à die adeptæ pacificæ possessionis: non dicitur autem quis pacificè possidere beneficium, nisi per annum possederit sine lite, gloss. in pragmatic. *tit. de pacific. §. I. verb. non violentus.*

CAPITVLVM XXIX.

IDEM IN EODEM.

GRAVE nimis est & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum prælati, cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promouere: adsumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes adfectum, non iudicium rationis: vnde quanta Ecclesiis damna proueniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, vt prætermissis indignis, idoneos adsumant, qui Deo & Ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum. fiatque de hoc in prouinciali Concilio diligens inquisitio annuatim: ita, vt qui post primam & secundam correptionem fuerit repertus culpabilis, à beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur, instituta in eodem Concilio persona prouida & honesta, quæ suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa capitula, quæ in his deliquerint, obseruetur. Metropolitani verò delictum, superioris iudicio relinquatur ex parte Concilij nunciandum. Vt autem hæc salubris prouisio pleniorem consequatur effectum: huiusmodi suspensionis sententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ minimè relaxetur, vt in hoc quoque quatuor Patriarchales Sedes specialiter honorentur.

IVRE communi collatio beneficiorum spectat ad Episcopum, *can. omnes Basilicæ. can. nullus XVI. qu. VII. cap. cùm olim. de caus. possess.* vel ad Capitulum, & inferiores ex cõsuetudine, vel priuilegio. *cap. cùm Wlterana. de elect. cap. mandatum, hoc tit. in VI.* Beneficia conferenda sunt idoneis & capacibus scientia & moribus. quibus morum honestas & literarum scientia suffragatur, vt exponitur *in hoc cap.* In promouendis ad beneficia, magis spectatur literatura, & probitas morum, quàm nobilitas generis. *cap. cùm nobis. de elect.* Nec probatur statutum quod viget in Argentinensi Ecclesia & aliis Ecclesiis Germaniæ, ne præter nobiles admittantur in Canonicos Cathedralium Ecclesiarum *cap. venerabilis. infrà, h. tit.* In promouendis spectatur etiam ætas; impuberibus non debent conferri beneficia. *cap. super inordinata. infrà h. tit. cap. indecorum, suprà, de ætat. & qualit. præf.* Episcopus vel Capitulum ad quos spectat collatio vetantur cõferre beneficia indignis; & de hoc diligens inquisitio annuatim fieri debet in Concilio prouinciali, ex Concilio G. Lateranensi habito sub Inn. III Annuatim celebrari debet Concilium Prouinciale. *cap. sicut olim. infrà, de accusat.* Quòd si Epi-

ſcopus, vel Capitulum poſt primam & ſecundam correctionem ſeu monitionem deprehenſi fuerint beneficia indignis conferre, per ipſum Concilium ſuſpenduntur à collatione beneficiorum, inſtitutâ in eodem Concilio perſonâ prouidâ & honeſtâ, quæ ſuſpenſi ſuppleat defectum in beneficiis conferendis. Ex Conc. Lateranenſi habito ſub Alexandro III. ſi Epiſcopus beneficia Eccleſiaſtica conferat indignis, conferendi poteſtate multatur, & collatio deuoluitur ad Capitulum, vel ipſo diſſentiente ad Metropolitanum, *cap. cùm in cunctis. in fin. ſuprà, de elect.* Sed ex Lateranenſi habito ſub Innocentio III. conferens indignis ſuſpenditur à collatione beneficiorum, & à Concilio Prouinciali eligitur perſona idonea quæ ſuſpenſi vices ſuppleat in collatione beneficiorum. Speciale eſt hoc caſu, vt ſuſpenſo Epiſcopo per Concilium Prouinciale detur Coadiutor vel Vicarius quoad collationem beneficiorum: aliàs Epiſcopo ob ætatem, ægritudinem, vel dilapidationem dandus eſt Coadiutor à Sede Apoſtolica. *cap. ex parte, infrà, de Cleric. ægrot. vel debilit. cap. Venerabilis. de off. delegat. can. ſcripſit. can. petiiſti. can. quia frater.* VII. *qu.* I. Quòd ſi Metropolitanus in eadem cauſa deliquerit, Metropolitani delictum ſuperioris, id eſt, Primatis, vel Patriarchæ iudicio relinquitur, ex parte Concilij nuntiandum. Conc. Prouinciale non habet poteſtatem iudicandi de Metropolitano, ſed denuntiandi. Inferior non habet iuriſdictionem in ſuperiorem, & ſententia ſuſpenſionis lata in Conc. Prouinciali non relaxatur præter auctoritatem Summi Pontificis, vel proprij Patriarchæ; vt in hoc quoque quatuor Patriarchales ſedes honorentur: de quarum iure opportuniùs dicetur in *cap. antiqua. infrà, de priuileg.* quod eſt eiuſdem Concilij.

CAPITVLVM XXX.

IDEM IN EODEM.

EXTIRPANDÆ conſuetudinis vitium in quibuſdam partibus inoleuit, quòd ſcilicet parœcialium Eccleſiarum patroni, & aliæ quædam perſonæ prouentus ipſarum ſibi penitus vindicantes, Presbyteris earum ſeruitiis deputatis relinquunt adeò exiguam portionem, quòd ex ea nequeant congruè ſuſtentari. nam (vt pro certo didicimus) in quibuſdam regionibus parœciales Presbyteri pro ſua ſuſtentatione non obtinent, niſi quartam quartæ, id eſt, ſextam decimam decimatum. Vnde fit, vt in his regionibus penè nullus inueniatur Sacerdos parœcialis, qui vllam vel modicam habeat peritiam literarum. Cùm igitur os bouis ligari non debeat triturantis; ſed qui altario ſeruit, de altari viuere debeat: ſtatuimus vt (conſuetudine quâlibet Epiſcopi vel patroni, ſeu cuiuſlibet alterius non obſtante) portio Presbyteris ipſis ſufficiens adſignetur.

PATRONI & Aduocati Eccleſiarum vetantur quidquam exigere ab Eccleſiis præter antiquos & moderatos reditus ab initio inſtitutos, *cap. præterea. de iure Patron. can. Eleutherius.* XXIII, *qu.* II. Ob id damnatur in *hoc cap.* quod eſt Concilij Lateranenſis habiti ſub Innocentio III. praua conſuetudo quarumdam regionum, in quibus Patroni Parœcialium Eccleſiarum & alij prouentus ipſarum ſibi penitùs fore vindicabant, modico Preſbyteris relicto, veluti quarta quartę, id eſt, ſexta decima decimarum quæ impar eſſet congruæ ſuſtentationi. Itaque ſtatuitur hîc, vt non obſtante huiuſmodi conſuetudine, Preſbyteris penes quos eſt cura Eccleſiæ, congrua portio aſſignetur. De Monachis & Canonicis Regularibus, qui habent Parœciales Eccleſias Monaſteriis adnexas, idem cauetur, vt Vicariis perpetuis congruam portionem aſſignent, vnde hi ſeſe alere poſſint, hoſpitalitatem colere, & iura Epiſcopalia præſtare. *cap. auaritiæ. cap. de Monachis, ſuprà, h. tit. cap. ſicut. de ſupplend. neglig. prælat. cap. vlt. §. vbi autem. de decim. in* VI. Sordiditatem Monachorum hac in re notauit Arnulph. Lexouienſ. epiſt. LXIX. *Eſt quiddam quod tam meam quàm alias vehementer angit Eccleſias, quorumdam ſcilicet rapax, & intemperans audacia Monachorum, qui quò liberiùs effluant ſæcularis potentiæ præſidia redimentes, primò Epiſcopis omnem obedientiam ſubtrahunt, & Parochiales Eccleſias cum altariis & decimationibus cæteriſque beneficiis de manu laica recipere pactis quibuslibet, ſacrilega temeritate præſumunt. In his ergo ab eis nec canonicus ordo, nec Epiſcopalis aſſenſus exigitur, ſed deuocatis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tanta paupertate ibi conſtituunt Sacerdotes, vt ad exhibitionem ſuam, & ad onera Eccleſiæ portanda, non habeant quod opilioni ſufficeret, aut curſori. Generale eſt hoc, ſed in Epiſcopatu meo vehementiùs hæc eſt graſſata malignitas, nec iam nobis cuiuslibet rationis obtentu, ſed fallaciis, ac muneribus, nobis præſidióque violentiæ ſæcularis obſiſtunt.*

Qui verò parœcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi fortè dignitati vel præbendæ parœcialis Eccleſia ſit adnexa: in quo caſu concedimus, vt qui talem habet præbendam vel dignitatem, cùm oporteat eum in maiori Eccleſia deſeruire, in ipſa Eccleſia parœciali idoneum & perpetuum habeat Vicarium Canonicè inſtitutum, qui

mantur precio, reddere affectant. Noo alio consilio, etiam Mooachis decimas & Ecclesias à Laïcis accipere permissum, noo tamen sine consensu Episcopi: Ex Conc. enim Claromontensi vetitum, ne Monachi Ecclesias & decimas à laïcis acciperent, absque consensu Episcopi. *can. congregato. can. decimas*, XVI. *qu.* VII. quod repetitum in Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. & rorsum in Lateranensi habito sub Innocentio III. de quibus *hic & in cap. cùm Apostolica, infrà, de his qua fi. à prælat. sine consens. Capitul. cap. cura Pastorali. de iur. Patronat.* Monachi verò io Ecclesiis Parœcialibus concessis propriis Monasteriis, non possunt per se exercere curam animarum, sed per Vicarios perpetuos, ex ipso Conc. Claromontensi *can. sane.* XVI. *qu.* II. *can. Capellanos.* XIII. *qu.* II. *& cap. de Monachis, suprà, h. tit. & cap. sicut. de suppl. neglig. prælat.* In iisdem Mooachi vario iure vtuntur: in Ecclesiis enim quæ ad se pertinent pleno iure, id est in temporalibus & spiritualibus, Monachis licet iostituere Clericos; sed in Ecclesiis quæ non pleno iure ad se spectant, ad Monachos spectat taotùm præsentatio Presbyteri, institutio ad Episcopum, ita vt de spiritualibus seu de plebis cura Episcopo respondeat, de temporalibus Abbati & Monachis, *d. can. sanè. & can. visis, eadem causa & quæst. cap. cùm & plantare. §. in Ecclesiis, infrà, de privileg. & signanter in hoc cap. & d. cap. sicut. & Clem.* I. *de excess. prælat.*

TIT. VI. *De Clerico ægrotante, vel debilitato.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

EX parte tua fuit propositum, quòd cùm Aurasiensis Episcopus graui morbo & incurabili ferè per quadriennium laborauit, ita quòd pastorale officium non potest vllatenus exercere, princeps terræ illius, ac ciues ciuitatis eiusdem à te postulant incessanter, vt ipsis (cùm sis Metropolitanus eorum) studeas prouidere. Verùm cùm ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas vllo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, imò potiùs ipsius miseriæ miserendum, eo quòd idem vir bonus extiterit, & Ecclesiam salubriter sibi commissam gubernauerit: nos volentes tam Episcopo, quàm Ecclesiæ prouidere; mandamus, quatenus illi coadiutorem adsocies virum prouidum & honestum: per quem tam Episcopo, quàm populo vtiliter consulatur.

HVIVS capitis species hæc est: Aurasiensis, vel Arausicensis Episcopus, Aransio Cauarum, quæ etiam Atausica vel Autasica, est vrbs Episcopalis Arelatensis Metropolis suffraganea, in temporalibus dicionis olim gentis Bauciorum, hodie Nassauiæ, Principatus titulo iosignis; Arausicensis inquam Episcopus, cui nomen fuit Arnulphus, vt patet ex syllabo Antistitum huius loci, cùm iam per quadriennium graui & ferè incurabili morbo laboraret, ita vt Pastorali officio non posset omnino defungi, Princeps pagi illius, cui nomen erat Guillelmus de Baucio (hic enim tractus suos eâ ætate Dynastas & Principes habuit ex clarissimo Bauciorum stemmate, de quo Zorita in Indicib. rer. Aragonens.) Princeps, inquam, pagi illius, & ciues eiusdem oppidi coniunctis votis sæpius postularunt ab Arelatensi Archiepiscopo tamquam Metropolitano, vt super hac re prouideret. Metropolitanus rem maioris fori esse intelligens, rem retulit ad Summum Pontificem. Re auditâ Pontifex respondit Arelatensi Archiepiscopo, ob ægritudinem inuitum non esse compellendum cedere Episcopatu, cùm afflicto non sit danda afflictio. *can. cùm percussio.* VII. *qu.* I. & alienæ calamitati insultare nefas sit. *l.* 7. *C. de naufrag. lib.* XI. sed ei dandum coadiutorem idoneum. Ob ægritudinem inuitus non cogitur cedere Episcopatu, sed daodus est ei coadiutor. *can. scripsit. can. præsentium. can. qualiter. can. quamuis. can. quia frater.* VII. *qu.* I. idémque locum habet in Rectoribus Parœcialium Ecclesiarum. *cap. de Rectoribus. h. tit.* & coadiutori datur congrua de prouentibus Ecclesiæ, de qua se tueri & alere valeat, *d. cap. de Rectoribus. h. tit. & cap. Tua nos. h. tit. & cap. vnic. eod tit. in* VI. Sic Odalrico Aquensi Episcopo coadiutori dato Hugoni filio Heriberti Comitis Veromanduensis in Rhemensi Episcopatu congruæ vice assignata est Abbatia S. Timothei cum præbenda canonica. Frodoard. in Chronic. ad annum DCCCCXXVIII *Odalricus Aquensis quidam Episcopus in Ecclesia Rhemensi recipitur ab Heriberto Comite, ad celebrandum Episcopale duntaxat ministerium vice Hugonis ipsius Comitis filij, adhuc paruuli, conceditúrque ipsi Odalrico Abbatia tantùm S. Timothei, cum præbenda canonica.* De quo idem lib. IV. Rhem. hist. cap. XVIII. & XX. & XXII. Quod Pontifex mandat Metropolitano de dando coadiutore noo ita accipiendum est, vt detur auctoritate Metropolitica, sed potiùs Apostolica: Coadiutoris enim datio, vna est è maioribus causis quæ pertinet ad Sedem Apostolicam. *cap. Pastoralis. h. tit.* in VI. *cap. Si Episcopus. de suppl. neglig. prælat. eod.* & hoc satis arguitur proprio indicio Archiepiscopi Arelatensis, qui aditus à Principe & ciuibus Arausicensibus vt laboranti

Episcopo Coadiutotem datet, se rei impotem fassus est, témqneretulit ad Summum Ponrificem. Qua de re fusiùs diximus lib. I. Differt. Iur. Canonic.

TIT. VII. *De Institutionibus.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS TERTIVS SANCTI MARCELLI, & SANCTÆ Susanna Cardinalibus Apostolicæ Sedis Legatis.

AD decorem : . · . · . Sicut nostris auribus est suggestum, Constantinopolitanus Patriarcha aliarum nationum Clericos spernens, Veneros tantùm in Constantinopolitanis Ecclesiis satagit collocare, non adrendens quòd in omni gente, qui facit iustitiam, acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei conuenir iure hæreditario possideri. Quocirca mandamus, quatenus moneatis eundem, vt viros literatos, & aliàs idoneos vndecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis & maximè in maiori instituere non postponat : alioquin indignum se reddet, vt vos aliarum Clericos nationum ad eius obedientiam compellatis. Nec dissimulare porestis, quin hoc nostris auribus intimetis, vt ex hoc ipso, an verum sit, quod super hoc Venetis dicitur ptomisisse, coniicere valeamus.

HVivs cap. species huinsmodi est : Captâ Constantinopoli, à Ftancis & Venetis ex pacto Balduinus Comes Flandrensis è Francis creatus Impetator, Thomas Maurocenus è Venetis electus est Patriarcha. Electionem, vti contta Canones factam, irritam dixit Pontifex: sed mox vt Ecclesiæ recenti mutatione rerum periclitanti consuleret, eundem elegit & confirmauit, vt liquet ex ipso Innocent. teg. XIII. ep. XVIII. & gestis einsdem, quæ notis in hunc locum adtexuit V. C Ft. Bosquetus Episc. Montispessulanus, & ex supplement. Guillelmi Tyrij lib. II. cap. vlt. Patriarcha rerum potirus, vt gratior esset popularibns, & ex iurata sponsione, vt ferebatur, Venetos tantùm in Ecclesiis Constantinopolitanis collocare studebat, Francis & aliis repulsis; non attendens minimè acceptionem personarum esse apud Deum, nec conuenite sanctuarium Dei iute hæreditario possideri. Re acceptâ mandauit Pontifex legatis Sedis Apostolicæ, qui tum versabantur in illis partibus, retum Impetij & Ecclesiæ componendarum causâ, vt eumdem moneant, vt viros litetatos, & alios idoneos, vndecumque originem duxerint, in prædictis Ecclesiis, maximè in maioti, id est in Ecclesia S. Sophiæ quæ est Patriarchalis, instituere non postponat, id est, præbendas vel alia beneficia eis confetre. Institutio sumitur hîc pro collatione beneficij, vt & in *cap. ex tua. suprà, de filiis Presbyter. cap. si quando. de off. deleg.* aliàs institutio strictiùs sumitur pro installatione seu solemni missione in possessionem beneficij. *cap. vt nostrum, suprà de off. Archid.* Sed communiter institutio distinguitur à collatione. Collatio est prouisio libera beneficij quæ fit ab Ordinario iure ptoprio, absqne præsentatione cuinsquam. Institutio est collatio non libera seu necessaria, quæ fit ad præsentationem Patroni. *cap. vnic. h. tit. in* VI. *cap. cum in illis. § cùm autem. de prabend. eod.* Monetur Patriatcha vt præbendas & alia beneficia conferat viris literatis & idoneis vndecumque originem duxerint : Ecclesia, qnæ est mater omniũ fidelium, eunctis patere debet, dummodo aliàs sint idonei : non est acceptio personarum apud Deum, vt *hîc & cap. venerabilis. suprà, de prabend* tamen Constit. Arcad. & Honor. vetitum est, ne Clerici ordinentur ex alia possessione vel vico, quàm ex eo in qno Ecclesiam constitutam esse constiterit, *l. in Ecclesiis. C. de Episc & Cleric.* & moribus pletarumque tegionum peregtini & adnenæ arcentur à beneficiis Ecclesiasticis, vt moribns Hungariæ *cap. Bona memoria.* II. *suprà, de postulat. pralat.* & moribus Galliæ & Angliæ. & nobiles genere plebeiis præferuntur in beneficiis Ecclesiasticis, *cap. de multa, supra, de prabend.* Bernard. Clareuallens. epist. CXIII. *Minimè quidem Deus est acceptor personarum, nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet.* Moribus etiam quædam sunt beneficia quæ addicta sunt indigenis, seu filiis naturalibus loci, quæ Patrimonialia vocant, quòd illis quibus conferuntur, vice pattimonij sint. Restitutâ Hispaniâ, & à Sarracenis ereptâ, ex priuilegio Apostolico ne aliis qnàm indigenis beneficia Ecclesiastica conferrentur sancitum. Zurita in indicib. rer. Aragon. ad ann. MCXXXI. *Decreto Apostolico Ecclesiastica beneficia, vt indigenis conferantur sancitur, eámque sanctionem Lucius II. P. M confirmat.* & hoc vigere in Burgensi, Calagutritana, & aliis pluribus diœcesibus Hispaniæ refert Gonz. in reg. VIII. Cancellat. *gloss.* IX. §. I. *num.* III. Alioquin si quibuscumqne non conferat Patriatcha beneficia Eclesiastica, indignus futurus denuntiatur, vt Cletici aliarum gentium ad ipsius obsequium compellantur: Græci enim naturâ infensi Latinis non consenserunt in Thomam Mautocenum, & è Græcis extra vrbem sedit Michael IV. Patriarcha, auctore Blondo: atqne ita vt Græcos & alios suum ad obsequium prouocaret Patriarcha Venetus, monetur vt eos præmiis & bene meritis allicetet. Episcopi honorent Clericos quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor deferatur. *can. sta subiectus.* XCVI. *dist.* Et vt à Legatis inuidiam remoueat Pontifex

mandat eisdem vt eum certiorem faciant de Patriarchæ in conferendis beneficiis ratione, vt ex ipso argui possit, an verum sit quod Venetis promisisse ferebatur, nempe de non conferendis beneficiis Ecclesiasticis, aliis quàm Venetis.

CAPITVLVM VI.

IDEM HELIEN. EPISCOPO, ET ARCHIDIAC. NORVICEN.

CVM venissent ad Apost. Sedem Archidiaconus Richimundiæ, & procuratores Eboracen. Archiepiscopi, ex parte Archiepiscopi fuit propositum, quòd institutio personarum & custodia Ecclesiarum vacantium ad eum in diœcesi sua spectat, tam de iurisdictione communi, quàm de consuetudine generali. Verùm quidam prædecessores ipsius quibusdam Archidiac. Richimundiæ tam institutionem, quàm custodiam personaliter commiserunt :.·.·. Inter alia verò Archidiac. ipse respondit, quòd Archiepiscopus tam institutiones, quàm custodias, non personaliter Archidiacono, qui tunc erat, sed perpetuo de consensu Capituli Archidiaconatui reali concessione donauit. Cùm autem Archidiaconatus ipse in continua possessione, tam istarum, quàm aliarum libertatum, multorum Archiepiscoporum & Archidiaconorum temporibus extitisset, & Archiepiscopus sine conditione qualibet concessisset ipsum eidem, post concessionem adseruit, quòd ipsum concesserat institutionibus & custodiis vacantium Ecclesiarum exceptis. Ipse verò timens, ne si negaret expressè, cùm nondum esset Archidiaconatus possessionem adeptus, vel impediretur penitus factum eius, vel diutius differretur: respondit quòd non solùm de illo, sed de omnibus reditibus suis faceret quod sibi placeret: .·.·. Nos igitur interlocuti fuimus Archidiaconum esse in plena libertatum eiusdem Archidiaconatus possessione tuendum, donec probatum legitimè fuerit ex aduerso libertates ipsas Archidiaconis ab Archiepiscopis personaliter fuisse concessas: cùm in hoc casu tam ante, quàm pòst, & in ipsa etiam concessione, Archiepiscopus eas retinere potuerit licitè tamquam suas, vel donec legitimè probatum fuerit easdem libertates Archidiaconum abiurasse. Sed in hoc casu si concessio illa fuerit realis, Archiepiscopo nihil iuris vel vtilitatis accederet, quia nos vel ad petitionem Eboracen. Ecclesiæ, vel per nosipsos super hoc Archidiaconatui consulemus. Si ergo alterutrum ipsorum fuerit legitimè adprobatum, Archidiacono super libertatibus ipsis: si neutrum, Archiepiscopo silentium imponatur.

HÆc decretalis integra extat apud Rogerum Houedenum in vita Ioãnis Regis Anglorum. Huius species hæc est. Lis seu quæstio fuit apud Summum Pontificem inter Eboracensem Archiepiscopum, & Archidiaconum Richemundiæ circa institutionem personarum, & custodiam Ecclesiarum vacantium, vtroque eam sibi vindicante. Procurator Archiepiscopi proponebat, institutionem personarum, & custodiam Ecclesiarum vacantium, ad ipsum in sua diœcesi spectare, tam de iure communi, quàm de consuetudine generali. De iure communi ad Episcopum pertinet collatio omnium beneficiorum diœcesis, *can. omnes basilica. can. nullus omnino.* XVI. *qu.* VII. & hoc est quod dicitur hîc de iure communi, & ex consuetudine generali institutionem personarum pertinere ad Episcopum, institutionem scilicet auctorizabilem, vt loquûtur interpretes. Institutio verò corporalis, id est missio in possessionem spectat ad Archidiaconum *cap. ad hac. cap. vt nostrum. de offic. Archidiac. cap. super eo. de offic. delegat. cap. dudum de elect.* De iure communi, & ex consuetudine generali dicitur etiam hîc custodia Ecclesiarum vacantium pertinere ad Episcopum. de qua Orderic. Vital. lib IX. *Antequam Normani Angliam obtinuissent, mos erat vt dum Rectores Ecclesiarum obirent, Episcopus Cœnobiorum qua in sua diœcesi erant, res sollicitè describeret, & sub ditione sua, donec Abbates legitimè ordinarentur, custodiret. Similiter Archiepiscopus Episcopi res Antistite defuncto seruabat, & pauperibus, vel structuris basilicarum, vel aliis bonis operibus, cum consilio domesticorum eiusdem Ecclesia distrahebat.* Tamen multis locis, etiam in Anglia, custodia Ecclesiarum vacantium pertinet ad Archidiaconum. *can. si in plebibus.* LXIII. *dist. cap. bona memoria. de appellat.* Verùm nonnullos decessores illius quibusdam Archidiaconis Richemundiæ institutionem personarum & custodiam Ecclesiarum vacantium personaliter commisisse, sed aliorum temporibus ad se eas reuocasse: ita vt Eboracensis Archiepiscopus qui tum sedebat, cùm W. de Chiuille Archidiacono Richemundiæ singulari beneficio concessisset institutionem personarum & custodiam Ecclesiarum vacantium ad preces Richardi Regis Anglorum, eo in Episcopum pòst electo, Archiepiscopus easdem ad se reuocauerit, tanquam proprias. Ex diuerso Archidiaconus respondebat, Henricum I. Regem Anglorum cùm apud Carleolum Sedem Episcopalem institui vellet. Carleolum olim Luguballiam ab Henrico I. in

Episcopalem Sedem erectam narrant Matth. Paris & Matth. Westmonaster. ad annum MCXXXI. & Roget. Houeden ad ann. MCXXXIV. à Thruscino Eboracensi Archiepiscopo postulasse, quòd ex hoc læderetur Archidiaconatus Richemundiæ, vt damni compensandi causâ ei concederet institutionem personarum, & custodiam Ecclesiarum vacantium; Archiepiscopum autem annneotem precibus Regüs, institutionem personarum, & custodiam Ecclesiarum vacantium, oon personaliter Archidiacono qui tum erat, sed in perpetuum de consensu Capituli Archidiaconatui reali, & liberali concessione donasse. Priuilegium concessum dignitati censetur reale & perpetuum, provt & dignitas perpetuò durare dicitur. *cap. Quoniam Abbas. suprà, de officiis d. legat* Idem addebat, Archidiaconatum huiusmodi facultates, & alias etiam libertates longo tempore possedisse, & ipsum Archiepiscopum ei vltrò concessisse Archidiaconatum, & post concessionem significasse, se illi quidem Archidiacouatum concessisse, cum omnibus libertatibus suis, sed excepisse institutionem personatum, & custodiam Ecclesiarum vacantium; ipsum verò subueritum, quia nondum ingressus erat corporalem possessionem Archidiacooatus, ne si apertè repugnaret, moræ ei necterentur in tradenda possessioue corporali statim respondisse, se in omnibus staturum arbitrio Archiepiscopi: quæ verba, cùm essent de curialitate, nooerant obligatoria. *§. si verò. §. cùm quidam, ff. maneat. l. vlt. (quod cum eo qui in aliena potestate est.)* Ad hæc Procurator Archiepiscopi replicabat, cùm ipse Archidiaconus vltrò fateretur se renuntiasse institutioni personarum & custodiæ Ecclesiarum vacantium, si huiusmodi renuntiatio dignitati non noceret, quod delictum vel culpa Prælati non debet nocere Ecclesiæ *can. Si Episcopum* XVI. *qu.* VII. saltem nocere personæ, nec Archidiaconum quoad viueret, posse vti iure quo semel cesserat. ita constitutione Conradi feudum datum Ecclesiæ, ob culpam Prælati non amittitur in perpetuum, sed eo viuente pertinet ad dominum, eo mortuo redit ad Ecclesiam II. feud. XL. quo iure Hartuicus Bremensis Archiepiscopus, & Vlricus Halberstatensis Episcopus à Friderico I. regalibus multati in campo Roncaliæ, quoad viuerent, quòd expeditioni Italicæ defuissent. Otho Frisingens. de gest. Frideric. lib. II. cap. XI. *Sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe secuto, non solùm Laicorum feuda, sed & quorumdam Episcoporum, id est, Harduici Bremensis, & Vlrici Halberstatensis regalia personis tantùm, quia nec personis sed Ecclesiis perpetualiter a principibus tradita sunt, abiudicata fuêre.* quod metro reddidit Gunterus Ligurius lib. 2.

Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille
Sub quo Brema fuit, tali Regalia iura
Amisêre notâ, persona scilicet ipsa:
Non tamen Ecclesia, neque enim quòd Pastor iniquè
Gesserit; Ecclesia fas est in damna refundi.

Ad hæc Archidiaconus rursus replicabat huiusmodi libertates se non repetere, cùm eis liberè sicut priùs, cùm iter arripuit ad Sedem Apostolicam, vteretur, & earum possessione gauderet: quod negabat Procurator Archiepiscopi hoc argumento, quòd ipse Archidiaconus in quadam Ecclesia sui Archidiaconatus per Archidiaconum institui postulasset, quasi non fuisset institutionem in Ecclesiis sui Archidiaconatus postulaturus ab Archiepiscopo, si tum fuisset in possessione huiusmodi libertatum. frustrà postulatur ab alio, quod per se obtineri potest. *L. Imperatores. ff. de reb. auctor. iudic. possidend.* Ad quod Archidiaconus respondebat, se per Archiepiscopum non institui, sed confirmari potiùs postulasse, tum non labefactari ius suum, & si fortè institutionem in quadam Ecclesia sui Archidiaconatus impetrasset ab Archiepiscopo, quòd incongruum videretur, si seipsum institueret. Collator vel Patronus non potest se ipsum instituere, vel præsentare. *cap. vt, infrà, h. tit. cap. per nostras. de iur. Patronat.* Re cognitâ Pootifex interlocutus est Archidiaconum esse in plena libertatum eiusdem Archidiaconatus possessione tuendum, donec legitimè probatum fuerit. Ex aduerso libertates ipsas Archidiaconis ab Archiepiscopis personaliter fuisse concessas, vel Archidiaconum ipsum easdem libertates abiurasse; quo casu si concessio fuit realis, Archiepiscopo nihil profuturum huiusmodi renuntiationem, ait Pontifex, quòd ad petitionem Eboracensis Ecclesiæ, vel per se, id est officio iudicis esset Archidiaconatui consulturus: interim Archidiaconum tuetur Pontifex in possessione libertatum, quia in dubio priuilegium datum dignitati præsumitur reale & perpetuum, nisi aliud probetur *d. cap. quoniam Abbas.* & si priuilegium realiter concessum sit dignitati, non personæ: hoc casu Archidiacono minimè nocebit ipsius renuntiatio seu promissio de stando arbitrio Archiepiscopi, quia fuit elicita per metum ne fortè ab Episcopo impediretur in adipiscenda possessione Archidiaconatus, & licèt nemo possit venire contra factum suum, *l. post mortem. ff. de adeptionib.* tamen Prælatus qui temerè renuntiauit rebus, vel iuribus Ecclesiæ, vel dignitatis suæ, facilè restituitur. Prælatus qui alienat res Ecclesiæ, vel dignitatis suæ, potest idem alienationem reuocare. *cap. si quis Presbyterorum. infrà, de reb. Eccles. alienand. gloss. in cap. diuersis, suprà, de Cleric. coniugat.*

CAP. IV.

TIT. VIII. *De concessione Prabenda, & Ecclesia non vacantis.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. PRÆPOSITO & CAPITVLO CAMERACEN.

PROPOSVIT nobis T. Presbyter, quòd cùm C. Papa præ. noster pro receptione ipsius in fratrem, & adsignatione præbendæ ad donationem vestram spectantis in Ecclesia vestra proximò vacaturæ, mandatum Apostolicum vobis destinasset, Decano Remensi executore concesso, Decanus ipse vos contumaces inueniens: ipsum de præbenda primò vacatura in Ecclesia vestra, quæ ad donationem Capituli pertinet, auctoritate Apostolicâ inuestiuit: .·.. Sed cùm præbenda quæ ad donationem vestram spectabat in Ecclesia Cameracen. vacasset, eam alij assignastis: .·.. Idem autem præd. nost. quod ab eodem Decano factum fuerat, ratum volens haberi, collationem præbendæ factam à vobis penitus irritauit, & eum de ipsa per annulum inuestiuit.

Licèt autem intentionis nostræ non sit inuestituras de vacaturis factas contra Canonum instituta ratas habere, qui secundùm plenitudinem potestatis de iure possumus supra ius dispensare: adtendentes tamen quòd idem presbyter non de vacatura, sed de vacante per præd. nost. fuit inuestitus, vtpote quæ post cassationem concessionis à vobis factæ intelligebatur vacare: mandamus, quatenus amoto ab ea præbenda quolibet detentore, eam ipsi cum plenitudine honoris Canonici adsignetis.

EX Conc. Lateranensi habito sub Alexandro III. beneficium nondum vacans conferri vel promitti non potest; quia hoc genus collationis vel promissionis, est contra bonos mores, cùm inducat votum captandæ mortis alienæ. *cap. nulla. suprà, h. tit.* quâ ratione vetatur & pactum de hæreditate viuentis, *l. vlt. C. de pact.* Hinc fur & latro dicitur qui viuentis beneficium occupat, *can. non furem.* VII. *qu.* I. Et Episcopus non potest mandare alteri collationem præbendæ, quæ primò vacauerit, *cap. constitutus, infrà, h. tit.* nec patronus potest promittere nondum vacans beneficium, *cap. vlt. h. tit.* Beneficium non vacans non potest conferri priuato; sed nihil vetat conferri seu vniri monasterio, ita vt possessori fraus non fiat, quoad superstes erit, *cap. cùm venisset, suprà, de restit. spoliat. cap. Consultationibus, infrà, de donat.* quoniam in Vniuersitate & Monasterio cessat suspicio voti captandæ mortis. Solus Summus Pontifex de plenitudine potestatis potest conferre, vel conferendum mandare beneficium nondum vacans; quia de plenitudine potestatis potest contra ius commune dispensare, vt exponitur in *hoc cap.* quod integrum extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CXXVII. Huius verò species hæc est: Celestinus III. Pontifex mandauit Præposito & Capitulo Cameracensi, vt G. Presbyterum reciperent in Canonicum & in fratrem, & assignarent ei præbendam proximè vacaturam, ad eius collationem spectantem, Rhemensi Decano executore dato: sed cùm Decanus eos contumaces expertus esset, ipsum Presbyterum auctoritate Apostolica inuestiuit de præbenda primò vacatura, quæ spectaret ad collationem Capituli; tandem cùm vacasset præbenda in Ecclesia Cameracensi, Capitulum eam contulit alteri. Quo accepto, Celestinus ratum habiturus quod à Decano gestum erat, collationem præbendæ factam à Capitulo irritam pronuntiauit, & eum de ipsa per annulum inuestiuit, quod est symbolum inuestituræ præbendarum & dignitatum, *vt hîc & cap. cùm olim, suprà, de re judicat.* Licèt ergo, ait Pontifex, mentis suæ non sit inuestituras seu collationes vacaturarum præbendarum contra Canonum instituta ratas habere, licèt ei liceret, cùm summus Pontifex de plenitudine potestatis possit contra ius dispensare; attendens quòd idem Presbyter non fuit inuestitus de vacatura, sed de vacante, vtpote quæ post cassationem collationis factæ à Capitulo intelligebatur vacare. Beneficium vacat cassatâ collatione per sententiam. Dominium statim amittitur per sententiam. §. *vlt. infrà, de eff. judic.* Mandat Pontifex Præposito, & Capitulo Cameracensi, quatenus amoto ab ea præbenda quolibet detentore, eam ipsi assignent cum plenitudine honoris Canonici, id est, stallo in choro, loco in Capitulo & aliis. *cap. relatum, suprà, de prabend.* Igitur solus Summus Pontifex potest conferre vacatura beneficia, quia de plenitudine potestatis potest contra ius commune dispensare, vt probatur *hîc, & cap. significasti, suprà, de elect. can. fraternitatis.* XXXIV. *dist.*

CAPITVLVM V.

IDEM IN EODEM.

QVIA diuersitatem corporum, diuersitas sæpe sequitur animorum: .·.·. Conquerebatur inter cætera Eboracen. Archiepiscopus, quòd cùm ad eum in Ec-

clesia Eboracen. & aliis suis Ecclesiis collatio pertineat præbendarum, tempore suspensionis ipsius, & postmodum etiam quidam præter eius auctoritatem se intruserunt in ipsas: .·.·. Mandamus, quatenus eos, qui præbendas vel dignitates Ecclesiæ Eboracen. vel aliarum ad donationem eius spectantes præter auctoritatem acceperunt ipsius, ad eas resignandas monitione præmissâ per excommunicationis sententiam & subtractionem aliorum beneficiorum, non obstante confirmatione à Sede Apost. obtentâ sub forma communi, quæ confirmat beneficia & præbendas, sicut iustè & pacificè possidentur, adpel. rem. compellas: Nisi fortè aliqui ea vel ex speciali mandato Apost. Sed. vel auctoritate Lateranen. Concilij ab Eboracen. Capitulo sint adepti: Sic tamen, vt tempus suspensionis in sex mensibus nullatenus computetur: cùm illa Lateranen. Concil. constitutio contra negligentes tantùm fuerit promulgata: & tunc si voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus ipse in conferendis præbendis vti propria potestate, à qua etsi fuerit suâ culpâ suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio deuoluta: sed ad illum tempore suspensionis illius præbendarum donatio pertinebat, qui præter eius desidiam & negligentiam poterat præbendas donare. Tempus etiam quo ad Aposto. Sed. accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab illa, intra sex menses nullatenus computetur. Semestre autem tempus non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius potiùs volumus computari.

HÆc Decretalis integra extat apud Innocent. III. lib. II. epist. LVI. cui coniungendæ sunt duæ præcedentes epistolæ. Huius species hæc est: Gaufridus Eboracensis Archiepiscopus à Canonicis suæ Ecclesiæ de multis criminibus reus postulatus apud Summum Pontificem, puta de simonia, & aliis, quorum cognitione demandatâ Lincolniensi Episcopo, & coniudicibus suis, quia ante citationem datorum iudicum appellauit ad Summum Pontificem, & iter iniit ad prosequendam appellationem, ei iudices dati dedere spatium trium mensium, ad prosequendam appellationem; sed cùm ad diem dictam iudicio defuisset, Richardo Rege profectionem vetante, & per nuntium se excusasset apud Pontificem, dies ei prorogatus est in octauam S. Martini; ad quem cùm denuo defuisset, suspensus est per Pontificem ab Episcopali officio. Tandem Archiepiscopus, concessâ veniâ à Principe, adiit Romam, vt de obiectis sese criminibus purgaret. Cùm aduersarij deficerent in accusatione, inscriptionis periculo se subiicere nolentes, & ipse idoneè probasset innocentiam suam, Pontifex eum absoluit à sententia suspensionis, vt fusiùs Rogerus Houedenus in Richardo I. Post absolutionem, Eboracensis Archiepiscopus conquestus est, quòd cùm ad eum collatio præbendarum in Eboracensi Ecclesia, & aliis pertineret, tempore suspensionis ipsius & postmodum etiam quidam præter eius auctoritatem in ipsas se intruserunt; Nimirum, quod velim suppleas ex ipso Houedeno, cùm vacasset Archidiaconatus Eboracensis Archiepiscopus ipsum contulit Petro de Dinant, qui repulsus est à Capitulo, quasi Archiepiscopus non habuisset potestatem conferendi Archidiaconatus, quòd in conferendo cessasset vltra tempus Lateranensis Concilij, id est, vltra sex menses; ex Lateranensi enim, Ordinario dantur sex menses; & si intra sex menses non conferat, collatio deuoluitur ad Capitulum. *cap. nulla, suprà, h. tit. cap. licet, suprà, de suppl. neglig. Prælat.* Mandauit Pontifex, vt hi qui præbendas, vel dignitates Ecclesiæ Eboracensis, vel aliarum, ad collationem Archiepiscopi Eboracensis spectantes præter ipsius auctoritatem accepissent, ad eas resignandas monitione præmissa per excommunicationem & subtractionem aliorum beneficiorum compellerentur, non obstante confirmatione à Sede Apostolica obtenta in formâ communi, quæ confirmaret præbendas & beneficia sicut iustè & pacificè possiderentur. Confirmatio in forma communi nouum ius non tribuit; sed si quod competebat, conseruat, vt *hic & cap. examinata. de confirm. vtil. cap. quia intentionis. de priuileg.* nisi qui fortè ea vel speciali mandato Sedis Apostolicæ, vel auctoritate Lateranensis Concilij ab Eboracensi Capitulo essent adepti, iure deuoluto scilicet ante suspensionem quæsito. Ex Lateranensi enim si Episcopus non conferat intra sex menses, collatio deuoluitur ad Capitulum. *d. cap. nulla*; ita tamen vt tempus suspensionis non computetur in sex mensibus, quia constitutio Lateranensis contra negligentes tantùm fuit promulgata. Præscriptio introducta est aduersus negligentes; at ex quo Archiepiscopus fuit suspensus, minimè fuit in morâ conferendi. Suspensus non potest eligere vel conferre beneficia, vt *hic & cap. cùm dilectus, suprà, de consuetud. cap. tanta. de excess. Prælat.* Præscriptio igitur semestris temporis non currit impedito de iure. Non valenti agere non currit præscriptio. *l. 1. §. vlt. C. de annal. except. l. cùm notissimi. §. illud autem. C. de præscript.* XXX. *ann. l. in rebus. C. de iur. dot.* Etsi Archiepiscopus culpâ suâ esset suspensus, non tamen ad Capitulum propter culpam Archiepiscopi collatio erat deuoluta, quia collatio deuoluitur ab Episcopo ad Capitulum propter negligentiam, non ob culpam, vel delictum. *cap. Romana. de suppl. negl. Prælat. in* VI. *cap. quamquam. de elect. eod.* Sed ad illum tempore suspensionis Archiepiscopi pertinebat collatio, qui etiam cessante negligentia poterat conferre, id est, ad Summum Pontificem, qui potest conferre quælibet beneficia per præuentionem Ordina-

rij. Summus Pootifex concurrit cum omoibus Ordinariis, & in concursu confert omoia beneficia tamquam Ordinarius Ordinariorum. *cap. 11. de prabend. in* VI. *cap. si Papa. de priuileg. eod.* Tempus etiam, quo idem ad Apostolicam Sedem accessit, & apud illam permansit, & domum rediit, oon computatur in sex mensibus: ac demum semestre tempus noo computatur à die vacatioois, sed à die ootitiæ, vt definitur in calce *huius cap. & d. cap. licet. & cap. statutum. cap. si pluribus. de prabend. in* VI. qui enim nescit, experiundi potestatem ooo habet, *l. annus. ff. de calumniat.*

CAPITVLVM VI.

IDEM BASILIEN. EPISCOPO, ET ABBA. SANCTÆ MARIÆ.

CVM nostris fuerit olim auribus intimatum, quòd Præpositura Ecclesiæ Lausanen. tempore tanto vacasset, vt secundùm statuta Lateranen. Concilij ad nos esset eiusdem donatio deuoluta: Episcopo & Canonicis Lausanen. mandauimus, vt præposituram ipsam Thesaurario Lausan. conferrent, quibusdam super hoc executoribus deputatis: .·.·. Verùm præfati Episcopus & Canonici literis receptis præposituram prædictam non vacare dixerunt, quia licèt ille, qui præpositus fuerat, in Episcopum fuisset adsumptus, ad ipsam tamen præposituram post consecrationem suam denuo fuerat ab ipsis Canonicis electus, & eam sicut antea possidebat. Quod dicti executores dicentes contrarium esse iuri, ipsam præposituram de iure vacantem auct. Apost. præfato Thesaurario adsignarunt: .·.·. Auditor igitur super hoc datus à nobis, de mandato nostro decreuit, vt quod à memoratis executoribus factum fuerat obtentu literarum nostrarum, eo quòd per falsi suggestionem, & veri suppressionem fuerant impetratæ, cùm præpositura illa non vacaret de facto, quia talis possessio plus habet facti, quàm iuris, haberetur irritum & inane. Nos verò sententiam eiusdem ratam habentes: mandamus, quatenus nisi prædictus Episcopus sufficienter ostenderit, quòd vel ex indulgentia Sed. Apost. speciali, vel ex alia iusta causa & necessaria sibi post consecrationem suam præpositura concessa fuerit memorata, ipsum ad resignationem ipsius (si sponte noluerit) compellatis. Deinde Lausanen. Capitulum ad conferendam eam Thesaurario supradicto diligentiùs inducere procuretis.

HVIVS cap. species hæc est. Vacante Præpositura Lausanensis Ecclesiæ, (Lausana est ciuitas Episcopalis apud Heluerios; de qua Innocent. idem lib. 1. epist. CLXIX. & Ottho Frisingens. de gest. Frideric. lib. II. cap. XXIX. *Tres ciuitates inter Iuram & montem Iouis, Losannam, Gebbennam, & N. accepit.* olim Auenticum) Præposito sc. in Episcopum Seduoeosem electo, & collatione eiusdem ex Lateranensi Conc. lapsu semestris temporis ad Pootificem deuolutâ, Pontifex mandauit Episcopo & Capitulo Lausaneosi, vt præposituram ipsam Thesaurario Lausanensi conferreot, datis oonnullis executoribus. Episcopus & Canonici receptis literis Pootificis, præposituram prædictam noo vacare dixerunt; quia præpositus electus in Episcopum, idem rursus post consecratiooem fuerat restitutus ad præposituram quam olim obtinebat. Igitur executores dati electione oihili habitâ, tamquam iuri cootrariâ, ipsam præposituram de iure vacantem, licèt ooo vacaret de facto, auctoritate Apostolica Thesaurario assignarunt, eúmque ioduxeruot in possessionem corporalem. Auditor datus à Pontifice, ex maodato ipsius Pontificis collationem Præposituræ factam ab execotoribus datis, irritam habuit, eo quòd esset facta ex literis per obreptionem impetratis, nempe facta mentione vacare præposituram, cùm non vacaret saltem de facto, eo quòd Episcopus illam obtineret qualicumque titulo, quia possessio plus habet facti, quàm iuris. *l. denique, ex quib. caus. maior.* Pontifex verò seoteotiam Auditoris dati ratam habens, mandauit quatenus nisi prædictus Episcopus idoneè probauerit præposituram sibi cooceßam ex speciali indulgeotia Sedis Apostolicæ, vel ex iusta & oecessaria causa, putà obtenuitatem Episcopatus, ad resignationem ipsius præposituræ compellatur, & mox eadem præfato Thesaurario à Capitulo conferatur. Per promotiooem ad Episcopatum, vacant cætera beneficia, quæ antè promotus obtinebat, à die adeptæ pacificæ possessionis, *cap. cùm in cunctis. §. cùm vero, de elect. can. si qui Episcopi.* XCII. *dist.* & si retineantur, vsurpari dicuotur: Iuo Carnotens. epist. LIV. *Defuncto enim Ioanne Aurelianensi Episcopo Turonensis Archiepiscopus, qui in pradicta Ecclesia. adhuc sibi vsurpabat Praposituram, & Archidiaconatum.* Singulare fuit quod Gebehardus Eistatensis Pootifex creatus oomioe Victoris II. Episcopatum retinuit ad mortem vsque. Lambertus Scafnaburg. de reb. gest. Germ. ad ann. MLVII. *Prasente adhuc Victore Papa, qui exinde compositis mediocriter, prout tunc copia erat, Regni negotiis, in Italiam regressus quinto Calendas Augusti migrauit ad Dominum, Eistatensem Episcopatum quo se ille Papa factus non abdicauerat, Gunzo suscepit.* Et postea Anselmus Lucensis Episcopus, in Pontificem electus Alexander II dictus titulum Lucensis Ecclesiæ non dimisit; Auctorem habemus Baron. tom. XI. Annal. ad ann. MLXX;

num. XXVII. Iure Decretalium collatio præbendarum, & dignitatum, quæ vacant per promotionem ad Episcopatum, non pertinet ad Summum Pontificem, præterquam iure deuoluto, ex Conc. Lateranensi, lapsu sc. semestris temporis, vt definitur hîc: sed hodie beneficia promotorum ad Episcopatum sunt reseruata Summo Pontifici, *extrauag. ad regimen. de præbend.* Collatio facta ab executoribus Apostolicis, de præpositura vacante ob promotionem ad Episcopatum, irrita pronunciatur, quia facta fuit ex literis per obreptionem impetratis; quòd simpliciter in his expressum fuerit præposituram vacare. In impetratione beneficij facienda est mentio vacationis tam de facto, quàm de iure. In impetratione beneficij vacantis non sufficit memorari simpliciter, quòd vacet: si alius est in colorata possessione, genus vacationis exprimendum est, tam de facto, quàm de iure, aliàs impetratio non valet tamquam obreptitia. Impetrationem vitiat possessio facti colorata, si de illa non fiat mentio, ob obreptionis vitium; at collationem Ordinarij non vitiat. *cap. licet Episcopus. de præbend. in VI.* Obreptio non cadit in Ordinarium, cùm ipse præsumatur nosse possessionem facti alterius. Per promotionem ad Episcopatum vacant omnia beneficia etiam simplicia, quæ promotus antè obtinebat, post adeptam sc. pacificam possessionem; vnde non vacant beneficia promoti ad Episcopatus titulares, seu in partibus infidelium existentes, cùm careat possessione, nec per eum stet assequi possessionem: & Episcopo titulari vel sede pulso potest conferri aliud beneficium subsidij causâ. *cap. ad supplicationem. de renunciat.* Adeptione Episcopatus vacant cætera beneficia promoti, nisi ex dispensatione Sedis Apostolicæ ea retineat. Arnoldo Treuirensi Archiepiscopo, olim Præposito maioris Ecclesiæ Treuirensis, vt omnia beneficia Ecclesiastica, quæ priùs habebat, retinere ei liceret pro mensæ sumptu indulsit Innocent. IV. auctore Trithemio in Chronic. Hirsaugiens. ad ann. MCCXLII. vel nisi ex iusta, & necessaria causa priora beneficia ex nouo titulo assequatur, puta ob tenuitatem Episcopatus, quæ est iusta causa dispensandi circa pluralitatem beneficiorum. *can. vnic. X. qu. III. cap. cum te decet. de ætat. & qualit. præfic.* maximè in Episcopis qui egent maiori sumptu, & honestè paupertatem ferre non possunt: Iuo Carnotens. epist. CCXXXVIII. *Præterea cùm dignitas Episcopalis paupertatem his diebus honestè ferre non valeat, prouidendum est ne ista diuisione vterque Episcopus fiat pauper.*

CAPITVLVM VII.

IDEM ARCHIDIAC. RICHIMVNDIÆ.

POST electionem & confirmationem Episcopi Elien. vacante Archidiaconatu Richimundiæ, quem tenuerat, Eboracen. Archiepiscopus eum tibi propria liberalitate contulit, dans Eboracen. Capitulo in mandatis, vt te in Archidiaconum recipere procurarent: cuius noluerunt mandato parere: quia præ.no. inter alia, quæ Decano & Capitulo Eboracen. suo priuilegio noscitur indulsisse, ordinationem Canonicorum seu personarum liberam esse decreuit, vt videlicet idonea & honesta persona, cui Archiepiscopus vacantem in Ecclesia Eborac. præbendam vel dignitatem duxerit conferendam, secundùm antiquam ipsius Ecclesiæ consuetudinem præsentaretur Decano & Capitulo supradictis: & .·. ·. Si quis contra consuetudinem huiusmodi in Ecclesia ipsa esset per aliquem introductus, nec pro persona, nec pro Canonico haberetur. Quòd si Archiepiscopus intra terminum Lateranen. Concilij secundùm formam præscriptam personæ idoneæ non conferret, liceret Decano & Capitulo aucto. Apo. iuxta eiusdem Conci. statuta conferre. Cùm igitur in literis Archiepiscopi directis Capitulo, de Decano mentio nullatenus haberetur, per cuius manum debebas in Capitulo inuestiri, eius mandato extitit contradictum: .·. ·. Ipsius igitur institutione propter præmissas rationes à Capitulo reprobatâ, ipsi intelligentes Archidiaconatus donationem ad eos, tam aucto. Lateran. Conci. quàm indulti sibi priuilegij deuolutam, R. de sancto Edmundo illum vnanimiter contulerunt, inuestientes eumdem de ipso, & solenniter installantes. Processu verò temporis præfatus Archiepiscopus post resignationem & abiurationem à te factam, & receptam ab ipso, eidem R. Archidiaconatum contulit antè dictum: qui Archidiaconatum ipsum, tam ratione primæ, quàm secundæ concessionis, sibi adsignatum, per Sed. Apost. petiit confirmari: .·. ·. Quoniam constitit nobis Archidiaconatum prædictum tibi per Eboracen. Archiepiscopum primitus fuisse concessum, & quòd institutione factâ per ipsum, secundùm iuris ordinem minimè reprobatâ, Archidiaconatus non vacans non potuit nec debuit in alium ritè transferri: memorato R. qui contra iustitiæ regulam in Archidiaconatum alterius prouehi se consensit, super eo duximus silentium imponendum: sententialiter decernentes, vt institutio facta per Archiepiscopum de te sortiatur effectum. Exinde si

super renunciatione, vel abiuratione, vel aliquo præmissorum aliquis, qui velit & valeat, aduersus te quicquam duxerit proponendum: ordine poterit iudiciario experiri.

SPECIES h. cap. quæ valde iuuatur à Rogero Houedeno in Richardo I. ad ann. MCXCVII. vacante Archidiaconatu Richemundiæ, quæ est prima post Decanum dignitas Eboracensis Ecclesiæ, vt colligitur ex *hoc cap. & cap. cùm venissent, suprà, de institut. & cap. licet. de suppl. neglig. prælat.* Vacante, inquam, Archidiaconatu Eboracensis Ecclesiæ per electionem N. Archidiaconi in Episcopum Eliensem, Gaufridus Eboracensis Archiepiscopus, ad quem spectabat collatio præbendarum & dignitatum vacantium in Ecclesiâ Eboracensi, Archidiaconatum vacantem contulit Honorio Clerico suo, ad quem pertinet inscriptio huius cap. & mandans Capitulo vt eum reciperent. Quem tamen non audiuit Capitulum, obtentu quæsito cuiusdam priuilegij à Celestino III. concessi, de non recipiendo quopiam in Canonicum, vel personam, nisi quem Archiepiscopus Eboracensis Decano & Capitulo præsentaret, & commendaret Honorius autem ab Archiepiscopo Eboracensi Capitulo tantùm præsentatus fuerat, nullâ mentione factâ Decani ad quem pertinebat inuestitura Archidiaconi; igitur reiectâ collatione Archiepiscopi factâ de persona Honorij, & lapsis iam sex mensibus quasi ad se deuoluto iure conferendi, Decanus & Capitulum Rogero de S. Edmundo Archidiaconatum contulerunt, eumdémque de ipso inuestierunt, & solenniter installarunt. Quæsitus color vindicandi priuilegij, & iuris deuoluti; sed reuera huiusmodi collatio facta est à Capitulo, studio obsequendi Richardo Regi, qui iam malè affectus in Gaufridum Archiepiscopum Eboracensem, eumdem Archidiaconatum ipse contulerat præfato Rogero, vt refert Houedenus; postea post resignationem Honorij factam in gratiam Rogerij Archiepiscopus eidem Rogerio contulit prædictum Archidiaconatum: quod cautè accipiendum; hoc enim proponebatur, sed non fuit probatum, vt monet rectè glossa hîc. Itaque Rogerus petebat Archidiaconatum sibi confirmari à Pontifice, tam in vim primæ collationis quæ ei facta erat à Capitulo, quàm in vim secundæ collationis quæ ei facta proponebatur per Archiepiscopum post renunciationem Honorij. In collatiuis beneficiis licet plures titulos cumulare, vt probatur hîc; aliud in electiuis. *cap. inter dilectos, supra, de fid. instrument.* Hac de causa electus non potest petere confirmationem ex duabus electionibus, sed oportet vt eligat vtram malit confirmari, *cap. vt quis duas. de elect. in* VI. quia vtraque electio valere non potest. Verùm Honorius excipiebat; licèt in literis Archiepiscopi directis Capitulo, nominatim non fieret mentio Decani, non tamen ob id præsentatus Capitulo repellendus erat quasi prætermisso Decano, cùm appellatione Capituli contineretur Decanus, quia Decanus est pars & caput Capituli, *cap. auditis. de elect.* Præterea Honorius addebat collationem factam à Capitulo iure deuoluto non valere, quia facta est per tempus quo Archiepiscopus erat in curia. At tempus non currebat Archiepiscopo dum fuit apud Sedem Apostolicam. *cap. quia diuersitatem, h. tit.* Præterea præscriptio temporis non currebat aduersus Archiepiscopum iniuria Principis relegatum. Episcopus exulans non amittit Episcopatum nec iurisdictionem Episcopalem. *can. Gulisarius.* XXIII. *qu.* IV. Hinc Prætextatus Rotomagensis Archiepiscopus, apud Gregor. Tur. lib. VIII. cap. XXXI. *Ego semper in exilio, & extra exilium Episcopus fui, sum & ero.* Denique Honorius probabat institutionem Rogerij à Capitulo factam non valere, quia non potuit dignitas Honorio semel ritè collata, eo superstite Rogerio conferri: non vacans beneficium conferri non potest. *cap. nulla, h. tit.* Itaque Pontifex iudicauit institutionem Honorij ratam esse, rescissâ institutione Rogerij: neque Honorio obfuit quod dicebatur eius renuntiatione collatus Archidiaconatus ab Archiepiscopo Eboracensi; quia hoc non probabatur: ideóque Pontifex hoc relinquit Rogerio, vt ei liceat, si velit, experiri de renuntiatione aduersus Honorium.

CAPITVLVM VIII.

IDEM C. CANONICO TRIDENTINO.

CVM super quæstione Trident. præbendæ: .·.·. Cùm autem constet te in Canonicum Trident. Ecclesiæ fuisse receptum, licèt receptionem tuam factam contra Lateranense Concil. pars aduersa proponat; quia tamen probatum non extitit, nec ipsi Canonici videbantur tibi hoc opponere posse de iure, qui se fatentur te contra statuta præfati Concilij recepisse: Sententialiter decernimus, vt tibi, quàm citò se facultas obtulerit, præbendale beneficium in Trident. Ecclesia conferatur: cùm ex quo receptus es in Canonicum, non debeas carere præbenda.

HVIVS cap. species hæc est. Quidam Clericus Claromonte nomine, à Capitulo Terdonensi receptus est in Canonicum, nullâ assignatâ præbendâ, nec factâ mentione primæ, vel secundæ vacaturæ. Hic per tempus functus est officio Canonici, dato stallo in choro, loco in Capitulo, & assignatâ domo in Canonica vt habetur in antiquâ. Receptus in Canonicum debet habere stallum in

choro, locum in Capitulo, & alia quorum vsus est communis. *cap. relatum. suprà, de præbend.* Vacante dein præbenda, idem postulauit à Pontifice, vt compelleretur Capitulum ei conferre vacantem præbendam. E contrario procurator Capituli excipiebat, quòd cùm esset certus numerus Canonicorum in Terdonensi Ecclesia, Capitulo mandatum esset à Pontifice. vt quendam Subdiaconum suum reciperent in Canonicum, & ei præbendam conferrent, cui Capitulum contulit præbendam quæ vacabat, quo impletus erat numerus Canonicorum, nec poterat conferri præbenda vltra numerum Canonicorum. Idem etiam proponebat, Capitulum non teneri eidem Claromonte præbendam conferre, cùm receptus fuisset contra Lateranense Conc. quod vetat collationem vacaturarum. Re hinc inde auditâ decreuit Pontifex, vt semel à Capitulo recepto in Canonicum, quamprimùm se facultas obtulerit, præbenda in Terdonensi Ecclesia conferatur, quia ex quo receptus est quis in Canonicum non debet diutius carere præbenda; quod, præter hunc locum probatur in *cap. relatum, & cap. dilectus, suprà, de præbend.* Non obfuit quòd receptio eius contra Lateranense Conc. facta proponebatur, quia hoc non fuit probatum, nec ipsi Canonici videbantur hoc opponere posse, qui hoc pacto faterentur se recepisse illum contra Lateranense Conc. Non auditur qui reuelat turpitudinem suam, *l. cùm profitearis. C. de reuoc. donat. cap. inter dilectos. de donat.* & frustra legis auxilium inuocat qui committit in legem, *l. auxilium. in fin. ff. de minorib. cap. constitutis. de appellat. cap. quia frustra. de vsur.*

CAPITVLVM IX.

IDEM EPISCOPO ET MAGISTRO P. CANONICO HILDESENSI.

LITERAS vestras accepimus, quòd cùm pro D. clerico vobis scripserimus vt eum de præbenda vacante sancti Vniscardi Bremen. quam dicebat ad donationem nostram fuisse iuxta Lateranen. Concil. statuta deuolutam, curaretis aucto. Apost. inuestire: .·.·. De facto fuit propositum coram nobis, quòd H. præpositus, quondam simplex Canonicus eiusdem Ecclesiæ de ipsa in maiori Ecclesia in Canonicum est electus, & postmodum anni spacio euoluto, in ipsa Ecclesia sancti Vniscardi in Præpositum est adsumptus, priorem præbendam nihilominus retinens, quam in ipsa Ecclesia tunc habebat: .·.·. Sed Præpositus allegabat econtrà, quòd erat ex consuetudine generali, quòd vnus in eadem Ecclesia plures habeter præbendas, & cùm Archiepiscopus Bremen. Præpositum ipsum de præpositura in plena synodo inuestiret, tam præposituram illam, quàm præbendam ei de Canonicorum confirmauit adsensu: .·.·. Vnde cùm vobis dubium videretur, vtrum cùm aliquis de vna præbenda eligitur ad aliam, statim prior vacare incipiat, an per sententiam debeat adiudicari eidem, an propter confirmationem huiusmodi, quæ superiùs est expressa, præbenda illa dici debeat non vacare: nos consulere voluistis. Cùm igitur si ita est, præbenda illa etsi non de facto, de iure tamen vacare noscatur: mandamus, quatenus dictum Præpositum, vt illam sine difficultate resignet, adp. re. cogatis: quam, cùm de facto vacauerit, Clerico memorato conferre curetis.

Præpositura pro ipso munere, vel dignitate Præpositi Ecclesiæ, vel pro Ecclesia, quæ habet Præpositum. Albert. Krantz. Metropol. lib. 3. cap. 50. *Quo tempore venerabilis Comes Henricus Præposituram fecit in Rosenfelde, hoc est sub Præposito Fratrum Conuentum.*

HVIVS cap. species hæc est. Herbertus olim Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ S. Willehaldi Bremensis (sic rectè legitur in III. collect. perperam S. Vniscardi in ea quæ est Raimundi. Ecclesia S. Willehaldi Bremensis est vna è duabus Collegiatis Ecclesiis quas suo sumptu fundauit Adelbertus Bremensis Archiepiscopus, Præposituras denominatas quòd Præpositum pro antistite haberent. Adamus Bremens. lib. III. cap. X. *Igitur magnis animi & sumptuum conatibus pugnans. vt Bremam cæteris coæquaret vrbibus, statim ex bonis quæ ipse acquisiuit, duas fecit præposituras, vnam sancto Vuillehaldo, vbi corpus eius aut requiescit, aut translatum est, alteram S. Stephano, cuius se famulum multotiens gloriabatur.* quod iisdem ferè verbis repetiit Albert. Krantz. Metropol. lib. IV. cap. XXXI.) Herbertus, inquam, ex Canonico huiusce Ecclesiæ electus est in Canonicum maioris Ecclesiæ, & post annum assumptus est in Præpositum Ecclesiæ S. Willehaldi, priorem præbendam nihilominus retinens, quam in ipsa Ecclesia olim habebat. Igitur vacante illa præbenda, ex quo idem Præpositus de minori Ecclesia ad maiorem vocatus erat, & iam collatione deuoluta ad Summum Pontificem, Daniel quidam Clericus impetrauit à Summo Pontifice præbendam quasi vacantem iure deuoluto, datis executoribus qui mandatum Pontificis exequerentur abnuente Capitulo. Canonicis autem detrectantibus exequi mandatum Pontificis, hac de re quæstio valde agitata est inter Danielem Clericum, & Herbertum Præpositum. Daniel dictitabat se ritè inuestitum de præbenda vacante de iure ob promotionem Herberti ad præbendam maioris Ecclesiæ. Idem dicebat lege fundationis institutum esse certum numerum Canonicorum eiusdem Ecclesiæ, vt videlicet in ea essent tredecim personæ, Præpositus cum duodecim fratribus seu Canonicis; quæ ordinatio seu numerus non seruaretur, nisi illa præbenda diceretur vacare. Sic Aldenburgensi sede Episcopali translatâ Lubekam

Leo Dux Saxoniæ instituit Collegium duodecim Canonicorum, cum Præposito qui habebat connexam præbendam quæ erat decima tertia: Helmold. lib. 1. Hist. Slanor. cap. xc. *Et designauit Dux locum in quo fundari deberet oratorium in titulum Matricularis Ecclesiæ, & areas claustrales, & statuerunt illic præbendas duodecim Clericorum canonicè viuentium; porrò tertia decima, Præpositi est.* Contrà Præpositus dicebat de consuetudine insolitum, vt vnus in eadem Ecclesia plures præbendas obtineret, immo prædictam præbendam non vacasse, quòd vbi Archiepiscopus eum de præbenda inuestiuit in plena synodo, id est, in Episcopali synodo. (Inuestitura Abbatum vel Præpositorum fit in synodo *vt hic.* vel in Capitulo. *cap. post electionem, suprà, h. tit.* Iuo Carnotens. epist. CLXXXII. *Nuper cùm in Capitulo nostro quædam officia secundùm Ecclesiæ consuetudinem dispensarem, & porrecto libro inuestituram Subdecaniæ, Fulconi clerico strenuo, & in agendis causis Ecclesiasticis valde necessario facerevellem, &c.*) Vbi, inquam, Archiepiscopus eum de præpositura inuestiuit in plena synodo, tam præposituram, quàm præbendam eidem confirmauit, de consensu Canonicorum. Sed à Daniele excipiebatur, non valere confirmationem ab Archiepiscopo factam contra Lateranense Concilium; quia solus Summus Pontifex potest dispensare circa pluralitatem beneficiorum incompatibilium in eadem, vel diuersis Ecclesiis. *cap. de multa, suprà, h. tit.* Duo beneficia vniformia etiam simplicia, putà duæ præbendæ, duæ portiones, aut semipræbendæ, duo præstimonia non possunt teneri in eadem Ecclesia, vel sub eodem tecto vt loquuntur, ne minuatur seruitium diuinum; & Episcopus non potest dispensare vt quis in eadem Ecclesia duo etiam simplicia beneficia vniformia obtineat, cùm hoc sit reseruatum Summo Pontifici. Nec valet consuetudo, vt quis in eadem Ecclesia plures præbendas obtineat, quia pugnat Conc. Lateranense, quod vetat ne quis in Ecclesia plura beneficia vniformia etiam simplicia obtineat. *d. cap. de multa.* Non potuit Præpositus in eadem Ecclesia retinere præbendam quam antè habebat; quia habebat duplicem præbendam, duplex beneficium vniforme in eadem Ecclesia: Præpositus enim habet præbendam præpositura connexam, vt memoratur *hic in antiqua. & cap. cùm olim, suprà, de re iudicat.* Igitur mandauit Pontifex executoribus datis, cùm præbenda illa vacaret de iure, non de facto, ex quo hic è Canonico minoris Ecclesiæ factus est Canonicus maioris, vt prædictum Præpositum compellant hanc præbendam dimittere, quò eam tam de facto, quàm de iure vacantem præfato Danieli Clerico conferant.

CAPITVLVM X.

IDEM EPISCOPO, ET ARCHIEPISCOPO PAPIEN.

EX parte Hastenen. Ecclesiæ nostris est auribus intimatum, quòd cùm quædam præbendæ in ipsa per quatuor annos, & ampliùs vacauissent, Hastenen. Episcopus quosdam ibidem instituit, credens sibi hoc ex Lateranen. Concilio licere. Instituti autem scientes, non esse firmam institutionem huiusmodi, ad Mediolanen. Archiepiscopum recurrerunt: qui eosdem in Canonicos Hastenen. Ecclesiæ ordinauit, & in corporalem possessionem præbendarum induxit, Capitulo eiusdem Ecclesiæ præbente adsensum, tribus tantùm exceptis, qui se institutioni huiusmodi opponere curauerunt: . • . • . Tandem vtraque pars concorditer est confessa, quòd in prædicta Ecclesia non erant distinctæ præbendæ, nec Canonicorum numerus erat certus.

Nos igitur intelleximus euidenter statutum Lateranen. Concilij de beneficiis vltra sex menses vacantibus, locum in hoc articulo nullatenus habuisse, etsi fortè Hastenen. Ecclesia Canonicorum pateretur defectum: vnde institutio per Archiepiscopum, vel Episcopum facta occasione Concilij memorati, carere debet robore firmitatis. Quia verò totum Capitulum, tribus exceptis, prædictorum receptionem adsectat, nec ab illis tribus aliquid rationabile contra ipsos obiectum est & ostensum: mandamus, quatenus si Hastenen. Ecclesiæ suppetant facultates, secundùm consuetudinem hactenus obseruatam prædictos Clericos pro Canonicis faciatis haberi.

HVIVS cap. species hæc est. Cùm quædam præbendæ in Ecclesia Astensi, quæ est in Lombardia, suffraganea Metropolis Mediolanensis, per quadriennium & ampliùs vacassent, quarum collatio ex consuetudine vel priuilegio spectabat ad Capitulum: Episcopus Astensis ratus collationem huiusmodi præbendarum à Capitulo ad se deuolutam ex Conc. Lateranensi, in his quosdam instituit; Instituti de viribus institutionis diffidentes, recursum haboere ad Archiepiscopum Mediolanensem, à quo in Canonicos Astensis Ecclesiæ ordinati, & in corporalem possessionem præbendarum inducti, adsentiente Capitulo, exceptis tribus tantùm, qui institutioni intercesserunt. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, & vtrâque parte in iure confessâ in Ecclesia Astensi non esse certum & definitum numerum præbendarum, Pontifex collationem præbendarum factam per Episcopum, & Archiepiscopum, quasi iure deuoluto ex Conc. Lateranensi, nullam & irritam esse pronunciauit, etsi fortè Astensis Ecclesia Canonicorum pateretur defectum; quia decretum Lateranensis Concilij

de collatione beneficiorum post sex menses ad superiorem deuoluenda non habet locum in Ecclesiis non numeratis. Aliæ sunt Ecclesiæ numeratæ, in quibus est certus & definitus numerus Canonicorum, & præbendarum: aliæ non numeratæ, in quibus non est certus numerus Canonicatuum, & præbendarum, vt in Ecclesia Astensi de qua agitur hîc, & in Ecclesia Trecensi, & Lemouicensi, de quibus in *cap. dilecto, suprà, de præbend.* & apud Innocent. III. lib. II. epist. CCCXI. In Ecclesiis non numeratis non habet locum decretum Lateranensis Concilij de beneficiis vltra sex menses vacantibus; quia in Ecclesiis non numeratis non datur vacatio præbendarum, & morte Canonici non vacat præbenda, sed desinit esse, vt ostenditur hîc; & in Ecclesia non numerata cùm quis recipitur in Canonicum, creatur quoddam ius de nouo, quod cum persona extinguitur. *d. cap. dilecto.* Verùm quia totum Capitulum, exceptis tribus, prædictorum receptionem expetebat, nec ab illis tribus quid idoneum contra illos obiiciebatur, mandauit Pontifex vt prædicti Clerici pro Canonicis haberentur, si Ecclesiæ suppeterent facultates. In Ecclesiis non numeratis licèt non sit certus & definitus numerus præbendarum, tamen statuendus est pro facultatibus Ecclesiæ, & secundùm consuetudinem obseruatam, vt proditur in fine h. cap. quoniam numerus Clericorum ordinandus est pro facultatibus Ecclesiæ, Conc. Arelat. VI. *can.* VIII. *cap.* I. *de institut.* Conc. Rhemens. II. *can.* XXVII. Turonens. III. *can.* XXXI. & *cap. quoniam de vit. & honestate Clericorum.*

CAPITVLVM XI.

IDEM EPISCOPO, ET CAPITVLO LAVDVNENSI.

CONSTITVTVS in præsentia nostra H. Ecclesiæ vestræ Canonicus humiliter intimauit, quòd tu frater Episcope potestatem ei dedisti sacerdotalem conferendi præbendam, quæ primò in Ecclesia vestra esset vacatura: & Remen. Archiepiscopus tunc Apost. Sed. leg. vobis, filij Capituli, auctoritate nostra præcepit, vt cùm præbenda ipsa vacaret, personam illam, cui vellet eam H. conferre, sine interpositione alterius personæ reciperetis ad ipsam: .·.·. Quocirca mandamus, quatenus personam illam, cui memoratus H. sacerdotalem præbendam, cùm contigerit eam vacare, duxerit canonicè conferendam, sine contradictione qualibet admittatis: & tu interim, frater Episcope, præbendam huiusmodi contra formam concessionis tuæ, conferre alicui non præsumas: .·.·. Quia verò concessiones tales (si ad consequentiam traherentur) fieri possent in fraudem canonicæ sanctionis, per quam prohibentur Ecclesiastica beneficia concedi siue promitti antequam vacent, noluimus, quòd huiusmodi occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus, licentia concedatur.

HVIVS cap. species hæc est. Laudunensis Episcopus potestatem dedit H. subdiacono Canonico Cathedralis Ecclesiæ conferendi præbendam sacerdotalem, quæ prima vacaret in Ecclesia Laudunensi. Aliæ sunt præbendæ sacerdotales quas soli Presbyteri obtinere possunt, aliæ non sacerdotales, *cap. cui de non sacerdotali de præbend. in* VI. Rhemensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus; de quo mentio fit etiam in *cap. dilectus, suprà, de præbend.* auctoritate Apostolica Capitulo præcepit, vt si præbenda vacaret, ad eam reciperent illum, cui dictus H. duceret ipsam conferendam. Adhuc iste H. sibi præcauens appellauit ad S. Pontificem, ne quid ab Episcopo fieret contra concessionem sibi factam, de sacerdotali præbenda, quæ prior vacauerit conferenda. Mandauit Pontifex Episcopo & Capitulo, vt illum reciperent, cui H. præbendam duxerit conferendam, quæ prior vacauerit, & interim Episcopus præbendam illam contra formam suæ concessionis alteri non conferat. Episcopus potest generaliter mandare collationem beneficiorum, quia est iurisdictionis, non ordinis, *cap. ex frequentibus, suprà, de institut.* sed non potest specialiter conferre vel mandare conferenda certa beneficia vacatura, ne fraus fiat Conc. Lateranensi, vt ostenditur *hîc & cap. vlt. infrà, h. tit.* Immo Legatus non potest cuiquam concedere generaliter, vel specialiter vt resignationem beneficiorum admittat intra terminos Legationis suæ, ne per hoc via aperiatur contra Lateranense Conc. ad beneficia vacatura, *cap. per. §. prohibemus. de præbend. in* VI. Quæres à me cur Episcopus qui mandauit alteri collationem beneficiorum, prohibeatur hîc illa conferre cùm vacauerint? Episcopus potest reuocare Vicarium cùm voluerit: mandatum reuocatur nudâ voluntate, *l. si verò. §. pen. ff. mandat.* ergo mandatâ collatione beneficiorum non prohibendus est Episcopus ea conferre cùm vacauerint; & Episcopus qui mandauit alteri collationem beneficiorum potest iure suo præuenire Vicarium, quia non censetur sibi ademisse potestatem conferendi beneficia, & concessâ potestate Vicario maior apud Episcopum remanet. *cap. dudum. §. nos igitur. & cap. quamuis.* II. *de præbend. in* VI. Vnde in concursu variarum collationum eiusdem beneficij, quæ factæ sunt ab Episcopo & Vicario eodem die, collatio Episcopi præualet propter conferentis ampliorem prærogatiuam *cap. si à Sede. eod. tit.* Sed hîc Episcopo non licet reuocare datam Vicario potestatem conferendi

ferendi, quòd confirmata esset à Summo Pontifice, propter auctoritatem Summi Pontificis quæ accessit, quæque hoc operatur vt non ampliùs spectetur tamquam Vicarius Episcopi, sed potiùs tamquam delegatus Pontificis, qui maior est Ordinario in causa delegata, *cap. Pastoralis. §. præterea. suprà, de offic. ordinar.* Sed hoc est speciale, nec est trahendum ad consequentias: priuilegium est beneficium personale quod non egreditur personam, *l. quia tale. ff. solut. matrimo.* nec est producendum ad consequentias, *l. quod verò. ff. de legib.* Idcirco Pontifex in postrema parte *h. cap.* quia, si concessiones huiusmodi ad consequentiam traherentur, vergere possent in fraudem Conc. Lateranensis, vetat ne occasione huiusmodi, quod ius continet speciale, & gratiam personalem, fraudem adhibere volentibus licentia concedatur. Quod enim directè prohibetur per indirectum fieri non potest. *l. scire. §. t. ff. de tutor. & curat. dat.* Notandum est quòd dicitur ab Episcopo mandatam esse potestatem conferendi, Vicarius enim Episcopi non potest conferre beneficia sine speciali mandato, *cap. final. de offic. Vicar. in vi. d. cap. dudum.* Ratio est, quia collatio beneficiorum est mera gratia seu donatio, quæ indiget speciali mandato, *l. filiusf. ff. de donat.*

CAPITVLVM XII.

IDEM.

DILECTVS filius magister G. Canonicus vester nobis suggessit, quòd Episcopo vestro viam vniuersæ carnis ingresso Archiepiscopus sanctæ Seuerinæ adserens, quòd propter negligentiam vestram ad ipsum erat eligendi auctoritas deuoluta, in Episcopum vestrum elegit eumdem. Non igitur adtendentes, quòd Canon Lateranen. Conc. ab Alexand. Papa contra negligentes editus, ad Archiepiscopatum, vel Episcopatum non solet extendi, sed ad personatus alios & minora Ecclesiastica beneficia coartari, electionem huiusmodi iustitia cassauimus exigente.

DEFVNCTO quodam Episcopo Archiepiscopus S. Seuerinæ in Calabria qui erat Metropolitanus, existimans ob negligentiam Capituli, ius eligendi ad se deuolutum ex Concilio Lateranensi, G. Canonicum eiusdem Ecclesiæ in Episcopum elegit. Re cognitâ Pontifex electionem irritam pronuntiauit, quòd Canon Lateranensis Conc. de beneficiis vltra sex menses vacantibus, non pertineat ad Episcopatus, sed ad minores dignitates & personatus, & alia beneficia Ecclesiastica, vt ostenditur in *hoc cap.* Episcopatus non continetur appellatione dignitatis vel beneficij. Episcopatus non est simplex dignitas, sed culmen dignitatum, *cap. pen. suprà, de præbend.* vt Princeps non est magistratus, sed maior & excelsior potestas. Tiberius apud Tacitum III. Annal. *Non Ædilis aut Prætoris, aut Consulis partes sustineo, maius aliquid & excelsius à Principe postulatur.* Ex Concilio Lateranensi habito sub Innocent. III. cessante Capitulo vltra tres menses in electione Episcopi vel Abbatis, electio deuoluitur ad superiorem. *cap. ne pro defectu. de elect.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM PRIORI HOSTIEN. ET SVPERIORI SANCTI FRIDI.

EX tenore literarum vestrarum accepimus, quòd cùm causam, quæ inter I. Clericum ex vna parte, & Abbatem & Conuentum de Bello ex altera, super prouisione vertebatur ipsius : ·.·.·. Dictus Clericus post litem contestatam chartam quandam Monachorum exhibuit, continentem quòd primam Ecclesiam ad donationem suam spectantem adsignarent eidem : ·.·.·. Nos igitur adtendentes, quòd promissio prædicta non tenet, vtpote contra statuta Lateranen. Concilij adtentata: mandamus, quatenus memorata Clerico super hoc silentium imponentes, ab impetitione ipsius dictos Abbatem & Monachos absoluatis.

EX Conc. Lateranensi habito sub Alexandro III. non valet collatio vel promissio beneficij nondum vacantis, quòd inducat votum captandæ mortis, vt ostenditur in *cap. ex tenore. & cap. nulla, suprà, h. tit. & cap. quia nonnulli. de Cleric. non residentib.* Tamen potest promitti beneficium cùm poterit, cùm facultas se offeret; quia aliud est promittere beneficium cùm poterit, aliud cùm vacabit. Cùm multi casus vacationis contingere possint, quibus detur collatio beneficij sine expectatione mortis alienæ, puta dimissione, priuatione ob delictum, professione Monasticâ, vt definitur in *cap. accedens.* Beneficium nondum vacans non potest conferri vel promitti expressè, sed nihil vetat promitti tacitè, vel indirectè: sunt quædam quæ expressa nocent, non expressa non nocent, *l. nonnumquam, ff. de condit. & demonstrat. l. expressa, de R.I.* Et hoc iure Decretalium; nam constit. Bonifacij VIII. prohibetur indistinctè collatio beneficij nondum vacantis, siue fiat sim-

Placitet, siue cùm poterit, vel cùm facultas se obtulerit, ne via aperiatur ad promittenda vacatura contra Lateranense Concilium, *cap. II. h. tit. in VI.*

CAPITVLVM XV.

IDEM.

POSTVLASTIS per Sed. Apostol. edoceri, vt cùm ad vos & Archiepiscopum vestrum, simul donatio præbendarum Ecclesiæ vestræ pertineat, vtrùm præbendæ vacantis donatio penes Archiepiscopum ipsum remaneat, si eam intra semestre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breuiter resp. quòd si vos & idem Archiepiscopus intra tempus præscriptum, circa hoc negligentes extiteritis: sicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum potestas deuoluitur conferendi, sed secundùm statuta Lateranen. Concilij ad superiorem transit donatio: nisi fortè Archiepiscopus non vt Prælatus, sed vt Canonicus vobiscum ius habeat conferendi. Et in hoc casu cùm dolosè impedierit, dolus ei suffragari non debet.

IVRE communi collatio præbendarum pertinet ad Episcopum, *can. omnes basilicæ. can. nullus. XVI. qu. VII. cap. cùm venissent. de institut.* De consuetudine in pluribus Ecclesiis pertinet ad Capitulum simul & Episcopum, *cap. cùm Ecclesia Vulterana. suprà, de elect.* vt in Ecclesia Ebredunensi; ad quam pertinet hoc cap. quod inscribitur Præposito & Capitulo Ebredunensi, in IV. collect. vbi collatio præbendarum pertinet simul ad Capitulum, & ad Episcopum tanquam Prælatum; vtroque cessante in conferendo per sex menses collatio non deuoluitur ab Episcopo ad Capitulum, nec retro à Capitulo ad Episcopum, quia vterque est in pari culpa, & vterque ius suum amisit per negligentiam; sed deuoluitur ad proximum superiorem. Quòd si Episcopus non vt Prælatus sed vt Canonicus ius conferendi habeat cum Capitulo, collatio deuoluitur ad ipsummet Episcopum, nisi dolo impedierit ne intra tempus collatio fieret; quia dolus nemini suffragari debet, vt ostenditur in hoc cap. Iure communi Episcopus non potest esse Canonicus in eadem Ecclesia. Per promotionem Episcopi vacant cætera beneficia quæ antè obtinebat in eadem Ecclesia vel aliis, *cap. literas. suprà, h. tit. cap. cùm in cunctis § si verò. de elect.* Canonicus esse desinit promotus ad Episcopatum, vt municeps esse desinit, qui Senatoriam dignitatem adeptus est. *l. Municeps. ff. ad Municip.* Sic Episcopus non potest interesse Capitulo vt Canonicus, quia iura Prælati & Capituli sunt valde distincta; sed de consuetudine Episcopus potest interesse Capitulo vt Canonicus, & habet connexam præbendam. *cap. à collatione. de appellat. in VI. cap. cùm in Ecclesia. de præbend. eod.* Si verò Episcopus intersit Capitulo vt Prælatus, tanta est vox eius quanta Capituli, & Episcopus habet vnam vocem, & Capitulum aliam, & in discordia vox Episcopi prævalet. Quòd si Episcopus intersit Capitulo non vt Prælatus sed vt Canonicus, tunc eius vox computatur pro vna, vt notauit Innocent. Hostiensis Collectarius, Io. Andreas, Panormitan. & alij.

TIT. IX. *Ne sede vacante aliquid innouetur.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. PRIORI ET CONVENTVI GLASTON.

NOVIT ille, qui scrutator est cordium, *& cognitor secretorum*, quòd licèt C. præno. Ecclesiam vestram erexerit Cathedralem, ipsam Bathonien. Ecclesiæ vniendo, & idem esset Episcopus vtriusque; quia tamen hæc vnio adserebatur à vobis *esse confusio, conquerentib. vobis eam* in graue præiudicium Glaston. Ecclesiæ redundare, cùm per ipsam dissolueretur religio, & fraudaretur eleemosyna, & hospitalitas tolleretur: nos ad releuandum Ecclesiæ vestræ statutum cœpimus intendere diligenter: .·.·. Vos autem post obitum Bathon. Episcopi humiliter postulastis, vt quia tempus aduenerat, quo sine scandalo Ecclesiæ vestræ ruina poterat releuari, cùm & Bathonien. Ecclesia id ipsum pariter postularet, rex quoque cum regni magnatibus, & quidam Episcopi cum multis Abbatibus deposcerent illud idem, vt vnione penitus dissoluta, Monasterium vestrum reduceremus in statum antiquum sub Abbatis regimine gubernandum. Attendentes igitur, quòd Episcopali sede vacante, non debet aliquid innouari, cùm non sit, qui Episcopale ius tueatur, maximè ne plus fauisse personæ, quàm Ecclesiæ videremur, si quod eo viuente concessimus, post obitum eius subitò

mutaremus: petitionem vestram nequiuimus exaudire: auctoritate prædicta indulgentes, vt cùm Bathonien. Ecclesia de præsule fuerit ordinata, ius vestrum apud Sedem Apostolicam prosequendi, facultatem liberam habeatis: interim autem sub cura prioris idem Monasterium gubernetur.

ANNO Christi MLXXVIII. regnante Guilielmo Conquestore, in Synodo Londinensi statutum est, vt quædam sedes Episcopales quæ positæ erant in minoribus oppidis, transferrentur in loca celebriora: quo factum est, vt Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Oxonia, Cestria, atque Cicestria vrbes clariores in nouas sedes Episcopales assurgerent, vt narrat Polydorus Vergil. rer. Anglic. lib. IX. Inde Bathoniensis Episcopatus varia per tempora incrementa accepit: primùm auctior factus est accessione Wellensis Episcopatus; Ioannes patriâ Turonensis, cùm esset Wellensis Episcopus, à Rege Henrico I. Abbatiam Bathoniensem obtinuit, & Bathoniam sedem transtulit: ex quo duæ sedes in vnam coaluerunt, & idem dictus est Bathoniensis & Wellensis Episcopus, vt tradidit Willelm. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. *lib.* IV. & idem de gest. Pontific. Anglor. *lib.* II. Postea, anno scilicet MCXCIII. Sauanarico Bathoniensi Episcopo Richardus Rex concessit Abbatiam Glasconiensem, vt refert Roger. Houedenus *in ipsius vita.* Hac occasione Celestinus III. quæ est species *huius cap.* Monasterium Glasconiense erexit in Sedem Episcopalem, eámque vniuit Ecclesiæ Bathoniensi. Demortuo Celestino cùm Monachi Glasconienses quiritarentur apud Innocent. III. proximum successorem Celestini, huiusmodi vnionem damnosam esse Monasterio, inde secutâ dissolutione religionis, & eleemosynæ, & hospitalitatis, quæ antea in eo Monasterio valde vigebat; & iidem postularent priori statui Monasterium reddi. Innocentius vnionem à Celestino factam rescindere noluit, ne videretur minùs quàm par esset decessorum statutis deferre. Non debet Summus Pontifex statuta prædecessorum facilè mutare, *can. contra.* XXV. *qu.* I. idémque solet iurare ante consecrationem se priorum decreta seruaturum. Iuo Carnotens. *epist.* LX. *In libro quoque Pontificum qui dicitur Diurnus, ita continetur de professione Romani Pontificis: Nihil de traditione quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam, & seruatam reperi diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere; sed feruenter, vt eorum discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, obseruare ac venerari profiteor.* Et idem *epist.* LXXIII. *Ipse enim Summus Pontifex, antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ, & decreta prædecessorum suorum se inuiolabiliter seruaturum profitetur*, &c. Vnionem igitur Pontifex non attigit; sed pro Abbate Monachis priorem imposuit, & Episcopo de reditibus cœnobij partem tantùm assignauit. Non æquo animo id ferente Sauanarico Bathoniensi Episcopo, tunc eidem intelligendum est restitutam Glasconiensem Abbatiam, quam vi ademptam consilio Huberti Cantuariensis Archiepiscopi Richardus dederat Willelmo La Pie, aduersùs quem interdicto Vnde vi egit. Sauaricus apud Innocent. III. allegans eam sibi concessam à Richardo, & antè ibi sedem Episcopalem fuisse, vt memoriæ prodidit Houedenus. Pro Abbate Monachis Cathedralis Ecclesiæ Prior impositus memoratur. Angli Monachos instituerunt in Ecclesiis Cathedralibus, quia ab eis fidem suscepere, duce Augustino. Ordericus Vitalis lib. XI. *Angli Monachos, quia per eos ad Deum conuersi sunt, indesinenter diligentes honorauerunt, ipsíque Clerici reuerenter & benignè sibi Monachos præferri gauisi sunt*; vt in Ecclesia Cantuariensi fuere Monachi qui suum Priorem habuere, *cap. dilecti. suprà, de appellat. cap. cùm ex iniuncto. de nou. oper. nuntiat.* In Ecclesiis Cathedralibus quæ sunt regulares, Episcopus habet ordinariam iurisdictionem in Monachos vel Canonicos regulares, exceptis his quæ pertinent ad regulam, quæ sunt reseruata Priori, vt ostenditur *hîc, & cap. causam quæ. de iudic. cap. ad nostram. cap. porrecta. de confirm. vtil.* Demortuo Sauarico, quasi dempto impedimento redintegratâ lite certarunt Monachi de soluenda vnione, & Monasterio antiquo statui restituendo, accedentibus etiam votis vtriusque Ecclesiæ Wellensis & Bathoniensis, & Richardi Regis, Regníque magnatum. Sed Pontifex rei iudicium suspendit, sibi proponens, nihil innouandum vacante sede Episcopali, cùm desit qui Episcopale ius tueatur; quæ ratio est cur præscriptio non currat vacante Ecclesia, quòd interim destituta sit defensore. *cap. de quarta. suprà, de præscript.* Alia ratione iudicium suspenditur à Pontifice, nè plus fauisse personæ quàm Ecclesiæ videretur, si extincto iam Sauarico vnionem dissolueret, quam eo superstite tolerauerat. Vniones beneficiorum fiunt in perpetuum, non ad tempus, seu ad vitam & in gratiam personæ. Sedes Apostolica solet prouidere rebus, non personis, *cap. vlt. de offic. delegat.* Igitur vnio non potest fieri vel dissolui vacante sede Episcopali, quòd sede vacante nihil sit innouandum. Idem iudicatum in Synodo Wintoniensi, anno MLXX. in quo possessiones olim ereptas ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo euindicante Wlstano Wigorniensi Episcopo, iudicium dilatum est, quòd eo tempore Ecclesia Eboracensis vacaret. Houedenus in Willelmo seniore. *In eodem Concilio Wlstanus Wigorniensis Episcopus possessiones quamplures sui Episcopatus, ab Aldredo Archiepiscopo, dum à Wigorniensi Ecclesia ad Eboracensem transferretur, sua potentiâ retentas, quæ tunc eo defuncto in potestatem regiam deuenerant, constanter proclamabat, expectabátque iustitiam fieri tam ab ipsis, qui Concilio præerant, quàm à Rege flagitabat. At Eboracensis Ecclesia non habens pastorem qui pro ea loqueretur, muta erat. Iudicatum est igitur, vt ipsa querela sic remaneret, quousque Archiepiscopo ibi constituto, qui Ecclesiam defenderet, dum esset qui eius querelæ responderet, ex obiectis, & responsis posset euidentius, ac iustius iudicium fieri. Sicque tunc ea querela ad tempus remansit.* Ne qua mutatio fieret in Ecclesia Cantuariensi se defuncto, donec successorem acceperit, Regem

Anglorum rogat Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, apud Ioann. Saresber. epist. LIV. *In Ecclesia Cantuariensi reformauimus pacem, religionis promouimus cultum, idoneos ex conscientia nostra custodes praefecimus ordini; ut quis eorum cuiusquam temeritate mutetur, antequam Episcopus subrogetur, prohibeat dignatio vestra.* Vnionem etiam fieri vacante sede Episcopali, à iure absonum est, quòd vnio beneficij sit alienatio rei Ecclesiasticæ, quæ non potest fieri vacante sede, cùm legitimo careat defensore. *cap. dudum. de reb. Eccles. non alien. in* VI. & in vnione requiratur consensus Episcopi, sicut in alienatione rei Ecclesiasticæ. Licèt Capitulum sede vacante fungatur vice Episcopi in his quæ sunt iurisdictionis, hoc verum est exceptis casibus à iure expressis. *cap. his quæ. cap. cùm olim. suprà, de maior. & obed. cap. vn. eod. tit. in* XI. *cap. ad abolendam. de haeretic. cap. pen. & vlt. de suppl. neglig. prælat. in* VI. Ideóque Capitulum non potest consentire vnioni vacante sede Episcopali: quòd id vetitum sit, vt ostenditur in *hoc cap.* Et Capitulum sede vacante non potest conferre. *cap. illa. infrà, h. tit.* Quia collatio beneficiorum est in fructu, fructúsque reseruantur futuro successori. *cap. cùm vos. de off. ordinar. can. hæc huius. can. non liceat.* XII. *qu.* II.

TIT. X. *De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. ARCHIPRESBYTERO ET MAGISTRO Scholarium Bituricen.

CVM Apostolica Sedes: . . . . Sanè sicut *ex literis vestris* accepimus, cùm ex vna parte Capitulum sancti Stephani, & ex altera Monachi de Platea, super decima quadam in vestrum compromisissent arbitrium: Dicti Monachi proponebant donationem ipsius decimæ, sibi à quodam milite factam, & Bituricensis Archiepiscopi diœcesi. eius accedente consensu, confirmatam fuisse, séque auctoritate Hieronymi munitos existere, qui scribens ad Damasum ait: Si aliquando fuerint à laïcis malè detenta, quæ diuini iuris esse noscuntur, & in vsum transierint Monachorum, Episcopo loci præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixa. E contrario pars allegabat aduersa, consensum Episcopi sine cleri consensu minùs sufficere, auctoritate Leonis Papæ dicentis: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare vel commutare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius cleri consensu atque tractatu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Quia verò nos consulere voluistis, vtrum quando decima tenetur à laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem consensus Episcopi, sine cleri consensu sufficiat: Taliter respond. quòd monendus est laïcus, qui decimam detinet, vt eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat; qui si fortè induci nequiuerit, & eam cum diœcesani consensu alteri Ecclesiæ adsignauerit, præsertim religioso conuentui: constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa. Auctoritates enim præmissæ, licèt diuersæ sint, non tamen aduersæ: cùm aliud sit alienare, quod ab Ecclesia possidetur: & aliud, quod detinetur à laïco, ad vsum Ecclesiasticum reuocare. In alienatione quoque iuxta Leonis Papæ decretum consensus Episcopi sine Clericorum consensu non sufficit. In reuocatione autem iuxta scriptutam Hieronymi sufficit consensus Episcopi, cùm per vtrumque vtilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranen. Concilio est inhibitum, ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laïcorum, sine consensu Episcoporum recipiat: per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, vt licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere laïcorum. Hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ laicis in feudum perpetuò sunt concessæ.

HÆc decretal. integra extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CCCIX. Ex Conc. Claromontens. vetitum ne Monachi decimas accipiant à laïcis, qui eas feudi titulo obtinebant, sine consensu Episcopi diœcesani. *can. congregato. can. decimas.* XVI. *qu.* VII. Et ita intelligendus est Iuo Carnotensis, *epist.* CXCII. *Est tamen in quo Abbatibus & præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est, à laicis decimas, & oblationes accipiant, si inordinatè eas à quibuscumque personis requirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitus instituta minorent*, ac sibi vsurpent. Ita vt quando decimæ quæ à laicis detinebantur iure feudi ante Conc. Lateranense ab his conceduntur Monasterio, vel loco pio, sufficiat consensus Episcopi, sine Capitulo; vt ostenditur *hic, & cap.* II. §. *sanè. de decim. in* VI. Huius cap. species est. Lis seu

quæstio vertebatur inter Capitulum S. Stephani; & Monachos de Pratea (sic lege pro de Platea, id nomen Monasterio ordinis Cisterciensis in Diœcesi Bituricensi) super decimis quibusdam, de quibus cùm compromissum esset in Archipresbyterum & Magistrum Scholarum Bituricensium, coram arbitris Monachi proponebant, decimam sibi concessam à quodam milite, accedente consensu Bituricensis Archiepiscopi, & quò probarent donationem ratam esse, nitebantur auctoritate Hieronymi, ex qua si res sacræ à laïcis perperam detentæ transierint in vsum Monachorum de consensu Episcopi, eis in perpetuum constant, *can. vlt.* XVI. *qu.* I. E contrario Capitulum opponebat, res Ecclesiæ quocumque titulo alienari non posse sine consensu Episcopi, & Capituli, ex Decreto Leonis, *can. sine exceptione.* XII. *qu.* II. In dubio consultus Pontifex respondit, monendum esse, non cogendum laïcum, qui decimam iure feudi obtinebat, vt eam, restituat Ecclesiæ ad quam spectabat; quòd si fortè suaderi nequeat, & eam cum Diœcesani consensu, alteri Ecclesiæ tradit, præsertim Religioso Conuentui, ratam esse donationem; nec pugnantes esse sententias Patrum, licèt sint diuersæ; cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur, & aliud quod detinetur à laïco ad vsum Ecclesiasticum reuocare. Reuocatio decimarum quæ fit in aliam Ecclesiam, non est propriè alienatio. Non videtur alienari, quod redit ad quamcumque Ecclesiam, quia vna est Ecclesia variis membris distincta. *can. Nouatianus.* VII. *qu.* I. & translatio Ecclesiarum ad aliam Ecclesiam facilè indulgetur vt vitetur scandalum, & datâ potestate gratificandi cuicumque Ecclesiæ lubentiùs prouocentur laïci ad dimittendas decimas, *d. can. congregato.* Denique huiusmodi reuocatio decimarum, non est alienatio, sed remissio: remissio non est donatio, *l. etsi pignus. ff. quæ in fraud. credit. l. in eius. quib. mod. pign. solu. l. etiam. C. ad Velleian.* atque ita in hoc actu sufficit consensus Episcopi, sine Capitulo; & hoc repetitum est in *cap. in Lateranensi. suprà. de prebend. cap. cum & plantare. infrà, de priuileg. & d. cap. §. sanè. de decim. in* VI. Quod dictum est, à laïcis decimas quas obtinent concedi posse Monasterio, adhibito consensu Episcopi, intelligendum est de decimis quas iure feudi possidebant; ac subiungitur in calce huius cap. id est, quas iure feudi tenebant ante Concilium Lateranense, *d. cap.* II. *§. sanè.* Si enim decimæ reperiantur concessæ laïcis à Conc. Lateranensi, ab his nequeunt transferri in laïcos, vel in alios quàm ipsam Ecclesiam à qua profectæ sunt. *cap. prohibemus. infrà, de decim.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM METEN. ARCHIDIACONO.

TVA nuper :. ·. ·. ·. Adiecisti etiam, vtrum Episcopo, vel electo cum solo Archidiacono, præter adsensum maioris Ecclesiæ, cùm ab ipsa eligatur Episcopus, & Archidiaconus adsumatur de ipsa: cœnobiis vel Ecclesiis Conuentualibus, ad quas ius pertinet Patronatus, liceat conferre perpetuò vacantes Ecclesias baptismales ·. ·. ·. ·. ·. Alterius etiam quæstionis solutio ex epistola Leonis Papæ colligitur euidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ, quicquam donare vel permutare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit, absque conniuentia & subscriptione Clericorum. Per hoc enim noueris solutam secundo loco propositam quæstionem, cùm concessiones Ecclesiarum ad perpetuas alienationes non sit dubium pertinere.

QVÆSITVM est an Episcopus, vel electus cum solo Archidiacono præter consensum Capituli possit conferre in perpetuum vacantes Ecclesias baptismales seu Parochiales cœnobiis vel Ecclesiis Conuentualibus ad quas pertinet ius Patronatus. Consultus Pontifex respondit concessionem nullam & irritam esse, quia res Ecclesiæ alienari nequeunt sine consensu Episcopi & Capituli, ex decreto Leonis, *can. sine exceptione.* XII. *qu.* II. Concessiones autem perpetuas ad alienationes certum est pertinere: Alienatio est dominij translatio quæ habet causam perpetuam, id est, fit in perpetuum. *l.* I. *ff. de iur. dot. l. vlt. C. de reb. alien. non alienand.* Electum confirmatum, nondum consecratum, posse alienare res Ecclesiæ de consensu Capituli colligitur ex *hoc cap. & can. alienationes.* XII. *qu.* II. quia electus post confirmationem habet administrationem rerum, & potest exercere ea quæ sunt iurisdictionis. *cap. nosti. de elect. cap. cùm iam dudum. de prebend.* Alienatio verò pertinet ad administrationem & iurisdictionem.

CAPITVLVM IX.

IDEM EPISCOPO HELIEN.

PASTORALIS officij diligentia : .·.·. Præterea quæsiuisti, (cùm auctoritate Dionysij fuerint parœciæ limitatæ) quatenus singularum parœciarum prouentus

in vſus Eccleſiæ cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum: ſi Epiſcopo liceat ſine auctoritate Summi Pont. vel ſaltem ſine ſui Capituli voluntate, viris religioſis conferre obuentiones alicuius parœcialis Eccleſiæ, ſuſtentatione Vicarii reſeruata. Et cùm Lateranen. Concilij ſtatuta prohibeant Eccleſiis nouam imponi, vel augere veterem penſionem, poſtulas edoceri, an Epiſcopus valeat religioſis conſentiente patrono totam Eccleſiam, vel de nouo conferre aliquam portionem? Ad quod breuiter reſpond. quòd ſalua conſtitutione Canonica de concedenda piis locis quinquageſimapottione, ne que primum, neque ſecundum potuit facere Epiſcopus (niſi de licentia Rom. Pont.) præter Capituli ſui voluntatem.

HÆc Decretalis eſt pars *cap. Paſtoralis. infrà, de donat.* Quæſitum eſt an Epiſcopo liceat ſine conſenſu Capituli, vel ſine auctoritate Summi Pontificis Monaſterio concedere totam Eccleſiam, vel partem eiuſdem, vel obuentiones ipſius Eccleſiæ, de conſenſu Patroni. Ratio dubitandi erat, quòd auctoritate Dionyſij parœciæ fuere limitatæ, id eſt, parœciarum fines diſtincti, *can. Eccleſiarum.* XIII. *qu.* I. ac proinde non poteſt Epiſcopus conuellere terminos parœciarum. Item ex Conc. Lateranenſi Eccleſiis nouus cenſus imponi, vel antiquus augeri non poteſt, *cap. prohibemus, infrà, de cenſib.* Ergo non poteſt ſtatus Eccleſiarum mutari; nec quicquam præſtat conſenſus Patroni, quia Patronus nihil iuris habet, præter ea quæ reſeruata ſint in limine fundationis. *can. nouerint.* X. *qu.* I. *can. Eleutherius.* XVIII *qu.* II. *cap. præterea. de iure Patronat.* Et Patronus non poteſt Monaſteriis vel Canonicis regularibus concedere Eccleſiam, in qua habet ius Patronatus, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Summi Pontificis *cap. nullus. eod. tit.* Conſultus Pontifex reſpondit, Epiſcopum ſine conſenſu Capituli, vel auctoritate Summi Pontificis, non poſſe Eccleſiam in totum vel ex parte concedere Monaſterio: ait ſine conſenſu Capituli, vel auctoritate Summi Pontificis; in disjunctiuis enim alterum ſufficit, & auctoritas Summi Pontificis ſupplet vicem Capituli, propter plenitudinem poteſtatis quâ gaudet Summus Pontifex. *cap. propoſuit, ſuprà, de conceſſ. præbend. cap* II. *de præbend. in* VI. Et hac in re ſufficit conſenſus Epiſcopi & Capituli, *d. cap. Paſtoralis, de donat.* Sequitur, ſaluâ conſtitutione canonicâ de concedenda piis locis quinquageſima portione, intellige *can. bona memoria.* XII. *qu.* II. ex quo Epiſcopus non poteſt conferre Monaſterio vltra quinquageſimam cenſus matricis Eccleſiæ.

TIT. XI. *De his quæ fiunt a maiori parte Capituli.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. AVGVSTEN. PRÆPOSITO.

EX ore ſedentis ∴ Accedentibus ad præde. no. T. ac B. Auguſten. Canonico pro quæſtione, quæ inter vos ſuper præpoſitura Auguſten. Eccleſiæ vertebatur: ex parte ipſius B. fuit propoſitum, quòd pater eiuſdem à C. præd. no. Decano & Capitulo Auguſten. literas obtinuit deſtinari, vt intra ſpatium menſis vnius eumdem, eligerent & adſumerent in Præpoſitum Auguſten. in ſignum inueſtituræ anulo aureo deſtinato, & quibuſdam mandati Apoſtolici executoribus conſtitutis. Capitulum memoratum, cùm audiſſet quòd E. quondam eorum Præpoſitus in Epiſcopum Brixien. electus & confirmatus fuiſſet: licet dictas literas recepiſſent, in contemptum tamen earum adſignato priùs termino, intra quem ipſi debebent ſuper mandato Apoſtolico reſpondere, H. tunc Auguſten. Decanum in Præpoſitum elegerunt: ∴ Quia (verò) legitimè conſtitit, quòd prædictus B. de præpoſitura non fuit aliquatenus inueſtitus, etſi mandatum fuerit, vt de ea inueſtiretur: de qua etiam ſi inueſtitus fuiſſet, inueſtitura eius per præd. no. certâ fuit ratione caſſata: quæ nec etiamſi caſſata fuiſſet, per hoc, quòd dicto H. reuerentiam exhibuit, quæ debetur Præpoſito, iuri ſuo renunciaſſe videtur: nos attendentes ſibi de iure non potuiſſe competere, vt per adpellationem ob id interpoſitam, communem ordinationem Eccleſiæ impediret, intelligentes etiam te à maiori parte tam dignitate, quàm numero eorum, quos eligendi ius conſtabat habere, electum fuiſſe canonicè in Præpoſitum: electionem tuam auctoritate Apoſtolica confirmamus, præfato B. ſuper præpoſitura ſilentium imponentes.

HÆc Decretalis integra petenda ex Innocent. III. epiſt. CCLXXXVI. lib. I. huius ſpecies hæc eſt. Vacante Præpoſitura Auguſtenſis Eccleſiæ: Auguſta Vindelicorum vrbs Epiſcopalis Ger-

maniæ à Druso instaurata, cui nomen ab Augusto, priùs Vindelica dicta, Gallis *Ausbourg*: Otto Frisingens. Chronic. lib. III. cap. III. *Hic Drusus Moguntiam in Gallia, & Augustam in Rhetia, quæ antea Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam fundasse vel instaurasse dicitur.* Vacante inquam præpositura Augustensi promotione Præpositi, qui electus erat in Brixiensem Episcopum, & confirmatus ac de Regalibus inuestitus, vt habetur in ipsa Decretali in III. collect. Per promotionem ad Episcopatum vacant cætera beneficia, quæ antè promotus obtinebat, *cap. cùm in cunctis. §. si verò. de elect. cap. cùm nostris. de concess. prabend.* Celestinus III Pontifex mandauit Capitulo Augustensi, vt Bernardum in Præpositum eligerent; & in signum inuestituræ annulum aureum ei destinauit: Capitulum spreto Pontificis mandato Henricum Decanum Ecclesiæ suæ elegit in Præpositum, quòd prædictus B. per missionem annuli ritè inuestitus non videretur. Inuestitura non fit per missionem, sed per traditionem annuli. *cap. proposuit. suprà, de conc ess prabend cap. cùm olim. de re iudicat* Et quantumuis rectè inuestitus foret, eiusdem inuestitura per ipsum Celestinum fuit in irritum reuocata, certâ ratione; nempe, quod supplendum est ex fide glossæ, quia in minoribus erat constitutus ordinibus; tum quia idem prædicto Henrico quasi Præposito reuerentiam exhibendo iuri suo renunciasse tacitè videbatur: mox verò defuncto Henrico Capitulum elegit Tancredum de consensu maioris partis tam dignitate quàm numero: quocirca Innocentius III. proximus successor Celestini confirmauit electionem, infrà, in Præpositum, prædicto B. silentio dicto. Valet electio quæ fit à maiori & saniori parte Capituli: maior autem pars dicitur, non solùm quæ præstat numero, sed & dignitate. *cap. dudum. de elect.*

CAPITVLVM IV.

IDEM.

EX parte tua nobis fuit, frater Archiepiscope, intimatum, quòd ad restaurandam fabricam Rothomagen. Ecclesiæ tractatum communiter habuistis, te postulante vt quilibet Canonicorum tecum pariter aliquam suorum redituum portionem operi tam pio & necessario deputaret: .·.·. Statuimus, vt si quis vestrûm tuis, frater Archiepiscope, & maioris & sanioris partis Capituli statutis super hoc duxerit resistendum, obtineat sententia plurimorum.

HÆc Decretalis integra edita est apud Innocent. III. lib. I. epist. ccxcv. Huius summa hæc est; Walterus Rothomagensis Archiepiscopus, cui hoc cap. inscribitur in integra, cum Capitulo tractatum seu consilium habuit, vt singuli Canonici partem redituum conferrent in fabricam Rothomagensi Ecclesiæ. Contradicentibus nonnullis Canonicorum Pontifex decernit, vt si quis statuto Archiepiscopi & maioris & sanioris partis Capituli aduersetur, obtineat sententia plurimorum. Quod maior & sanior pars Capituli statuerit, perinde est ac si omnes statuissent, *cap. 1. h. tit.* & ita quod à maiori parte Curiæ (hæc est Senatus municipalis) fuerit constitutum, perinde est ac si totius Curiæ consensu esset sancitum, *l. quod maior. ff. ad Municipal. l. aliud. de R. I. l. nominationum. C. de Decur. lib.* x. Ciuitas vel collegium est maior pars ciuitatis seu Collegij, Aristotel. lib. IX. Ethicor. cap. VIII. *ὥσπερ δὲ καὶ πόλις τὸ κυριώτατον μάλιστ᾽ εἶναι δοκεῖ, καὶ πᾶν ἄλλο σύστημα, οὕτω καὶ ἄνθρωπος. Quemadmodum pars præcipua ciuitatis, ciuitas esse videtur, sic & de quolibet conuentu & homine.* Beneficiati tenentur contribuere ad instaurationem Ecclesiæ. *cap. 1. de Eccles. ædific.* quod verum est, si tertia vel quarta decimarum quæ destinata est fabricæ, non sufficiat operi, *can. vnic. x. qu. III. can. vobis. can. Vulterana XII. qu. II.*

TIT. XII. *Vt Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. MEDIOLANEN. ARCHIEPISCOPO.

VT nostrum prodeat de vultu Dei iudicium: .·.·. Præterea proponebas, quòd cùm nullus debeat sine accusatore damnari, nec aliquid circa negotium illud sit actum in forma iudicij, depositiones testium non poterant tibi præiudicium generare. Quia verò hæc allegatio personam nostram tangere videbatur, dignum duximus causam commissæ inquisitionis & ordinem pleniùs explicare, ne quis quomodolibet suspicetur, quòd nos in hoc negotio perperam processerimus: præsertim cùm ratio adsignanda debeat esse posteris profutura. Cùm enim iuris sit explorari, quòd actore non probante is, qui conuenitur, etiam si nihil præstiterit, debet absolui: videri

Poterat, quòd nos tibi, qui conueniebatis à nobis, malitiosè vel indiscritè onus probationis super tribus præmissis articulis imposuimus: videlicet vt ostenderes, quòd prædictam Cancellariam personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti donasses. Porrò cùm donatio fuisset occulta, & ideo suspicione non careat, & elapso iam anno nullus Cancellarius omnino adpareat: non immeritò credebamus, quòd secundùm Lateranen. Concilij statuta ad nos esset ipsius Cancellariæ donatio deuoluta, & ideo potuissemus ipsam sine culpa conferre: quoniam etsi locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis potuimus diuinare. Quia ergo contra illud, quod prima facie iustè præsumebatur pro nobis, præsertim cùm responderis prima vice, quòd Cancellariam alicui non contuleras, facultatem tibi pro te probandi concessimus: non fuit grauamen, sed gratia: nec ex malitia, sed ex benignitate processit. Quòd etiam de modo canonico fidem nobis fieri mandauimus, tu causam præstitisti mandato, qui sæpe nobis per literas tuas intimasti, & tandem probasti per testes, quòd retentis tibi prouentibus, officium concesseras memoratum: ex quo non immeritò in talem concessionem fuimus suspicati. Et ideo nos, qui non tam ex plenitudine potestatis, quàm ex officij debito possumus & debemus de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maximè causam & occasionem præstante, inquisitionem commisimus faciendam. Omnibus ergo diligenter auditis, te in tribus comperimus fuisse culpabilem, circa contrarietatem responsi, quia non solùm nobis, sed nec cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere. Circa carnalitatem animi, quia non ex adfectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare. Et circa inhonestatem facti, quia non licuit ex pactione vel conuentione quacunque, sub modo vel tenore præscripto concedere nudum officium, & tibi retinere prouentus: cùm in Lateran. Concil. prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem prouentuum suis vsibus retinere præsumat, & alibi cautum reperiatur in Canone, quòd Ecclesiastica beneficia sine diminutione debent conferri. Vnde credimus distinguendum, vtrum qui dat spirituale beneficium, prouentus ipsius ante donationem percipiat. Nam si prouentus ante donationem non perceperit ipse sed alius, & ex donatione consequatur vt ipse prouentus percipiat, non est dubium circa hæc intercedere simoniacam prauitatem. Si verò ante donationem perceperit ipse prouentus, credimus distinguendum, vtrum ante donationem constituat, vt ipsi prouentus retineantur ad tempus pro causa iusta & necessaria: aut conueniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocumque, vt officio illo concesso retineat ipse sibi prouentus. Primum enim membrum credimus esse licitum. Secundum autem dicimus non licere: ne viam aperiamus his, qui prauitatem suam satagunt palliare.

HÆc Decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. 1. epist. CCCLXIII. Eius particulæ sunt *cap. vt nostrum. de offic. Archid. & cap. vt nostrum de appellat.* Huius cap. species hæc est. Innocent. III. non immeritò credens Cancellariam Mediolanensis Ecclesiæ vltra annum vacasse, ita vt eius collatio ex Conc. Lateranensi ad se esset deuoluta, mandauit Archiepiscopo Mediolanensi vt ipsam conferret H. subdiacono suo. Archiepiscopus variâ responsione vsus, primùm respondit, quòd Cancellariam cuipiam non contulerat, retentis sibi reditibus eiusdem, propter molem æris alieni: tum sibimet contrarius respondit, quòd iam contulerat Cancellariam retentis sibi reditibus, ob prædictam causam æris alieni. Varietate & pugnantiâ responsionum commotus Pontifex, Archiepiscopo imposuit onus probationis, videlicet vt probaret, quòd prædictam Cancellariam contulisset personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti, id est, intra sex menses qui Ordinario dantur ad conferendum ex Conc. Lateranensi, *cap. nulla. de concess. præbend.* Archiepiscopus per testes probauit, quòd Cancellariam contulerat, retentis sibi reditibus, & collatio fuit occulta, id est, clàm & secretò facta, & idem fassus est Archiepiscopus per literas. Itidem fuit probatum quòd Archiepiscopus eumdem inuestierat de officio Cancellariæ per traditionem sigilli, *cap. vt nostrum suprà, de appellat.* Inuestitura Cancellariæ fit per traditionem sigilli, quia custodia sigilli Ecclesiæ pertinet ad officium Cancellarij. Vt & Abbatis depositio fit per sigilli fractionem, quod est insigne dignitatis Abbatis, Matth. Paris ad ann. MCCXIV. *Illis diebus per prædictum Legatum depositus est Radulfus de Arundel Abbas Westmonasteriensis in crastino S. Vincentij per N. Abbatem de Vuesthami, missum ex parte Legati, fracto ipsius sigillo in Capitulo.* Quod iisdem ferè verbis exscripsit Matth. Westmonaster. Ad hæc Archiepiscopus respondebat quòd testes recepti non debebant ei nocere, quia nihil actum erat in forma iudicij. Pontifex vt processus sui rationem purgaret, præsertim cùm

ratio

ratio adsignanda sit posteris profutura, id est, vicem legis obtinere debeat. Iussit de prædictis inquisitionem fieri, videlicet, de idoneitate personæ, de modo collationis, & tempore: licèt sine culpa ait se potuisse conferre Cancellariam quasi vacantem, & iure deuoluto collatione ad se spectante, cùm collatio, quæ dicebatur facta, fuisset occulta, & ob id suspicione non careret. Dolus præsumitur in his quæ clanculùm fiunt. *l. vlt. ff. de rit. nupt.* Collatio beneficij debet fieri palàm per instrumentum publicum coram Notario & testibus, aliàs non probat in fraudem prouis. Apostolici *cap. 11. de offic. ordin. in* VI. Suspicionis etiam idoneum argumentum fuit, quòd anno iam elapso nondum vllus Cancellarius appareret, nihil erat quod imputaretur Pontifici, cur contulerit Cancellariam, quam non immeritò vacare credendum erat; nemo enim tenetur diuinare. Quòd ergo Pontifex probationem admisit contra præsumptionem iuris, non fuit grauamen, sed potiùs gratia. Contra præsumptionem iuris, non admittitur probatio in contrarium. *l. vlt. C. ad Maced. l. vlt. C. arbitr. tutel.* Quòd præsumptio iuris habeat vim probationis probatæ: quòd etiam de modo, seu forma collationis fidem fieri mandatum est à Pontifice, non debet queri Archiepiscopus, quòd ipse causam dederit; eo quòd sæpius per literas significauit Pontifici, ac demùm probauit per testes, quòd retentis sibi prouentibus Cancellariam concessit: ex quo non iniuriâ malè suspicatus est Pontifex de huiusmodi concessione: & his mediis rectè concludit Pontifex, se non tam de plenitudine potestatis, quàm ex officio, id est, iure Magistratus, inquisitionem huiusmodi mandasse faciendam, quòd ad officium Summi Pontificis pertineat, de quibuscumque subditorum excessibus, correctionis causâ, inquirere. *cap. nouit. de iudic.* Rebus diligenter expensis, Archiepiscopum in tribus culpandum comperit Pontifex. Circa contrarietatem responsionum: quia non debuit cuiquam, nedum Pontifici contraria respondere; instrumenta diuersa inuicem pugnantia ab eadem parte prolata rejiciuntur. *l. scriptura. C. de fid. instrum. cap. imputari. eod. tit.* & testes sibi ipsis contrarij non audiuntur. Nou. Iust. xc. *cap.* III. Circa carnalitatem: quia non debuit Archiepiscopus ex affectu carnali officium, vel beneficium Ecclesiasticum conferre: beneficia Ecclesiastica sunt conferenda, non ex affectu carnali, id est, iure consanguinitatis, sed ex meritis, vt *hîc, & cap* 1. *suprà. de præbend. cap. nemo. infrà. de Simon. can. Apostolica.* VIII. *qu.* I. Hæreditariam in beneficiis successionem in Ecclesia Aruernensi grauiter notat Hildebert. Cenomanens. *ep.* IV. *Audiuimus autem, & vltrà quàm credi possit, admirati sumus, in vestra matre Ecclesia hæreditario iure Canonicas obtineri: perniciosa hæc & exhæredans hæreditas. Canonici namque stipendium est gratia, non hæreditatis emolumentum. Perit autem gratia, vbi hæreditas principatur: vnde & hæreditate Canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire.* Circa inhonestatem, id est, fœditatem & turpitudinem facti, quia non licuit ex pacto vel conuentione concedere nudum officium, vel beneficium Ecclesiasticum, retentis fructibus; cùm Lateranense Conc. vetet, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem fructuum suos in vsus retineat. *cap. prohibemus. infrà. de censib.* Et alio Canone cauetur, vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. *can. si quis præbendas.* I. *qu.* III. Quibus coniunge Conc. Turonense, quo vetatur sectio præbendarum. *cap. maioribus, suprà, de præbend.* & Conc. Londinense habitum anno MCCXXXVII. cuius ecce Canon exceptus ex Math. Paris. *Statuentes vt nunquam deinceps in plures personatus, vel Vicarias, vna Ecclesia diuidatur: & quæ diuisa sunt hactenus, quàm citiùs se facultas obtulerit, integrentur, nisi forsitan sic instituta fuerit ab antiquo, vbi est per loci Episcopum prouidendum, quòd causa redditus, quam Parochia congruis inter eos portionibus & regionibus diuidatur.* Vnde distinguendum, ait Pontifex, vtrum qui contulit beneficium, ipsius fructus ante collationem perciperet. Iure communi fructus vacantium Ecclesiarum reseruantur successori. *cap. cùm vos. de offic. ordin. can. hac huius. can. non liceat.* XII. *qu.* II. Ex consuetudine custodia vacantium Ecclesiarum, & perceptio fructuum pertinet ad Episcopum diœcesanum. *cap. cùm venissent, suprà, de instit.* Si enim collator ipse ante collationem fructus non perceperit, puta ex priuilegio, vel consuetudine, sed alius, & ex collatione, id est, ex pacto tacitè, vel expressè interposito in ipsa collatione fructus consequatur; indubitatum est per hoc contrahi labem simoniæ: si verò collator ante collationem fructus beneficij perceperit, rursus distinguendum ait, vtrùm ante collationem vacantis beneficij constituit, vt retineat fructus ad certum tempus ex iusta & necessaria causa, puta ad soluendum vrgens æs alienum Ecclesiæ, & id licitum esse Ex Pontificio priuilegio Episcopus potest retinere fructus vacantium beneficiorum ad tempus pro solutione æris alieni Ecclesiæ. *cap. tua nobis, infrà, de V. S. cap. si propter. de rescript. in* VI. *cap. si tibi concesso. de præbend. eod.* & apud Innocent. III. lib. I. epist. CXXVI. Sic Cantuariensis Archiepiscopus ab Innocentio IV. impetrauit priuilegium percipiendi fructus vacantium in tota Cantuariensi Prouincia beneficiorum ad septennium, ob leuamen æris alieni. de quo Matth. Paris, & Matth. Westmonaster. ad ann. MCCXLVI. Et in Gallia multis locis, puta in Normannia, in Diœcesi Parisiensi, & aliis, Episcopi, vel Archidiaconi percipiunt fructus primi anni vacantium beneficiorum annatæ, seu deportus nomine, ex priuilegio, vel consuetudine. gloss. in Pragmatic. *tit. de annat.* §. *1. verb. consuetudinis. verb. voluit tamen, & verb. permutationis.* aut collator fructus percepit ex pacto inito cum eo cui contulit beneficium, vel cum mediatore, seu conciliatore collationis, & illud vetitum esse, ne adaperiatur via simoniæ.

TIT. XIII. *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO MONTIS REGALIS.

POSSESSIONES ad mensam tuam vel Capituli pertinentes, alienare non debes: Aut ecclesias in quibus monachi ministrare consueuerunt, clericis vel laïcis adsignare.

RES immobiles Ecclesiæ quocumque titulo alienari non possunt, nisi ex causa necessitatis, vel vtilitatis, pura vrgentis æris alieni soluendi causâ, si ex distractione mobilium lui non possit. *l. iubemus. & auth. hoc ius porrectum. C. de SS. Eccles.* vel pro redemptione captiuorum, vel alimentis pauperum tempore famis. *l. sancimus, C. eod.* quod variis probatur exemplis, Ambrosij Mediolanensis, Acacij Amidensis, & Euphaimij Antiocheni. Auctores sunt ipse Ambros. *offic. lib.* II. *cap.* XV. Socrat. *lib.* VII. *cap.* XXI. Euagr. *lib.* IV. *cap.* XXIV. Vel si sterile & incultum sit solum, ita vt ad culturam redigi non possit, *cap. ad aures. h. tit. can. sine exceptione. can. terrulas.* XII. *qu.* II. Erit autem intelligendum est quod scriptum est hîc, possessiones ad mensam Episcopi, vel Capituli spectantes, alienari non debere, sc. nisi ex causa necessitatis, vel vtilitatis, & seruatis solemnibus. Cæterùm quod sequitur in *hoc cap.* Ecclesiæ, in quibus Monachi ministrare consueuerunt, non sunt adsignandæ Clericis, vel Laïcis, id est, Ecclesiæ regulares non sunt transferendæ ad Clericos seculares, nisi ob defectum regularium. *c. p. inter quatuor, infrà, de Religios. domib.* vel ob inobseruantiam, & prauos mores regularium, si incorrigibiles sint, & monasterium suo in ordine reformari non possit. *cap. relatum. ne Clerici, vel Monachi secularib. se immisc.* vel ex speciali priuilegio Pontificis. *cap. ad audientiam.* II. *de Eccles. ædificand.* Vix est vt monasterij status mutari debeat, & transferri à Monachis ad Canonicos seculares, propter mutationis periculum. Othoni III. Imp. è B. Pauli Ecclesia, quæ est in vrbe, Monachos depellere cogitanti, ob morum prauitatem, & Canonicos in eorum locum subrogare, in somnis apparuisse Paulum Apostolum, & à consilio eum auocasse, narrat Glaber Rodulphus hist. lib. I. cap IV. *Non enim*, inquit, *omninò expedit, cuiusque Ecclesiastici ordinis, quamuis ex parte deprauati, propositum vnquam abijci, seu immutari, in eo namque vnusquisque iudicandus est ordine, in quo se primitùs Deo vouit seruire: reëmendari tantùm licet corrupto cuique in eadem propria vocationis sorte.* Sed hac de re pluribus opportuniùs in *d. cap. inter quatuor.* quod est etiam Innocent. Ne monasteria transferantur ad Laïcos, vetatur etiam *hoc cap.* Ex Conc. Chalced. *can.* XXIV. Monasteria semel dicata non ampliùs debent fieri κοσμικὰ καταγώγια, secularia habitacula. *can. quæ semel.* XIX. *qu.* III. Hæc verò Decretalis, ne hoc omittam, integra est apud Innocent. III. *lib.* I. *epist.* CVI.

CAPITVLVM XI.

IDEM EPISCOPO MAVRIENSI ET PRÆPOSITO VLCON.

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm Tusien. monasterium depressum esset onere maximo debitorum, Abbas & conuentus eiusdem villam quamdam necessitate coacti B. laïco concesserunt in feudum, tali conditione adposita, quòd idem lxxx. libras persolueret, pro quibus eadem extiterat obligata: quod non distulit effectui mancipare: ·.·.. Vnde humiliter supplicarunt, vt feudum prædictum faceremus ad vtilitatem monasterij reuocari, præsertim cùm idem laïcus primo anno de ipsius prouentibus vltra summam perceperit prætaxatam, & per multos postmodum annos sumpserit eius fructus :. · . · . · Quocirca mandamus, quatenus, si prædictum monasterium, propter hoc inueneritis enorme dispendium incurrisse, dictum laïcum vt (pecuniâ, quam pro exoneratione feudi, seu etiam pro vtilitate ipsius monasterij expendisse noscitur, ab eisdem Abbate & conuentu receptâ, cùm sibi fructus percepti sufficere debeant pro labore) præfatum feudum eidem monasterio dimittat liberum & quietum, adpellatione postposita, compellatis.

QVo iure res immobiles Ecclesiæ alienari non possunt, res etiam quæ sunt de mensa Episcopi, vel Abbatis, quæ non solent tradi in emphyteusim, vel in feudum, non possunt in emphyteusim, vel feudum dari, nisi seruatis solemnibus quæ requiruntur in alienatione rei Ecclesiasticæ. *cap. vt super. h. tit. cap. si Episcopum, vel Abbat. tit.* I. *feud*, quia emphyteusis, & in feudum datio est species alienationis, *l. vlt. C. de reb. alien. non alien.* Sed Episcopus, vel Abbas res infeudari solitas ad se

Et de casamento quod tenetis, hominium quod debetis, reuerenter ei & humiliter offeratis. & Robertus Monteus. in suppl. Sigeberti ad ann. MCLXI. *Caluimontis castrum erat de casamento Hugonis filij Supplicij de Ambasia.* Hinc casamentum quod est feudum, à proprietate, seu allodio rectè distinguit Iuo Carnotens. epist. CLXXIV. *Neque scire vtrum hæc tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad casamenta eorum, quæ tenent potentes homines se & sua fortitudine suâ defendentes.* Casalia verò sunt prædia rustica suburbana, Guilielm. Tyr. de bell. sacr. lib. XI. cap. XIX. *Recesserant etiam à nobis per illos dies nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, quæ casalia dicuntur, habitatores.* & Iacob. à Vitriac. Hist. Occid. lib. I. cap. II. *Non solùm ciuitates & oppida, sed etiam casalia repleuerunt.*

TIT. XVIII. *De locato & conducto.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. ABBATI ET CONVENTVI Sancti Petri de Pratel. Londen. diœce.

VESTRA nobis relatio declarauit, quòd cùm ad firmam fructus vestrarum dare consueueritis decimarum :. ·.·.· Diœce. Episcoporum statuto contrario non obstante, vestrarum decimarum prouentus illis liberè locare potestis, cum quibus Ecclesiæ vestræ conditionem poteritis facere meliorem : ita tamen, quòd huiusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur extendi.

HOc cap. pertinet ad Abbatem & Monachos S. Petri de Pratellis Londinensis diœcesis in Anglia, id nomen Monasterio, quod à Rogerio de Bellomonte fundatum, in fundo proprio de Pratellis, refert Willelmus Gemeticens. *lib.* VI. *cap.* IV. Monachi huiusce Monasterij, quæ est species breuis, sed obseruatione digna huiusce capitis, locarunt ad firmam, id est, sub certo reditu decimas Ecclesiarum suarum, aduersante statuto contrario Episcoporum diœcesanorum. Statutum commune fuit in Anglia, ne decimæ Ecclesiarum aliis locarentur, quàm Clericis, eo fortè consilio introductum, ne à laïcis occasione locationis, decimæ inuaderentur: vnde Clericos firmarios perstringit Willelmus Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. IV. *Nullus diues nisi nummularius, nullus clericus nisi causidicus, nullus clericus nisi, vt verbo parum Latino vtar, firmarius.* Idémque statutum in Synodo Londinensi habitâ anno MCCXXXVII. ab Ottone Cardinali & Legato Sedis Apostolicæ in Angliam misso ad reformandum statum Ecclesiæ, apud Matth. Paris. *Cùm laïcis Ecclesias dari ad firmas sit penitùs inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis qua afferre consueuit periculum Ecclesiis, posset esse damnosum, vtrumque districtiùs inhibentes statuimus, vt nec laicis vnquam, nec personis etiam Ecclesiasticis vltra quinquennium Ecclesiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renouentur eisdem, nisi priùs ipsas habuerint alij mediatè: Et vt omnia sint in tuto, præcipimus, vt præsentibus Episcopis, vel Archidiaconis firmaria fiat conuentio, ex qua plures literæ conscribantur, quarum vna remaneat penes ipsos.* Consultus hac de re Pontifex respondit, non obstante statuto contrario diœcesanorum, Monachis licere quibuscumque locare decimas, qui meliorem conditionem obtulerint: dummodo huiusmodi locatio non vergat in feudum, vel in alienationem, id est, non fiat in perpetuum feudi nomine, ex quo Conc. Lateranensi vetita est infeudatio decimarum. *cap. prohibemus, infrà, de decimis,* vel non fiat in plures annos. Locatio decimarum vetabatur vltra quinquennium statuto Londinensi, hodie vltra triennium, *Extrauag. Ambitiosæ. de reb. Eccles. non alienand.*

TIT. XIX. *De rerum permutatione.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. SENON. ARCHIEPISCOPO.

CVM olim magister S. & B. archidiaconatum & præposituram adinuicem commutassent: ·.·.·. Licèt prædictus magister ab initio sponte fuerit de permutatione confessus, idem tamen B. eam inficiabatur omnino, proponens, quòd ipse præposituram sine conditione qualibet resignauit, & post resignationem prædicti magistri archidiaconatum fuerat adsecutus:. ·. ·. · Cùm ergo nobis constaret quòd ipse B. suum præstiterit permutationi consensum, prædictus autem magister suum publicè fateretur errorem: & hunc præpositurâ, & illum archidiaconatu curauimus spoliare, super hoc definitiuam contra eos sententiam proferentes.

plicitet, ſine cùm poterit, vel cùm facultas ſe obtulerit, ne via aperiatur ad promittenda vacatura contra Lateranenſe Concilium, *cap. 11. h. tit. in VI.*

CAPITVLVM XV.

IDEM.

POSTVLASTIS per Sed. Apoſtol. edoceri, vt cùm ad vos & Archiepiſcopum veſtrum, ſimul donatio præbendarum Eccleſiæ veſtræ pertineat, vtrùm præbendæ vacantis donatio penes Archiepiſcopum ipſum remaneat, ſi eam intra ſemeſtre tempus neglexeritis ordinare? Ad quod breuiter reſp. quòd ſi vos & idem Archiepiſcopus intra tempus præſcriptum, circa hoc negligentes extiteritis: ſicut nec ab illo ad vos, ita nec à vobis ad illum poteſtas deuoluitur conferendi, ſed ſecundùm ſtatuta Lateranen. Concilij ad ſuperiorem tranſit donatio: niſi fortè Archiepiſcopus non vt Prælatus, ſed vt Canonicus vobiſcum ius habeat conferendi. Et in hoc caſu cùm dolosè impedierit, dolus ei ſuffragari non debet.

IVRE communi collatio præbendarum pertinet ad Epiſcopum, *can. omnes baſilicæ. can. nullus. XVI. qu. VII. cap. cùm veniſſent. de inſtitut.* De conſuetudine in pluribus Eccleſiis pertinet ad Capitulum ſimul & Epiſcopum, *cap. cùm Eccleſia Vulterana. ſuprà, de elect.* vt in Eccleſia Ebredunenſi; ad quam pertinet hoc cap. quod inſcribitur Præpoſito & Capitulo Ebredunenſi, in IV. collect. vbi collatio præbendarum pertinet ſimul ad Capitulum, & ad Epiſcopum tanquam Prælatum; vtroque ceſſante in conferendo per ſex menſes collatio non deuoluitur ab Epiſcopo ad Capitulum, nec retro à Capitulo ad Epiſcopum, quia vterque eſt in pari culpa, & vterque ius ſuum amiſit per negligentiam; ſed deuoluitur ad proximum ſuperiorem. Quòd ſi Epiſcopus non vt Prælatus, ſed vt Canonicus ius conferendi habeat cum Capitulo, collatio deuoluitur ad ipſummet Epiſcopum, niſi dolo impedierit ne intra tempus collatio fieret; quia dolus nemini ſuffragari debet, vt oſtenditur in hoc cap. Iure communi Epiſcopus non poteſt eſſe Canonicus in eadem Eccleſia. Per promotionem Epiſcopi vacant cætera beneficia quæ antè obtinebat in eadem Eccleſia vel aliis, *cap. literas. ſuprà, h. tit. cap. cùm in cunctis § ſi verò. de elect.* Canonicus eſſe deſinit promotus ad Epiſcopatum, vt municeps eſſe deſinit, qui Senatoriam dignitatem adeptus eſt. *l. Municeps. ff. ad Municip.* Sic Epiſcopus non poteſt intereſſe Capitulo vt Canonicus, quia iura Prælati & Capituli ſunt valde diſtincta; ſed de conſuetudine Epiſcopus poteſt intereſſe Capitulo vt Canonicus, & habet connexam præbendam. *cap. à collatione. de appellat. in VI. cap. cùm in Eccleſia. de præbend. eod.* Si verò Epiſcopus interſit Capitulo vt Prælatus, tanta eſt vox eius quanta Capituli, & Epiſcopus habet vnam vocem, & Capitulum aliam, & in diſcordia vox Epiſcopi prævalet. Quòd ſi Epiſcopus interſit Capitulo non vt Prælatus ſed vt Canonicus, tunc eius vox computatur pro vna, vt notauit Innocent. Hoſtienſis Collectarius, Io. Andreas, Panormitan. & alij.

TIT. IX. *Ne ſede vacante aliquid innouetur.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. PRIORI ET CONVENTVI GLASTON.

NOVIT ille, qui ſcrutator eſt cordium, *& cognitor ſecretorum*, quòd licèt C. præ. no. Eccleſiam veſtram erexerit Cathedralem, ipſam Bathonien. Eccleſiæ vniendo, & idem eſſet Epiſcopus vtriuſque; quia tamen hæc vnio adſerebatur à vobis *eſſe confuſio, conquerentib. vobis eam* in graue præiudicium Glaſton. Eccleſiæ redundare, cùm per ipſam diſſolueretur religio, & fraudaretur eleemoſyna, & hoſpitalitas tolleretur: nos ad releuandum Eccleſiæ veſtræ ſtatum cœpimus intendere diligenter: .•.•. Vos autem poſt obitum Bathon. Epiſcopi humiliter poſtulaſtis, vt quia tempus aduenerat, quo ſine ſcandalo Eccleſiæ veſtræ ruina poterat releuari, cùm & Bathonien. Eccleſia id ipſum pariter poſtularet, rex quoque cum regni magnatibus, & quidam Epiſcopi cum multis Abbatibus depoſcerent illud idem, vt vnione penitus diſſoluta, Monaſterium veſtrum reduceremus in ſtatum antiquum ſub Abbatis regimine gubernandum. Attendentes igitur, quòd Epiſcopali ſede vacante, non debet aliquid innouari, cùm non ſit, qui Epiſcopale ius tueatur, maximè ne plus fauiſſe perſonæ, quàm Eccleſiæ videremur, ſi quod eo viuente conceſſimus, poſt obitum eius ſubitò

mutaremus: petitionem vestram nequiuimus exaudire: auctoritate prædicta indulgentes, vt cùm Bathonien. Ecclesia de præsule fuerit ordinata, ius vestrum apud Sedem Apostolicam prosequendi, facultatem liberam habeatis: interim autem sub cura prioris idem Monasterium gubernetur.

ANNO Christi MCLXXVIII. regnante Guilielmo Conquestore, in Synodo Londinensi statutum est, vt quædam sedes Episcopales quæ positæ erant in minoribus oppidis, transferrentur in loca celebriora: quo factum est, vt Bathonia, Lincolnia, Sarisberia, Oxonia, Cestria, atque Cicestria vrbes clariores in nouas sedes Episcopales assurgerent, vt narrat Polydorus Vergil. rer. Anglic. lib. IX. Inde Bathoniensis Episcopatus varia per tempora incrementa accepit: primùm auctior factus est accessione Wellensis Episcopatus; Ioannes patriâ Turonensis, cùm esset Wellensis Episcopus, à Rege Henrico I. Abbatiam Bathoniensem obtinuit, & Bathoniam sedem transtulit: ex quo duæ sedes in vnam coaluerunt, & idem dictus est Bathoniensis & Wellensis Episcopus, vt tradidit Willelm. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. *lib.* IV. & idem de gest. Pontific. Anglor. *lib.* II. Postea, anno scilicet MCXCIII. Sauanarico Bathoniensi Episcopo Richardus Rex concessit Abbatiam Glasconiensem, vt refert Roger. Houedenus *in ipsius vita.* Hac occasione Celestinus III. quæ est species *huius cap.* Monasterium Glasconiense erexit in Sedem Episcopalem, eámque vniuit Ecclesiæ Bathoniensi. Demortuo Celestino cùm Monachi Glasconienses quiritarentur apud Innocent. III. proximum successorem Celestini, huiusmodi vnionem damnosam esse Monasterio, inde secutâ dissolutione religionis, & eleemosynæ, & hospitalitatis, quæ antea in eo Monasterio valde vigebat; & iidem postularent priori statui Monasterium reddi. Innocentius vnionem à Celestino factam rescindere noluit, ne videretur minùs quàm par esset decessorum statutis deferre. Non debet Summus Pontifex statuta prædecessorum facilè mutare, *can. contra.* XXV. *qu.* I. idémque solet iurare ante consecrationem se priorum decreta seruaturum. Iuo Carnotens. *epist.* LX. *In libro quoque Pontificum qui dicitur Diurnus, ita continetur de professione Romani Pontificis: Nihil de traditione quam à probatissimis prædecessoribus meis traditam, & seruatam reperi diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere; sed feruenter, vt eorum discipulus & sequipeda, totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio, obseruare ac venerari profiteor.* Et idem *epist.* LXXIII. *Ipse enim Summus Pontifex, antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romana Ecclesia, & decreta prædecessorum suorum se inuiolabiliter seruaturum profitetur,* &c. Vnionem igitur Pontifex non attigit; sed pro Abbate Monachis priorem imposuit, & Episcopo de reditibus cœnobij partem tantùm assignauit. Non æquo animo id ferente Sauanarico Bathoniensi Episcopo, tunc eidem intelligendum est restitutam Glasconiensem Abbatiam, quam vi ademptam consilio Huberti Cantuariensis Archiepiscopi Richardus dederat Willelmo La Pie, aduersùs quem interdicto Vnde vi egit. Sauaricus apud Innocent. III. allegans eam sibi concessam à Richardo, & antè ibi sedem Episcopalem fuisse, vt memoriæ prodidit Houedenus. Pro Abbate Monachis Cathedralis Ecclesiæ Prior impositus memoratur. Angli Monachos instituerunt in Ecclesiis Cathedralibus, quia ab eis fidem suscepere, duce Augustino. Ordericus Vitalis lib. XI. *Angli Monachos, quia per eos ad Deum conuersi sunt, indesinenter diligenter honorauerunt, ipsique Clerici reuerenter & benignè sibi Monachos præferri gauisi sunt;* vt in Ecclesia Cantuariensi fuere Monachi qui suum Priorem habuere, *cap. dilecti. suprà, de appellat. cap. cùm ex iniuncto. de nou. oper. nuntiat.* In Ecclesiis Cathedralibus quæ sunt regulares, Episcopus habet ordinariam iurisdictionem in Monachos vel Canonicos regulares, exceptis his quæ pertinent ad regulam, quæ sunt reseruata Priori, vt ostenditur *hîc, & cap. causam quæ. de iudic. cap. ad nostram cap. porrecta. de confirm. vtil.* Demortuo Sauarico, quasi dempto impedimento redintegratâ lite certarunt Monachi de soluenda vnione, & Monasterio antiquo statui restituendo, accedentibus etiam votis vtriusque Ecclesiæ Wellensis & Bathoniensis, & Richardi Regis, Regnique magnatum. Sed Pontifex rei iudicium suspendit, sibi proponens, nihil innouandum vacante sede Episcopali, cùm desit qui Episcopale ius tueatur; quæ ratio est cur præscriptio non currat vacante Ecclesia, quòd interim destituta sit defensore. *cap. de quarta. suprà, de præscript.* Alia ratione iudicium suspenditur à Pontifice, nè plus fauisse personæ quàm Ecclesiæ videretur, si extincto iam Sauarico vnionem dissolueret, quam eo superstite tolerauerat. Vniones beneficiorum fiunt in perpetuum, non ad tempus, seu ad vitam & in gratiam personæ. Sedes Apostolica solet prouidere rebus, non personis, *cap. vlt. de offic. delegat.* Igitur vnio non potest fieri vel dissolui vacante sede Episcopali, quòd sede vacante nihil sit innouandum. Idem iudicatum in Synodo Wintoniensi, anno MLXX. in quo possessiones olim ereptas ab Aldredo Eboracensi Archiepiscopo euindicante Wlstano Wigorniensi Episcopo, iudicium dilatum est, quòd eo tempore Ecclesia Eboracensis vacaret. Houedenus in Willelmo seniore. *In eodem Concilio Wlstanus Wigorniensis Episcopus possessiones quamplures sui Episcopatus, ab Aldredo Archiepiscopo, dum à Wigorniensi Ecclesia ad Eboracensem transferretur, sua potentiâ retentas, quæ tunc eo defuncto in potestatem regiam deuenerant, constanter proclamabat, expectabátque iustitiam fieri tam ab ipsis qui Concilio præerant, quàm à Rege flagitabat. At Eboracensis Ecclesia non habens pastorem qui pro ea loqueretur, muta erat. Iudicatum est igitur, vt ipsa querela sic remaneret, quousque Archiepiscopo ibi constituto, qui Ecclesiam defenderet, dum esset quo eius querela responderet, ex obiectis, & responsis posset euidentius, ac iustius iudicium fieri. Sicque tunc ea querela ad tempus remansit.* Ne qua mutatio fieret in Ecclesia Cantuariensi se defuncto, donec successorem acceperit, Regem

Anglorum rogat Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, apud Ioann. Saresber. epist. LIV. *In Ecclesia Cantuariensi reformauimus pacem, religionis promouimus cultum, idoneos ex conscientia nostra custodes praefecimus ordini; ne quis eorum cuiusquam temeritate minuetur, antequam Episcopus subrogetur, prohibeat dignatio vestra.* Vnionem etiam fieri vacante sede Episcopali, à iure absonum est, quòd vnio beneficij sit alienatio rei Ecclesiasticæ, quæ non potest fieri vacante sede, cùm legitimo careat defensore. *cap. dudum. de reb. Eccles. non alien. in* VI. & in vnione requiratur consensus Episcopi, sicut in alienatione rei Ecclesiasticæ. Licèt Capitulum sede vacante fungatur vice Episcopi in his quæ sunt iurisdictionis, hoc verum est exceptis casibus à iure expressis. *cap. his quæ. cap. cùm olim. suprà, de maior. & obed. cap. vn. eod. tit. in* XI. *cap. ad abolendam. de haeretic. cap. pen. & vlt. de suppl. neglig. prælat. in* VI. Ideóque Capitulum non potest consentire vnioni vacante sede Episcopali: quòd id vetitum sit, vt ostenditur in *hoc cap.* Et Capitulum sede vacante non potest conferre. *cap. illa. infrà, h. tit.* Quia collatio beneficiorum est in fructu, fructúsque reseruantur futuro successori. *cap. cùm vos. de off. ordinar. can. hac huius. can. non liceat.* XII. *qu.* II.

TIT. X. *De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. ARCHIPRESBYTERO ET MAGISTRO Scholarium Bituricen.

CVM Apostolica Sedes: .·.·.·. Sanè sicut *ex literis vestris* accepimus, cùm ex vna parte Capitulum sancti Stephani, & ex altera Monachi de Platea, super decima quadam in vestrum compromisissent arbitrium: Dicti Monachi proponebant donationem ipsius decimæ, sibi à quodam milite factam, & Bituricensis Archiepiscopi diœces. eius accedente consensu, confirmatam fuisse, séque auctoritate Hieronymi munitos existere, qui scribens ad Damasum ait: Si aliquando fuerint à laïcis malè detenta, quæ diuini iuris esse noscuntur, & in vsum transierint Monachorum, Episcopo loci præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixa. E contrario pars allegabat aduersa, consensum Episcopi sine cleri consensu minùs sufficere, auctoritate Leonis Papæ dicentis: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare vel commutare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius cleri consensu atque tractatu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Quia verò nos consulere voluistis, vtrum quando decima tenetur à laico, si conferatur Ecclesiæ, ad confirmandam donationem consensus Episcopi, sine cleri consensu sufficiat: Taliter respond. quòd monendus est laïcus, qui decimam detinet, vt eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat; qui si fortè induci nequiuerit, & eam cum diœcesani consensu alteri Ecclesiæ adsignauerit, præsertim religioso conuentui: constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa. Auctoritates enim præmissæ, licèt diuersæ sint, non tamen aduersæ: cùm aliud sit alienare, quod ab Ecclesia possidetur: & aliud, quod detinetur à laïco, ad vsum Ecclesiasticum reuocare. In alienatione quoque iuxta Leonis Papæ decretum consensus Episcopi sine Clericorum consensu non sufficit. In reuocatione autem iuxta scripturam Hieronymi sufficit consensus Episcopi, cùm per vtrumque vtilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranen. Concilio est inhibitum, ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laïcorum, sine consensu Episcoporum recipiat: per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, vt licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere laïcorum. Hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ laïcis in feudum perpetuò sunt concessæ.

HÆc decretal. integra extat apud Innocent. III. lib. I. epist. CCCIX. Ex Conc. Claromontens. vetitum ne Monachi decimas accipiant à laïcis, qui eas feudi titulo obtinebant, sine consensu Episcopi diœcesani. *can. congregato. can. decimas.* XVI. *qu.* VII. Et ita intelligendus est Iuo Carnotensis, *epist.* CXCII. *Est tamen in quo Abbatibus & præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est, à laicis decimas, & oblationes accipiant, si inordinatè eas à quibuscumque personis requirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitus instituta minorent,* ac sibi vsurpent. Ita vt quando decimæ quæ à laicis detinebantur iure feudi ante Conc. Lateranense ab his conceduntur Monasterio, vel loco pio, sufficiat consensus Episcopi, sine Capitulo; vt ostenditur *hic, & cap.* II. §. *sanè. de decim. in* VI. Huius cap. species est. Lis seu

quæstio vertebatur inter Capitulum S. Stephani; & Monachos de Pratea (sic lege pro de Platea, id nomen Monasterio ordinis Cisterciensis in Diœcesi Bituricensi) super decimis quibusdam, de quibus cùm compromissum esset in Archipresbyterum & Magistrum Scholarum Bituricensium, coram arbitris Monachi proponebant, decimam sibi concessam à quodam milite, accedente consensu Bituricensis Archiepiscopi, & quò probarent donationem ratam esse, nitebantur auctoritate Hieronymi, ex qua si res sacræ à laïcis perperam detentæ transierint in vsum Monachorum de consensu Episcopi, eis in perpetuum constant, *can. vlt.* XVI. *qu.* I. E contrario Capitulum opponebat, res Ecclesiæ quocumque titulo alienari non posse sine consensu Episcopi, & Capituli, ex Decreto Leonis, *can. fine exceptione.* XII. *qu.* II. In dubio consultus Pontifex respondit, monendum esse, non cogendum laïcum, qui decimam iure feudi obtinebat, vt eam, restituat Ecclesiæ ad quam spectabat; quòd si fortè suaderi nequeat, & eam cum Diœcesani consensu, alteri Ecclesiæ tradit, præsertim Religioso Conuentui, ratam esse donationem; nec pugnantes esse sententias Patrum, licèt sint diuersæ; cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur, & aliud quod detinetur à laïco ad vsum Ecclesiasticum reuocare. Reuocatio decimarum quæ fit in aliam Ecclesiam, non est propriè alienatio. Non videtur alienari, quod redit ad quamcumque Ecclesiam, quia vna est Ecclesia variis membris distincta. *can. Nonatianus.* VII. *qu.* I. & translatio Ecclesiarum ad aliam Ecclesiam facilè indulgetur vt vitetur scandalum, & datâ potestate gratificandi cuicumque Ecclesiæ lubentiùs prouocentur laïci ad dimittendas decimas, *d. can. congregato.* Denique huiusmodi reuocatio decimarum, non est alienatio, sed remissio: remissio non est donatio, *l. etsi pignus. ff. quæ in fraud. credit. l. in eius. quib. m. od. pign. solu. l. etiam. C. ad Velleian.* atque ita in hoc actu sufficit consensus Episcopi, sine Capitulo; & hoc repetitum est in *cap. in Lateranensi. suprà. de præbend. cap. cum & plantare. infrà, de priuileg. & d. cap. §. sanè. de decim. in* vt. Quod dictum est, à laïcis decimas quas obtinent concedi posse Monasterio, adhibito consensu Episcopi, intelligendum est de decimis quas iure feudi possidebant; ac subiungitur in calce huius cap. id est, quas iure feudi tenebant ante Concilium Lateranense, *d. cap.* II. *§. sanè.* Si enim decimæ reperiantur concessæ laïcis à Conc. Lateranensi, ab his nequeunt transferri in laïcos, vel in alios quàm ipsam Ecclesiam à qua profectæ sunt. *cap. prohibemus. infrà, de decim.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM METEN. ARCHIDIACONO.

TVA nuper: . · . · . Adiecisti etiam, vtrum Episcopo, vel electo cum solo Archidiacono, præter adsensum maioris Ecclesiæ, cùm ab ipsa eligatur Episcopus, & Archidiaconus adsumatur de ipsa: cœnobiis vel Ecclesiis Conuentualibus, ad quas ius pertinet Patronatus, liceat conferre perpetuò vacantes Ecclesias baptismales . · . · . · . Alterius etiam quæstionis solutio ex epistola Leonis Papæ colligitur euidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ, quicquam donare vel permutare vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit, absque conniuentia & subscriptione Clericorum. Per hoc enim noueris solutam secundo loco propositam quæstionem, cùm concessiones Ecclesiarum ad perpetuas alienationes non sit dubium pertinere.

QVÆSITVM est an Episcopus, vel electus cum solo Archidiacono præter consensum Capituli possit conferre in perpetuum vacantes Ecclesias baptismales seu Parochiales cœnobiis vel Ecclesiis Conuentualibus ad quas pertinet ius Patronatus. Consultus Pontifex respondit concessionem nullam & irritam esse, quia res Ecclesiæ alienari nequeunt sine consensu Episcopi & Capituli, ex decreto Leonis, *can. fine exceptione* XII. *qu.* II. Concessiones autem perpetuas ad alienationes certum est pertinere. Alienatio est dominij translatio quæ habet causam perpetuam, id est, fit in perpetuum. *l. 1. ff de iur. dot. l. vlt. C. de reb. alien. non alienand.* Electum confirmatum, nondum consecratum, posse alienare res Ecclesiæ de consensu Capituli colligitur ex *hoc cap & can. alienationes.* XII. *qu.* II. quia electus post confirmationem habet administrationem rerum, & potest exercere ea quæ sunt iurisdictionis. *cap. nosti. de elect. cap. cùm iam dudum. de præbend.* Alienatio verò pertinet ad administrationem & iurisdictionem.

CAPITVLVM IX.

IDEM EPISCOPO HELIEN.

PASTORALIS officij diligentia: . · . · . Præterea quæsiuisti, (cùm auctoritate Dionysij fuerint parœciæ limitatæ) quatenus singularum parœciarum prouentus

in vſus Eccleſiæ cederent neceſſarios, & ſtipendia miniſtrorum: ſi Epiſcopo liceat ſine auctoritate Summi Pont. vel ſaltem ſine ſui Capituli voluntate, viris religioſis conferre obuentiones alicuius parœcialis Eccleſiæ, ſuſtentatione Vicarii reſeruata. Et cùm Lateranen. Concilij ſtatuta prohibeant Eccleſiis nouam imponi, vel augere veterem penſionem, poſtulas edoceri, an Epiſcopus valeat religioſis conſentiente patrono totam Eccleſiam, vel de nouo conferre aliquam portionem? Ad quod breuiter reſpond. quòd ſalua conſtitutione Canonica de concedenda piis locis quinquageſimaportione, neque primum, neque ſecundum potuit facere Epiſcopus (niſi de licentia Rom. Pont.) præter Capituli ſui voluntatem.

HÆc Decretalis eſt pars *cap. Paſtoralis. infrà, de donat.* Quæſitum eſt an Epiſcopo liceat ſine conſenſu Capituli, vel ſine auctoritate Summi Pontificis Monaſterio concedere totam Eccleſiam, vel partem eiuſdem, vel obuentiones ipſius Eccleſiæ, de conſenſu Patroni. Ratio dubitandi erat, quòd auctoritate Dionyſij parœciæ fuere limitatæ, id eſt, parœciarum fines diſtincti, *can. Eccleſiarum.* XIII. *qu.* I. ac proinde non poteſt Epiſcopus conuellere terminos parœciarum. Item ex Conc. Lateranenſi Eccleſiis nouus cenſus imponi, vel antiquus augeri non poteſt, *cap. prohibemus, infrà, de cenſib.* Ergo non poteſt ſtatus Eccleſiarum mutari; nec quicquam præſtat conſenſus Patroni, quia Patronus nihil iuris habet, præter ea quæ reſeruata ſint in limine fundationis. *can. nouerint.* X. *qu.* I. *can. Eleutherius.* XVIII. *qu.* II. *cap. preterea. de iure Patronat.* Et Patronus non poteſt Monaſteriis vel Canonicis regularibus concedere Eccleſiam, in qua habet ius Patronatus, ſine conſenſu Epiſcopi, vel Summi Pontificis. *cap. nullus. eod. tit.* Conſultus Pontifex reſpondit, Epiſcopum ſine conſenſu Capituli, vel auctoritate Summi Pontificis, non poſſe Eccleſiam in totum vel ex parte concedere Monaſterio: ait ſine conſenſu Capituli, vel auctoritate Summi Pontificis; in disjunctiuis enim alterum ſufficit, & auctoritas Summi Pontificis ſupplet vicem Capituli, propter plenitudinem poteſtatis quâ gaudet Summus Pontifex. *cap. propoſuit, ſuprà, de conceſſ. prebend. cap* II. *de prebend. in* VI. Et hac in re ſufficit conſenſus Epiſcopi & Capituli, *d. cap. Paſtoralis, de donat.* Sequitur, ſaluâ conſtitutione canonicâ de concedenda piis locis quinquageſima portione, intellige *can. bonæ memoriæ.* XII. *qu.* II. ex quo Epiſcopus non poteſt conferre Monaſterio vltra quinquageſimam cenſus matricis Eccleſiæ.

TIT. XI. *De his quæ fiunt à maiori parte Capituli.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. AVGVSTEN. PRÆPOSITO.

EX ore ſedentis: .·.·. Accedentibus ad præde. no. T. ac B. Auguſten. Canonico pro quæſtione, quæ inter vos ſuper præpoſitura Auguſten. Eccleſiæ vertebatur: ex parte ipſius B. fuit propoſitum, quòd pater eiuſdem à C. præd. no. Decano & Capitulo Auguſten. literas obtinuit deſtinari, vt intra ſpatium menſis vnius eumdem, eligerent & adſumerent in Præpoſitum Auguſten. in ſignum inueſtituræ anulo aureo deſtinato, & quibuſdam mandati Apoſtolici executoribus conſtitutis. Capitulum memoratum, cùm audiſſet quòd E. quondam eorum Præpoſitus in Epiſcopum Brixien. electus & confirmatus fuiſſet: licèt dictas literas recepiſſent, in contemptum tamen earum adſignato priùs termino, intra quem ipſi deberent ſuper mandato Apoſtolico reſpondere, H. tunc Auguſten. Decanum in Præpoſitum elegerunt: .·.·. Quia (verò) legitimè conſtitit, quòd prædictus B. de præpoſitura non fuit aliquatenus inueſtitus, etſi mandatum fuerit, vt de ea inueſtiretur: de qua etiam ſi inueſtitus fuiſſet, inueſtitura eius per præd. no. certâ fuit ratione caſſata: quæ nec etiamſi caſſata fuiſſet, per hoc, quòd dicto H. reuerentiam exhibuit, quæ debetur Præpoſito, iuri ſuo renunciaſſe videtur: nos adtendentes ſibi de iure non potuiſſe competere, vt per adpellationem ob id interpoſitam, communem ordinationem Eccleſiæ impediret, intelligentes etiam te à maiori parte tam dignitate, quàm numero eorum, quos eligendi ius conſtabat habere, electum fuiſſe canonicè in Præpoſitum: electionem tuam auctoritate Apoſtolica confirmamus, præfato B. ſuper præpoſitura ſilentium imponentes.

HÆc Decretalis integra petenda ex Innocent. III. epiſt. CCLXXXVI. lib. I. huius ſpecies hæc eſt. Vacante Præpoſitura Auguſtenſis Eccleſiæ: Auguſta Vindelicorum vrbs Epiſcopalis Ger-

maniæ à Druso instaurata, cui nomen ab Augusto, priùs Vindelica dicta, Gallis *Ausbourg*: Otto Frisingens. Chronic. lib. III. cap. III. *Hic Drusus Moguntiam in Gallia, & Augustam in Rhetia, quæ antea Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam fundasse vel instaurasse dicitur.* Vacante inquam præpositura Augustensi promotione Præpositi, qui electus erat in Brixiensem Episcopum, & confirmatus ac de Regalibus inuestitus, vt habetur in ipsa Decretali in III. collect. Per promotionem ad Episcopatum vacant cæteta beneficia, quæ antè promotus obtinebat, *cap. cùm in cunctis. §. si verò. de elect. cap. cùm nostris. de concess. prabend.* Celestinus III Pontifex mandauit Capitulo Augustensi, vt Bernardum in Præpositum eligerent; & in signum inuestituræ annulum aureum ei destinauit: Capitulum spreto Pontificis mandato Henricum Decanum Ecclesiæ suæ elegit in Præpositum, quòd prædictus B. per missionem annuli ritè iouestitus non videretur. Inuestitura non fit per missiooem, sed per traditionem annuli. *cap. proposuit. suprà, de con ess prabend cap. cùm olim. de re iudicat* Et quantumuis rectè inuestitus foret, eiusdem iouestitura per ipsum Celestinum fuit in irritum reuocata, certâ ratione; oempe, quod supplendum est ex fide gloss., quia in minoribus erat constitutus ordinibus; tum quia idem prædicto Henrico quasi Præposito reuereotiam exhibendo iuri suo renunciasse tacitè videbatur: mox verò defuncto Henrico Capitulum elegit Tanctedum de consensu maioris partis tam dignitate quàm numero: quocirca Innocentius III. proximus successor Celestini confirmauit electionem, infrà, in Præpositum, prædicto B. sileotio dicto. Valet electio quæ fit à maiori & saniori parte Capituli: maior autem pars dicitur, non solùm quæ præstat numero, sed & dignitate. *cap. dudum. de elect.*

CAPITVLVM IV.

IDEM.

EX parte tua nobis fuit, frater Archiepiscope, intimatum, quòd ad restaurandam fabricam Rothomagen. Ecclesiæ tractatum communiter habuistis, te postulante vt quilibet Canonicorum tecum pariter aliquam suorum redituum portionem operi tam pio & necessario deputaret: .·.·. Statuimus, vt si quis vestrûm tuis, frater Archiepiscope, & maioris & sanioris partis Capituli statutis super hoc duxerit resistendum, obtineat sententia plurimorum.

HÆc Decretalis integra edita est apud Innocent. III. lib. I. epist. ccxcv. Huius summa hæc est; Walterus Rothomagensis Archiepiscopus, cui hoc cap. inscribitur in iotegra, cum Capitulo tractatum seu coosilium habuit, vt siognli Canonici partem redituum conferrent in fabricam Rothomagensi Ecclesiæ. Contradicentibus ooonullis Canonicorum Pontifex decernit, vt si quis statuto Archiepiscopi & maioris & sanioris partis Capituli aduersetur, obtineat senteotia plurimorum. Quod maior & sanior pars Capituli statuerit, perinde est ac si omnes statuissent, *cap. I. h. tit.* & ita quod à maiori parte Curiæ (hæc est Senatus municipalis) fuerit constitutum, perinde est ac si totius Curiæ consensu esset sancitum, *l. quod maior. ff. ad Municipal. l. aliud. de R. I. l. nominationum. C. de Decur. lib.* X. Ciuitas vel collegium est maior pars ciuitatis seu Collegij, Aristotel. lib. IX. Ethicor. cap. VIII. ὥσπερ δὲ καὶ πόλις τὸ κυριώτατον μάλιστ' εἶναι δοκεῖ, καὶ πᾶν ἄλλο σύστημα, οὕτω καὶ ἄνθρωπος. *Quemadmodum pars præcipua ciuitatis, ciuitas esse videtur, sic & de quolibet conuentu & homine.* Beneficiari tenentur contribuere ad instaurationem Ecclesiæ. *cap. I. de Eccles. ædific.* quod verum est, si tertia vel quarta decimarum quæ destinata est fabricæ, non sufficiat operi, *can. vnio. X. qu. III. can. vobis. can. Vulterana XII. qu. II.*

TIT. XII. *Vt Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. MEDIOLANEN. ARCHIEPISCOPO.

VT nostrum prodeat de vultu Dei iudicium: .·.·. Præterea proponebas, quòd cùm nullus debeat sine accusatore damnari, nec aliquid circa negotium illud sit actum in forma iudicij, depositiones testium non poterant tibi præiudicium generare. Quia verò hæc allegatio personam nostram tangere videbatur, dignum duximus causam commissæ inquisitionis & ordinem pleniùs explicare, ne quis quomodolibet suspicetur, quòd nos in hoc negotio perperam processerimus: præsertim cùm ratio adsignanda debeat esse posteris profutura. Cùm enim iuris sit explorari, quòd actore non probante is, qui conuenitur, ètiam si nihil præstiterit, debet absolui: videri

Poterat, quòd nos tibi, qui conueniebatis à nobis, malitiosè vel indiscritè onus probationis super tribus præmissis articulis imposuimus: videlicet vt ostenderes, quòd prædictam Cancellariam personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti donasses. Porrò cùm donatio fuisset occulta, & ideo suspicione non careat, & elapso iam anno nullus Cancellarius omnino adpareat: non immeritò credebamus, quòd secundùm Lateranen. Concilij statuta ad nos esset ipsius Cancellariæ donatio deuoluta, & ideo potuissemus ipsam sine culpa conferre: quoniam etsi locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis potuimus diuinare. Quia ergo contra illud, quod prima facie iustè præsumebatur pro nobis, præsertim cùm responderis prima vice, quòd Cancellariam alicui non contuleras, facultatem tibi pro te probandi concessimus: non fuit grauamen, sed gratia: nec ex malitia, sed ex benignitate processit. Quòd etiam de modo canonico fidem nobis fieri mandauimus, tu causam præstitisti mandato, qui sæpe nobis per literas tuas intimasti, & tandem probasti per testes, quòd retentis tibi prouentibus, officium concesseras memoratum: ex quo non immeritò in talem concessionem fuimus suspicati. Et ideo nos, qui non tam ex plenitudine potestatis, quàm ex officij debito possumus & debemus de subditorum excessibus ad correctionem inquirere veritatem, te maximè causam & occasionem præstante, inquisitionem commisimus faciendam. Omnibus ergo diligenter auditis, te in tribus comperimus fuisse culpabilem, circa contrarietatem responsi, quia non solùm nobis, sed nec cuiquam debuisses ex certa scientia contraria respondere. Circa carnalitatem animi, quia non ex adfectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in persona magis idonea dispensare. Et circa inhonestatem facti, quia non licuit ex pactione vel conuentione quacunque, sub modo vel tenore præscripto concedere nudum officium, & tibi retinere prouentus: cùm in Lateran. Concil. prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem prouentuum suis vsibus retinere præsumat, & alibi cautum reperiatur in Canone, quòd Ecclesiastica beneficia sine diminutione debent conferri. Vnde credimus distinguendum, vtrum qui dat spirituale beneficium, prouentus ipsius ante donationem percipiat. Nam si prouentus ante donationem non perceperit ipse sed alius, & ex donatione consequatur vt ipse prouentus percipiat, non est dubium circa hæc intercedere simoniacam prauitatem. Si verò ante donationem perceperit ipse prouentus, credimus distinguendum, vtrum ante donationem constituat, vt ipsi prouentus retineantur ad tempus pro causa iusta & necessaria: aut conueniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocumque, vt officio illo concesso retineat ipse sibi prouentus. Primum enim membrum credimus esse licitum. Secundum autem dicimus non licere: ne viam aperiamus his, qui prauitatem suam satagunt palliare.

HÆc Decretalis integra legitur apud Innocent. III. lib. 1. epist. cccLXIII. Eius particulæ sunt *cap. vt nostrum. de offic. Archid. & cap. vt nostrum de appellat.* Huius cap. species hæc est. Innocent. III. non immeritò credens Cancellariam Mediolanensis Ecclesiæ vltra annum vacasse, ita vt eius collatio ex Conc. Lateranensi ad se esset deuoluta, mandauit Archiepiscopo Mediolanensi vt ipsam conferret H. subdiacono suo. Archiepiscopus variâ responsione vsus, primùm respondit, quòd Cancellariam cuipiam non contulerat, retentis sibi reditibus eiusdem, propter molem æris alieni: tum sibimet contrarius respondit, quòd iam contulerat Cancellariam retentis sibi reditibus, ob prædictam causam æris alieni. Varietate & pugnantiâ responsionum commotus Pontifex, Archiepiscopo imposuit onus probationis, videlicet vt probaret, quòd prædictam Cancellariam contulisset personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti, id est, intra sex menses qui Ordinario dantur ad conferendum ex Conc. Lateranensi, *cap. nulla. de concess. prabend.* Archiepiscopus per testes probauit, quòd Cancellariam contulerat, retentis sibi reditibus, & collatio fuit occulta, id est, clàm & secretò facta, & idem fassus est Archiepiscopus per literas. Itidem fuit probatum quòd Archiepiscopus eumdem inuestierat de officio Cancellariæ per traditionem sigilli, *cap. vt nostrum. suprà, de appellat.* Inuestitura Cancellariæ fit per traditionem sigilli, quia custodia sigilli Ecclesiæ pertinet ad officium Cancellarij. Vt & Abbatis depositio fit per sigilli fractionem, quod est insigne dignitatis Abbatis, Matth. Paris ad ann. MCCXIV. *Illis diebus per prædictum Legatum depositus est Radulfus de Arundel Abbas Vvestmonasteriensis in crastino S. Vincentij per N. Abbatem de Vuestham, missum ex parte Legati, fracto ipsius sigillo in Capitulo.* Quod iisdem ferè verbis exscripsit Matth. Westmonaster. Ad hæc Archiepiscopus respondebat quòd testes recepti non debebant ei nocere, quia nihil actum erat in forma iudicij. Pontifex vt processus sui rationem purgaret, præsertim m

ratio

ratio adsignanda sit posteris profutura, id est, vicem legis obtinere debeat. Iussit de prædictis inquisitionem fieri, videlicet, de idoneitate personæ, de modo collationis, & tempore licèt sine culpa ait se potuisse conferre Cancellariam quasi vacantem, & iure deuoluto collatione ad se spectante, cùm collatio, quæ dicebatur facta, fuisset occulta, & ob id suspicione non careret. Dolus præsumitur in his quæ clanculùm fiunt. *l. vlt. ff. de rit. nupt.* Collatio beneficij debet fieri palàm per instrumentum publicum coram Notario & testibus, aliàs non probat in fraudem prouis. Apostolici *cap.* II. *de offic. ordin. in* VI. Suspicionis etiam idoneum argumentum fuit, quòd anno iam elapso nondum vllus Cancellarius appareret, nihil erat quod imputaretur Pontifici, cur contulerit Cancellariam, quam non immeritò vacare credendum erat; nemo enim tenetur diuinare. Quòd ergo Pontifex probationem admisit contra præsumptionem iuris, non fuit grauamen, sed potiùs gratia. Contra præsumptionem iuris, non admittitur probatio in contrarium. *l. vlt. C. ad Maced. l. vlt. C. arbitr. tutel.* Quòd præsumptio iuris habeat vim probationis probatæ: quòd etiam de modo, seu forma collationis fidem fieri mandatum est à Pontifice, non debet queri Archiepiscopus, quòd ipse causam dederit; eo quòd sæpius per literas significauit Pontifici, ac demùm probauit per testes, quòd retentis sibi prouentibus Cancellariam concessit: ex quo non iniuriâ malè suspicatus est Pontifex de huiusmodi concessione: & his mediis rectè concludit Pontifex, se non tam de plenitudine potestatis, quàm ex officiu, id est, iure Magistratus, inquisitionem huiusmodi mandasse faciendam, quòd ad officium Summi Pontificis pertineat, de quibuscumque subditorum excessibus, correctionis causâ, inquirere. *cap. nouit. de iudic.* Rebus diligenter expensis, Archiepiscopum in tribus culpandum comperit Pontifex. Circa contrarietatem responsionum: quia non debuit cuiquam, nedum Pontifici contraria respondere; instrumenta diuersa inuicem pugnantia ab eadem parte prolata rejiciuntur. *l. scriptura. C. de fid. instrum. cap. imputari. eod. tit.* & testes sibi ipsis contrarij non audiuntur. Nou. Iust. xc. *cap.* III. Circa carnalitatem: quia non debuit Archiepiscopus ex affectu carnali officium, vel beneficium Ecclesiasticum conferre: beneficia Ecclesiastica sunt conferenda, non ex affectu carnali, id est, iure consanguinitatis, sed ex meritis, vt *hîc, & cap* I. *suprà. de prabend. cap. nemo. infrà. de Simon. can. Apostolica.* VIII. *qu.* I. Hæreditariam in beneficiis successionem in Ecclesia Aruernensi grauiter notat Hildebert. Cenomanens. *ep.* IV. *Audiuimus autem, & vltrà quàm credi possit, admirati sumus, in vestra matre Ecclesia hareditario iure Canonicas obtineri: perniciosa hac & exharedans hareditas. Canonici namque stipendium est gratia, non hareditatis emolumentum. Perit autem gratia, vbi hareditas principatur: vnde & hareditate Canonicum fieri, exire de Ecclesia est, non Ecclesiam introire.* Circa inhonestatem, id est, fœditatem & turpitudinem facti, quia non licuit ex pacto vel conuentione concedere nudum officium, vel beneficium Ecclesiasticum, retentis fructibus; cùm Lateranense Conc. vetet, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem fructuum suos in vsus retineat. *cap. prohibemus. infrà. de censib.* Et alio Canone cauetur, vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. *can. si quis prabendas.* I. *qu.* III. Quibus coniunge Conc. Turonense, quo vetatur sectio præbendarum. *cap. maioribus, suprà, de prabend.* & Conc. Londinense habitum anno MCCXXXVII. cuius ecce Canon excerptus ex Math. Paris. *Statuentes vt nunquam deinceps in plures personatus, vel Vicarias, vna Ecclesia diuidatur: & qua diuisa sunt hactenus, quàm citiùs se facultas obtulerit, integrentur, nisi forsitan sic instituta fuerit abantiquo, vbi est per loci Episcopum prouidendum, quòd causa redditus, quam Parochia congruis inter eos portionibus & regionibus diuidatur.* Vnde distinguendum, ait Pontifex, vtrum qui contulit beneficium, ipsius fructus ante collationem perciperet. Iure communi fructus vacantium Ecclesiarum reseruantur successori. *cap. cùm vos. de offic. ordin. can. hac huius. can. non liceat.* XII. *qu.* II. Ex consuetudine custodia vacantium Ecclesiarum, & perceptio fructuum pertinet ad Episcopum diœcesanum. *cap. cùm venissens, suprà. de institut.* Si enim collator ipse ante collationem fructus non perceperit, puta ex priuilegio, vel consuetudine, sed alius, & ex collatione, id est, ex pacto tacitè, vel expressè interposito in ipsa collatione fructus consequatur; indubitatum est per hoc contrahi labem simoniæ: si verò collator ante collationem fructus beneficij perceperit, rursus distinguendum ait, vtrùm ante collationem vacantis beneficij constituit, vt retineat fructus ad certum tempus ex iusta & necessaria causa, puta ad soluendum vrgens æs alienum Ecclesiæ, & id licitum esse Ex Pontificio priuilegio Episcopus potest retinere fructus vacantium beneficiorum ad tempus pro solutione æris alieni Ecclesiæ. *cap. tua nobis, infrà. de V. S. cap. si propter. de rescript. in* VI. *cap. si tibi concesso. de prabend. eod.* & apud Innocent. III. lib. I. epist. CXXVI. Sic Cantuariensis Archiepiscopus ab Innocentio IV. impetrauit priuilegium percipiendi fructus vacantium in tota Cantuariensi Prouincia beneficiorum ad septennium, ob leuamen æris alieni. de quo Matth. Paris, & Matth. Westmonaster. ad ann. MCCXLVI. Et in Gallia multis locis, puta in Normannia, in Diœcesi Parisiensi, & aliis, Episcopi, vel Archidiaconi percipiunt fructus primi anni vacantium beneficiorum annatæ, seu deportus nomine, ex priuilegio, vel consuetudine. gloss. in Pragmatic. *tit. de annat.* §. I. *verb. consuetudinis. verb. voluit tamen, & verb. permutationis.* aut collator fructus percepit ex pacto inito cum eo cui contulit beneficium, vel cum mediatore, seu conciliatore collationis, & illud vetitum esse, ne adaperiatur via simoniæ.

Et de casamento quod tenetis, hominium quod debetis, reuerenter et & humiliter offeratis. & Robertus Mootens. in suppl. Sigeberti ad ano. MCLXI. *Caluimontis castrum erat de casamento Hugonis filij Supplicij de Ambasia.* Hioc casameotum quod est feudum, à proprietate, seu allodio rectè distinguit Iuo Carootens. epist. CLXXIV. *Neque scire vtrum hac tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad casamenta eorum, qua tenent potentes homines se & sua fortitudine suâ defendentes.* Casalia verò suot prædia rustica suburbana, Guilielm. Tyr. de bell. sacr. lib. XI. cap. XIX. *Recesserant etiam à nobis per illos dies nostri domestici, & suburbanorum nostrorum, qua casalia dicuntur, habitatores.* & Iacob. à Vitriac. Hist. Occid. lib. I. cap. II. *Non solùm ciuitates & oppida, sed etiam casalia repleuerunt.*

TIT. XVIII. *De locato & conducto.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. ABBATI ET CONVENTVI Sancti Petri de Pratel. Londen. diœce.

VESTRA nobis relatio declarauit, quòd cùm ad firmam fructus vestrarum dare consueueritis decimarum: . · . · . · Diœce. Episcoporum staturo contrario non obstante, vestrarum decimarum prouentus illis liberè locare potestis, cum quibus Ecclesiæ vestræ conditionem poteritis facere meliorem: ita tamen, quòd huiusmodi locatio ad feudum vel alienationem non videatur extendi.

HOc cap. pertinet ad Abbatem & Monachos S Petri de Pratellis Loodinensis diœcesis in Anglia, id oomeo Monasterio, quod à Rogerio de Bellomonte fundatum, io fundo proprio de Pratellis, refert Willelmus Gemeticens. *lib.* VI. *cap.* IV. Monachi huiusce Monasterij, quæ est species breuis, sed obseruatiooe digna huiusce capitis, locarunt ad firmam, id est, sub certo reditu decimas Ecclesiarum suarum, aduersante statuto contrario Episcoporum diœcesanorum. Statutum commune fuit in Anglia, ne decimæ Ecclesiarum aliis locarentur, quàm Clericis, eo fortè consilio introductum, ne à laïcis occasione locationis, decimæ inuaderentur: vnde Clericos firmarios perstriogit Willelmus Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. IV. *Nullus diues nisi nummularius, nullus clericus nisi causidicus, nullus clericus nisi, vt verbo parum Latino vtar, firmarius.* Idémque statutum io Synodo Londinensi habitâ anno MCCXXXVII. ab Ottooe Cardinali & Legato Sedis Apostolicæ in Angliam misso ad reformandum statum Ecclesiæ, apud Matth. Paris. *Cùm laïcis Ecclesias dari ad firmas sit penitùs inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis qua afferre consueuit periculum Ecclesiis, posset esse damnosum, vtrumque districtiùs inhibentes statuimus, vt nec laicis vnquam, nec personis etiam Ecclesiasticis vltra quinquennium Ecclesia ad firmam concedantur, nec finito quinquennio retineantur eisdem, nisi priùs ipsas habuerint alij mediatè: Et vt omnia sint in tuto, pracipimus, vt prasentibus Episcopis, vel Archidiaconis firmaria fiat conuentio, ex qua plures litera conscribantur, quarum vna remaneat penes ipsos.* Consultus hac de re Pontifex respondit, non obstante statuto cootrario diœcesaoorum, Monachis licere quibuscumque locare decimas, qui meliorem conditiooem obtulerint: dummodo huiusmodi locatio oon vergat io feudum, vel io alieoationem, id est, ooo fiat io perpetuum feudi oomine, ex quo Cooc. Lateraneosi vetita est infeudatio decimarum. *cap. prohibemus, infrà, de decimis*, vel ooo fiat io plures annos. Locatio decimarum vetabatur vltra quinquennium statuto Loodinensi, hodie vltra triennium, *Extrauag. Ambitiosa. de reb. Eccles. non alienand.*

TIT. XIX. *De rerum permutatione.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. SENON. ARCHIEPISCOPO.

CVm olim magister S. & B. archidiaconatum & præposituram adinuicem commutassent: . · . · . Licèt prædictus magister ab initio sponte fuerit de permutatione confessus, idem tamen B. eam inficiabatur omnino, proponens, quòd ipse præposituram sine conditione qualibet resignauit, & post resignationem prædicti magistri archidiaconatum fuerat adsecutus: . · . · . · Cùm ergo nobis constatet quòd ipse B. suum præstiterit permutationi consensum, prædictus autem magister suum publicè fateretur errorem: & hunc præpositurâ, & illum archidiaconatu curauimus spoliare, super hoc definitiuam contra eos sententiam proferentes.

reuersas, potest iterum in feudum dare sine vlla solemnitate, *cap. ex parte, infrà, de feud.* Instauratio feudi non est alienatio, quia feudum per eam non alienatur, sed in pristinum statum reuocatur. *l. 1. §. si quis ædificium. ff. de oper. non nuntiat. l. 11. §. restituas. ff. ne quid in loc. publi.* Quòd si in datione in feudum Ecclesia enormiter læsa sit, restituitur, vt ostenditur in *hoc cap.* quia Ecclesia iure minoris vtitur. *cap. 1. & 11. suprà. de in integr. restit.* Si tamen spectes ius ciuile beneficium. *l. 11. C. de resc. vendit.* non habet locum in contractu emphyteutico, etiam quoad Ecclesiam, quia emphyteusis non est propriè venditio, nec locatio, sed tertium genus contractus. *l. 1. C. de iur. emphyteut.* Et ita olim iudicatum audio in Senatu Tolosano pro Hieronymo Dadino auo meo aduersus Patres Cartusianos Cadurcenses. Ecclesia verò ob enormem læsionem non restituitur cum fructibus medij temporis, quos cedere feudatario pro labore, id est, pro cultura fundi, qui datus erat in feudum, subditur in fine *huius c.* & iuuatur *can. si qua. XII. qu. II.* nec abs iure: bonæ fidei enim possessor, donec euincatur, fructus suos facit, quoniam quoad fructus percipiendos domini loco habetur. *l. qui scit. §. vlt. ff. de vsur.*

CAPITVLVM XII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

CVm laïcis, quamuis religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: dolemus in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem, quòd immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantùm sancti Patres, sed etiam Principes seculares priuilegiis multis munierunt, non formidant suis constitutionibus vel potiùs destitutionibus impugnare, non solùm de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiarum, & vsurpatione iurisdictionum: sed etiam de mortuariis, nec non & aliis, quæ iuri spirituali adnexa videntur, illicitè præsumendo. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis grauaminibus prouidere, constitutiones & venditiones huiusmodi feudorum seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum sine legitimo personarum Ecclesiæ assensu præsumptas, occasione constitutionis laïcæ potestatis (cùm non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non vsurpatio iurisdictionum) sacri adprobatiône Concilij decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram Ecclesiasticam compellendis.

EX Conc. G. Lateranensi habito sub Innocent. III. constitutiones laïcorum de alienandis rebus Ecclesiæ, vel de iurisdictione Ecclesiastica, vel de mortuariis, id est, legatis piis, vel aliis, quæ spiritualibus sunt adnexa, puta de iure Patronatus. *cap. quanto. de iudic* non ligant Ecclesiam, non valent contra Ecclesiasticam libertatem: nec venditiones rerum Ecclesiasticarum factæ sine legitimo consensu Episcopi & Capituli, in vim constitutionis laïcorum, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. Ecclesia S. Mariæ, suprà, de constitut.* Ratio est, quòd laïcis, quamuis religiosis, nulla sit potestas disponendi de rebus Ecclesiæ, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, vt eleganter ait Innocent. in *hoc cap.* quod sumptum est ex *can. benè quidem. XCVI. dist. & can. laicis. XVI. qu. VII.* Cognitio de mortuariis, id est legatis, & aliis voluntatibus piis, pertinet ad Episcopum. *l. hereditas. ff. de petit. hered. l. nulli. de Episc. & Cleric. cap. III. infrà. de testament.* Et ita cognitionem de eleemosynis, id est, donationibus, & legatis piis singulari decreto Iudici Ecclesiastico tribuit Richardus I. Rex Anglorum apud Matth. Paris. *Item nulla fiet recognitio in foro seculari, si chartâ, vel alio modo eleemosynatam esse possessionem viri Ecclesiastici probare poterunt: sed ad Ecclesiasticos Iudices remittuntur, &c.*

TIT. XVII. *De emptione & venditione.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO PALLIONEN.

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm R. laïcus lator præsentium ab M. mutuum recipere voluisset, creditor ne per canonem contra vsurarios editum posset in posterum conueniri, domos & oliuas recepit ab eodem titulo emptionis, cùm reuera contractus vsurarius ageretur: quod patet ex eo, quòd creditor debitori promisit, quòd quandocunque à septennio vsque ad nouennium daret lx. vncias tarenorum, quæ vix dimidiam iusti pretij contingebant, domos eius restitueret & oliuas. Quia igitur fraus & dolus cuiquam patrocinari non debent,

IVRE ciuili fructus pignoris imputantur in sortem. *l. si is qui bona. § 1. ff. de pignorib. l. 1. & II. C. de pigner. act.* nisi pignus eâ lege contractum sit, vt fructus cedant creditori vice vsurarum; quæ conuentio dicta est *ἀντίχρησις*, probatúrque propter incertum euentum fructuum, *d. l. si is qui bona. l. si eâ lege. C. de vsur.* Iure Pontificio id genus pacti reprobatur. *cap. ad nostram. de iureiur. cap. 1. de vsur.* quia id agitur, vt fructus cedant creditori pigneratitio vice vsurarum, quæ omnino sunt vetitæ hoc iure. Duo sunt casus quibus fructus pignoris non imputantur in sortem. Primus ponitur in *hoc cap.* Si Episcopus, quod idem est de domino priuato, feudum Ecclesiæ à M. gageria, seu pignori receperit, pro mutuo datâ pecuniâ, quoscumque fructus medio tempore perceptos suos facit, nec imputat in sortem, ita vt interim debitor sit liber & solutus ab onere seruitij, quod feudi nomine debetur. Feudum datur pro fidelitate & seruitio militari. *cap. 1. §. in primis, in quib. caus. feud. amitt.* 1. feud. Nostri bannum vocant, quod munus militiæ est XL. dierum priscis moribus Galliæ, Capitular. Caroli M. addit. IV. cap. LXXX. *Super XL. noctes sit bannus recisus.* Matth. Paris ad ann. MCCXXVI. vbi de obsidione Auenionis per Ludouicum VIII. *Vbi venit ad eum Henricus Comes Campaniensis, cùm iam XL. dies in obsidione peregisset, petens de consuetudine Gallicana licentiam ad propria redeundi.* Et idem ad ann. MCCXXX. *Qui omnes impetratâ licentiâ à Rege Francorum, completis in obsidione Andegauia quadraginta dierum excubiis reuersi sunt in patriam suam.* Cruce signatis aduersus Albigenses idem fuit terminus sacræ expeditionis, Petrus Valissern. hist. Albig. cap. LXIII. *Peregrini siquidem qui erant cum eo, peractâ quadragenâ suâ in exercitu, volebant ferè omnes ad propria remeare.* & idem cap. LXX. *Episcopi autem remanserunt Murelli, die tertiâ ad propria reuersuri, suam enim peregrinationem diebus quadraginta laudabiliter, vtpote per omnia laudabiles expleuerant, cum labore magno & expensis.* Ita verò militare obsequium est de natura seu lege feudi, vt feudum ipsum seruitij appellatione contineatur. Helmold. hist. Slau. lib. I. cap. LV. *Comitiam eius, vrbes & seruitia Henricus de Baterida beneficio Adalberti assecutus est,* & Adamus Bremens. lib. IV. cap. IX. *Castra autem & seruitia eius ab hostibus direpta sunt.* Si fundus pignori datus, vt eò redeam, sit de feudo creditoris qui mutuam pecuniam dedit, fructus medij temporis non imputantur in sortem: quia cedunt domino feudi mutuum danti; non ratione mutui, nec vice vsurarum, sed pro seruitio quod vassallus debebat nomine feudi: neque fit iniuria clienti, cùm interim soluatur ab onere seruitij, quod debetur pro feudo, éstque repensatio fructuum feudi; vnde si vassallus vocatus ad delectum non respondeat, pro seruitio præstat partem fructuum eius anni, quo suscepta est expeditio, *cap. 1. §. similiter. de Capitul. Corrad.* quod metricè reddidit Gunterus Ligur. lib. VIII.

Publica militia vassallus munera iusta
Non renuat, dominique libens in castra vocatus
Aut eat, aut alium pro se submittat iturum
Arbitrio domini, vel quem laudauerit ille
Compenset, redimátque suum mercede laborem.

Et hanc partem fructuum, quæ pro seruitio præstatur, Hostenditias dix're, quòd sit redemptio militiæ, id est onus vassalli qui in hostem seu expeditionem non ierit, *d. §. similiter.* Hostem enim pro exercitu ea ætas dictitauit. Capitul. Carol. M. lib. 1. cap. CXXI. *Et quæ in hoste factæ sunt traditiones,* & Aimoio. lib. V. cap. XXII. *Sarraceni de Barra egredientes, & hostem Ludouici post tergum sequentes.* quod respondet vernaculè *l'ost.* Alter casus est in *cap. salubriter, infrà, de vsur.* Si socer genero pro dote numerandâ (sic lege, non numeratâ) prædia quædam obligauerit pignori, fructus non imputantur in sortem, quia in hac specie fructus non sunt vice vsurarum, sed mariti lucro cedunt propter onera matrimonij. *l. si is qui Stichum. §. 1. ff. de iure dot.*

CAPITVLVM II.

IDEM MEDIOLANEN. ARCHIEPISCOPO.

EX parte tua nostro est Apostolatui reseratum, quòd sæpiùs dubitasti vtrum cùm contingit vasallum tuum decedere, & ad te feudum ipsius redire, feudum eius aliis liceat tibi dare, quamuis iuramento tenearis astrictus, non infeudare de nouo, Romano Pontifice inconsulto? Ad hæc si vasallum tuum feudum alienare contingat, an ipsius filium vel consanguineum eiusdem feudi consortem de ipso valeas inuestire? Alia quoque dubitatio continebat, vt cùm feudum alienatum repereris, quod per te facilè recuperare non potes: vtrum possis alicui laïco in feudum illud concedere, qui & illud recuperet, & in feudum per Ecclesiam recognoscat? . . . In primo ergo casu feudum decedentis liberè, si videris expedire, concedas: atque in secundo filium, vel consanguineum alienantis inuestiens: in tertio feudum alienatum poteris ei licenter concedere, per quem ipsa Ecclesia valeat rehabere.

HOc caput continet tria capita seu responsa ad consultationem Mediolanensis Archiepiscopi. Primum est, quòd feudo ad se reuerso morte vassalli, finge datum ad vitam, Episcopus non obstante iuramento de non alienandis seu infeudandis de nouo rebus Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, non prohibetur idem feudum de nouo infeudare. Res solita in feudũ dari, potest rursus in feudum dari

ſine ſolemnibus & ſine metu periurij, quia inſtauratio feudi non eſt alienatio, ſed actus pertinens ad adminiſtrationem, *cap. vt ſuper. de reb. Eccleſ. non alienand. cap. per tuas. de donat.* Ita non obſtante iuramento de non alienandis rebus Eccleſiæ, Epiſcopus non prohibetur nouam Eccleſiam ædificare & eamdem de rebus Eccleſiæ dotare ſi opus fuerit, *cap. vlt. de Eccleſ. ædificand.* Iuſiurandum de non alienandis rebus Eccleſiæ non impedit alienationem neceſſariam quæ fit pro dote Eccleſiæ, quæ propter loci diſtantiam vel plebis incrementum ædificanda eſt, ex neceſſitate, non aliter; atque prohibitio alienationis non arcet alienationem neceſſariam, quæ fit æris alieni hæreditarij ſoluendi cauſâ, *l. filius f. §. Dini. ff. de legat.* 1. Secundum reſponſum eſt, quòd ſi vaſſallus feudum alienauerit, inconſulto ſe. domino, quo caſu feudum amiſſum reuertitur ad dominum, Conſtitur. Lotharij III. & Frideric. I. II. feud. cap. LVI. & LV. Non obſtante iuramento de non alienandis rebus Eccleſiæ Epiſcopus poteſt ipſius filium vel conſanguineum eiuſdem feudi conſortem de eodem feudo inueſtire. Inſtauratio feudi ſemel commiſſi non eſt propriè alienatio, ſed remiſſio iuris; dominus qui vaſſalli filium vel proximum ſtatim inueſtit de feudo ſibi commiſſo, nihil alienat, ſed non acquirit, quatenus acquirendi occaſione non vtitur, *l. item ſi res. §. 1. ff. de alien. iudic. mut. cauſ. fact. l. quod autem ff. quæ in fraud. credit. l. non alienat. de R. I.* Tertium eſt, quòd ſi Epiſcopus feudum alienatum per ſe reuocare non poteſt, non vetatur idem infeudare potentiori, per quem Eccleſia valeat id reuocare: neque obſtat quòd alienatio in potentiorem facta non valet, *l. I. II. & III. ff. de alienat. iudic. mut cauſ. fact.* Et ne quis potentiorum titulos prædiis, quorum nomine conuenitur, imponat, vetitum eſt *l. vnic. C de his qui potentior.* quia huiuſmodi alienatio quæ fit in potentiorem ab Eccleſia, non fit dolo aduerſarij vexandi gratiâ, ſed vt conſulatur Eccleſiæ quæ eſt viribus impar aduerſus potentiorem. Potentioribus pares eſſe non poſſumus, *d. l. III. ff. de alienat. ind. mutand. cauſ.* Et Epiſcopus poteſt poſtulare à Principe defenſorem Eccleſiæ ſeu *ἔκδικον* aduerſus potentiores. *can. ab Imperatoribus.* XXXIII. *qu.* III.

TIT. XXI. *De pignoribus, & aliis cautionibus.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. G. SVBDIACONO NOSTRO, ET P. CANONICO PIS.

ILLO vos credimus ſcientiæ dono vigere: . . . Sanè *per veſtras literas* intimaſtis nobis, quòd cauſam, quæ vertitur inter H. & B. filios G. de Coſa ex vna parte, & G. filiam T. & hæredes ipſius ex altera, ſuper quibuſdam terris præfatis perſonis pro viginti tribus libris pignori obligatis: vobis duximus committendam: . . . Ex parte prædictæ G. & hæredum eius fuit propoſitum, terras, quas iidem H. & B. repetebant, ab eis non eſſe pignori obligatas, ſed purè venditas: ſicut in inſtrumento confecto exinde continebatur. Præfatus verò H. pro ſe ac fratre ſuo firmiter adſerebat terras non eſſe purè venditas, ſed pignori obligatas: cùm venditioni prædictæ talis fuerit adiecta conditio, vt ſi à tempore contractus vſque ad duos proximos annos præfato T. emptio diſpliceret, G. pater H. abinde vſque ad annum viginti ſex libras (perceptis fructibus computatis in ipſis) dare deberet. Verùm, quia ambigitis vtrùm pura ſit & abſoluta venditio, an præfatus contractus pignus debeat iudicari: Reſpondemus, quòd qualiſcunque fuerit intentio contrahentium, & ex forma contractus venditio non appareat conditionalis, ſed pura: quamuis per conditionem poſſit reſolui, ex duobus tamen, quæ in pacto fuerunt expreſſa, videlicet quòd fructus percepti deberent in ſoluenda pecunia numerari, & quòd vltra ſummam receptam lx. ſolidi deberent perſolui, contra ipſum emptorem præſumitur vehementer, præſertim cùm vſuras conſueuerit exercere.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt. Lis ſeu quæſtio erat coram iudicibus delegatis, inter H. & B. filios G. de Coſa ex vna parte, & G. filiam Theobaldi & hæredes ipſius ex altera, ſuper certo prædio pro XXVI. libris pignori obligato. Libra conſtat XX ſolidis. Annal. Francor. ad ann. DCCCLXXXII. *in auro & argento bis mille libra, & LXXX, vel paulò plus, libra per viginti ſolidos computata.* Ex parte prædictæ G. & hæredum eius qui litem cœptam à defuncta proſecuti erant: alioqui abſurdum eſſet ſuperſtiti hæredes adſcribere. viuentis non ſunt hæredes, nulla eſt hæreditas, *l. I ff. de hæred. vel act. vendit.* E parte, inquam, prædictæ mulieris & hæredum ipſius poſt eam proponebatur terras quas iidem H. & B. repetebant, non eſſe ab eis pignori obligatas, ſed purè venditas, prout inſtrumento hac de re condito contineri affirmabant. Præfatus verò H. tam ſuo quàm fratris nomine contendebat, terras non eſſe purè venditas, ſed pignori obligatas, cùm emptio venditio facta fuiſſet ſub conditione, vt ſi intra biennium emptio diſpliceret præfato Theobaldo patri mulieris, G. pater H. mulieri intra annum XXVI. libras præſtaret, fructibus medij temporis computatis in ipſis. Verùm quia ambigebatur vtrùm eſſet pura venditio, an contractus pigneratitius? reſpondit Pontifex ex forma contractus, id eſt,

ſi

si spectes formam contractus, venditionem non esse conditionalem, sed puram: licèt possit resolui sub conditione emptio facta sub conditione, vt si intra tempus displiceat res, inempta sit, ab initio est pura, sed sub conditione resoluitur. *l. III. ff. de contrah. empt. l. si prædium. C. de adil. act.* sed ex duobus quæ pacto continentur, videlicet quòd fructus percepti imputentur in sortem, & vltra sortem LX. solidi debeant persolui, vehementer præsumi contra ipsum emptorem; pactum sc. de imputandis fructibus in sortem est contra naturam venditionis, quamuis factæ sub pacto de retrovendendo: si quis enim rem emerit sub pacto de retrovendendo, interim fructus luctatur, donec pecuniam suam recipiat, *l. II. C. de pact. inter empt. & vendit.* sequitur maximè, si emptor esset solitus fœnerari, spectatur consuetudo fœnerandi, *l. qui semisses. §. vlt. ff. de vsur.* spectatur consuetudo patrisfamilias, *l. nummis. ff. de legat. III.* Facilè de vsura præsumitur contra eum qui solet fœnerari. Erant fœneratores, qui fœnus velut artem, & mercaturæ seu negotiationis genus exercebant, eóque nomine vectigal fisco pendebant. Augustin. in Psalm. LIV. *Fœnus & professionem habet, fœnus etiam ars vocatur: corpus dicitur, corpus quasi necessarium ciuitati, & de professione sua vectigal impendit.* Fœnus in commercio habuere maximè Itali, Matth. Paris ad ann. MCXCVII. *Istis diebus surrexit in Francia quidam prædicator egregius, per quem Dominus virtutes palàm operari dignatus est, qui vsuram in Francia maximè conatus est extirpare: quæ vsura in Francia ab Italia transiens nimis pullulauerat, & nobile regnum Francorum i..m maculauerat.* Id genus fœneratores Transalpinos Caursinos, quasi canibus & vrsis comparandos ob sæuitiam in debitores vocitauit ea ætas. idem Matth. Paris ad ann. MCCXXV. *Inualuit autem his diebus adeò Caursinorum pestis abominanda, vt vix esset aliquis in tota Anglia, maximè Prælatus, qui retibus illorum iam non illaquearetur.* Et post multa. *Talibus igitur inextricabilibus vinculis debitores suos Caursini constringebant, qui vt verbo alludamus, verè Caursini, quasi causantes, vel capientes, & Vrsini nuncupantur.*

CAPITVLVM V.

IDEM EPISCOPO AQVINATI.

EX literis tuæ fraternitatis accepimus, quòd causam quæ vertitur inter R. & A. mulierem, tibi duximus committendam: . ·. ·. Si quidem probatum est, quòd pro facinore à marito prædictæ mulieris commisso, eo fugam petente, tam frater mariti, præfatus videlicet R. quàm ipsa mulier (licèt minùs iustè) à regio iusticiario capti fuerint, & de ipsius mandato bonorum omnium delinquentis facta distractio, & soluta pecunia mercatori, qui à marito mulieris vulneratus fuerat, & rebus propriis spoliatus, sed quædam possessiones illius penes eumdem R. remanserant: quas idem de mandato curiæ retinuit, solutâ pro eis pecuniâ prædicto mercatori, quia emptor alius propter possessionum minutias non extabat. Pars verò mulieris æstimationem dotis instantiùs petebat sibi restitui, vel in possessiones, quæ mariti fuerant ex officio delegationis induci: . ·. ·. Mandamus, quatenus si tibi constiterit ex his, quæ in præsentia tua fuere proposita & probata, quod mulier dicit viro dedisse in dotem, & prædictum R. de bonis fratris aliqua possidere: cùm mulieribus fauor multus in recuperandis dotibus debeatur, & cautum sit in iure, quòd propter maleficium viri mulier remanere non debeat indotata: cùm etiam bona viri mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem: R. prædictum eidem mulieri ad restitutionem dotis eatenus condemnes, quatenus de bonis fratris sui præfati noscitur possideri.

HVIVS cap. species hæc est. Marito mulier in dotem dedit X. libras Tarenorum, quod est nummi Barbarici genus. *cap. ad nostram, suprà, de empt. & vendit.* Publicatis & distractis bonis mariti ob eius delictum, nempe ob malum inflictum mercatori, mulier petebat sibi dotem restitui, & eo nomine agebat hypothecaria aduersus fratrem mariti, quem nacta est possessorem quorumdam bonorum mariti. Econtrà frater mariti excipiebat, se ea possidere auctore iudice pro pecunia soluta prædicto mercatori in pœnam delicti, eáque sibi addicta, cùm alius emptor non inueniretur propter possessionum minutias. Consultus Pontifex respondit, si appareat de dote numerata, mulieri pro dote restituenda, dandam esse actionem hypothecariam, etiam in tertium possessorem bonorum mariti, quia mulier non debet carere dote ob culpam vel delictum mariti, *l. I. & II. C. ne vxor pro marito.* tum quia mulier habet tacitam hypothecam pro dote in bonum mariti, ita vt si distracta sint, cum suo onere transierint in emptorem. Ex constitutione Iustiniani mulier dotis causâ habet tacitam hypothecam in bonis mariti, *l. vnic. § I. C. de rei vxor. act.* & priuilegium in tacita hypotheca, vt præferatur omnibus creditoribus hypothecariis anterioribus tacitam, vel expressam hypothecam habentibus. *l. assiduis. C. qui potior in pignor.*

CAPITVLVM VI.

IDEM R. DE MONTE FORTINO.

CVM contra G. ciuem Anagninum super quibusdam possessionibus, quas quondam pater tuus L. de Saul pro certa quantitate pecuniæ obligauerat, & ipsius creditoris hæredes prædicto G. pignorauerant, mouisses in nostra præsentia quæstionem, legitimè probauisti, quòd ex earum prouentibus tantum fuerat tam ab eodem G. quàm ab aliis, qui eas tenuerant, à tempore, quo fuerant obligatæ perceptum, quòd fructus sorti poterant adæquari: Nos igitur attendentes, quòd in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat, cùm secundùm canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari; considerantes etiam, quòd possessiones ipsæ iam extenuassent penitùs totum onus, & debitum annullassent, ipsas tibi restituendas esse decreuimus, & te per nuncium nostrum in possessionem induci fecimus corporalem.

HVIVS cap. species hæc est. Quidam Laurentius nomine pro pecunia mutuo sumpta certa prædia creditori pignori obligauit: mortuo creditore, hæres eius eadem prædia pignori obligauit G. ciui Anagnino; pignus enim pignori dari potest secundo creditori. *l. grege. §. 11. ff. de pignorib. l. 1. C. si pign. pign. dat. sit.* Post mortem L. debitoris R. de Monte Fortino, filius idémque hæres ipsius egit pigneratitiâ de restituendis sibi prædiis pignori obligatis, intendens pignus solutum perceptis fructibus, sorte adæquatâ. Receptis probationibus Pontifex iudicauit pignus restituendum debitori vel hæredi ipsius, cùm fructus percepti iam euacuassent debitum. Quia fructus ex pignore percepti imputantur in sortem; ita vt si peræquent debitum, pignus soluatur, *l. 1. & 11. C. de pigner. act. l. 11. C. de pact. pign. l. v. §. quart. ff. vt in possess. legat.* Fructus pignoris sc. imputantur in sortem, quia in dando pignore non id agitur, vt creditor lucretur fructus pignoris: sed pignus datur pro securitate debiti. Tertull. de Idololatr. *Pecuniam de Ethnicis mutuantes, sub pignoribus fiduciati, iurati cauent, & sic negant.* & Ioannes Chrysostom. homil. LV. ad Antiochen. ἀπαιτεῖ γὰρ ὁ δανείζων, ὁ ὑποθήκην, ὁ ἐνέχυρα, ὁ τὸν ἀντιφωνητὴν, καὶ διὰ τῶν τριῶν ἀσφαλῶς ἐμπιστεύει τὰ ἑαυτοῦ χρήματα. *Postulat enim fœnerans hypothecam, vel pignus, vel sponsorem, atque per tria hæc suam pecuniam tradit.* Fructus inquam pignoris imputantur in sortem, nisi aliud conuenerit: puta, vt fructus vice vsurarum cedant creditori, donec recipiat sortem, quæ conuentio ἀντίχρησις dicitur, *l. si is qui bona. §. 1. ff. de pignorib.* cuius hoc proprium est, vt fructus vice vsurarum percipiat creditor, nec imputet in sortem, etiam si excedant modum vsurarum propter incertum euentum fructuum. *l. si eâ lege. C. de vsur.*

CAPITVLVM VII.

IDEM.

SIGNIFICANTE R. ciue Pisano nobis innotuit, quòd cùm domum suam G. Pisano ciui pro CCL. libris pignori obligasset, ac promisisset præstito iuramento, quòd nisi domum ipsam statuto termino recolligeret, creditorem vlterius super eo minimè molestaret: & intra statutum tempus per certum fidelem nuncium (prout ei videbatur) creditori pecuniam numeratam remisit: quam idem nuncius infideliter agens, sicut ei iniunctum fuerat non persoluit: & postmodum idem R. ab Imperatore detentus dicto G. satisfacere non potuit, vt debuit: . . Cùm igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum: & prædictus R. quantum in eo fuit, iuramenti debitum adimpleuit: cùm per eum, quem certum nuncium esse sperabat, pecuniam remiserit termino statuto, sed in captione detentus satisfacere non potuit creditori. Mandamus, quatenus si est ita, prædictum creditorem, vt sorte contentus, pensionibus pignoris computatis in eam illud præfato R. omni dilatione postpositâ resignet (pacto tali vel iuramento nequaquam obstante) cen. Eccles. cogatis.

HVIVS cap. quod integrum leges apud Innocent. III. lib. 1. epist. XXXIII. species hæc est. Quidam ciuis Pisanus, cui nomen Rubeus G. conciui suo pro mutua pecunia ædes suas pignori obligauit, præstitâ iuratoriâ cautione, vt nisi pecunia solueretur intra diem, pignus iure dominij committeretur creditori. Rubeus intra diem pecuniam misit per nuntium, sed ab eo deceptus, non traditâ creditori pecuniâ, & posteà idem R. captus ab Imperatore nequiuit soluere. Intellige captum ab Otthone IV. quo ab Innocentio III. excommunicato, & deposito, quòd ditiones Ecclesiæ Romanæ inuaderet, & regno Siciliæ inhiaret. Pisani Otthonem infensum habuere, quòd adhærerent partibus Pontificis, & Friderici Regis Siciliæ, vt colligitur ex epistola ipsius Innocent. CXCIII. regist. XII. Idem

posteà Imperatoris custodiâ solutus, cùm paratus esset pecuniam soluere, creditor tuebatur se exceptione hâc, quòd nõ esset soluta ad diem, ex pacto pignus sibi commissum iure dominij. Consultus hâc de re Pontifex respondit debitori restituendas esse ædes pignori obligatas refusâ pecuniâ, etsi non esset soluta ad diem; quia pactum legis commissoriæ in pignoribus improbatur. Huiusmodi pactum non improbatur in emptionibus: puta si conuenerit, vt pecuniâ non solutâ ad diem, res inempta esset, *l.* 1. *& II. ff. de leg commiss. l. Æmilius, ff. de minorib.* etsi Antonino displicuerit *d. l. Æmilius.* In pignoribus verò pactum commissorium reprobatum à Constantino, *l. vlt. C. de pact. pignor.* puta si conuenerit vt pecuniâ non solutâ ad diem, pignus creditori cedat iure dominij; huiusmodi pactum non valet. Ratio diuersitatis est, quia in emptione & venditione, vix damnum sentit emptor, vel venditor si non soluto pretio ad diem, res inempta sit, quia plerumque res veneunt suo pretio: at in pignoribus grauius damnum inferretur debitori, si non solutâ pecuniâ ad diem, pignus committeretur creditori iure dominij, quia plerumque res pretiosiores dantur pignori pro minori pecunia, propter duritiem creditorum, qui vix aliter solent credere pecunias, quàm sub pignoribus, *l. vel vniuersorum. ff. de pigner. act.* Apul. I. Metamorph. *fœnus denique copiosum sub arrabone auri & argenti crebriter exercens.*

TIT. XXII. *De fideiussoribus.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. IN CONC. GENERALI.

QVOD quibusdam Religiosis à Sede Apostolica est prohibitum: volumus & mandamus ad vniuersos extendi, ne quis videlicet Religiosus absque maioris partis Capituli, & Abbatis sui licentia pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat vltra summam communi prouidentia constitutam: alioquin non teneatur Conuentus pro his aliquatenus respondere: nisi fortè in vtilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse. Et qui contra istud statutum venire præsumpserit, grauiori disciplinæ subdatur.

EX Conc. generali Lateranensi vetatur ne quis Religiosus sine Abbatis, & maioris partis Capituli licentia, pro aliquo fideiubeat, vel pecuniam mutuam accipiat, vltra mandatum Capituli: aliàs non teneatur Conuentus ex mutuo ab vno è monachis contracto, nisi mutuum versum sit in vtilitatem Ecclesiæ. Episcopi, Clerici, & Monachi prohibentur pro alio fideiubere, *can. XX. Apostolor. & Nou. Iustin. CXXIII. cap. VI. cap. I. h. tit. & can. te quidem XI. qu. I.* Quod optimâ ratione cautum est, vel vt Clerici & Monachi à turpi quæstu auocentur; quoniam erant qui fideiussores se se lucri causâ, pactâ mercede præstabant, *l. si remunerandi. §. vlt. ff. Mandat.* Et hoc maximè vetari in Clericis, ne fideiubeant quæstus gratiâ, χάριν κέρδους, docet Balsamo *in d. can. Apost.* vel ne Clerici secularibus negotiis se immergant occasione fideiussionis: & hanc ob causam ne Episcopus fideiubeat, vetat auctor Constit. Apostolicar. *lib. II. cap. V.* ὑπὲρ ἐγγυήσεως. π. α., Clerici, & Monachi pro alio fideiubere prohibentur: Abbati tamen licet Monachos obsides dare creditori pro mutua pecunia sumpta in rem monasterij. *cap. ex rescripto. de iureiurand. cap. exposita. de arbitr.* Obsides dico fideiussores, qui se obligarent ad nexum, seu vinculum corporis, vti acceptos lego apud Cæsarium Hesterbachsens. de Miracul. lib. II. cap. XXXIV. vbi narratur de Theobaldo quodam fœneratore Parisiensi, qui ob crimen vsurarum publicè flagellis cæsus est per seruum publicum, ipso proclamante: *Ecce iste, est ille, quem pro suis pecuniis Principatus honorabat; qui filios Nobilium obsides tenebat.* Congruentius tamen est, quòd Abbas pro mutuo sumpto det alios fideiussores: puta fideles, seu vassallos monasterij. Arnulph. Lexou. epist. XII. ad Abbatem S. Ebrulfi: *Propter quòd Hugonis & Drogonis de Cambium grauiter instantia nos infestat, super pecunia, quam prædicto prædecessori vestro, totique Capitulo crediderit, cuius solutionem certum est, ipsum, & Vniuersitatem totam fide per vicarias manus corporaliter interueniente firmasse, ad maiorem quoque cautelam decem de fidelibus monasterij, pari vinculo se nihilominus astrinxerunt, quot scilicet creditorum prouidentia magis idoneos credidit ad soluendum.* In causis publicis Episcopos, vel Abbates fideiussores dari nihil vetat. In pactione, quæ inita est inter Philippum A. & Richardum Regem Anglorum, fideiussores pro Philippo datos Abbates Cluniacensem, S. Dionysij & de Charitate, narrant Matth. Paris, & Matth. Westmonaster. ad ann. MCXCVI. Pro Ludouico Transmarino à Normannis capto se se obsidem tradidit Vindo Suessionensis Episcopus, Flodoardo in Chron. ad an. DCCCCXLIV. Et Walterius Rotomagensis Arch. pro Richardo Rege capto à Leopoldo Duce Austriæ, se obsidem dedit, Guill. Neubrigens. lib. V. Rer. Anglic. cap. XXII. Si Monachus mutuam pecuniam sumpserit vltra mandatum Capituli, Conuentus non obligatur ex mutuo, nisi quatenus versum est in rem monasterij; vt Prælatus non obligatur ære alieno defuncti, nisi contractum sit in vtilitatem Ecclesiæ, *cap. I. de solut.* Et pariter ciuitas non obligatur ex mutuo, nisi pecunia versa sit in vtilitatem ciuitatis, *l. ciuitas. ff. de reb. credit.*

TIT. XXIIII. *De donationibus.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO FLOREN.

PER tuas literas proponere procurasti, quòd cùm quidam nobiles Florentini tempore schismatis Episcopum Florent. in domo sua tenuerunt, idem Episcopus sedatâ schismatis tempestate de mandato Alexand. PP. quatuor modios terræ in feudum concessit eisdem: & successor ipsius (prout est moris) de certo feudo præfatos nobiles inuestiuit. Verùm cùm ipsi adsignatam terram mensurari fecissent: non nisi duos modios inuenerunt, feudum integrari cum instantia postulantes. Super quo dubitas, eo quòd non sunt in possessione ipsius: ne de nouo videaris illud conferre: .·.·.· Nos igitur adtendentes, quòd Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere, respondemus quòd feudum ipsum securè poteris integrare, cùm terra illa quatuor modiorum ipsis fuerit adsignata.

HVIVS capituli species hæc est. Tempore schismatis, subaudi inter Fridericum I. & Alexandrum III. ad quod pertinet *cap. quia diligentia, suprà, de elect. & cap. fraternitati, infrà, de schismatic.* diuisa Italia in duas factiones, Guelfos, & Gibellinos, quorum hi tuebantur partes Alexandri, illi Friderici. Episcopus Florentinus, qui erat bonarum partium, latuit apud nobiles ciues Florentinos, quæ ciuitas in partes diuisa erat. Composito schismate idem Episcopus de mandato Pontificis in gratiam accepti beneficij quatuor modios terræ in feudum eisdem concessit quod rectè factum est Res Ecclesiæ possunt alienari in laïcos ob bene merita in Ecclesiam, *can. possessiones.* XVI. *qu.* I. Et successor ipsius de recto feudo, sic lege, vt in III. collect. non de certo feudo. Rectum feudum dicitur, quod rectè constitutum est, & seruatis solemnibus quæ desiderantur in alienatione rerum Ecclesiæ, *cap. vt super, de reb. Eccles. alienand.* Verùm cùm ipsi minorem fundi modum deprehendissent, petebant sibi fundum integrari, id est, quod deerat impleri. Consultus Pontifex respondit feudum securè integrari posse, quia Ecclesia in actibus suis fraude carere debet. Ecclesia, quæ est cultrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri. *cap. si clientulus. de alienat. feud.* I. *feud.* nec videtur de nouo concedi, seu alienari quod suppletur. Integratio feudi non est alienatio, seu concessio de nouo: sed executio seu implementum prioris concessionis, cuius fidei standum erat: eadem est ratio feudi, quæ venditionis, in qua si modus agri dictus sit, venditor modum agri præstare debet, *l. qui fundum. §. qui agrum. ff. de contrah. empt.*

CAPITVLVM VI.

IDEM R. DE BVRG. ET G. BERBVR. ABBATIBVS.

CVM dilecti filij Abbas & Monachi de Melios proposuerint coram nobis, quòd nobilis vir Alanus quasdam terras à patre ipsius, eorum Ecclesiæ in eleemosynam adsignatas, violenter redigere cupiat in forestam: ·.·.·. Mandamus, quatenus ad sententiam pro ipso monasterio proferendam, adpel. postpositâ, procedatis, cùm ex tenore instrumenti vehementer adparet, quòd hæc fuit mens & intentio donatoris, vt clausula, de foresta, quæ in fine ponitur instrumenti, non ad superiorem donationem, quæ tam libera & pura fuit, vt immunis esset ab omni vexatione & consuetudine seculari, sed ad inferiorem concessionem quæ pensionem & determinationem habet insertam, iuxta sanum referri debeat intellectum: quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda.

HVIVS cap. species eiusmodi est. Quidam vir nobilis purè, & simpliciter in eleemosynam donauit terras quasdam monasterio de Mailros, sic lege, pro vulgato Melios. monasterium Mailros est antiquissimum in Anglia, cuius meminit Beda lib. III. hist. cap. XXVI. *Porrò fratribus qui in Lindisfarnensi Ecclesia Scotis abeuntibus remanere maluerunt, Præpositus est Abbatis iure, vir reuerendissimus, ac mansuetissimus Eata qui erat Abbas in monasterio, quod vocatur Mailros.* & idem lib. IV. cap. XXVII. *Intrauit autem primò monasterium Mailros, quod in ripa Tuidi fluminis positum, tunc Abbas Eata vir omnium mansuetissimus regebat.* Idem posteriùs Cistercienſi Ordini aggregatum indicat Bernard. Clareuallens. in vita S. Malachiæ. *In Mailros monasterio Ordinis nostri.* inde emendandus locus corruptus *cap. ad supplicationem de renunc.* In Ecclesia de Malebron, pro quo rectiùs

lego de Mailros : quod caput ita emendatum aperit situm eiusdem monasterij in Episcopatu Carleolensi. Eodem instrumento idem miles concessit alia prædia eidem Monachis, reseruatâ sibi certâ pensione; ita vt si non solueretur, sibi liceret fuodum redigere in forestam. In Gallia nobilioribus non licuit forestam seu saltum instituere sine auctoritate Principis. Capitul. Carol. lib. IV. cap. LXV. *Et vt Comitibus denuntient ne vllam forestam nouiter instituant, & vbi nouiter institutas sine nostra iussione inuenerint, dimittere præcipiant.* Idem iuris fuit in Anglia, & vix solis nobilioribus permissum venari in proprio saltu, ex constitutione Henrici I. Regis Anglorum, de qua Ordericus Vitalis lib. XI. *Omnem ferarum venationem totius Angliæ sibi peculiarem vendicauit, pedes etiam canum qui in vicinio syluarum morabantur ex parte præcidi fecit, & vix paucis nobilioribus, ac familiaribus priuilegium in propriis saltibus venandi permisit.* Cessante monasterio in soluenda pensione, quæ fortè erat nimis grauis, & onerosa, nitebatur vtriusque fundi donationem in irritum reuocare, quasi vtroque prædio sibi commisso, ob non solutam pensionem. Donatio facta sub lege alimentorum reuocatur, si donatarius non pareat legi donationis, id est, non præstet alimenta, *l. 1. C. de donat. quæ sub mod.* Re mandatâ nonnullis Iudicibus, receptis hinc inde testibus, & productis instrumentis; re remissâ ad Pontificem, Pontifex ipse mandauit Iudicibus datis, vt sententia diceretur pro ipso monasterio, cùm ex tenore instrumenti appareret animum donantis fuisse, vt clausula de foresta, quæ posita erat in calce instrumenti, non pertineret ad priorem donationem, quæ ita erat pura & simplex, vt immunis esset ab omni vexatione, & consuetudine seculari: sed ad posteriorem donationem, quæ pensionem & determinationem, id est, modum continebat: quia in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima interpretatio adhibenda est. In testamentis plenior fit interpretatio, *l. in testamentis. ff. de R. I.* quia fauorabile est supremæ voluntatis iudicium, & iterum non rediturum arbitrium, *l. 1. C. de SS. Eccles.* Beneficia Principum etiam plenissimè interpretamur, sc. contra concedentem, *l. pen. ff. de Const. Princip. cap. quia circa. de priuileg.* Sed hoc malè aptatur à Pontifice donationibus priuatorum, quæ (si ius spectes) non sunt laxiùs interpretandæ, immò sunt strictiùs accipiendæ. *l. cùm de modo. l. eum qui. ff. de donat.* quia donare est perdere. *l. filiusf. ff. eod.* Quare donatio non præsumitur vbicumque alia coniectura capi potest, *l. cùm de indebito. ff. de probat. l. Campanus. de oper. libert.* Vbi sunt diuersa negotia in eodem instrumento, clausula in fine posita non refertur ad omnia præcedentia, sed ad id quod proximè præcedit, vt ostenditur *hic & cap. inquisitioni, suprà, de appellat.* ratio est, quia in contractibus tot sunt stipulationes, quot res; quot capita, tot contractus. *l. scire debemus. ff. de VO.*

CAPITVLVM VII.

IDEM HELIENSI EPISCOPO.

PASTORALIS officij: .·.·.· Tua nos duxit discretio consulendos, si Episcopus consentiente patrono viris religiosis aliquam Ecclesiam concedendo, hac vtatur simplicitate verborum, Concedimus vobis illam Ecclesiam: vtrum eo ipso videatur in eorum vsus fuisse concessa, vel ius tantummodo patronatus? Nos autem inquisi. t. duximus respondendum, quòd si Episcopus Ecclesiam illis conferat de consensu patroni, profectò patronus, quod suum est, conferre videtur, ius videlicet patronatus, & Episcopus quod temporaliter obtinet in eadem: vt si fructuum Ecclesiæ eiusdem aliquam recipiat portionem, in eorum vsus illa portio conuertatur. Quòd si ex ipsius prouentibus nullam debeat portionem habere, omnes prouentus præter cathedraticum in eorum vsus credimus conuertendos. Sed vt Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus.

EPISCOPVS non potest donare Ecclesiam Collegio, vel monasterio sine consensu Capituli, vt traditur in fine *h. cap.* quia donatio est alienatio, quæ non valet, si per Episcopum fiat sine consensu Capituli, *cap. 1. suprà, de his quæ fi. à prælat. sine consensu Capitul.* Idem non potest donare Ecclesiam monasterio sine consensu Patroni, vt ostenditur *hic, & in cap. suggestum. de iur. patronat.* vbi proponuntur factæ diuersæ donationes eiusdem Ecclesiæ; prior Canonicis de Nouo-borgo, quæ est Ecclesia Canonicorum Regularium in Anglia à Rogero Moobraio fundata, Guillelm. Neubrigens. *lib. 1. rer. Anglic. cap. XV.* posterior Ecclesiæ S. Petri Eboracensis; & de viribus vtriusque disputatur, ac demùm concluditur priorem præualere, si facta fuerit ab Ordinario de consensu Capituli, & Patroni. In donatione Ecclesiæ præter auctoritatem Episcopi & Capituli requiritur consensus Patroni: quia status Ecclesiæ non potest mutari sine consensu Patroni, *d. cap. suggestum. cap. Dilecta. de excess. prælat. can. Monasterium. XVI. qu. VII.* quæ de re Panormitan. in *cap. Cùm accessissent. de constitut.* Si verò Episcopus purè, & simpliciter Ecclesiam conferat monasterio de consensu Patroni, Patronus quod suum est conferre videtur, ius scilicet Patronatus, & Episcopus dedisse intelligitur quod temporale obtinebat in eadem Ecclesia, puta fructuum portionem, si quam percipiebat. Qui donat Ecclesiam, quod suum est donasse intelligitur, *l. qui tabernas. ff. de contrah. empt.* Quòd si Episcopus nullam portionem fructuum ferebat in eadem Ecclesia, omnia iura Episcopalia remisisse intelligitur, præter cathedraticum, vt rectè definitur in *hoc cap.* In ambiguo donationem sic interpretamur,

vt aliquid operetur; actus sic accipiendus est, vt magis valeat, quàm pereat, *l. quotiens. 12. ff. de reb. dub.* Concessione generali iurium Episcopalium non continetur cathedraticum, quia debetur potiùs cathedræ, quàm personæ, & in honorem cathedræ semper exceptum intelligitur, vt remisso iure patronatus reseruata censetur reuerentia ea, ingrati actio in libertum, *l. 111. C. de bon. libert.* & obligatione generali non veniunt ea, quæ verisimile est quem specialiter obligaturum non fuisse, *l. obligatione. ff. de pignorib.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM FLORENTIN. ET FESVLAN. EPISCOPIS.

INTER dilectos filios hospitalarios sancti Sepulchri, ac fratres hospitalis sancti Allucij, super eodem hospitali quæstione subortâ, cùm iidem hospitalarij super possessorio, quod semel & iterum ex causis tamen dissimilibus intentarunt, contrariam sententiam reportassent: deinde ad petitorium recurrentes, proponere curarunt, quòd cùm G. quondam rector & fratres, ac patroni eiusdem hospitalis, habito communi tractatu deliberassent hospitale ipsum hospitalariis supponere supradictis, commiserunt in hoc tribus procuratoribus vices suas, communiter statuentes, vt quod per ipsos fieret, acceptarent: qui cum eisdem taliter statuerunt, vt ad ipsum hospitale aliqui mitterentur, qui eorum nomine acciperent adsignationem ipsius. Cùm autem duos illuc de suis fratribus transmisissent, ipsi donationem & adsignationem hospitalis, tam à magistro, quàm à supradictis procuratoribus, & aliis eiusdem domus fratribus receperunt. .·... Procurator autem partis alterius ex aduerso respondit, quòd prædicta donatio debebat non immeritò retractari: quoniam multis ex fratribus inconsultis à prædicto rectore, ac paucioribus fratribus excommunicatis & periuris, de re litigiosa in fraudem plebani de Piscia, qui super eodem hospitali mouerat quæstionem, fuerat celebrata: .·.·. Adtendentes igitur, quòd fratres & patroni sancti Allucij pro se, imò potiùs contra se turpitudinem allegabant, videlicet periurium, excommunicationem, & fraudem non vtique contra ipsos, sed ab ipsis commissam, & intelligentes donationem ab eis hospitalariis factam puram ac simplicem extitisse: quia non deceptoribus, sed deceptis iura subueniunt. vnde per ea, quæ superiùs proposita sunt, se contra factum proprium legitimè defendere non valebant, hospitale prædictum cum pertinentiis suis hospitalariis sancti Sepulchri adiudicare curauimus: Ita quòd per hanc sententiam diœcesano Episcopo & plebano de Piscia nullum præiudicium generetur: cùm res inter alios acta non debeat aliis præiudicium generare.

HVIVS cap. species hæc est. Hospitalarij S. Sepulchri, subaudi, Hierosolymitani, cùm interdicto possessorio aduersus fratres hospitales S. Allucij, quod est apud Lucam ciuitatem Thusciæ, semel & iterum egissent ex dissimilibus causis: ex pluribus enim causis possidere eamdem rem possumus. *l. polliceri. §. ex pluribus. ff. de acq. possess.* & vtroque iudicio hi victi essent, iidem petitorio egere aduersus eosdem. Latâ sententiâ super possessorio, integra petitorij, seu proprietatis actio superest, *l. vn. C. si de moment. possess. fuer. appellat.* quia nihil commune habet proprietas cum possessione, *l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquir. possess.* Vnde sæpè euenit, vt qui vincit in possessorio, vincatur in petitorio. *cap. Cùm Ecclesia Sutrina. de caus. possess. & propriet.* Quo in iudicio proposuère Hospitalarij purè, & simpliciter id hospitale sibi donatum à Rectore & fratribus, iisdémque Patronis hospitalis, & donationem ritè acceptatam per se, vel per fratres suos ad hoc destinatos. E diuerso fratres hospitalis S. Allucij tuebantur se hâc exceptione, quòd donatio facta esset à Rectore & paucioribus fratribus, multis è fratribus inconsultis, & quòd facta esset ab excommunicatis & periuris, & de re litigiosa in fraudem Plebani de Piscia, à quo lis mota erat super eodem hospitali, de quo celebratur *cap. per tuas, suprà, de Arbitr.* His exceptionibus parui habitis, hospitale S. Allucij hospitalariis addixit Pontifex hâc ratione vsus, quòd non erant audiendi qui turpitudinem suam, id est, excommunicationem, periurium, & fraudem allegabant, *l. si creditoribus. C. de seru. pignor. manumiss. l. cùm profitearis. C. de reuoc. donat.* nec qui temerè venirent contra factum suum, *l. post mortem. ff. de adopt. l. vindicantem. de euict.* Quapropter donatio huiusce hospitalis in Hospitalarios facta confirmatur, saluo tamen iure Plebani de Piscia, & Episcopi diœcesani. excipitur ius tertij, quia beneficium Principis in alterius iniuriam porrigi non oportet, *l. impubere. ff de administ. tut. l. sed cùm ab hærede. ff. ad Trebel. l. nec auus. C. de emancipat.* Ratio impugnandæ donationis erat, quòd xenodochia, & alia loca pia pertinent ad sollicitudinem, & iurisdictionem Episcopi. *cap. de xenodochiis, de Religios. domib. Cle. quia contingit. §. vt autem. eod. tit.* Ergo videbatur hospitale S. Allucij non posse donari Hospitalariis à Rectore, & fratribus ipsius hospitalis, sine consensu Episcopi diœcesani, maximè ob id, quòd Hospitalarij exempti essent, & fiduciâ exemptionis suæ plerumque graues,

& molesti essent Episcopis, & semel occupatas Ecclesias niterentur subripere iurisdictioni Ordinariorum. de quo expostulantem audi Io. Saresber. epist. x c v. *Fratres hospitalis nouo quodam & inaudito humanitatis titulo, vt priuatas faciant eleemosynas, calumnias ingerunt manifestas, rapiunt vt distribuant; de alieno placant Altissimum, & in contumeliam Apostolorum ligandi & soluendi vsurpant officium; vsurpant clanet Ecclesia liberalitate Pontificum abutentes; Ecclesias, quas semel occupauerint, Episcoporum subtrahunt potestati.* Item vt ex Conc. Lateranensi habito sub Alexandro III Hospitalarij & Templarij prohibiti, ne Ecclesias, vel decimas è manu laïcorum reciperent sine consensu diœcesani Episcopi, *cap. cum & plantare. init. de priuileg.* Pari ratione Hospitalarij prohibendi erant hospitale recipere à Rectore, & fratribus ipsius, qui erant nudi administratores, sine consensu Episcopi. Sed donationem tuetur Pontifex, saluo iure diœcesani, non immeritò: quia Pontifex de plenitudine potestatis potest confirmare donationem, vel alienationem rei Ecclesiæ sine consensu Episcopi, & satis consultum Episcopo, dum ei ius suum reseruatur: quia beneficium Principis semper ciuiliter accipiendum est, saluo iure tertij. Nec videtur Pontifex derogare Conc. Lateranensi; quoniam ex eo quidem vetabantur Hospitalarij, & Templarij decimas, & Ecclesias recipere à laïcis sine consensu Episcopi: sed non vetabantur recipere donationes Ecclesiarum, vel hospitalium à Clericis. Et hoc specialiter statuisse videtur Pontifex in propagationem ordinis militaris Hospitalariorum; vt alia quæcumque hospitalia possent se se his subiicere, non expectato consensu Episcopi diœcesani; hoc adhibito temperamento, vt ei saluum esset ius suum.

CAPITVLVM IX.

IDEM EPISCOPO SANCTI ANDREÆ.

APOSTOLICÆ sedis oraculo: .·.·.· Inquisitioni r. t. respondemus, quòd licèt sit in Canone definitum, vt si quis Episcoporum in parœcia sua monasterium construere voluerit, & de rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ipsum dotare, non ampliùs ibidem, quàm quinquagesimam partem: Ecclesiæ verò, quam monasticis regulis informare, vel pro suis propriis magnificare voluerit sepulturis, non ampliùs, quàm centesimam partem census Ecclesiæ, cui præest, debeat elargiri: quia tamen in eodem canone consequenter adiungitur, vt hæc temperamenti æquitas obseruetur, quod cui tribuit, competens subsidium conferat: & cui tollit, damna grauia non infligat: eâ quidem cautelâ seruatâ, vt vnam tantummodo quæ placuerit ex his duabus, remunerationem adsumat. Hoc semper est obseruandum, quòd vnus Episcopus vel alius non solùm non debet ampliùs, sed nec tantùm, nec minùs cum graui Ecclesiæ suæ detrimento conferre, siue simul & semel id facere velit, siue pluries successiuè eisdem vel diuersis Ecclesiis conferendo. vnde cùm graue detrimentum siue de possessionibus siue de prouentibus ad Episcopalem mensam vel cathedralem Ecclesiam pertinentibus, in quantalibet portione constiterit esse collatum, poterit legitimè reuocari, nisi præscriptione vel alia exceptione legitima actio huiusmodi excludatur. Nam etsi primâ facie præsumatur, quòd collatio quinquagesimæ vel centesimæ partis graue non inferat detrimentum: quia tamen non solùm si sæpe, sed etiam si semel id fiat, ex variis circunstantiis deprehendi potest interdum valde damnosum: quod quidem magis potest ex ostensione facti, quàm expressione alicuius statuti cognosci: nec quinquagesima, nec centesima semel aut successiuè debet cum graui Ecclesiæ damno conferri. Si verò intantum abundet Episcopus, vt sine damno Ecclesiæ suæ possit amplius etiam, quàm per quinquagesimam vel centesimam partem necessitati alterius Ecclesiæ subuenire, quamuis per se non debeat summam excedere à canone præfinitam, per quam incautè largiri volentibus est occursum: de superioris tamen auctoritate Pontificis, potest etiam in maiori summa inopiæ alterius prouideri.

EPISCOPVS pro constitutione Monasterij non potest ampliùs donare, quàm quinquagesimam partem census Ecclesiæ: pro Ecclesiæ verò ampliatione, quam monasticis regulis informari voluerit, vel vbi elegerit sepulturam, non ampliùs quàm centesimam, ex Conc. Toletano IX. can. v. *can. bona rei. XII. qu.* II. quem Pontifex repetiit hîc verbis paulisper immutatis, & in *cap. pastoralis, suprà, de his, quæ fiunt à prel. sine consens. capitul.* hoc adiecto temperamento, vt vnam tantummodo quæ placuerit ex his duabus, remunerationem assumat, id est, vt alterutrum tantùm donare possit quinquagesimam, vel centesimam, ne Ecclesia nimis grauetur duplici onere, *l. fidei commissa. §. si quis decem. ff. de legat.* III. Donationi etiam angustior modus imponitur ab Innocentio III. in *hoc cap.* Si Ecclesia nimis graue damnum ex ea patiatur, siue collatio quinquagesimæ, vel centesimæ expediatur semel vnico actu, vel pluribus successiuè in eamdem, vel plures Ecclesias: quia Episcopus non debet

alienam Ecclesiam ditare de paupertate Ecclesiæ suæ. Non licet Episcopo monasterium extruere ἀπὸ κειμηλίων τῆς ἐκκλησίας ἰδίας, Synod. Constantinopolit. *can.* VII. Quòd si Episcopus ita abundet, vt etiam vltra quinquagesimam, vel centesimam donare posset in aliam Ecclesiam sine incommodo suæ, tunc poterit donare vltra quinquagesimam, vel centesimam, non sine auctoritate Summi Pontificis, vt subiungitur in *hoc capit.* In donatione vltra modum Toletani Conc. requiritur auctoritas Summi Pontificis: quia Episcopus non potest disponere de rebus Ecclesiæ contra ius commune, *cap. cùm dilectus. de prabend.* cùm sit nudus procurator, seu administrator rerum Ecclesiæ, non dominus. *can. si priuatum.* XII. *qu.* I. Ex Conc. Tolet. Episcopo licet alienam Ecclesiam dotare de rebus Ecclesiæ suæ in honorem sepulturæ: olim sc. non alij sepeliebantur intra Ecclesiam quàm Episcopi, vel Abbates, vel digniores Presbyteri, aut fideles laïci, ex Conc. Mogunt. I. *can.* LII. *can. nullus.* XIII. *qu.* II. de quo Socrates *lib.* VI. *cap.* XV. Ambros. *epist.* LXXXV. & alij multa.

TIT. XXVI. *De testamentis, & vltimis voluntatibus.*

CAPITVLVM XIII.

INNOCENTIVS III. ALTISSIODOREN. EPISCOPO.

CVM tibi de benignitate: . . . In secunda quæstione dicimus, quòd qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.

EX priuilegio Sedis Apostolicæ successio decedentium Clericorum ab intestato pertinebat ad Episcopum Altissiodorensem. Hoc priuilegium non ferentes Canonici Cathedralis Ecclesiæ, cùm iactitarent se non comprehendi hoc priuilegio; quasi priuilegium, quod scriptum esset de Clericis, pertineret tantùm ad minores Clericos, non ad Canonicos: duo quæsiuit à Pontifice, tamquam optimo interprete beneficij sui; primum, an hoc priuilegio comprehenderentur Canonici. cui respondit Pontifex in *cap. cùm tibi. de V. S.* quod est pars *h. cap.* appellationem Clericorum non solùm minores Clericos, sed etiam Canonicos complecti. Alterum, an intestati decessissent, qui factionem testamenti contulissent in alium. Cui Pontifex respondit in *hoc cap.* non videri decessisse intestatum, qui supremam voluntatem, id est, factionem testamenti alienæ dispositioni commisisset. Si spectes ius ciuile, responsum Pontificis vix sustineri potest: hoc enim iure, testamentum non potest conferri in arbitrium alterius: testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia, *l.* I. *ff. qui testam. fac.* & huiusmodi institutio, quem Titius voluerit, ideo non valet: quòd conferatur in alienum arbitrium: testamentorum enim iura ipsa per se firma esse oportet, non ex alieno arbitrio pendere, *l. illa institutio. ff. de hæred. instit.* Legatum quidem, quia est minùs solemnis voluntas, potest conferri in alterius arbitrium, non vtique merum & liberum, sed in arbitrium boni viri; quia arbitrium boni viri certum est, sc. pro viribus patrimonij, *l.* I. §. I. *ff. de legat.* II. Sed hæredis institutio, quæ est caput testamenti, & magis solemnis voluntas, non potest conferri in alienum arbitrium. Glossa, vt se expediat è lubrico vestigio, fatetur hoc introductum ex æquitate canonica contra ius commune: sed hoc nimis frigidum est; quia non dedignantur sacri Canones leges imitari, *can. legem.* LIII. *dist.* maximè in rebus ciuilibus, cuiusmodi sunt testamenta priuatorum. Innocentius haud feliciùs ait, hoc restringendum esse ad testamenta, ad pias causas; nec enim vlla fit mentio hîc piæ causæ, & hoc cap. continetur sub titulo de testamentis, qui spectat generaliter ad quæcumque testamenta ordinanda. Tertia est sententia Hostiensis, non intestatum videri decessisse eum, qui contulit supremam voluntatem in alterius arbitrium, quasi hoc ipso videatur eumdem tacitè hæredem sibi instituisse: sed cui creditur suprema voluntas, alterius non potest videri hæres institutus, sed potiùs nudus minister, & alienæ voluntatis arbiter. Inter tot discrepantes sententias, si quis nostræ locus erit, magis est, vt responsum Innocentij, quod inscribitur Altissiodorensi Episcopo, qui est in Gallia, referatur ad consuetudinem Gallicanam, cuius Pontifex fortè non inscius fuit: fuit enim alumnus Academiæ Parisiensis. Consuetudo ea fuit, vt testamenti factio conferretur in alterius arbitrium, maximè apud maiores. Gregor. Turon. lib. VIII. cap. XLII. *Bertchramnus verò reuersus ex synodo* (is erat Burdegalensis Episcopus) *à febre corripitur, arcessitóque Valdone diacono, qui & ipse in baptismo Bertchramnus vocitatus est, summam ei sacerdotij deputat, omnísque conditiones tam testamenti, quàm benemeritorum suorum ipsi committit.* Et hoc iure ita supinè vsi sunt Angli, vt & si quis intestatus decessisset, vxori & liberis fas esset pro eo testari, saltem ad piam causam. Matth. Paris ex diplomate Henrici I. ad ann. MCX. *Quòd si ipse præuentus, vel armis, vel infirmitate pecuniam suam nec dederit, nec dare disposuerit, vxor sua, siue liberi, aut parentes & legitimi homines sui, pro anima eius eam diuidant, sicut eis melius visum fuerit.* Et si restrictiùs hoc cap. accipere malis, restringendum est ad testamenta Clericorum: agitur enim hîc de successione decedentium Clericorum ab intestato, & quæritur an testatus dici debeat, qui supremam voluntatem contulerit in arbitrium alterius. Iure ciuili Clerici de peculio quasi castrensi, non aliter quàm iure communi testari possunt, *l. vlt. C. de inoff. testam. auth. Presbyteros. C. de Episc. & Cleric.* §. *vlt. Inst. de testam. milit.* Sed iure Canonico, quoad Clericos testamenti factio confertur in arbitrium alterius contra ius commune; quia hoc iure in Ecclesiasticis personis, &

negotiis rigor, & districtio iuris non requiritur, *cap. 1. de dol. & contumac.* imò & iure Canonico in testamentis remittitur numerus testium, & in his duo vel tres testes sufficiunt. *cap. cùm esses. cap. relatum. h. tit.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM C. T. SANCTI LAVRENTII IN LVCINA PRESBYT. CARD.

OFFICII. · . · . · Secundò quæsiuisti cùm quis in testamento relinquit Episcopo propriam portionem, & alia multa monasteriis vel Ecclesiis, vtrum Episcopus ex illis legitimam possit petere portionem: . · . · . Consultationi t. t. r. quòd si portionem illam cum condicione legauit Episcopo, vt esset illâ solâ contentus, & Episcopus acceptauit: quia per hoc aliis renunciasse videtur, de cæteris non poterit exigere portionem. Quòd si eam ipsi absolutè reliquit, portionem sibi debitam poterit nihilominùs de cæteris vindicare. Si verò constiterit, quòd in fraudem modicum constituit mortuarium, vt in cæteris Episcopus portione debitâ fraudaretur,) quia fraus & dolus alicui patrocinari non debet) Episcopus portionem ex illis poterit exigere à canone constitutam, saluis indulgentiis Romani Pontificis, quæ quibusdam regularibus sunt concessæ.

DE mortuariis, seu legatis relictis Ecclesiis, vel monasteriis Episcopo debetur canonica portio, quæ est tertia, vel quarta pro consuetudine regionum, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. requisisti, infrà, h. tit. cap. conquerente. de offic. ordinar. cap. certificari. de sepultur. cap. de quarta. de præscript.* Si quis reliquerit Episcopo propriam portionem, id est, tertiam, vel quartam, & alia multa Ecclesiis vel monasteriis: quæsitum est, an præter quod relinquitur Episcopo, ei debeatur portio canonica de relictis aliis Ecclesiis vel monasteriis. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* quòd si absolutè, id est, purè, & simpliciter Episcopo relicta sit portio debita, nihilominus feret portionem de cæteris; quia in dubio legatum relictum Episcopo non censetur relictum animo compensandi cum portione debita, *l. creditorem. l. cùm ab vno. ff. de legat.* 11. *l. si compensandi. C. de hæred. instituend.* Quòd si portio debita relicta sit Episcopo sub ea conditione, vt esset illâ contentus, & Episcopus eam acceptauerit, de cæteris portionem non libabit; quia Episcopus agnoscendo iudicium defuncti videtur renunciasse portioni debitæ, quod derogat iuri ciuili, quo requiritur specialis renunciatio, *l. si quando. C. de inoff. testament.* Quòd si testator legando Ecclesiis & monasteriis, in fraudem modicum constituit mortuarium, id est, modicum reliquit eis mortuarij nomine, & eisdem alia multa reliquit pro anima: hoc casu Episcopus suam partem vindicabit ex singulis; quia dolus nemini prodesse debet, saluis indulgentiis Sedis Apostolicæ Regularibus quibusdam concessis, id est, saluis priuilegiis quibus in quibusdam quartæ deductio remittitur. *cap. vlt, infrà, h. tit. cap. in nostra præsentia, infrà, de sepultur.*

CAPITVLVM XV.

IDEM.

REQVISISTI de his, quæ testator pro anima sua legat in vltima voluntate, qualiter sint inter Episcopum & Ecclesiam diuidenda. Et quidem regulariter verum est, quòd Episcopus debet de his secundùm diuersas consuetudines tertiam vel quartam portionem habere. Sed considerandum est diligenter, vtrum testator leget hoc modo: Relinquo istud Episcopo, an relinquo istud Ecclesiæ: vel relinquo istud Episcopo & Ecclesiæ: an relinquo istud Episcopo, & illud Ecclesiæ. In primo casu distinguendum est, vtrum relinquatur Episcopo ab extraneo aut propinquo. Si ab extraneo, generaliter verum est, quòd præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ: vnde Cathedralis Ecclesia de illo potest canonicam petere portionem: quemadmodum Episcopo competit sua portio, si aliquid Ecclesiæ relinquatur. & hoc verum est, nisi testator exprimat quòd velit illud tantùm esse Episcopi, non Ecclesiæ: in quo casu seruanda est dispositio testatoris. secùs autem si exprimat quòd velit esse illud tantùm Ecclesiæ, non Episcopi: quia priuata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. Nec est contrarium quod in canone legitur, videlicet quòd Pontifices, quibus ab extraneis aliquid, aut cum Ecclesia, aut sequestratim dimittitur aut donatur (quia hoc ille, qui donat, pro redemptione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis probatur offerre) non quasi suum proprium, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt: quo-

niam hoc est verum, cùm testator ita sequestratim legat illud Episcopo, quòd non exprimit vtrum velit ad Episcopum tantùm, non ad Ecclesiam pertinere. Si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo, præsumitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ; nisi fortè contrarium probaretur: & de isto nihil potest Ecclesia petere in vita eius. Quòd si relinquatur Episcopo & Ecclesiæ, de illo inter ipsos canonica est diuisio facienda. Si verò istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relinquatur, siue æqualia siue inæqualia sint relicta, reducenda sunt ad diuisionem canonicam inter Episcopum & Ecclesiam cathedralem, nisi ambo velint esse testatoris dispositione contenti, quam propter vltimæ voluntatis fauorem satis decens est obseruare, vbi neque fraus interuenit, neque dolus, ne quisquam nimiùm defraudetur debita portione. Secùs autem est, si aliquid legetur Episcopo, & aliqua capellis vel monasteriis, aut aliis piis locis. nam in hoc casu quod legatur Episcopo, eius est præcipuum cum Ecclesia cathedrali, quemadmodum si cuilibet alij legaretur: & de illis, quæ aliis leguntur, portionem canonicam nihilominus obtinebit: quoniam non est tanta communio inter Episcopum, & inter capellas & monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum & Ecclesiam cathedralem, cui est spirituali coniugio copulatus: vnde quæ adquirit Episcopus, non illis, sed isti tantùm adquirit. Illud autem est generaliter obseruandum circa eum, qui potest proprium possidere, prælationem vel administrationem Ecclesiæ non habentem, quòd si ei aliquid relinquatur specialiter, non solùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, intelligitur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ sed personæ, nisi probatio in contrarium adpareret: & idcirco de illo nec Episcopus, nec Ecclesia potest in vita eius sibi aliquid vindicare: & hoc intelligitur esse verum cùm fraus minimè procuratur: quæ si detecta fuerit, patrocinari non debet.

VBI Episcopo legatum relinquitur, distinguendum est, vtrum relinquatur Episcopo ab extraneo an à propinquo: si ab extraneo, præsumitur relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ, vt in iure Ciuili: si legatum, vel fideicommissum relictum sit Sacerdoti, vel Hierophylaci, datum templo præsumitur, *annua.* §. *Attia. ff. de annu. legat.* vnde cathedralis Ecclesia de illo potest canonicam petere portionem, quemadmodum Episcopo sua competit portio, si aliquid Ecclesiæ relinquatur: & hoc verum est, nisi testator cauerit quòd velit illud tantùm esse Episcopi, non Ecclesiæ; in quo casu seruanda est dispositio testatoris. In testamentis primum locum obtinet voluntas defuncti, eáque regit conditiones, *l. in conditionibus. l. Pater Seuerinam. ff. de condit. & demonstrat.* secùs est si testator expresserit, quòd velit illud esse tantùm Ecclesiæ, non Episcopi; quia testator non potest derogare iuri communi. Nemo facere potest, ne leges in suo testamento locum habeant, *l. nemo. ff. de legat.* 1. Neque obstat quod legitur in Canone, id est, in *can. Pontifices.* XII. *qu.* II. Quod relinquitur Pontifici, aut coniunctim cum Ecclesia, aut sequestratim, id est, separatim, cedit Ecclesiæ, non Episcopo: quoniam hoc verum est, cùm ita sequestratim legatur Episcopo quòd expressum non sit, vtrum testator velit ad Episcopum tantùm, non ad Ecclesiam pertinere. Si verò à propinquo legatum relinquatur Episcopo, debetur ipsi Episcopo; præsumitur enim relictum non intuitu, seu contemplatione Ecclesiæ, sed personæ, nisi fortè contrarium probetur; ita in legato relicto viro vel vxori, spectatur cuius contemplatione relictum sit. *l. sed si plures.* §. *in adrogato. ff. de vulgar. & pupillar. l. tali.* §. 1. *ff. de iur. dot.* Sequitur, & de isto nihil potest Ecclesia habere viuo eo: nam si intestatus decesserit absque cognatis, bona eius pertinent ad Ecclesiam. *can. quicumque.* XII. *qu.* V. *cap. cùm dilectus, infrà, de success. ab intestat.* Si verò aliquid relinquatur Episcopo & Ecclesiæ coniunctim, inter ipsos canonica est diuisio facienda; si autem istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relinquatur: siue æqualia, siue inæqualia sint relicta, reducenda sunt ad diuisionem canonicam inter Episcopum & Ecclesiam cathedralem, nisi ambo velint esse contenti dispositione testatoris; quod satis congruum est propter fauorem vltimæ voluntatis, vbi nulla adest fraus, ne quisquam nimiùm fraudetur debitâ portione. Secus est si aliquid legetur Episcopo, & aliquid Capellis, vel monasteriis, aut aliis locis piis: nam hoc casu, quod legatur Episcopo est præcipuum ipsius cum Ecclesia cathedrali: & de illis, quæ aliis legantur, portionem canonicam nihilominùs obtinebit; quoniam non est tanta communio inter Episcopum & Capellas, ac monasteria, seu alia loca pia, quanta est inter Episcopum & Ecclesiam cathedralem, cui est spirituali coniugio copulatus. Per electionem & consecrationem inter Episcopum & Ecclesiam contrahitur spirituale coniugium. *cap. inter corporalia, suprà, de translat.* & morte eius Ecclesia dicitur viduata, *can. quoniam.* c. *dist.* Quòd si aliquid relinquatur illi, qui potest habere proprium, id est, Clerico seculari non habenti prælationem, vel administrationem Ecclesiæ, puta qui est ordinarus in Ecclesia in qua habet beneficium, seu stipendium sub alio qui eidem præest in titulum, non solùm à propinquo, verùm ab extraneo: intelligitur illi relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, nisi contrarium probetur; & de illis, nec Episcopus, nec Ecclesia quicquam feret. Et hæc est summa *h. cap.*

CAPITVLVM XVI.

IDEM EPISCOPO TVSCANO.

RAYNVTIVS de Clera duas habens filias, Alterocham videlicet & Adiectam, matrem insuper Cleram, & vxorem nomine Adelasiam, in extremis positus condidit testamentum, Alterochæ filiæ puberi vltra dotem, quam ei dederat, domum & quemdam hortum in eodem testamento relinquens. Adiectæ verò impuberi reliquit certa bona sua, adiiciens vt Alterocha & soboles quam gestabat in vtero, eidem impuberi succederent, si absque liberis moreretur. Mortuo itaque testatore, tutores impuberis eam cum omnibus bonis eidem relictis à patre iure Longobardorum cuidam P. nomine tradiderunt: quæ filium ex eo suscipiens, tandem sine liberis est defuncta: cuius bona idem P. maritus eius superstes aliquanto tempore possedit in pace: qui cum alia muliere matrimonium contrahens, & filios suscipiens ex eadem, diem clausit extremum. Postmodum inter Alterocham & filium eius ex vna parte, & filios eiusdem P. & Rainerium tutorem eorum ex altera, super bonis prædictis eiusdem Adiectæ suscitata materia quæstionis cœperunt coram G. iudice Tuscan. ad inuicem litigare: coram quo Alterocha & filius eius bona quondam Raynutij tamquam ex causa fideicommissi vel substitutionis sibi debita petierunt, tutore filiorum prædicti P. ex aduerso dicente, quòd obstabat illis annalis præscriptio, vsucaptio pro dote, ac longi temporis silentium diuturnum. Insuper allegabant quòd de bonis illis tam tertia Cleræ matris testatoris, & tertia Adelasiæ vxoris eiusdem, quàm quarta per Trebellianum nomine ipsius Adiectæ erant ante omnia deducendæ. Dictus verò iudex supradictum Rainerium tutorio nomine pupillorum in restitutione bonorum Raynutij condemnauit, & tertiâ Cleræ primò deductâ, quam Adiectæ ac viro suo donauerat: de qua in substitutione, quam fecit Raynutius, non videtur aliquatenus cogitasse: deductâ quoque tertiâ Adelasiæ, quam ipsa P. vendiderat supradicto: præcepit etiam idem iudex de his rebus illas tertias deducendas, de quibus deduci poterant secundùm Tuscanæ consuetudinem ciuitatis. Deduci præterea quartam per Trebellianum idem iudex iniunxit, cùm etiam quilibet extraneus testitutione grauatus eam deducere potuisset. sed vtraque pars ab illa sententia prouocauit: · .· .·. Cùm autem coram G. Diacono Card. auditore à nobis concesso fuisset diutius litigatum, ipse de mandato nostro sententiam supradicti iudicis, videlicet in eo, quòd dixit tertiam Cleræ & tertiam Adelasiæ integraliter deducendas, pronunciauit iniustam, & ab ea legitimè prouocatum, definiens, sic illas tertias deducendas, vt legitima portio iure naturæ debita Alterochæ illi salua sit in vtraque: ad cuius restitutionem dictum Rainerium condemnauit. In eo verò, quòd quartam per Trebellianum idem iudex censuit retinendam: sententiam confirmauit eiusdem, ita videlicet, quòd fructus de bonis ipsius à tempore litis contestatæ percepit à prædicto P. & filius eius post mortem Adiectæ computentur in ea: qui si suffecerint ad quartam & fructus eius, eo nomine alia deductio nulla fiat: alioquin iuxta quantitatem fructuum perceptorum computationis ratio habeatur. Quia verò pater Adiectæ ipsam in legitima non potuit adgrauare, legitimam ipsam videlicet eius partis, quæ sibi debebatur ab intestato, deducendam censuit, & etiam retinendam, ita quòd deductio fiat tantummodo de his rebus, de quibus secundùm Tuscanæ consuetudinem ciuitatis fieri consueuit. In eo autem quòd prænominatus iudex condemnauit Rainerium nomine pupillorum ad residui restitutionem Alterochæ ac eius filio faciendam, ipsius sententiam confirmauit. Nos igitur eiusdem Cardinalis sententiam ratam habentes, ipsam auctoritate Apostolica confirmamus.

Itali vtebantur partim iure Romano, partim iure Lõbardo. Accurs. in l. 1. si à parent. ff. quis manumiss. sit. *Sigon. Hist. Bononiens. lib.* 11.

HVIVS cap. quod integrum extat in *cap.* XIII. *de re iudicat. in* III. *collect.* in quo valdè desudarunt interpretes, species hæc est. Raynutius de Clera cùm haberet duas filias, Alterocham, & Adiectam; matrem Cleram à qua cognomen assumpsit de Clera: quòd patris persona esset vilior, matris honestior: quo casu nomen patris impunè sperni potest, & maternum assumi. arg. *l. sed si vnius. §. interdum. ff. de iniur.* & vxorem Adelasiam nomine. Condito testamento Alterochæ filiæ puberi, & iam nuptæ, præter dotem quam ei dederat, domum & quemdam hortum eodem testamento ei reliquit, quod vice institutionis erat: filia testamento rectè institui potest in dote iam data, ne præterita videatur: quia dos imputatur in legitimam. *l. quoniam nouella. C. de inoff. testam* Idem

verò Adiectam impuberem in cæteris bonis hæredem instituit, eámque rogauit, vt si sine liberis decederet, hæreditatem restitueret Alterochæ, & proli eius quam gestabat in vtero. Mortuo restante Adiecta, à tutore in cuius potestate erat, cum omnibus bonis à patre relictis, iure Lombardo cuidam Petrucio nuptum tradita est. Puella lege Longobardicâ tradi dicitur, cùm per manus parentum cum mundio, id est, mundo muliebri, & dote suâ traditur marito. Legis Longobard. *tit.* LXVI. *Et ipsa per manum simili modo retraditur, sicut priori marito tradita fuit; nam aliter sine traditione, nullam rerum dicimus subsistere firmitatem*: vt matrimonium lege Francorum contrahi dicitur in Conc. Tributiens. *can.* XXXIX. *cap.* 1. *de sponsalib.* quod contrahitur per osculum, & traditionem annuli: quo ritu sponsalia lege Francorum celebrata inter Ottbonem IV. & natam Philippi Ducis Sueuiæ Imperij æmuli obseruo in append. Otthonis Frisingens. *Mox à Duce Leopoldo cognato suo per manum Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni desponsatur, à quo amantissimè amplexata, publico signo osculi, mutuatione que annulorum subarratur.* Adiecta filio ex his nuptiis suscepto, nec diù superstite, sine liberis moriens Petrucium maritum hæredem reliquit, qui susceptis ex secunda vxore liberis diem functus. Tandem Alterocha & eius filius, qui erat simul cum matre vocatus, de iure suo edocti; actione ex Trebelliano de restitutione fideicommissi egerunt coram Iudice Tuscanensi. Tuscana ciuitas Tusciæ est Sedes Episcopalis hodie vnita Viterbiensi. Egerunt, inquam, aduersus Petrucij liberos, & Rainerium eorum tutorem. E diuerso tutor tuebatur se, aut pupillos annali præscriptione, vel vsucapione, pro dote, quasi maritus res alienas, id est, fideicommisso obnoxias pro dote vsucepisset, vel præscriptione longi temporis: variæ exceptiones cumulari possunt, quæ tamen omnes nihil prodetant; quia actio in rem vniuersalis, seu petitio hæreditatis non præscribitur, nisi spatio XXX. annorum, *l. sicut in rem. C. de præscript.* XXX. *ann. l. vlt. C. de petit. heredit.* Præterea idem tutor allegabat, quòd de bonis Raynutij duæ tertiæ deducendæ erant; vna sc. Cleræ matri restantis, altera Adelasiæ vxori eiusdem, & quarta Trebellianica nomine eiusdem Adiectæ. Recognitâ Iudex tutorem condemnauit, vt bona fideicommissi restitueret Alterochæ, & filio eius. Sententia concipitur in personam tutoris; quia tutor domini loco habetur. *l. tutor qui. ff. de administr. tut.* Tutor autem damnatus est, vt bona restitueret; primùm deductâ tertiâ Cleræ, quam Adiectæ, & eius coniugi donauerat, sc. nuptiarum causâ; deductâ quoque tertiâ Adelasiæ vxoris, quam ipsa vendiderat Petrucio marito Adiectæ, fortè simulatè donandi animo: quæ duæ tertiæ dicuntur deductæ hîc duobus locis secundùm consuetudinem Tuscanæ ciuitatis. Itali partim reguntur iure Romano, partim iure Longobardico, vel statutis, aut consuetudine, vt ostenditur hîc, & in *cap. Ecclesia S. Mariæ. de constitut.* Deductio vtriusque tertiæ matris & vxoris omninò interpretanda secundùm consuetudinem municipalem, quæ putest infringere ius ciuile: nam si ius ciuile spectes, mater non potuit habere tertiam in bonis Raynutij, superstitibus eius liberis. Legitima non debetur parentibus in bonis filij, nisi deficientibus liberis, *l. nam etsi parentibus. ff. de inoff. testam. l. scriptum. in fin. ff. vnd. lib. l.* 1. *§. largius. de success. edict.* Et in successione intestati liberi excludunt parentes, Nou. CXVIII. *cap.* 1. *&* II. Iure ciuili vxor quoque non fert portionem in bonis mariti, nisi indotata & inops sit. *auth. præterea. C. vnde vir & vx.* Sed ex consuetudine Tuscanæ ciuitatis mulieri debebatur tertia in bonis mariti. Iure enim Longobardico, cui congruebat consuetudo ciuitatis, mater lucratur tertiam in bonis filij, & vxor tertiam in bonis mariti, si credimus gloss. in *hoc cap.* quod accipiendum est de lege Italicâ, quæ memoriâ veterum Longobardorum, qui olim Italiæ incubuêre, & eiusdem parti nomen dedêre, lex Longobarda dicta est. Nam reuerà legibus Longobardorum Morganegiba, quæ est nuptiale munus, quod mulier superstes viro lucrifacit, non potest excedere quadrantem bonorum, vt patet ex edicto Luitprand. *cap.* IV. Nec peculiare Transmontanis hoc ius de tertia vxori debita in bonis mariti; etiam iure Francorum mulier habuit tertiam conlaborationis, id est, tertiam quæsitorum constante matrimonio, iure societatis, quæ tacitè contrahitur inter virum & vxorem. Capitular. Caroli M. lib. IV. cap. IX. *Volumus vt vxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem conlaborationis, quam simul in beneficio conlaborauerunt, accipiant.* Hoc iure res Dagoberti inter Sigibertum, & Clodoueum Iuniorem diuisæ, saluâ tertiâ Nantildi Reginæ. Aimoin. Monach. lib. IV. cap. XXXVI. *Omnis thesaurorum Dagoberti supellex in speciebus variis, muneribúsque anteà abditis prolata, ac inter fratres æqua est lance diuisa, tertiâ parte tamen ex omnibus, quæ Dagobertus acquisierat, postquàm Nantildem sibi sociauerat, ipsi Reginæ seruatâ.* Idem Fredegar. in Append. Gregor. Tur. cap. LXXXV. Et eodem iure Rodulphus Rex distributis thesauris in monasteria Galliæ, & Burgundiæ, vxori partem suam seposuit, quæ erat tertia. Frodoard. in Chronic. ad ann. DCCCCXXIV. *Cæterùm præter vxoris partem quicquid sibi thesaurorum supererat per monasteria Franciæ, Burgundiæque direxit.* Præterea idem Iudex statuit, vt quarta deduceretur ex Trebelliano, cùm etiam extraneus hæres rogatus restituere hæreditatem, quartam deducat ex Pegasiano, seu Trebelliano. A sententia iudicis cùm esset prouocatum, in causa appellationis auditor datus de mandato Pontificis, sententiam emendauit in eo capite, quo tertiæ matris & vxoris integræ deductæ erant, & censuit huiusmodi tertias ita deducendas esse, vt legitima iure naturæ debita Alterochæ illi salua esset in vtraque, id est, deduceretur de vtraque tertia matris & vxoris. quòd legitima sit quota bonorum omnium, deducto ære alieno. *l. Papinianus. §. quarta. ff. de inoffic. testam.* ita vt legitima non patiatur aliam deductionem, quàm æris alieni. Quà verò Trebellianica deducta erat, sententiam iudicis confirmauit; ita videlicet, vt fructus percepti à tempore litis contestatæ à prædicto Petrucio, & eius liberis imputentur in quartam. In liberis primi gradus fructus percepti ante litem contestatam non imputantur in quartam, *l. iubemus. C. ad Trebell.* Sed percepti post litem contestatam rectè imputantur: quia lite contestatâ hæres rogatus incipit esse in mora, *l. in fideicommissa in.*

ff. eod. tit. Quia verò Adiecta in legitima non potuit grauari, legitima quæ est naturæ debitum, & quasi æs alienum, non recipit grauamen, *l. omnimodo. C. de inoff. testam.* legitimam ipsam videlicet partis quæ sibi debebatur ab inestato deducendam, & etiam retinendam. Perperam legitur in vulgata tertiam retinendam: legitima Adiectæ, quæ concurrebat cum Alterocha sorore, non fuit tertia, sed dimidia tertiæ, id est, duæ vnciæ, & hoc verbum *tertiam* abest in integra decretali. Sequitur ita, vt deductio fiat tantummodò ex his rebus, de quibus secundùm Tuscanæ consuetudinem ciuitatis fieri consueuit: id est, duæ illæ tertiæ, quæ deducendæ sunt matri & vxori, deducantur tantùm de rebus quæsitis constante matrimonio patris Raynutij cum Clera vel ipsius Raynutij cum Adelasia: quod cautum est de detractione duplicis quartæ legitimæ & Trebellianicæ, introductum ex sententia Martini & sequacium; seu ex æquitate Canonica, vt in *hoc cap. & cap. Rainaldus, infrà, h. tit.* contra ius ciuile, quo vnius quartæ detractio datur; quia vna in alteram imputatur, & consequenter vna aliam consumit. *l. si mulier. §. 11. ff. ad SC. Trebell. l. in quartam ff. ad l. Falcid.* Duplicis detractionis ratio est, quòd hæres grauatus restituere hæreditatem, si sit è liberis, detrahit legitimam vt filius, Trebellianicam vt hæres, & extraneus quilibet. Imò detractio duplicis quartæ locum habet tantùm, si fideicommissum in diem, vel sub conditione relictum est. Si verò fideicommissum purè relictum sit, vnica quarta detrahitur ratione illâ, quòd vbi fideicommissum est purum, vna deductio impedit aliam; nec dici potest vtra quarta debeat prior deduci, vt docent glossa & interpretes hîc, qui mole commentariorum magis obruerunt hoc cap. quàm illustrarint.

TIT. XXVII. *De successionibus ab intestato.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. MVREN. EPISCOPO.

CVM dilectus filius Abbas de Brusia, pro causa, quam aduersus Episcopum Eduen. habebat, diutius expectasset. Abbas proposuit antedictus, quòd Archipresbyter de Alerio, ad participationem orationum monasterio de Brusia obtulit se & sua: · . · . · . Sufficienter intelleximus esse probatum, quòd dictus Archipresbyter agens in extremis velut vltimam exprimens voluntatem, adseruit se & sua monasterio contulisse. Vnde cùm requisitus esset, vt conderet testamentum, respondit se non posse testari: quia se & sua contulerat monasterio supradicto: & licèt vnus testis solus dixerit se vidisse, quando se & sua obtulit monasterio; quia tamen alij testes dixerunt se audiuisse ipsum in Abbatis præsentia, quod prædictum est, confitentem, non tamquam sufficienter probantes, sed tamquam vehementer adminiculantes adsertionem Abbatis plurimùm adiuuabant. Quia verò pars Episcopi adserebat se velle probare, quòd dictus Archipresbyter in extremis laborans tamquam phreneticus alienatus erat mente, vnde non valuit quod expressit: Nos causam illam tibi sub hac forma duximus committendam, quòd nisi præfatus Episcopus legitimè probauerit sæpedictum Archipresbyterum suæ mentis compotem non fuisse, cùm vltimam voluntatem expressit, super impetitione monasterij perpetuum ei silentium imponatur, & compellatur restituere monasterio, quæcunque de bonis ipsius Archipresbyteri vel etiam monasterij occupauit. Si verò legitimè probauerit Archipresbyterum, quæ super vltima voluntate præmissa sunt, alienata mente dixisse, ad faciendam ei nomine parœcialis Ecclesiæ (cuius ipse administrationem gesserat dum vixisset) restitutionem bonorum, quæ ipsius Archipresbyteri fuerant, monasterium condemnetur, cùm idem Archipresbyter ab intestato decesserit: ipsique monasterio super impetitione Episcopi silentium imponatur.

HÆc decretalis integra extat apud Innocent. III. *lib. 1. epist.* CCXLVI. Huius species hæc est. Archipresbyter de Alerio diœcesis Heduensis se & sua obtulit monasterio de Bxeria, quod est Ordinis Cisterciensis in eadem diœcesi; perperam Raimundus legit de Brusia, vulgò *de la Bussiere*. idque ad participationem precum: plerumque enim se dantur Ecclesiæ, non alio sub censu, præter quàm beneficio precum. *cap. 1. de censib.* & in signum oblationis, ab vno è fratribus accepit augmentationem coronæ, id est, latiorem coronam qualem Monachi gestare solent. Post mortem eiusdem, Episcopus Eduensis occupauit bona Archipresbyteri nomine Parochialis Ecclesiæ, tamquam ei quæsita ab intestato: & quædam bona monasterij: vtraque sibi restitui petebant Monachi. Lite contestatâ, receptis hinc inde testibus, satis fuit probatum per testes, quòd Archipresbyter dum ageret in extremis, supremam voluntatem exprimendo, id est, declarando per modum enuntiationis, non dispositionis, verbis enuntiatiuis non dispositiuis asseruit se & sua monasterio obtulisse: & cùm rogatus esset condere testamentum, respondit se non posse testari, quia se & sua obtulerat monasterio. De oblatione bonorum

noo fuit idoneè probatum: vnicus testis fuit, qui deposuit se vidisse, cùm Archipresbyter se, suáque obtulit monasterio: sed adfuerunt alij testes, qui deposueruot se audisse ipsum Archipresbyterom coram Abbate confitentem quod gestum erat; sed quia ex aduerso Episcopus obiiciebat, quòd Archipresbyter sub extrema vitæ non fuit compos mentis, Pootifex causam commisit Niuernensi Episcopo: sic enim restituenda est inscriptio *h. cap.* ex integra Decretali, pro Murneosi, sub hac formula iudicandi, vt bona ablata restituantur monasterio, nisi Episcopus probaoerit Archipresbyterum fuisse emotæ mētis, cùm expressit seu enuotiauit oblatiooem rerum olim à se factam: alioquin bona Archipresbyteri tanquam intestati adiudiceotur Ecclesiæ Parochiali, cui ipse dum vixit, præerat. Frustra videbatur Episcopus adigi ad probandum demētiam Archipresbyteri sub extrema vitæ, cùm bonorum oblatio, quæ erat donatio ioter viuos semel facta ab homine sanæ mentis, non poterat iofirmari ob superuenientem dementiam. Capacitas donandi, vel testandi spectatur tempore dooatioois, vel testameoti: furor superueniens non vitiat testamentum ritè factum ab homine sui compote, *l. qui testamento.* §. *ne furiosus. ff. qui testam. fac. l. furiosum. C. eod.* Sed an Archipresbyter esset sanæ meotis tempore oblatioois, non fuit expensum; quia idooeè non fuit probatum, an Archipresbyter se & sua obtulisset monasterio, nempè id probatum per vnicum testem tantùm. Vt intestan defuocti bona adiudicantur Ecclesiæ. Ecclesia succedit ab intestato Clericis decedentibus sine coosanguineis. Nou. cxxxi. *cap* xiii. *cap.* i. *h. tit. can. vlt.* xii. *qu.* v. aliàs Episcopus ex priuilegio Sedis Apostolicæ, vel ex coosuetudine, vt Altissiodorensis Episcopus, *cap. cùm tibi. de V. S.* Parisieosis etiam Episcopus, de qoo Thomas Cantipratao. de Apib. lib. ii. cap. lv. *Audiuimus de venerabili Guillelmo nato Aluernia, Parisiensi Episcopo, quòd cùm nuntiaretur ei quemdam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de iure Canonico in tribus millibus marcharum succedere deberet eidem, complosis manibus respondit absit hoc à me: sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem.* Eodem iure vsus est Archiepiscopus Eboracensis in Anglia. Matth. Paris ad ano. mclxxxi. *Eodem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus diem clausit supremum* xii. *Kalendas Decembris, qui adhuc viuens à Papa Alexandro priuilegium impetrauerat, vt si Clericus suæ iurisdictioni suppositus agens in extremis testamentum non conficeret, & propriis manibus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem iniiciendi manus in bona defuncti.*

TIT. XXVIII. *De sepulturis.*

CAPITVLVM X.

INNOCENT. EPISCOPO CLAREMONTEN. ET ABBATI MAVRIEN.

IN nostra præsentia constituris Priore Ecclesiæ Montis Ferrandi, & procuratore Hospitalariorum Claremonten. diœc. idem Prior proposuit, quòd prædicti Hospitalarij quosdam parœcianos suos, quorum duo erant intra annos legitimos, receperunt ad Ecclesiasticam sepulturam. Econtrà prædictus proposuit procurator, quòd tam ex priuilegio, quàm ex indulgentia speciali, licet Hospitalariis omnes passim præter excommunicatos & interdictos ad Ecclesiasticam sepulturam recipere, qui apud illos elegerint sepeliri, fideíque commissa in vltima voluntate relicta possunt licenter accipere, solutâ tantummodo quartâ parœciali Ecclesiæ, de cuius parœcia mortuorum corpora adsumuntur, præterquam de equis & armis, quæ indulta sunt ipsis in subsidium terræ sanctæ, de quibus quartam deducere non tenentur: · . · . · Talem super his duximus sententiam profetendam, quòd prædicti Hospitalarij de cætero non recipiant parœcianos Ecclesiæ supradictæ ad Ecclesiasticam sepulturam, nisi apud eos elegerint sepeliri: & tunc parœcialis Ecclesia de oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in vltima dispositione reliquit, præterquam de equis & armis recipiat quartam partem, & Hospitalarij residuum habeant, nisi dolo, vel fraude eorum defunctus inductus fuerit ad dispositionem huiusmodi faciendam. Nihilominus ipsis Hospitalariis iniungentes, vt de quarta trium millium solidorum Priori satisfaciant memorato, cùm constet eos à parœcianis eius illos solidos recepisse, nisi sit sufficienter ostensum, quòd eorum oblati vel conuersi fuissent. Eisdémque præterea duximus iniungendum, quòd nisi probauerint, quòd Gu. parœcianus Prioris, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, vniuersa, quæ ipsius intuitu eius receperunt, Priori restituant memorato: alioquin quartam partem solummodo restituere teneantur. Pro illis verò, quos constat intra annos legitimos decessisse, quæ sepulturæ eorum gratiâ receperunt, restituant vniuersa.

HVius cap. species hæc est. Lis seu quæstio disceptabatur inter Hospitalarios Claromontenses, & Priorem Ecclesiæ Montis-ferrandi, id oomen castro proximo Claremootis ciuitati, de quo

Suger. in vit. Ludouici Crassi: *Claromontem peruenit: cùm autem abertino, & opposita ciuitati castro Montisferrani exercitum applicaret.* Lis erat, inquam, de non recipiendis ab Hospitalariis parochianis Prioris ad sepulturam. Coram iudicibus datis Hospitalarij contendebant sibi licere ex priuilegio omnes, præter excommunicatos & interdictos, recipere ad sepulturam, saluâ quartâ funerum, seu mortuariorum Parœciali Ecclesiæ, de qua corpora assumuntur, exceptis equis & armis in subsidium terræ sanctæ, in quibus cessat quartæ deductio fauore sacræ militiæ, cuius vsui impenduntur. Quarta non deducitur de equis & armis: veteris religionis fuit, vt equi & arma pompam funeris adornarent, vt in funere Pallantis. Virgil. XI. Æneid.

Post bellator equus positis insignibus Æthon
It lachrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alij, galeamque ferunt: nam cætera Turnus
Victor habet; tum mœsta phalanx Teucrique sequuntur
Thyrrenique Duces, & versis Arcades armis.

De huiusmodi equis & armis, quæ ex militari disciplina erant ornamenta pompæ funerum, ab Hospitalariis quartam demi religio fuit, in subsidium belli sacri, quod confirmauit eisdem, & Hospitalariis S. Spiritus Innocent. III. *lib.* I. *epist.* DIII. *& registr.* XIV. *epist.* XX. Nec modò in equis & armis cessat quartæ deductio in gratiam Hospitalariorum; sed etiam in his quæ leguntur in refectionem, vel ornatum ædium sacrarum, vel ad luminaria. *cap. vlt. suprà, de testament.* Olim non fuit libera electio sepulturæ: ibi sepeliendus erat, vbi Sacramenta Ecclesiastica, id est, salutis pabulum in viuis perceperat. *can. vbicumque. can. placuit.* XIII. *qu.* II. quia Parochiani pro seruis Ecclesiæ habentur: & ita accipias velim, quod scriptum est in *can. vnio.* X. *qu.* III. vt Ecclesia, quæ ad decem vsque habuerit mancipia, id est, colonos cum liberis & vxoribus, vnum super se habeat Sacerdotem. Posteà integrum fuit eligere sepulturam in aliena Ecclesia, vel monasterio, dummodò minùs religiosum locum non elegerit. *cap. fraternitatem. hoc tit.* sed hodie nihil interest minùs religiosus sit locus necne. *cap. cùm quis. §. si quis. hoc tit. in* VI. Ab Hospitalariis quarta oblationum, seu funerum relinquitur Ecclesiæ Parœciali, nisi probetur eos, qui apud illos sepulturam elegerint, eorum oblatos vel conuersos fuisse: quo casu omnis quartæ deductio tollitur; quia oblati, seu conuersi sunt de corpore monasterij: etiam liberti sunt de familia Ecclesiæ. *can. octaua.* XII. *qu.* II. Quod superest, vetatur, ne Hospitalarij Parochianos alterius, qui essent intra annos legitimos, id est, impuberes, reciperent ad sepulturam; & si quid pro his offerretur nomine sepulturæ, totum restitueretur Ecclesiæ Parœciali. Impuberes neque testari possunt; neque eligere sepulturam. Electio sepulturæ est pars testamenti. Impuberes non habuêre arbitrium funeris: immo sine pompa funeris de nocte, eos ad faces efferri mos fuit. Seruius in illum locum XI. Æneid.

de more vetusto
Funereas rapuêre faces.

Et magis moris Romani, vt impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immatura sobolis domus funestaretur.

CAPITVLVM XI.

IDEM ARCHIEPISCOPO TVRONEN.

EX parte parentum M. nobis est intimatum, quòd cùm nobilis vir dominus I. de insula Butardi eidem posuisset insidias, quam solicitauerat sæpe de stupro, & ipsa gartionibus, qui eam rapere nitebantur, super quemdam pontem occurreret, tandem fugiens manus illorum, in amnem de ponte cadens fuit casu submersa. Quocirca mandamus, quatenus cùm illa non sponte præcipitauerit se de ponte, sed (sicut superiùs est expressum) casu ceciderit, corpus eius tradi facias ecclesiasticæ sepulturæ: præsertim cùm ex honesta causa fugisse noscatur, & cui communicabatur viuenti, communicandum sit iam defunctæ.

HVIVS cap. species hæc est. Puella quædam Noetha nomine de stupro sollicitata à nobili viro domino Insulæ Bucardi Turonensis diœcesis: raptorum imminentium vim fugiens, de ponte in amnem prolapsa, aquis submersa est: dubitatum est, an tradenda esset ecclesiasticæ sepulturæ, quasi manus ipsa sibi consciuisset. Consultus Pontifex respondit non denegandam ei ecclesiasticam sepulturam, cùm non vltrò se præcipitem dederit: sed coacta raptore persequente; maximè ex honesta causa, nempe vt pudori consuleret. Ratio dubitandi erat, quòd ecclesiasticæ sepulturæ expertes sunt, qui sibi manus consciuerunt. *can. placuit.* XXIII. *qu.* V. Ergo videbatur puella, quæ se in amnem præcipitauit, debere carere ecclesiastica sepultura: sed facilis est solutio. Qui vltrò sibi manus consciuit, priuatur ecclesiastica sepultura: sed aliud in virgine, quæ se misit in flumen, vt pudori consuleret, hoc est genus martyrij, potiùs quàm sui ipsius homicidium. Celebrantur quædam virgines, quas Ecclesia colit vt Martyres, quæ morte propriâ pudicitiam redemerunt; vt Pelagia, quæ cum matre, & sororibus præcipitem se dedit in flumen, ne ab irruente milite violaretur. Ambros. *lib.* III. *de Virginib.* & Sophronia, quæ sibi manus intulit, ne à Maximino Cæsare vim pateretur Eusebio.........................
De his Augustin. de Ciuit. Dei lib. I. cap. XXVI. *Sed quædam (inquiunt) sanctæ fœminæ, tempore perse-*

cutionis, vt insectatores sua pudicitia deuitarent, in rapturum atque necaturum se flumen proiecerunt, eóque modo defuncta sunt, earúmque Martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrimâ frequentantur. De his nihil audeo temerè iudicare, &c. Et hic est vnicus casus, quo virgini licet propriâ manu se conficere, vbi pudicitiæ imminet periculum. Hieronym[illegible] in Ionam cap. I. *Vnde & in persecutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur. can. non est nostrum.* XXIII. *qu.* V.

Capitulum XII.

IDEM NIDROSIEN. ARCHIEPISCOPO.

Sacris est canonibus institutum, vt quibus non communicauimus viuis, non communicemus defunctis: & vt careant ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Vnde si contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab ecclesiastica sepultura iactari. Quòd si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium, cùm licèt non obsit iustis sepultura nulla vel vilis, impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit.

Excommunicatorum corpora arcentur ab ecclesiastica sepultura; quia quibus viuis non communicauimus, eisdem mortuis non communicare possumus, vt docetur in *hoc cap. & can.* I. *&* II. XXIV. *qu.* I. Quòd si per vim, vel alio casu excommunicatorum corpora in ecclesiast[illegible] cœmeterio condita sint, exhumari debent, si ab aliorum corporibus discerni possint: alioqui[illegible] sunt eruenda; ne fortè cum excommunicatorum ossibus, corpora fidelium effodiantur. Sæpe fi[illegible] vt quod quis non potest per se, per alium præstare possit. *l. Aristo. ff. qua res pignor.* Licèt vilis sepultura iustis non obsit: impiis tamen celebris vel pretiosa non prodest, vt additur in *hoc cap.*

Capitulum XIII.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO MAGALON.

Abolendæ consuetudinis peruersitas apud Montempessulan. (vt dicitur) inoleuit, vt decedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persoluatur: ·.·.·. Mandamus, quatenus cùm loci diœcesanus existas, inhibeas Clericis, ne quicquam omnino præsumant exigere hac de causa.

Huius cap. species huiusmodi est. Praua consuetudo inoleuerat apud Montempessulanum Id nomen oppido Galliæ Narbonensis studio Medicinæ celeberrimo. Math. Paris ad ann. MCCLIV. *In partibus Marsiliæ, qua non multùm distant à Montepessulano, vbi floret Physica.* & Cæsarius Heisterbach. de Miracul. lib. VII. cap. XXVI. *Vnde in Montepessulano, vbi fons est artis physica.* Praua, inquam, consuetudo inoleuerat apud Montempessulanum, vt defunctis non priùs permitteretur effodi sepultura, quàm pro terra in qua sepeliendi erant, certum pretium ecclesiæ persolueretur: quare Pontifex mandat Magalonensi Episcopo, cùm loci diœcesanus existat, vt inhibeat Clericis, ne quicquam eo nomine exigatur pro sepultura, vel ipsius officio. Nihil à Clericis exigi potest: aliàs committitur simonia; ne venale videatur ecclesiasticum officium, néve pietatis officium in quæstu, & fœnore ducatur. *can. questa. can. in Ecclesiastico.* XIII. *qu.* II. Synod. Meldens. *can.* LXXII. *cap. non satis. cap. suam nobis. de simon.* In hanc rem Auctor sermon. ad fratr. in Erem. serm. XXXVI. *Numquid missam cantare? numquid baptizare? numquid mortuum sepelire sine pretio, vel promissione dignamini? numquid non citiùs mortem diuitum, quàm corporis sanitatem desideratis videre? Ecce quomodo lupi estis; quomodo omni simonia infecti estis, &c.* laïci tamen tenentur laudabiles, seu pias consuetudines funerarias obseruare. *cap. ad Apostolicam. de simon.*

TIT. XXX. *De decimis, primitiis, & oblationibus.*

Capitulum XXIV.

INNOCENTIVS III. PISTORIEN. EPISCOPO.

A Nobis tua fraternitas requisiuit: ·.·.·. Cùm igitur quilibet decimas soluere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus. Fraternitati t. t. respond.

respond. quòd à dantibus & recipientibus possessiones ad firmam, de fructibus, quos recipiunt, decimæ sunt soluendæ: Nisi ab eis ostendatur, quare ab huiusmodi sint immunes.

CVm locator, & conductor prædij recusarent præstare decimas, alius in alium onus reiicientes, quæsitum est à Pontifice vter teneretur præstare decimas; consultus Pontifex respondit, à dantibus & recipientibus possessiones ad afictum, de fructibus quos percipiunt decimas esse soluendas, nisi probêtur immunes. Ratio dubitandi erat, quòd onus vectigalium pertinet ad dominum non ad conductorem, nisi aliud actum sit; quia vectigal est onus fructuum. *l. 11. c. de annon & tribut.* dominus autem qui percipit pretium fructuum, rem ipsam, fructus ipsos habere intelligitur, *l. quia. ff. de vsufruct.* ergo videbatur idem dicendum in decimis quod in vectigalibus: sed non eadem ratio decimarum, ac vectigalium. Decimæ præstantur à conductore, quia decimæ sunt quota fructuum, & præstantur in ipso prædio, priusquam fructus tollantur è prædio. Locator vel conductor singuli compelli possunt præstare decimas, quia quilibet tenetur soluere decimam, nisi specialiter se probet exemptum, quòd decimæ sint tributa egentium animarum. *can. decima* XVI. *qu.* 1. id est, Clericis præstentur in alimoniam pauperum, & decimæ Deo sint reseruatæ in signum vniuersalis dominii. *c. tua nobis. cap. cùm non sit. infrà. h. tit.* Quilibet tenetur ad præstationem decimarum, nisi specialiter probetur exemptus, puta priuilegio summi Pontificis, vt Cistercienses, Templarij, Hospitalarij. *cap suggestum, cap. ex parte. cap. pen suprà hoc tit.* vel alio titulo, putâ concessione in feudum ab antiquo facta, nempe ante Conc. Lateranense. *cap. prohibemus. suprà. hoc tit. cap. cùm Apostolica. suprà. de his quasi. à prælat. sine consens. Capitul.* Innocentius in ipsa decretali, quæ est *lib.* II. *Epist.* CCXVIII. ait *ad affictum*, pro quo Raimundus ad firmam, eadem significatione. Affictus idem sonat quod censum, pensionem, vel reditum, vt *hic & c. vlt. suprà. de restit. spoliat.* Affictare seu affigere idem quod elocare sub certo & fixo reditu. fictum idem quod fixum.

CAPITVLVM XXV.

IDEM VERCELLENSI EPISCOPO.

TVA. . . . . . Porrò cùm laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ diuina constitutione debentur.

IMPERIALIS concessio, quantumcumque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere; ratio præponitur, cùm laïcis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas. Non licet laïcis quicquam statuere de rebus Ecclesiæ, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. *can. bene.* XXVI. *dist. cap. Decernimus. suprà. de iudic.* Laïci decimas possidere non possunt, nec per consequens vllo tempore præscribere. *cap. causam quæ. suprà. de præscript.* quia decimæ sunt iuris diuini, seu diuina constitutione debitæ, *vt hîc, in fin.* & decimæ à Domino institutæ quasi ex debito. *cap. Parochianos. suprà. h. tit.* Vnde decimas accipere dicitur Episcopus vt homo Dei. Auctor Constit. Apostolicar. lib. 1. cap. XXV. τὰ διδόμενα κατ' ἐντολὴν θεοῦ τὰς δεκάτας, ἢ τὰς ἀπαρχὰς, ὡς θεοῦ ἄνθρωπος ἀναλισκέτω. *Quæ secundùm Dei mandatum tribuuntur, decimas dico & primitias, insumat Episcopus vt homo Dei.* Exemptio decimarum non potest concedi ab Imperatore seu Principe. Solus summus Pontifex potest eximere à decimis; quia etsi non possit dispensare contra diuinam legem, tamen non prohibetur remittere decimas certis personis ex causa, vt monachis, vel laïcis bene meritis de Ecclesia, quia Pontifex habet plenitudinem potestatis in rebus Ecclesiasticis. *cap. 11. de præbend. in* VI.

* Nec occasione decimationis antiquæ (licèt in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ noualium vsurpandæ, cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potiùs restringenda.

Laïci decimas possidere non possunt, nisi ex priuilegio summi Pontificis, vel concessione in feudum facta ab antiquo, putà ante Conc. Lateranense. Concessiones huiusmodi decimarum in feudum post Conc. Lateranense non valent. *cap. quamuis. cap. prohibemus. h. tit.* Concessio autem decimarum in feudum licèt antiqua, id est ante Conc. Lateranense facta, non extenditur ad noualia: cùm enim hoc priuilegium sit contra ius commune, non est extendendum, sed potiùs restringendum. Priuilegia sunt stricti iuris, ideóque extensionem non recipiunt. Hinc priuilegium concessum Cisterciensibus de non soluendis decimis prædiorum quæ propriis manibus excolunt, non pertinet ad noualia, nisi id nominatim expressum sit. *cap. commissum. cap. ad audientiam. suprà. h. tit.*

CAPITVLVM XXVI.

IDEM EIDEM.

TVA nobis f. intimauit, quòd quidam laïci decimas Ecclesiæ à clericis tuis peruersis machinationibus subtrahere moliuntur. Quidam enim ex eis semen & sumptus, qui fiunt in agricultura, dicunt primitus deducendos, & de residuo impendendam decimam adseuerant. Alij verò de portione fructuum, quam à colonis accipiunt, partem decimæ separantes, eam capellis suis aut aliis clericis, aut etiam pauperibus conferunt, vel in vsus alios pro sua voluntate conuertunt. Nonnulli etiam vitam clericorum tanquam abominabilem detestantes, decimas eis ob hoc subtrahere non verentur .·.·.·.·. Verùm si ad Deum (à quo cuncta bona procedunt) adsertores huiusmodi, debitum respectum haberent, ius Ecclesiasticum diminuere non contenderent, nec decimas (quæ tributa sunt egentium animarum) præsumerent detinere. Cùm enim Deus, cuius est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quàm dominus temporalis, cuius statutum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus aut semine separato, necessariò cum integritate persoluitur: nimis profectò videtur iniquum si decimæ, quas Deus in signum vniuersalis dominij sibi reddi præcipit, suas esse decimas & primitias adseuerans, occasione præmissa, vel excogitata magis fraude deminui valeant, cùm Deo debita sit solutio decimarum, in tantum, vt ad eas clericis exhibendas, quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laïci si moniti reddere noluerint, Ecclesiastica sint districtione cogendi. Et cùm de cunctis omnino prouentibus decimæ sint reddendæ, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione culturæ: sic & dominus de portione, quam percepit ratione terræ, decimam reddere, sine deminutione tenetur. Prætextu verò nequitiæ clericorum nequeunt eas (nisi quibus ex mandato diuino debentur) pro suo arbitrio erogare: cùm nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter domini voluntatem .·.·.·.·.·. Quoniam igitur pati nolumus, vt Ecclesiarum & Clericorum iura præsumptione qualibet minuantur: mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam prædiorum decimas Ecclesiis & Clericis tuæ diœc. exhibere tenentur, ad eas cum integritate reddendas adp. remotâ compellas.

TRES regulæ circa decimas ponuntur in *hoc cap.* Prima est, quòd decimæ soluendæ sunt sine deductione seminis, & expensarum, id est non deductis expensis quæ fiunt fructuum percipiendorum causâ: quod præter hunc locum probat *cap. non est. cap. pastoralis, vers. expensas. h. tit.* Ratio dubitandi erat, quòd decima est onus fructuum, fructus verò non dicuntur, nisi deductis sumptibus. *l. quod in fructus. ff. de vsur.* ergo videbatur decimas non esse præstandas de fructibus, nisi deductis sumptibus, qui ipsos fructus deminuunt. Sed decimæ præstantur absque deductione seminis & sumptuum, ob fauorem piæ causæ, quòd decimæ sint tributa egentium animarum, & Deo reseruatæ sint in signum vniuersalis dominij. quæ ratio exponitur in *hoc cap.* desumpta ex *cap. reuertimini, & can. decima.* XVI. *qu.* I. Ac Deus rerum dominus, cui præstantur decimæ, non debet iniquioris esse conditionis quàm dominus temporalis, cui vectigal vel census soluitur non deducto semine & sumptu; & vterque, id est dominus & colonus, decimam persoluunt sine deductione, colonus de parte fructuum quam percipit nomine culturæ, ac dominus de portione fructuum quam percipit ratione soli. Decima præstatur à colono de portione fructuum quam percipit pro cultura, quia decima est onus fructuum. Decimæ dantur à colono ratione diuini obsequij. *can. quæst.* XVI. *qu.* I. & fructus decimati crescunt quasi effusâ benedictione, fructus indecimati dilabuntur. Quod non capit Christus, rapit fiscus. *can. maiores.* XVI. *qu.* VII. & qui non soluit decimam, ad decimam reuocatur. *can. decima* XVI. *qu.* I. Secunda regula est, quòd decimæ personales debentur Ecclesiæ Parochiali, in qua Ecclesiastica sacramenta ministrantur, quia præstantur pro onere ministerij sacramentorum; decimæ verò prædiales debentur parochiæ in qua prædia sita sunt, nisi aliter consuetudo obtineat, vt soluantur parochiæ colentis, si quis in alia parochia, quàm in ea in qua habitat, prædia excolat. *cap. ad apostolicæ. suprà. h. tit. cap. vlt. suprà. de Paroch. cap. vlt. de restit. spoliat. in* VI. Decimæ debentur Ecclesiæ Parochiali, non capellis vel oratoriis, *vt hîc, & can. si quis laïcis. can. Ecclesiæ. can. quicumque. can. quæsti.* XVI. *qu.* I. Et si quis decimas non præstet, districtione Ecclesiastica est compellendus, vt definitur in *hoc cap.* id est multâ pecuniariâ, & excommunicatione; vtrumque genus pœnæ complectitur. *can. statuimus.* XVI. *qu.* I. *Si quis decimas extra baptismalem Ecclesiam dare voluerit, bannum nostrum componat, & communione priuetur.* Cuius sententiæ congruit Capitulare Caroli M. *lib.* VII. cap. V. Decimæ autem petuntur, vel actione in rem, vel in personam, vel officio iu-

dicis; & si agatur petitorio, res disceptatur apud iudicem Ecclesiasticum; si possessorio, apud iudicem regium. Si quis decimas soluat alij quàm parochiali Ecclesiæ, ob nequitiam parochi, non excusatur, cùm nemini liceat rem alienam donare inuito domino, & decimæ præsteotur intuitu Ecclesiæ non personæ. Nequitia clericorum non debet nocere Ecclesiæ, *can. Episc.* XVI. *qu.* VI. Tertia regula est, quòd laïci tenentur præstare decimas reales seu prædiales & personales, appellatione remotâ. Aliæ sunt decimæ prædiales, aliæ persooales, aliæ mixtæ. Prædiales sunt quæ sumuntur è fructibus agrorum, vt frumento, vuis & aliis. Personales, quæ ex lucro quod quis ex industria vel artificio facit, vt de militia, negotio, seu quæstu negotiationis, venatione, vel conductione vectigalium, *cap. Pastoralis. h. tit. can. decima.* XVI. *qu.* I. *can quicumque.* XVI. *qu.* VII. De vtrisque Chrysostom. I. ad Corinth. homil. XLII. τοῦτον δ᾽ οἱ τοὺς ἀγροὺς κεκτημένοι τηρείτωσαν τὸν νόμον ἐν τοῖς προσόδοις, τοῦτον πάντες οἱ τοὺς δικαίως συλλέγοντες φόρους. *Hanc legem etiam seruent qui prædia possident in prouentibus, eam omnes qui iusta colligunt vectigalia.* Mixtæ sunt quæ præstantur ex fructibus pecorum, puta fœtu, lacte & lana. *can. omnes.* XVI. *qu.* VII. Personales in Galliâ explosæ constitutione Philippi Pulchri.

CAPITVLVM XXVII.

IDEM ABBATI SANCTI COLVMBÆ SENONENSI.

EX parte tua: .˙.˙.˙.˙. Cùm tibi, quod maius est, sit concessum, vt videlicet decimas de laboribus terræ parœciarum tuarum, cum integritate percipias: de noualibus eas exigere satis potes: quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur.

HVIVS cap. species hæc est. Abbas S. Columbæ Senonensis; Id nomen monasterio iuxtà Senonas, vbi sumptu regio sustentatus est Thomas Cantuariensis dum Angliâ exularet, vt tradunt Io. Saresber. *epist.* CXCV. *&* CCIII. Auctor Chronici Altissiodor. *ad ann.* MCLXIV. & Cantipratan. *lib.* II. *apum cap* XXVIII. Abbas, inquam, S. Columbæ Senonensis cùm haberet priuilegium percipiendi integrales decimas de laboribus parœciarum suarum, quæsiuit an decimas noualium exactitare ei liceret. Consultus Pontifex respondit, priuilegium percipiendi decimas extendi ad noualia; vbi enim maius concessum sit, minus concessum esse videtur. Ratio dubitandi non deerat, quòd in priuilegiis quæ sunt odiosa & stricti iuris, non valet argumentum à maiori ad minus, & decimis antiquis concessis in feudum, concessio decimationis antiquæ non porrigitur ad noualia. *cap. tua. suprà. h. tit.* Sed longè dispar est ratio; concessio decimarum in feudum non porrigitur ad noualia, quia est odiosa, vtpote iniuriâ, & vi facta in laïcos: at hîc agitur de priuilegio percipiendi decimas in gratiam Monachorum. Item priuilegium percipiendi decimas porrigitur ad noualia ex mente concedentis, quia priuilegium concessum est sub forma pleniori, scilicet percipiendi decimas integraliter de laboribus parœciarum. Malè in summa hoc cap. accipitur de priuilegio non soluendi decimas, apertè enim conceditur priuilegium percipiendi decimas his verbis, *cum integritate percipias.*

CAPITVLVM XXVIII.

IDEM HELIENSI EPISCOPO.

PASTORALIS officij .˙.˙.˙.˙. Explicari postulasti, vtrum quis possit de molendinis, & piscatiis necessarias expensas deducere priusquam soluat decimas ex eisdem, sicut est in negotiatione concessum? Ad quod respondemus, quòd licèt circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cùm ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, & de residuo quasi de lucro decimas persoluendas, vt si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces: Expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de quibus fructus proueniunt, non credimus deducendas, etiamsi fuerint decimatæ: quoniam saluâ decimâ, fructus efficiuntur eorum, qui faciunt ipsas expensas. Fructus autem ipsos alienari posse non credimus, nisi cum onere decimarum. Nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persoluuntur, credimus deducendas expensas, de prouentibus decimandis: quia penes dominum res permanent restauratæ: vt si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur.

DECIMÆ de molendinis & piscariis præstantur deductis expensis, vt decimæ negotiationis, quæ sunt personales; decimæ verò prædiales quæ percipiuntur de fructibus, debentur non deductis expensis, vt distinguitur in *hoc cap. & cap. cùm homines. h. tit.* Ratio distinctionis exponitur in *hoc cap.* quòd fructus fiunt percipientis salua decima, seu cum onere decimarum, vel vt adnotat glossa hîc, in

negotiatione inprimis operatur manus hominis, id est, inprimis ſpectatur induſtria hominis; ſed in fructibus percipiendis magis operatur manus Dei, & ratio tempeſtatum quæ à cælo pendent, & fructus non iure ſeminis ſed iure ſoli, & dominij percipiuntur. *l. Qui ſcit.* § *1. ff. de vſur. l. in fideicommiſſaria. v. fructus autem. ff. ad Trebellian* Decimæ autem perſonales vt negotiationis præſtantur deductis expenſis, ne bis eadem res decimetur, quia pecuniæ quibus emuntur merces iam erant decimatæ. De vna & eadem re duplex decima non eſt ſoluenda, quia nemo duplici onere grauandus eſt, *l. fideicommiſſa. §. ſi quis decem. ff. de legat.* III. Decima piſcationis etiam hodie de conſuetudine præſtatur Agathenſi Epiſcopo in ora Narbonenſi. Nec Paganis ignotum fuit id genus decimæ. Decimam piſcationis thynnorum Corcyræos pependiſſe Ioui Olympio, & Apollini Delphico, ſcribit Pauſan. *in Phocicis.*

CAPITVLVM XXIX.

IDEM.

CVM contingat interdum in tua diœceſi. .·.·.·.·. Cùm in quibuſdam parœciis ad quaſdam Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas ab antiquo pertineat perceptio decimarum, & de nouo fiant noualia in eiſdem, quæris à nobis, ad quem huiuſmodi noualium decima incipiat pertinere? Vnde inquiſitioni t. t. reſpond. quòd cùm perceptio decimarum ad parœciales Eccleſias de iure communi pertineat, decimæ noualium, quæ fiunt in parœciis earumdem, ad ipſas proculdubio pertinere noſcuntur, niſi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis cauſa oſtendatur, per quam adpareat noualium ad eos decimas pertinere.

QVILIBET tenetur ſoluere decimas, niſi ſpecialiter ſit exemptus, *cap. à nobis h. tit.* puta Ciſtercienſes, Templarij & Hoſpitalarij ex priuilegio S. Pontificis. Primus Gregorius VII. exemit Monachos ab onere ſoluendi decimas, cuius ſtatutum refertur ab Alexandro III. in Conc. Lateranenſi *part.* XIII. Conſtitutione Adriani IV. priuilegio modus impoſitus, & ad ſolos Ciſtercienſes, Templarios & Hoſpitalarios coërcitum priuilegium de non ſoluendis decimis prædiorum, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolerent; cæteris verò monachis datum, vt non ſoluerent decimas de noualibus tantùm quæ propriis manibus vel ſumptibus excolerent, & de nutrimentis animalium, & de hortis ſuis, quod ratum habuit Alexander III. *cap. cùm ordinem. ſuprà. de reſcript.* & ſecuti Pontifices, *cap* II. § *Statuimus, h. tit. in* VI. De quo valde indignatur Petrus Bleſenſ Epiſt. LXXXII. ad Monachos Ciſtercienſes. *Qua eſt hæc iniurioſa immunitas, vt exempti ſitis à decimarum ſolutione quibus obnoxia terræ erant antequam veſtra eſſent, vt quæ ſoluta ſunt hactenus non perſonarum obtentu, ſed territorij ratione, ſi in veſtram poſſeſſionem terræ deuoluta ſunt, quare in hoc periclitatur alienum ius: nam ad vos terræ iuxta communem æquitatem cum ſuo onere tranſierunt*, &c. In Ciſtercienſes propenſior fuit Alexander III ób ſingularem operam quam ei nauarunt tempore ſchiſmatis aduerſus Fridericum, qui ob id Ciſtercienſibus adeò infenſus fuit, vt conſilium inierit de his Imperii finibus depellendis, vt narrant Helmold. *lib. Hiſt. Slau. cap.* XCI. & Albert. Krantz. *lib.* VI. *Metropol cap. vlt.* Priuilegium conceſſum Ciſtercienſibus de decimis laborum non extenditur ad noualia, niſi ſpecialiter dictum ſit, vt definitur in *hoc cap.* ratio eſt, quia cùm priuilegium ſit ſtricti iuris, non eſt extendendum ad alios caſus.

CAPITVLVM XXX.

IDEM EPISCOPO BELVACENSI.

CVM in tua diœceſi quædam Monaſteria & conuentuales Eccleſiæ, in multis parœciis maiores decimas percipiant, & minutas de quibuſdam fructibus annuatim perceptis, non fuerunt decimæ perſolutæ: .·.·.·.·. Reſpondemus, quòd ſi fructus prædicti de illa terra proueniunt, de qua Monaſteria vel conuentuales Eccleſiæ aliquos percipiebant ratione decimarum prouentus: eis proculdubio decimæ fructuum debentur eorum, cùm ipſis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat vna eadémque Eccleſia diuerſo iure cenſeri: alioquin parœcialibus Eccleſiis exoluantur, ad quas de iure communi ſpectat perceptio decimarum.

CVM in diœceſi Beluacenſi quædam Monaſteria, & conuentuales Eccleſiæ, maiores & minutas decimas perciperent, id eſt, percipere conſueuiſſent, & de nonnullis fructibus annuatim perceptis, non fuerint decimæ perſolutæ, per tempus ſcilicet XL. annorum, quod eſt idoneum tempus ad præſcribendum aduerſus Eccleſiam. *cap. de quarta. ſuprà. de præſcript.* quæſiuit Beluacenſis Epiſcopus an decimæ fructuum prædictorum de quibus decimæ non ſunt perceptæ, pertineant ad

parochiales Ecclesias, quæ nec maiores, nec minores percipiunt; an ad Monasteria, vel conuentuales Ecclesias, quæ alias decimas ab antiquo percipiunt, debeant pertinere. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* decimas prædictorum fructuum deberi Monasteriis vel Ecclesiis conuentualibus, quæ decimas aliorum fructuum percipere consueuerunt, cùm ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat vna eadémque Ecclesia diuerso iure censeri. Ratio dubitandi erat, quòd iure communi perceptio decimarum spectat ad parochialem Ecclesiam, vt subiungitur in fine *h. cap. & cap. prox. suprà. h. tit.* ergo in dubio decimæ fructuum, de quibus Monasterium vel Ecclesia conuentualis per tempus quicquam consecutum non est, videbantur pertinere ad Ecclesiam parochialem, quæ in decimis habet fundatam intentionem de iure communi. Sed Monachi vel Clerici regulares percipiendo decimas è certis fructibus in aliena parochia, tuentur decimam aliorum fructuum. Præscriptio decimarum è quibusdam fructibus, impedit præscriptionem decimarum in aliis fructibus. Qui percipit decimas de quibusdam fructibus, alias percipere debet ratione iam præmissa, quòd vna eadémque Ecclesia non debet diuerso iure censeri, vt ostenditur *hic, & cap. quia circa. infrà. de privileg. can. cognominus.* XII. *qu.* 1. *l. eum qui. in fin. ff. de vsucap.* Ita & iure ciuili per vsum partis tota seruitus retinetur. *l. si stillicidij.* §. 1. *ff. quemad. seruit. amitt. l. is qui vsumfructum. ff. quib. mod. vsusfruct. amitt.* & solutio partis debiti totius debiti præscriptionem interrumpit, *l. vlt. C. de duob. reis.*

CAPITVLVM XXXI.

IDEM VESPRIMENSI EPISCOPO.

DVDVM aduersus fratres Hierosolymitanos hospitalis sancti Stephani te proponente in nostra præsentia quæstionem, quòd ipsi decimas de laboribus rusticorum suorum Vesprimensi Ecclesiæ debitas non permitterent tibi solui: .·.·.·. Comparentibus igitur te ac ipsis statuto termino coram nobis, G. Presbyterum Cardin. tibi & eis concessimus auditorem, coram quo decimas terrarum, quæ per rusticos hospitalis Vesprimensis diœc. excoluntur, & de chiropha & de nouacularia Ecclesias, quæ per ipsos Hospitalarios detinentur, intentione tua de iure communi fundata, petisti. Prior autem hospitalis in prædictis decimis & Ecclesiis præscriptionem allegans, proposuit se non teneri tibi super his respondere. Quod cùm per auditorem ad nostram audientiam peruenisset: mandamus, quòd idem Prior præscriptionis titulum, quam allegauit, probaret: qui B. regis ac reginæ Hungariæ priuilegia exhibuit, qui Ecclesiam sancti Stephani, ad quam dictæ Ecclesiæ cum eisdem decimis pertinebant, in perpetuam eleemosynam hospitali donationis titulo concesserunt, confirmationis Clementis Papæ prædecessoris nostri scriptum exhibens, per quod probare volebat concessionem prædictam plenum habere vigorem: .·.·.·. Cæterùm ex parte tua fuit propositum, quòd in decimis & Ecclesiis à rege & regina donatis, præscriptionem non poterat opponere pars aduersa, quæ nec à donatione ipsorum initium habere poterat, nec à confirmatione præfata tantum effluxit temporis, quòd possit præscriptio confirmari, & sic donationis regis ac reginæ allegatus titulus nullus erat, cùm sacrilegij crimen incurrat, qui Ecclesias vel Ecclesiasticum aliquid de manu receperit laicali: .·.·.·. Nos igitur cùm donatores prædicti conferre non potuerint aliis, quæ ipsi de iure non poterant possidere, & per confirmationem prædicti Clementis super Ecclesia S. Stephani hospitali, cum decimis & aliis pertinentibus à se factam, etiamsi authentica appareret, iuri Episcopali nullatenus derogetur: sententialiter prohibemus ne fratres hospitalis præsumant vlteriùs impedire, quominus decimas percipias memoratas, & pacificè possideas in futurum.

HVIVS cap. species hæc est: Vesprimensis Episcopus, hic est suffraganeus Archiepiscopi Strigoniensis in Hungaria, apud Pontificem conquestus est quòd fratres Hierosolymitani hospitalis S. Stephani Vesprimensis diœcesis de laboribus rusticorum suorum non ferrent decimas solui. Die dicta partibus, & auditore eis dato litis instruendæ gratiâ, Vesprimensis Episcopus petebat decimam solui Vesprimensi Ecclesiæ per rusticos seu colonos hospitalis, fundata intentione de iure communi; Hospitalarij enim habent quidem priuilegium non soluendi decimas de laboribus suis, id est, de prædiis quæ propriis manibus excolunt; sed quoad prædia quæ per colonos excoluntur, vtuntur iure communi. Prior autem hospitalis opponebat, se præscriptione tutum esse à soluendis decimis. Re reiecta ad Pontificis audientiam, Pontifex interlocutus est, vt Prior hospitalis doceret de præscriptionis titulo quem allegabat. In rebus Ecclesiasticis præscriptio requirit titulum & bonam fidem, *cap. licet causam. de probat. & cap. si diligenti de præscript.* maximè vbi præscriptioni resistit ius commune,

cap. 1. eod. tit. in VI. vt hîc in concessione decimarum factâ Hierosolymitanis, qui decimas non possident nisi ex priuilegio, quod est contra ius commune. In executione huiusce sententiæ interlocutoriæ Prior Hospitalis Belæ Regis Hungariæ, ac Reginæ priuilegia produxit, quibus Ecclesia S. Stephani cum eisdem decimis in perpetuam eleemosynam hospitali donationis titulo concessa erat; vnà & idem produxit tabulas confirmationis Clementis III. & Lucij III. Pontificum. E contrario Vesprimensis Episcopus opponebat in decimis à Rege & Regina concessis præscriptioni locum non esse, quòd à donatione laici initium sumere non potuerit. Præscriptio cuiuscumque temporis locum non habet vbi apparet de vitio tituli. Nec erat quòd spectaretur confirmatio, quia ab ea non effluxerat tempus legitimum ad implendam præscriptionem: item confirmatio non derogabat iuri Episcopali, quia non fuit facta ex certa scientia, vt exponitur in antiqua. His hinc inde expensis vetuit Pontifex ne Hospitalarij impedirent decimas solui Vesprimensi Ecclesiæ de laboribus rusticorum suorum.

CAPITVLVM XXXII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

IN aliquibus regionibus quædam permixtæ sunt gentes, quæ secundùm suos ritus decimas de more non soluunt, quamuis censeantur nomine Christiano: his nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, vt decimis defraudantes Ecclesias, maiores inde reditus adsequantur. Volentes igitur super his Ecclesiarum indemnitatibus prouidere: statuimus, vt ipsi domini talibus personis, & taliter sua prædia excolenda committant, quòd absque contradictione Ecclesiis decimas cum integritate persoluant, & ad id, si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur.

NONNVLLIS in regionibus quædam commixtæ erant gentes, quæ secundùm suos vsus decimas non soluebant, quamuis censerentur nomine Christiano, vt Græci & Armenij. Huiusmodi personis plerumque domini prædiorum prædia locabant, vel partibus colenda tradebant, vt decimis fraudantes Ecclesias, maiores inde reditus consequerentur. Ob id vt Ecclesiarum indemnitati consuleretur, in Concilio G. Lateranensi statutum est, vt ipsi domini prædiorum talibus personis, id est fidelibus viris, & taliter sua prædia excolenda tradant, id est sub tali pacto, vt decimarum onus in se recipiant & vt decimas integrè persoluant, & si opus fuerit, ad id per censuram Ecclesiasticam compellantur. Ius nouum non statuitur hîc: iure enim Pontificio à dantibus & recipientibus decimæ sunt persoluendæ. *cap. à nobis. suprà. h. tit.* & pœna non soluentium decimas iam olim fuit excommunicatio. *can. statuimus.* XVI. *qu.* I.

Illæ quippe decimæ necessariò soluendæ sunt, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine adprobata.

Ex eodem Conc. G. Lateranensi decimæ necessariò præstandæ sunt, quæ debentur ex lege diuina, vel loci consuetudine approbata. Videtur secum pugnare Pontifex in eo quod ait decimas deberi iure diuino, vel consuetudine; si enim admittamus decimas deberi de iure diuino, non possunt præscribi, ergo neque consuetudine tolli vel diminui. *can quicumque.* XVI. *qu.* VII. *cap. cùm homines. suprà. h. tit* Contra ius naturale seu diuinum nullo tempore præscribi potest, *cap. vlt. suprà. de consuetud* Variè hunc locum accipiunt interpretes. Bernardus & Innocentius existimant eum intelligi de consuetudine loci in præstatione decimarum, quoad Ecclesias quibus soluendæ sunt, cùm quæritur an decimæ præstandæ sint parochiali Ecclesiæ, in quâ prædia sita sunt, vel illi in quâ audiuntur diuina officia, & percipiuntur Ecclesiastica sacramenta, nam in præstandis decimis huic vel illi Ecclesiæ, consuetudo loci spectatur, *cap. cùm sint homines. cap. ad Apostolica. h. tit.* sed hæc interpretatio repugnat verbis textus, qui disertè conceptus est de ipsis decimis præstandis, non de Ecclesiis quibus decimæ præstantur. Alij hanc consuetudinem interpretantur de consuetudine circa quotam decimarum quæ à Pontifice approbata sit. Verùm hæc sententia pugnat cum ipso textu, qui loquitur tantùm de loci consuetudine approbata, nullâ factâ mentione Pontificis. Alij huiusmodi consuetudinem referunt ad mores Teutonicorum, apud quos certi corbes, vel mensuræ frugum dantur pro decimis, etsi nulli fructus proueniât, propter incertum fructuum euentum; sed hæc interpretatio facilè exploditur, nec enim decimæ debentur nisi pro perceptis fructibus. Hostiensis hunc locum intelligit de prædialibus & personalibus decimis, quas inter hanc distinctionem ponere videtur, quòd prædiales debentur iure diuino, & integrè soluendæ sunt iuxta modum lege diuinâ constitutum, quem Ecclesia ex veteri Testamento desumptum in vsum reuocauit; personales præstantur ex consuetudine, quòd in his præstandis consuetudo loci spectetur: sed absona est huiusmodi distinctio inter prædiales & personales decimas, quia decimæ indistinctè debentur iure diuino, *cap. Parochianos. cap. tua. cap. tua nobis. infrà. h. tit.* Probabilior sensus huiusce §. est decimas præstandas vel iure diuino, id est intra modum lege diuinâ constitutum, vt se habet cùm soluuntur integræ decimæ; vel de consuetudine, etsi enim ius

decimarum præscribi nequeat, quota decimarum consuetudine præscribi potest. Ita vt augeatur, vel minuatur, & maior vel minor pars quàm decima præstetur, quamuis decima vllo tempore non possit tolli in totum, quota decimarum potest minui tempore immemoriali, vt notat glossa hîc. Item valet consuetudo ne ex certis fructibus putà minutis, quales sunt fœnum, oleum & similia, decimæ præstentur, vt transactione pars decimæ remitti potest, *cap. ex multiplici. h. tit. cap. veniens. suprà. de transact.* & hoc est quod vocant *dismes abonées.*

CAPITVLVM XXXIII.

IDEM IN EODEM.

CVM non sit in homine, quid semen serenti respondeat, quoniam iuxta verbum Apostoli, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: ipsum quidem mortificato semine plurimum fructum adfert: nimis auarè quidam in decimis defraudare nituntur census & tributa, quæ interdum indecimata prætereunt, de fructibus primitus deducentes. Cùm autem in signum vniuersalis dominij, quasi quodam titulo speciali, sibi Dominus decimas reseruauerit: nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obuiare volentes, statuimus, vt in prærogatiuam dominij generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi ad quos census, vel tributa indecimata peruenerint, (quoniam res cum onere suo transit) ea per censuram Eccles. decimare cogantur Ecclesiis, quibus de iure debentur.

EX eodem Conc. III. Lateranensi decimæ debentur è fructibus, non deductis vectigalibus & tributis; quia in signum vniuersalis dominij, quasi quodam speciali titulo, Domino reseruatæ sunt. Quæ ratio desumpta est ex *can. reuertimini.* XVI. *qu.* I. Eadem & ratione decimæ debentur non deductis expensis, *cap. tua nobis. suprà. h. tit.* Quòd si exactio tributorum & censuum præcedat solutionem decimarum, etiam dominus temporalis ad quem census vel tributa indecimata peruenerint, ea per censuram Ecclesiasticam decimare compelluntur Ecclesiis quibus iure communi debentur decimæ, quia res transit cum onere suo. Vectigal transit in Principem, vel dominum temporalem, cum onere decimæ si priùs de fructibus soluta non fuerit; quia res transit cum onere suo. *cap. Pastoralis. suprà. h. tit. alienatio. ff. de contrah. empt.*

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM IN EODEM.

NVPER Abbates Cisterciensis Ordinis in generali Concilio congregati, ad commonitionem nostram prouidè statuerunt, ne de cætero fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi fortè pro monasteriis nouiter fundandis. Et si tales possessiones eis fuerint pia fidelium deuotione collatæ, aut emptæ, pro monasteriis de nouo fundandis, committantur aliis excolendæ, à quibus Ecclesiis decimæ persoluantur. Ne occasione priuilegiorum suorum Ecclesiæ vlteriùs prægrauentur: decernimus, vt de alienis terris, & amodo adquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas persoluant Ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea soluebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus priuilegiis, extendi volumus, & mandamus, vt Ecclesiarum prælati promptiores, & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitiæ complementum, eorúmque priuilegia diligentiùs & perfectiùs studeant obseruare.

IVRE communi Monachi decimas è prædiorum suorum fructibus præstitare tenentur. *cap.* III. *&* IV. *h. tit.* quia laïcorum iure in his censentur. Primus Paschalis II. Religiosis omnibus remisit decimas laborum suorum, hoc est prædiorum quæ propriis manibus & sumptibus excolerent, *can. decimas.* XVI. *qu.* I. Constitutione Hadriani IV. huiusmodi priuilegium restrictum est ad Cistercienses, Templarios & Hospitalarios. *cap. ex parte suprà. h. tit.* Sed quia Cistercienses paruis initiis in immensum excreuerunt, & deuotione fidelium vel exemptione latifundiis ditati sunt, quorum decimæ hoc pacto tollebantur Ecclesiis, paulo ante Conc. G. Lateranense statutum est in Capitulo G. Cisterciensis Ordinis, ne in posterum fratres ipsius Ordinis prædia compararent, nisi fortè pro fundandis de nouo monasteriis. Multa singularia introducta sunt in iure fauore fundationis monasteriorum; vt Episco-

po licet donare vsque ad quinquagesimam è censu Ecclesiæ pro fundatione monasterij. *can. bona rei.* XII. *qu.* II. Antè etiam in Capitulo gen. einsdem Ordinis statutum fuit, anno Christi MCLI. ne numerus Monasteriorum huiusce Ordinis deinceps ampliaretur; iam enim surrexerat vsque ad quingenta. Matth. Paris. *In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui nouam construerent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis vsque ad quingentas excreuit.* Immò & constitutione Alexandri III. vetitum ne Cistercienses contra Ordinis regulam, villas, ecclesias & altaria possiderent, fidelitates & hominia benignè susciperent, iustitiarias & tributarias tenerent, *cap. recolentes. infrà. de stat. Monach.* Tandem in Concilio G. Lateranensi priuilegium Cisterciensium de decimis non soluendis redactum est ad prædia quæsita ante Conc. ac decretum vt Cistercienses decimas soluerent de alienis prædiis, quæ scilicet conducta tenerent.

TIT. XXXI. *De Regularibus, & transeuntibus ad religionem.*

CAPITVLVM XVIII.

INNOCENTIVS PRIORI ET CONVENTVI DIMOLIENSI.

LICET quibusdam Monachis & Canonicis, necnon Hospitalariis & Templariis à Sede Apost. sit indultum, ne postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis inuitis arctioris etiam religionis obtentu transire, vt vnusquisque secundùm Apostolum in ea vocatione permaneat, in qua dignoscitur esse vocatus. Quia tamen vbi spiritus Dei est, ibi libertas: & qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto: ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel leuitate in iacturam vel iniuriam sui Ordinis sub prætextum maioris religionis, ad alium Ordinem transuolaret, sicut frequenter à multis constat esse præsumptum: non quidem vt ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, vt non fictè, sed verè ad frugem melioris vitæ valeat transmigrare. Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulauerit, ex lege priuata (quæ publicæ legi præiudicat) absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterua indiscreti contradictione Prælati: quia priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Cùm etiam Romanus Pontifex, qui supremam in Ecclesia obtinet potestatem, Archiepiscopis & Episcopis cedendi licentiam ex iusta causa petentibus sine difficultate concedat. Quocirca nouerint vniuersi, quibus huiusmodi priuilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de iure teneri: quia sicut subditus à prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur; sic profectò prælatus subdito sine difficultate & prauitate qualibet, debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impeditè diuinitus inspiratum. Si verò probabiliter dubitetur, vtrum quis velit ad Ordinem arctiorem aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, superioris est iudicium requirendum: ne fortè angelus Sathanæ in lucis angelum se transformet. Illa semper regula inuiolabiliter obseruata, vt nullus absque licentia Romani Pontificis præsumat occasione quacunque deserere præsulatum: quoniam sicut maius bonum, minori bono præponitur: ita communis vtilitas, speciali vtilitati præfertur. Et in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti. Ad quod vtique designandum vnigenitus Dei Filius Iesus Christus non de Rachele secundùm carnem natus est, sed de Lia: nec legitur eum in domum suam Maria recepisse, sed Martha. Vnde quando potest Episcopus prodesse pariter & præesse, non debet cedendi licentiam postulare, aut etiam obtinere. Cùm ergo R. monachus vester ad fratres Cisterciensis Ordinis transmigrauerit, non vt Ordini vestro aliquatenus derogaretur, sed vt apud eos vitam duceret arctiorem: mandamus, quatenus super eo, quòd de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenus molestetis: quia charitas est fons proprius, cui non communicat alienus.

MONACHVS

MONACHVS semel professus potest transire ad aliam arctiorem religionem, petitâ à Superiore licentiâ, etiam non obtentâ. quod enim quibusdam religiosis à Sede Apostolica indultum est, ne semel professi possint transire ad aliam religionem districtioris vitæ obtentu, putà Canonicis regularibus. *can. mandamus. can. statuimus.* XIX. *q.* III. *cap. intelleximus. suprà. de ætat. & qualit. & ord. præf.* interpretandum est ne temerè, & in iniuriam prioris Ordinis fiat transitus: sed non vetatur transitus si fiat non fictè, sed vero studio melioris vitæ, quia vbi spiritus Dei ibi libertas. Nec Prælatus petenti debet denegare licentiam transeundi, cùm etiam Romanus Pontifex, qui summam in Ecclesia obtinet potestatem, Episcopis ex iusta causa petentibus cedendi licentiam sine difficultate concedat. Episcopus scilicet non potest renuntiare Episcopatui, & transire ad religionem sine auctoritate summi Pontificis, vt docetur *hîc, & cap. nisi cùm pridem. suprà. de renunciat. can. suggestum.* VII. *qu.* I. *can. sciscitaris. eadem causa qu.* V. quia ordo Episcopalis est perfectior statu Monachorum. Sed professus non prohibetur transire ad arctiorem religionem, petitâ à Superiore licentiâ nec obtentâ, cùm fiat studio perfectioris vitæ: aliàs Monachus non potest transire ad laxiorem religionem, præterquam de licentia summi Pontificis, idque ex iusta causa, putà infirmitatis, vel alia, *gloss. in c. p. singulis. §. prohibemus. verb. canonici. de præbend. in* VI. Nec mendicantibus licet transire ad aliam religionem quàm ad Cartusianam. *extraneo viam ambitiosa h. tit. in* VI.

CAPITVLVM XIX.

IDEM PRÆPOSITO, ET DECANO, ET SCHOLASTICO DEMERENSI Coloniensis Diœcesis.

VENIENS ad Apostol. Sed. G. mulier supplici nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm matrimonium cum E. in facie Ecclesiæ contraxisset, & diutiùs cohabitasset eidem, orta est dissensio inter ipsos, in tantum, vt quòd deinceps alter non requireret alterum, vterque corporaliter præstitit iuramentum; hanc vir ipse diuortij causam adsignans, quòd quandam ipsius mulieris amitam cognouisset antequam eam duceret in vxorem: quod licet adsererent quamplurimi, non fuit super hoc Ecclesiæ facta fides. Cùm autem postmodum ad secunda vota conuolasset vterque, secundo viro viam vniuersæ carnis ingresso, priore superstite, dicta mulier se fecit in arcto loco ad pœnitentiam agendam includi, postulans vt ei dignaremur impendere consilium salutare. Nos igitur adtendentes, quòd illud fuit illicitum iuramentum: mandamus quatenus præfatum virum monitione præuia compellatis, vt eâ, quam superduxit, exclusâ, præfatam mulierem recipiat: audituri postmodum si quid fuerit quæstionis. Si verò contra matrimonium nihil fuerit ostensum, & vir sæculo derelicto maluerit ad regularem vitam migrare, vos ei super hoc licentiam tribuatis, vt & illa possit in suo proposito permanere.

HVIVS cap. species eiusmodi est. Vir & vxor, post nuptias in facie Ecclesiæ, id est coram proprio parocho contractas, & diutinam cohabitationem, suborto dissidio inuicem corporali iuramento se obstrinxerunt, ne deinceps alter alterum requireret; hac de causa quòd vir dicebat se ante nuptias cognouisse amitam vxoris suæ, quæ erat iusta causa diuortij si de ea liqueret. Postmodum cùm vterque ad secundas nuptias transiisset, secundo viro demortuo priore superstite, dicta mulier se fecit in arcto loco seu cellula pœnitentiæ causâ includi. Solebant hac ætate etiam mulieres pœnitentiæ causâ in cellulis recludi; quas reclusas vocabant. Eadmerus lib. x. *Ad sanctum Herencum quadam vice ascendens diuerti ad oratorium B. Mariæ Magdalenæ duabus ancillis Dei iuxta idem oratorium pro Deo reclusis locuturus.* Anselmus lib. III. epist. XV. *Sanctimonialibus per Normanniam inclusis, & Claustralibus.* Cæsarius de Miracul. lib. IV. cap. XXXIX. *Qua Christo quasi de victoria gratias agens, cellam sibi fieri fecit, in qua ab Episcopo velata & reclusa ipsi soli sola satis denotè per dies aliquot seruiuit.* Eadem de statu suo consuluit Pontificem. Pontifex, quia illicitum fuit iuramentum quod est præstitum à viro & vxore de non requirendo inuicem coniugali obsequio, quod nequaquam præstitum fuerit continentiæ seruandæ desiderio, sed impetu iræ & offensæ, mandauit vt præfatus vir abiectâ eâ quam superduxit, præfatam mulierem recipiat; cogniturus postea si quid fuerit quæstionis, id est si quæ causa fuerit diuortij: si verò nihil probatum fuerit contra matrimonium, & vir si velit habeat potestatem migrandi, & illa possit in suo proposito, id est reclusionis, permanere. Matrimonium enim soluitur professione regulari velut morte, si ambo coniuges religionem ingrediantur. *l. sancimus. §. vlt. C. de Episc. & Cleric. Nou. Instit.* V. *cap.* V. *& Nou.* XXII *cap.* V. *can. scripsit nobis.* XXVII. *qu.* II.

LII

CAPITVLVM XX.

IDEM ABBATI DE AFFLIGENSI ET MAGISTRO R. ET G. Canonicis Traiectensibus.

CONSVLTI sumus frequenter à multis, vtrum is qui monasterium ingressus est, habitum sumendo nouitij, si ante professionem emissam intra tempus probationis exire voluerit, licitè possit absque apostasiæ nota vel noxa, præsertim cum debita morum correctione ad seculum remeare. Licèt autem super hoc senserint diuersi diuersa, nos tamen credimus distinguendum, vtrum is, qui conuertitur, proposuerit absolutè vitam mutare, vt sub habitu regulari omnipotenti Deo de cætero famuletur: an conditionaliter experiri obseruantiam regularem, vt ita demum si intra annum sibi placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam; aut si fortè non placuerit, moribus emendatus ad statum reuertatur pristinum. In primo casu debet, vt regulariter viuat, ad laxiorem saltem regulam pertransire. In secundo potest ad seculum, non tamen vt viuat seculariter, remeare. Vt ergo quæ sit eius intentio pleniùs agnoscatur, propositum suum in principio protestetur.

CAPITVLVM XXI.

IDEM.

POSTVLASTI: .:.:.:.:. Tertiò quæsiuisti, vtrum illi, qui in annis minoribus constituti nouitiorum habitum susceperunt, & intra annum postmodum non factâ professione, ad seculum sunt reuersi, & Episcopis suis hoc scientibus ad sacros ordines sunt promoti, sustineri debeant in illis Ecclesiis ministrare, in quibus sunt ab eisdem Episcopis instituti. Nos fraternitati tuæ taliter respon. quòd propter hoc non sunt ab Ecclesiis ipsis amouendi, sed in eis possunt liberè ministrare.

NOVITII intra annum probationis ante professionem emissam liberè ad seculum redire possunt. *cap. statuimus. infrà h. tit.* id est impun: absque apostasiæ notâ, vel noxâ, vt Pontifex ait in hoc cap. *consulti*. Et quod ibidem subiungit Pontifex, distinguendum, vtrum quis absolutè Monasterium ingrediatur animo profitendi religionem, quantumcumque duram, & asperam expertus fuerit, an conditionaliter obseruantiam regularem experiundi animo; Et in primo ingressum Monasterium si infra annum placuerit, vt religionem profiteatur, debere ad laxiorem religionem transire; in secundo posse ad seculum redire, non tamen vt seculariter viuat, consilij magis est quàm præcepti. Ingrediens Monasterium si intra annum probationis beneficium dimiserit, potest liberè recedere & redire ad beneficium. *can. Gonsaldus.* XVII. *qu* II. Et nouitij ad seculum redeuntes possunt promoueri ad ordines & beneficia Ecclesiastica, vt probatur in *hoc cap. postulasti.*

TIT. XXXII. *De conuersione coniugatorum.*

CAPITVLVM XIII.

INNOCENTIVS III. PISANO ARCHIEPISCOPO.

AD Apostolicam Sedem: .:.:.:.:. Cùm autem vir & vxor vna caro sint per copulam coniugalem effecti: nec vna pars conuerti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere: profectò non est alter coniugum recipiendus ad obseruantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: sed & vitam debet mutare, nisi fortè sit eius ætatis, vt sine suspicione incontinentiæ valeat in seculo remanere.

MATRIMONIVM soluitur conuersione, id est professione religionis. Coniugati conuerti dicuntur, cùm soluto matrimonio & toro ad religionem se conuertunt. Conuersus dicitur qui ad meliorem frugem se vertit. Augustin. de hæresib. ad. Quodvultdeum: *Nolentes orare cum Conuersis, id est his qui in persecutione ceciderunt vel schisma fecerunt.* Et idem de tempor. serm. LXXIV. *Conuersi sunt, baptizati sunt, ad mensam Domini accesserunt.* Hac analogia Christus cùm Petrum Ecclesiæ principem elegit, huic dixit: *Tu autem conuersus confirma fratres tuos.* Luc. XXII. Matrimonium soluitur Monachismo velut morte, quia professus pro mortuo habetur. *can. placuit.* XVI. *qu.* I. Vnde eleganter Balsamo in *can.* VI. *Synod. Constantinopolit. I. & II.* vocat Monachismum

νεκρωτικὴν διαγωγὴν mortificantem vitæ rationem. Et quidem si matrimonium nondum sit consummatum, alter coniugum inuito altero potest profiteri religionem, alter verò remanens in seculo non arcetur à secundis nuptiis. *cap. verum. cap. ex publico. h. tit. can. decreta.* XXVIII. *qu.* II. *l. sancimus. l. Deo nobis. C. de Episc. & cleric.* Consummato matrimooio, vnns coniugum non potest profiteri, nisi alter religionem quoque amplectatur, vel saltem continentiam spondeat si eius sit ætatis, vel debilitatis vt sioe suspicione incontinentiæ in seculo remanere possit; vt definitur in *hoc c. & cap. vxoratus. h tit.* & ita responsum à Nicolao, in causa Lotharij & Thetbergæ, non licere vxori vitam priuatam, id est singularem seu solitariam eligere, nisi coniux eius eandem vitam expetierit. *can. scripsit nobis.* XXVII. *qu.* II. quem laudat Regino II. *Chronic.* & Lupus Ferrar. *epist.* XXIX. Mulier quæ semel consensit viro profitenti, non est compellenda inire religionem, si huiusmodi sit ætatis, vt in eam non cadat suspicio transgressionis voti continentiæ. *cap. significauit. infrà. h. tit.* quod est Honorij III. perperam apud Gregorium tribuitur Innocent. III. nec feliciùs inscribitur Linconiensi Episcopo, cùm omnes MSS. Codices adscribant Lingonensi, & agatur de muliere quæ consensit profitenti coram Decano S. Quiriaci Pruuinensis, vices agente Archiepiscopi Senonensis. Consummato matrimonio requiritur vtriusque coniugis consensus, quia continentia est magis voti & consilij quàm præcepti. *can. integritat.* XXXII. *qu.* I.

CAPITVLVM XIV.

IDEM LVGDVNENSI ARCHIEPISCOPO.

EX parte tua est intimatum, quòd cùm quædam mulier velum viduitatis coram duobus Abbatibus adsumpsisset, benedictione solemni, cum celebratione Missæ ac litania (sicut debuit) accedente, quidam nobilis proponebat se priùs mulierem ipsam mediantibus internunciis per verba de præsenti, arra etiam interposita, desponsasse : .·.·.·.·.·.·. At illa se in illum consensisse confessa, dixit, quòd audierat eum esse lepra percussum : & ob hoc eius fuerit abominata complexus : .·.·.·.·.·.·. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd etsi possit non inconsultè videri, quòd ex quo matrimonium inter legitimas personas, per verba de præsenti contrahitur, illis viuentibus in nullo casu possit dissolui, vt viuente reliquo alter ad secunda vota transmigret, etiamsi vnus fidelium, inter quos est ratum coniugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia creatoris : nisi fortè secùs fieret ex reuelatione diuina, quæ superat omnem legem : sicut à quibusdam Sanctis legitur esse factum. Nos tamen nolentes à prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconsulto, ad religionem transire, ita quòd reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari : hoc ipsum tibi consulimus obseruandum in articulo prænotato, quamuis falsa sit causa, per quam ad susceptionem veli prædicta mulier est inducta, cùm sine qualibet tali causa idipsum religionis obtentu facere potuisset. Porrò licèt prædicta mulier videatur in veli susceptione religionis habitum adsumpsisse, si tamen velit in domo propria remanere, quasi propositum castitatis in seculo seruatura, nihilominus consummandum est matrimonium iam contractum : nisi se voto adstrinxerit ad obseruantiam regularem : in quo casu compelli potest, vt relicto seculo religionis propositum exequatur.

HVIVS cap. species hæc est: Mulier quædam coram duobus Abbatibus velum viduitatis assumpsit in Missa soleoni accedente letaniâ, vt moris est. Fuere non modò virgines, sed etiam viduæ religionis causâ velatæ, quæ in Monasteriis vel propriis ædibus continentiam coluerunt. *can. de viduis, & passim* XXVII. *qu.* I. Matth. Paris ad ann. MCCLI. *Hæc mulier Cecilia* (de Sauford) *in præsentia S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi, cum Ioanna Comitissa de Pembroc tunc vidua votum fecit satis solenne de viduali continentia obseruanda, cúmque annulo sponsali vestem accepit de russeto, quibus in testimonium perpetui celibatus vteretur, sicut & discipula eius Comitissa Ioanna.* Viduas velare etiam presbyteris licuit. *can. vidua.* XX. *qu.* I. Conc. Paris. lib. I. cap. XL. Quidam nobilis proposuit se priùs mulierem ipsam per verba de præsenti arrhis interpositis per internuntios desponsasse ; mulier non negauit se in illum conseosisse, sed quia audiuit hominem leprâ percussum, nuptias exhorruit. Quæsitum est vtrum huiusmodi veli susceptio, inter eos matrimooium impediret. Consultus Pontifex respondit, quòd licèt matrimonium contractum per verba de præsenti, nullo casu possit dissolui; quod præter hunc locum probatur. *cap. pen. infrà. de sponsalib.* etiamsi vnus fidelium inter quos ratum est coniugium labetetur in hæresim; vt *hic & cap. quanto. infrà. de diuors.* tamen re integra, id est non secuto coitu, matrimonium dissolui, etiam in-

uito viro, si mulier Monasterium ingrediatur, etsi falsa sit causa quæ mulierem mouit ad veli susceptionem; quia cessante huiusmodi causa, mulier religionis studio, potest re integrâ inuito viro Deo se dicare, & transire ad religionem.

CAPITVLVM XV.

IDEM RVDINENSI EPISCOPO.

CONSTITVTVS in præsentia nostra H. sua nobis confessione monstrauit, quòd in acolytatus ordine constitutus, quandam puellam R. nomine in facie Ecclesiæ duxit vxorem: quam cùm carnaliter cognouisset, ortâ discordiâ inter eum, & amicos puellæ, ipsa fuit cuidam alij V. nomine copulata: & tu memoratum H. vsque ad gradum sacerdotij ordinasti. Cùm autem eum sua conscientia remorderet, habitum ordinis Cisterciensis adsumpsit. .·.·.·.·.·. Ideóque mandamus, quatenus si res ita se habet, prædictam mulierem, vt à dicto V. recedat, cui per adulterium est coniuncta, nec prædictum Monachum inquietet, quo minus regulare votum valeat adimplere., per censuram Ecclesiasticam cogere non omittas.

CLERICVS quidam in minoribus ordinibus, puta acolytatu constitutus, puellam duxit vxorem & eam carnaliter cognouit. Tum subortâ rixâ inter eum, & amicos puellæ, alij ipsa fuit copulata, & vir ad presbyterij ordinem promotus, idémque stimulante conscientiâ Monachum professus est. Hic verò dubius an sibi liceret in Monasterio stare, hac de re consuluit Pontificem. Consultus Pontifex respondit, mulierem per censuram Ecclesiasticam compellendam vt ab adultero recedat, sed eandem non posse virum repetere, quo minus regulare votum adimpleat, vt definitur in *hoc cap.* Mulier adultera virum Clericum, vel Monachum factum non potest ad se reuocare, quia propter adulterium in eum ius omne amisit. *cap. significasti. infrà. de diuort. can. Agathoza.* XXVII. *qu.* II. Ob adulterium non soluitur matrimonium, nec potest vir cum alia contrahere. *can. dixit.* XXXII. *qu.* I. Sed ex quo propter adulterium datur separatio tori, nihil vetat virum solutum toro coniugali clericum vel monachum fieri.

CAPITVLVM XVI.

IDEM PICTAVIENSI EPISCOPO ET ABBATI DE BORIBARD. Pictauiensis Diœces.

VENIENS ad præsentiam nostram L. nobis intimauit, quòd cùm olim intrandi Monasterium propositum concepisset, pluribus sacerdotibus præsentibus apud vxorem suam institit, vt super hoc suum impartiretur adsensum: .·.·.·.·. Ipsa demum tam ipsius, quàm multorum astantium precibus fletibúsque deuicta, caput eius altari supposuit manu sua: qui ea præsente tonsuratus, ibidem Monasterium adiit, & finito probationis tempore, professionem fecit solenniter Monachalem; illa verò in seculo remanens, inhonestos amatores admisit: .·.·.·.·.·. Quocirca mandamus, quatenus si ita est, prædictum L. in monasterio, quod intrauit, perseuerare liberè permittatis. Licèt enim in hoc videatur non modicum deliquisse, quod captiosè adseruit, quia nisi sibi eadem mulier consentiret, tam sibi, quàm toti mundo se inutilem redderet, & cùm Presbyteros exorauit, ne prædictæ mulieri exponerent, quòd eandem relinquere seculum oporteret, si fortè licentiam daret viro: ex quo tamen eadem caput viri altari spontè subposuit, & postmodum non continuit: super reuocatione ipsius, non est aliquatenus audienda, cùm ipsius intentio exceptione possit commissæ fornicationis elidi: maximè cùm antequam fuerit fornicata, ipsum non duxerit repetendum.

CAPITVLVM XVII.

IDEM.

ACCEDENS ad præsentiam nostram I. mulier proposuit: quòd cùm V. vir eius eam sibi matrimonio copulasset, volens tandem idem vir habitum adsumere monachalem, postulabat humiliter ab eadem vt tam pio proposito faueret ipsius; quæ propter multa verbera, & alia grauamina, quæ dictus vir inferebat eidem, se

ipſam adſerens dimiſſurum, adnuit votis eius. Cúmque idem vir in domo de Vader. Ciſtercien. Ordinis religionis habitum adſumpſiſſet, mulier in domo monialium, nullo ibi habitu religionis adſumpto, vel voto conuerſionis emiſſo permanſit: proceſſu verò temporis, cùm idem vir ad ſeculum rediens religionis habitum reliquiſſet, eadem mulier ſe inſtanter ab ipſo petiit readſumi: .·.·.·.·.·. Quocirca diſcretioni veſtræ mandamus, quatenus ſi res ita ſe habet, dictum virum, vt eam recipiat, eique affectum exhibeat coniugalem, appellatione remota, cogatis.

MVLIER precibus vel dolo decepta conſenſit virum attonderi in monachū, & propria manu eius caput altari ſuppoſuit, ipſa verò in ſeculo remanens, in adulterium lapſa eſt. Vir ſibi veritus ne ipſi imputaretur culpa vxoris, quòd eius conſenſum dolo captaſſet, nempe obteſtatus, quòd niſi profitendi poteſtatem faceret, ſe ei & toti mundo inutilem redderet, id eſt ſe ipſum caſtraret; hac de re conſuluit Pontificem. Conſultus Pontifex reſpondit in *hoc cap. veniens.* mulierem quæ ſemel conſenſit virum profiteri, nec poſtea continuit, ſi virum ad ſe reuocet non eſſe audiendam, quia mulieri agenti obſtat exceptio adulterij, maximè ſi ante delictum virum non repetiit. Neque iuuatur mulier, quòd dolo decepta conſenſit viri profeſſioni; quia eius intentio eliditur oppoſitâ exceptione adulterij. Mulier quæ ſemel conſenſit viro profitenti, ſi poſtea in adulterium labatur, non poteſt virum repetere, quia ob malos mores in eum omne ius amiſit. *cap. ſignificaſti. h. tit. can Agathoſa.* XXVII. *qu.* II. Quòd ſi mulier inuita per vim, metum, & verbera conſenſit profeſſioni viri, maritum etiam profeſſum ipſam repetere nihil, vt vetat docetur in *hoc cap. accedens.*

TIT. XXXIV. *De voto, & voti redemptione.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. STRIGONENSI ARCHIEPISCOPO.

NON eſt voti dicendus tranſgreſſor, qui quod vouit auctoritate Sedis Apoſt. diſtulit adimplere. Sanè ſignificauit nobis rex Hungariæ, quòd cùm in regni perturbatione conſilium & auxilium tuum ſibi ſenſerit hactenus profuiſſe, vtilitati eius non modicum derogaret, ſi Hieroſolymam (ſicut ex voto teneris) regno pergeres impacato: .·.·.·.·.·. Ideóque mandamus, quatenus non priùs iter adripias Hieroſolymam adeundi, quàm regnum ipſum fuerit tranquillitati priſtinæ reſtitutum, vel ſuper hoc receperis ab Apoſtolica Sede mandatum.

HVIVS cap. quod integrum extat apud Innocent. III. *lib.* I. *epiſt.* V. ſpecies hæc eſt. Cùm Strigonienſis Archiepiſcopus Hieroſolymitanæ peregrinationis voto ſe obligaſſet, Henricus Rex Hungariæ ſignificauit Pontifici, ſe difficillimis temporibus Reipublicæ ſalutare conſilium, & auxilium viri expertum, non poſſe eum dimittere, ſine maximo Regni diſpendio, rebus adhuc impacatis. Quocirca Pontifex vt Regi & Regno Hungariæ conſuleret, mandauit Strigonienſi Archiepiſcopo, ne priùs Hieroſolymitanum iter iniret, quàm res Hungaricæ eſſent compoſitæ, vel ſuper hoc ſpeciale Sedis mandatum, id eſt diſpenſationem acceperit. Vota quidem quamprimùm reddenda, occinente Dauide Pſalm. LXXV. *Vouete & reddite.* Vouere eſt voluntatis, reddere neceſſitatis. *cap. prox. infrà. h. tit.* & in voto tranſmarino per alium diſpenſari non poteſt, quàm per ſummum Pontificem, vt probatur *ex hoc cap. & cap.* II. *cap. ex multa, h. tit.* Ex cauſa verò idem votum poteſt commutari vel redimi. *cap.* I. *cap. magnæ. infrà. h. tit.* In quo remiſſiores quàm par eſſet fuiſſe Pontifices non ſiluit Thomas Cantipratan. Apum lib. II. cap. III. *Sed de his multi fidelium non ſufficiunt admirari, qui crucem pecunia redimunt, & hanc in tam modica pecuniæ quantitate, vt vix decimam, vix viceſimam, vel vix certè bonorum ſuorum ſaltem mobilium ſaluis hæreditatibus integris centeſimam partem dare velint: cùm enim laboris iter diſplicuerit, vel certè lucrorum ſuorum viderint tempora deperire, quærunt diſpenſationes. Legatos Roma multiplicat, qui eos pecunia mediante ſanctificent, liberóſque à peccatis per literas recommendent,* &c. Ex diſpenſatione quoque Sedis Apoſtolicæ poteſt votum differri; nec eſt dicendus voti tranſgreſſor, qui quod vouit auctoritate Sedis Apoſtolicæ diſtulit adimplere, vt ſancitur *in hoc cap.* vt & non infringit votum qui id in melius commutat, putà qui temporale obſequium in votum religionis demutat. *cap. ſcriptura. ſuprà. h. tit.* votum enim religionis ſoluit cætera vota, & qui ſeipſum Deo offert, omnibus functus videtur. Anſelm. lib. III. epiſt. XXXIII. ad Richardum Monachum. *Audiui, frater mi, quia antequam Monachus fieres, in ægritudine vouiſti te iturum ad S. Egidium, & idcirco modò timidus, & nimis ſollicitus es de voto illo ſoluendo, ita vt quieſcere non poſſit cor tuum niſi ad S. Egidium ieris, de qua re non debes,* &c. Et paulò pòſt; *Certus enim eſſe debes quia cùm te ipſum Deo totum vouiſti: & reddidiſti per monachicam profeſſionem, ſoluiſti omnia vota minora quarumlibet actionum, quæ priùs ſine iureiurando, & fidei alligatione promiſiſti.* Idémque eod. lib. epiſt. CLIV. *De voto Mo-*

nachi, de quo vestrum vultis audire consilium, qui antequam ad vestrum Ordinem veniret, vouit se numquam ampliùs vinum bibiturum, hoc mihi videtur esse faciendum, quod fit à maioribus nostri Ordinis, & maximè apud Cluniacum, videlicet vt huiusmodi vota quæ fiunt sine promissione fidei & iuramento in voto Monachici Ordinis, in quo homo quicquid ad se pertinet, & se ipsum totum Deo offert, iudicentur esse completa, & sit in dispositione Prælati, ea seruare rationabiliter vel mutare. & Cæsarius de Miracul. lib. I. cap. VI. *Habet Ordo Cisterciensis à Sede sibi Apostolica indultum vt cruce signatus, vel voto cuiuslibet alterius peregrinationis obligatus, si transire voluerit ad Ordinem, coram Deo, & facie Ecclesiæ sit absolutus.* Iusta erat causa differendi voti Hierosolymitani, quòd Rex ope & consilio Archiepiscopi indigeret in rebus publicis. Vtilitas publica præferenda est deuotioni priuatæ. Salus populi suprema lex esto. Et Episcopi administrandæ reip. curam detrectare non possunt, vbi necessitas vrget. *cap. in Archiepiscopatu. De raptorib. can. sæpe.* XXIII. *qu.* VIII. Pontifex potest dispensare in voto & iuramento, etiam Episcopus. *cap.* I. *suprà. h. tit.* & licèt vota reddenda sint de iure diuino, ex sacro oraculo, *vouete & reddite*, ita vt in his dispensationi locus non esse videatur. In his Pontifex propriè non dispensat, sed declarat, vt loquitur glossa in *hoc cap.* id est iusta interpretatione votum remittit tanquam Dei Vicarius ex causa, quia voto militiæ vel peregrinationis inest tacita conditio, si sine magno incommodo fieri potest. *cap. quanto. suprà. de iureiurand.*

CAPITVLVM VI.

IDEM ANDREÆ DVCI.

LICET vniuersis liberum sit arbitrium in vouendo, vsque adeò tamen solutio necessaria est post votum, vt sine proprio salutis dispendio, alicui non liceat resilire. Accepimus siquidem, quòd cùm rex Hungariæ pater tuus agens in extremis votum, quod vouerat Domino Hierosolymitanam prouinciam, in forti manu, humili corde visitare, sub interminatione maledictionis paternæ, commiserit tuæ fidei exequendum, & tu adsumpro crucis signaculo, re id impleturum, sine dilatione qualibet promisisti: .·.·.·. Mandamus, quatenus postpositis cæteris solicitudinibus, vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis debitum acceptæ crucis exoluens, propositum iter arripias, & humiliter prosequaris. Ne si onus tibi à patre iniunctum, & à te sponte susceptum, occasione qualibet detrectaueris, paterna te reddas successione indignum, & hæreditaris emolumento priueris, cuius recusaueris onera supportare, sciturus ex tunc anathemaris te vinculo subiacere, & iure quod tibi, si dictus Rex sine prole decederet, in regno Hungariæ competebat ordine genituræ, priuandum, & regnum ipsum ad minorem fratrem tuum, app. postposita, deuoluendum.

HVIVS cap. quod integr. extat apud Innocent. III. *lib.* I. *epist.* X. species hæc est. Bela III. Rex Hungariæ extremum spirans, Andreæ Duci vni è liberis, Hierosolymitanæ expeditionis votum à se emissum sub interminatione maledictionis paternæ exequendum mandauit. hic est de quo mentio fit in *cap. Bonæ memoriæ.* II. *de postulat. prælat.* Andreas assumpta crucis tessera se absque morâ mandatum impleturum promisit, & coactis copiis profectionem moliri simulauit; sed mortuo patre arma conuertit in fratrem & Regnum Hungariæ. Quocirca Pontifex vt regni paci consoleret, Duci mandauit, vt intra diem Exaltationis S. Crucis Hierosolymitanum iter reciperet, ne si onus à patre iniunctum detrectaret paterna se redderet successione indignum, & hæreditatis commodum amitteret, cuius onus respueret, sciturus ex tunc se anathematis vinculo obstrictum iri, & iure quod si dictus Rex sine liberis decederet, in Regno Hungariæ ei competeret, fore priuandum, & Regnum ipsum ad natu minorem fratrem appellatione postposita deuoluendum. Votum à patre mandatur exequendum filio, quia votum impleri potest per procuratorem, & mortuus voto absoluitur per superstitem, *can. animæ defunctorum.* XIII. *qu.* II. *can. si aliquis* XXVI. *qu.* VI. & si filius non impleat votum patris ex mandato, quasi indignus repellitur à successione paterna, & quod ait Pontifex non exequentem mandatum paternum priuandum regni spe, non videtur loqui de propria auctoritate, sed ex mente, & voluntate defuncti, & ex sententia legum: Iure Ciuili enim si hæres scriptus non impleat voluntatem defuncti, hæreditas ei aufertur quasi indigno. *l. vlt. & Auth. hoc amplius. C. de fideicomm.* Licèt aliàs summi Pontifices sui iuris esse obtendunt, Reges & Principes excommunicare & deponere ob delictum. *cap. ad Apostolicam. de re iudic. in* VI. Quod nostri detestantur tanquam penitus alienum à potestate Pontificia, quæ cùm sit spiritualis non potest extendi ad temporalia.

CAPITULUM VII.

IDEM TRECENSI EPISCOPO.

MAGNÆ deuotionis: .·.·.·.·.·. Cùm Trecensis Ecclesia contra libertatem Ecclesiasticam grauaretur, nec per alium quàm per Campaniæ Comitem in vltramarinis partibus constitutum eidem Ecclesiæ crederes posse de facili subueniri, ad ipsum proposuisti accedere: ac in signum peregrinationis & deuotionis terræ Orientalis crucem dominicam adsumpsisti: .·.·.·.·. Quamuis autem auditâ morte ipsius intentionem tuam conspiceres iam frustratam, noluisti tamen sine consilio Apost. Se. ad propria remeare, sed ingressus vrbem intentionis tuæ propositum, ac statum Trecensis Ecclesiæ nobis humiliter expressisti: .·.·.·.·. Et quidem tria præcipuè duximus in hoc negocio attendenda, quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, & quid expediat secundùm vtilitatem. Sanè non videbatur contra votum licitum, vt venires, cùm vox clamet prophetica: Vouete, & reddite Domino Deo vestro, vt primum ad consilium, secundum ad imperium referatur. Sed nec decens videbatur, cùm sit scriptum in Euangelio: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei, &c. Præterea non videbatur expedire, cùm ex absolutione tua scandalum posset laïcorum mentibus generari, dicentium, vbi est Deus Clericorum? & hoc exemplo credentium, se ad voti obseruantiam non teneri. Quod enim agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum: iuxta quod Dominus inquit ad Mosen in Leuitico: Si sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, faciet delinquere populum. Verùm ætatis vitæ senescentis defectus atque canicies, quæ vix labores & dolores suos tolerare possunt, in contrarium allegabant, & Ecclesiæ Trecensis suspiria, cui vinculo pastoralis sollicitudinis es ligatus, sine cuius adsensu votum peregrinationis emittere forsitan non debueras: .·.·.·.·. Ipsum etiam votum, quod ex sui forma sanctum, & honestum erat, ex persona vouentis minùs licitum videbatur. Cùm enim iuxta canonica instituta clericus, absque sui Episcopi licentia, peregrinari non debeat, & Episcopus non minùs, imò potiùs Sedi Apostolicæ sit adstrictus, videri meritò poterat, quòd absque generali, vel speciali licentia votum peregrinationis, qua te tamdiu absentares, emittere non deberes .·.·.·.·.

Cùm igitur in lege veteri, in qua non minùs præceptum Domini obligabat, quàm votum hodie obliget in Ecclesia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam Domino redderentur, vt primogenita Leuitarum: quædam redimerentur, vt aliarum tribuum: quædam commutarentur in aliud, sicut primogenitum asini, qui pro oue commutabatur: ex hoc attendentes, quòd votum commutari possit in opus aliud pietatis, non curantes, quod os loquentium iniqua loquatur, dum tamen non recedamus à tramite veritatis, de illius auctoritate securi, qui cùm audisset à discipulis: Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt? respondit, sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: tibi pro te & famulis tuis licentiam concedimus votum peregrinationis taliter commutare, vt expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios vsus terræ illius sine diminutione qualibet transferendas: .·.·.·.·. Laborem etiam laboribus recompenses, solicitiùs instando vigiliis, deuotiùs vacans orationibus, & in ieiuniis fortiùs te exercens. Ad hanc autem indulgentiam tibi faciendam specialiter nos induxit, quòd cùm pro libertate Trecensis Ecclesiæ per dictum Comitem adsequendam præcipuè votum peregrinationis emiseris, eo sublato de medio, quia cessauere causæ, faciliùs cessare potuit & effectus.

HÆC decretalis integra extat apud Innocent III. *lib* 1. *epist.* LXIX Eius species hæc est. Cùm Trecensis Ecclesia contra libertatem Ecclesiasticam grauaretur, Trecensis Episcopus hæc per alium, quàm per Comitem Campaniæ in transmarinis partibus tum agentem eidem posse consuli ratus, ad ipsum accedere sibi proposuit, & hac occasione signum crucis assumpsit, de quo *in cap. dilecto. suprà. de prabend.* & apud Vilharduinum *initio commentarij vernaculi de*

expeditione Byfantina. In itinere auditâ morte Comitis Epifcopus confilium fuum irritum ... tiens Romam adiit confulturus Pontificem, an ex voto iter implendum effet. Dubitauit Pontifex an Epifcopus voti religione folutus effet; videbatur enim minimè licere ei à voto ... dere, ob facrum oraculum, *Vouete & reddite.* Nec congruum erat à voto refilire ob leuitatem labem, immo publicè intererat Epifcopum voto non folui, ne inde oriretur materia fcandali, & prauum exemplum laïcis contemptus votorum. Verùm in contrarium mouebant Pontificem ætas fenilis Epifcopi, quæ impar erat labori itineris, defiderium Trecenfis Ecclefiæ quæ Epifcopum fuum ftudiofiùs reuocabat, fine cuius affenfu votum peregrinationis emittere forte non debuit: cum enim Clericus fine Epifcopi fui licentia peregrinari non debeat, *cap. admonet de renunciat. can. præfentium.* VII. *qu.* I. & Epifcopus non minus, immo magis Sedi Apoftolicæ fit adftrictus, videbatur nefas fuiffe ei peregrinationis votum emittere, abfque licentia fummi Pontificis. *cap. inter corporalia. fuprà. de tranflat. Epifcop.* Minus etiam votum illud videbatur conducere terræ Orientali, quæ magis indigebat ope armatorum, quàm clericorum quos vitæ ratio reddit imbelles. Magis etiam terræ Orientali expediebat, fi quod impenfurus erat in fumptum itineris, in fubfidium terræ fanctæ mitteretur per manus cuiufpiam viri religiofi Igitur Pontifex his motus pronunciauit votum poffe commutari, nifus auctoritate Alexandri III qui tranfmarinæ peregrinationis votum redimi, vel in aliud commutari poffe refpondit *cap.* 1. *fuprà. h. tit.* & Trecenfi Epifcopo dedit licentiam commutandi votum peregrinationis in fumptum certæ pecuniæ, quæ mittenda effet in fubfidium terræ fanctæ, adiecto fupplemento precum, vigiliarum & ieiuniorum. Quò indulgentiâ vteretur, eò magis adductus eft Pontifex, quòd morte Comitis defecta effet caufa voti, quod emiffum erat opis Comitis pro libertate Ecclefiæ demerendæ causâ. Votum tranfmarinum redimi, vel in aliud commutari poteft. Mandatum Domini poteft adimpleri per æquipollens. *can. innocens* XII *qu.* IV. Laudatur Antiftes, quòd in dubio an voto teneretur confuluerit Pontificem, quoniam nemo iusiurandum, vel votum proprium debet interpretari. *cap. ex multa. infrà. hoc tit. cap. venerabilem. fuprà. de elect.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO.

QVOD fuper his: .·.·.·.·. Quæfiuifti de his, qui pro fuccurfu terræ fanctæ figno crucis adfumpto, propter infirmitatem vel paupertatem, vel aliam iuftam caufam votum non poffunt vtiliter adimplere, cùm fine diftinctione receperis in mandatis, vt eos, qui fignum crucis adfumptum abiecerunt, ad refumptionem ipfius, & executionem voti compellas. Nos autem inquifitioni tuæ taliter refpond. quòd debiles & inopes magis illuc in defectum, quàm ad profectum accedunt, cùm ifti pugnare non poffint, & illi mendicare cogantur, nifi fortè fint nobiles & magnates, qui fuis fecum expenfis bellatores adducant: vel artifices & agricolæ, qui de laboribus fuis fibi poffint adquirere neceffaria, & terræ fubfidia miniftrare: quamuis non multi talium propter breuitatem poffeffionum, & paucitatem inhabitantium ibi fint opportuni. Vnde credimus diftinguendum inter illos, qui temporalem, & eos qui perpetuum impedimenti caufam creduntur habere: quòd primis eft indulgenda dilatio, fecundis autem eft redemptio iniungenda, ac rerum facultate penfata, quas poffunt, aut quas facturi effent expenfas, perfonarum præterea recompenfato labore, in fubfidium terræ fanctæ tranfmittant, exequentes per alios, quod per fe nequeunt adimplere. Rurfus inter illos, qui pro defenfione terræ fanctæ votum peregrinationis emittunt, & eos quibus pro fatisfactione fuorum criminum iter peregrinationis iniungitur, credimus diftinguendum: quòd circa primos plus terræ fanctæ fuccurfus, & circa fecundos plus labor itineris, fecundùm intentionem vouentis vel pœnitentis debet adtendi Vnde fi quis hoc modo vouentium eft inutilis ad pugnandum, quamuis habilis fit ad eundum, melius eft redimere votum, quàm expenfas confumere: quod & de pœnitente, qui propter debilitatem non poteft iter iniunctæ peregrinationis implere, fanè valet intelligi, non autem de illo, qui quamuis fit impotens ad bellandum, potens tamen eft ad eundum: .·.·.·.

VOTVM tranfmarinum remittitur propter infirmitatem, & inopiam, quòd debiles & inopes magis illuc in defectum, quàm ad profectum accedant, cùm ifti pugnare non poffint, illi mendicare cogantur, vt oftenditur in *hoc cap. & cap. prox. §. fecundo. infrà. hoc tit.* Nifi fortè

HVIVS cap. species hæc est. Quidam nomine Petrus de Sestino Hostiensi solenne votum emisit suscipiendi habitum regularem in Ecclesia Gratianopolitana; hæc est Cathedralis, in qua erant Canonici regulares: idémque promisit se intra duos menses, postquam rediisset à Sede Apostolica votum impleturum. Post diem voto non impleto idem electus est in Episcopum Gebennensem. Gebenna ciuitas Episcopalis in finibus Allobrogum, de qua Otto Frisingens. de gest. Frider. lib II. cap. XXIX. *Tres ciuitates inter Iuram, & Montem Iouis, Losannam, Gebennam & N. accepit.* Geneua Iul. Cæsar. *de Bell. Gall. lib.* I. quod nomen hodie retinet. Ianoba Gregorio Turonensi lib. IV. cap. XXX. Electus conscientia motus hac de re consuluit Pontificem an voto religionis solutus esset per electionem ad Episcopatum. Consultus Pontifex non præceptum sed consilium dedit, vt renunciaret Episcopatui, ac votum solueret Domino, ita vt si Capitulum Gebennensis Ecclesiæ eundem duceret eligendum, electionem de se factam admittere ei fas esset. Ratio dubitandi erat, quòd qui vouit ingredi religionem, non videtur infringere votum accipiendo Episcopatum, maximè in Ecclesia regulari, qualis erat Gratianopolitana. Religiosorum appellatione continentur Episcopi, qui sicut dignitate, & religione præstare debent. *cap. prox. suprà. h. tit.* Status Episcopalis est perfectior statu regulari. *cap. licet. de Regular. cap. veniens. de iureiur.* Votum non infringit qui id commutat in melius. *cap. scriptura. suprà. h. tit. cap. peruenit. de iureiur.* Qui semel dicauit se religioni, non potest accipere Episcopatum priusquam votum soluat, iuxta illud *vouete & reddite*: promissio quæ fit Deo non debet carere effectu. Vnde Chrysostom. de diuers. vtriusq. testam. loc. Hom. de fugiend. simulat. specie, Θεοῦ κειμήλιόν ἐστιν ἡ ἡμετέρα ἐπαγγελία. *Dei supellex & thesaurus est promissio nostra.* Prius est vt soluatur votum quod est præcepti, & necessitatis, quàm vt admittatur Episcopatus quod est consilij non præcepti.

Gebennensi Episcopo inscribitur cap. inquisitionis infr. de accus.

TIT. XXXV. *De statu Monach. & Canonic. regul.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. V. PLEBANO SANCTI GAVINI.

QVOD Dei timorem præ oculis habeas, ex fructibus tuis colligitur euidenter, cùm opera, quæ facis, testimonium perhibeant veritati. Sanè quondam desiderans ad frugem melioris vitæ transire, officium plebani resignans coram fratribus sancti Victoris Bononien. promissionem de tua conuersione fecisti, neque professionem solennem emittens, neque habitum religionis adsumens: sed parœciani plebis eiusdem attendentes te laudabiliter præfuisse, à Florentino Episcopo impetrauerunt, vt ministrares ibidem. Hoc etiam P. Presbyter Cardinalis tunc Apost. Sed. lega. proponitur adnuisse, quod iam dicti parœciani à nobis ratum haberi suppliciter postularunt, præsertim cùm de licentia Prioris sancti Victoris noscaris hactenus id fecisse. Licèt autem in Lateranensi Concil. de Monachis caueatur, ne singuli per villas & oppida, per quascunque parœciales ponantur Ecclesias, &c. quia tamen illud de Canonicis regularibus specialiter non cauetur, quia etsi à sanctorum Monachorum consortio non putentur seiuncti, regulæ tamen inseruiunt laxiori, & per antiquos canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parœcialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium (quod priuilegiatum est) exercere: sic adnuendum duximus postulatis, vt exercens plebani officium, si commodè fieri poterit, vnum Canonicum regularem tecum habeas ad cautelam: cuius in his, quæ Dei sunt & regularis obseruantiæ, tam consortio, quàm solatio perfruaris.

HVIVS cap. species hæc est. Plebanus S. Gauini diœcesis Florentinæ, vt colligitur ex his quæ sequuntur, officium Plebani resignans coram fratribus S. Victoris Bononiensis, ad quos pertinebat collatio Ecclesiæ (Monasterium S. Victoris apud Bononiam est Canonicorum regularium, de quo *in cap. cùm in Ecclesiis. suprà. de maior. & obedient.* & apud Pennotum de Canonicis Regular. *lib.* II. *cap.* XXIII.) conuersionem spopondit, nec emissa solenni professione, nec suscepto habitu regulari. Sed Parœciani eiusdem plebis attendentes eum cum laude præfuisse, a Florentino Episcopo impetrarunt, vt ibidem ministraret; quod Legatus Sedis Apostolicæ comprobauit, & Pontifex ratum habuit, postulantibus ipsis parœcianis; præsertim cùm de licentia Prioris S. Victoris in eadem Ecclesia hactenus ministrasset. Licèt enim in Lateranensi Conc. de Monachis caueatur, ne singuli per villas & oppida quibuscumque parœ-

cialibus Ecclesiis imponantur. *cap. Monach. suprà h. tit.* Istud non est producendum ad Canonicos Regulares, quia etiam à Monachorum consortio non sunt seiuncti. *cap. ex parte. de postulando. cap. super specula. ne Cl[illegible] vel Monach. can. præsens. in fin.* xx. *qu.* III. Vnde Canonicorum Regularium, & Monachorum promiscua est appellatio, Arnold. Lubecens. lib. II. cap. XXIX. *Quamuis plerique Canonicorum sanctè & iustè viuant, Monachus tamen nomen est summa sanctitatis, & huic nomini nihil perfecti ni deesse debet; sed hoc paucorum est: Inde est quòd seculares ignorantes discretionem Ordinum Monachorum & Canonicorum Regularium, ipsos Canonicos Monachos appellare consueuerunt.* Canonici Regulares non prohibentur obtinere beneficia secularia Curata, quia regulæ inseruiunt laxiori, vt proditum est *in hoc cap.* Iuo Carnotens. epist. LXIX. *Quantum intellexi ex literis ex vestra parte mihi nuper oblatis, grauiter fert vestra fraternitas, quòd Lemonicensis Episcopus in Synodo agens interdixit omnibus Clericis Regularibus & regimen Parochiarum, & confessionem pœnitentium. Hæc verò interim ad inquisita respendeo: quia Clerici Regulares ab hoc officio, vel penitùs sunt remouendi, nec indiscretè admonendi, nam si penitùs remoueantur, canonico ordini indigna fit iniuria, cui tantò securius est credenda correctio vitæ alienæ, quantò maiorem diligentiam adhibuit vita suæ corrigenda.* Et idem epist. CCXIII. *His rationibus & auctoritatibus freti constanter asserimus non esse audiendos qui Clericos regulariter viuentes à regimine animarum iudicant repellendos, quia seculo renunciauerunt; sed ideo potiùs ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas seculi contempserunt.* & Iacob. à Vitriaco Hist. Occident. cap. XXI. de Canonicis Regular. *animarum curas licitum est eis suscipere, & Ecclesias Parochiales reg[illegible].* Hinc Parochiales Canonicos, id est, eos qui Parochias tenent, vocat Stephan. Tornacens. epist. CLXXIX. *Verùm perhibemus testimonium, quòd ab exordio Ordinis nostri Parochiales Canonicos nostros, in Episcopatibus in quibus sunt, liberè, & absque vlla contradictione, pro necessitate vel vtilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum consueuimus amouere, & in claustrum reducere, &c.* Canonici Regulares non arcentur à regimine Parochiarum, quòd eorum laxior sit regula, & aptior promiscuo vsui, & commercio sæcularium: vnde Canonicos Religiosos, sanctos Monachos vocat. *can. præsens.* XX. *qu.* III. & Innocent. ipse *lib.* II. *epist.* XI. Et per antiquos Canones etiam Monachi ex dispensatione admittuntur ad regimen Parochialium Ecclesiarum, ex quo allecti sunt in Clerum, *can. doctos. can. in Parochia.* XVI. *qu.* I. *can. presi[illegible].* LV. *dist.* His rationibus motus adnuit Pontifex, vt Canonicus Regularis, Ecclesiæ Parochialis curam gereret, & Plebani officium exerceret, adhibito sibi Canonico Regulari, cuius in his quæ Dei sunt & regularis obseruantiæ tam consortio, quàm solatio perfruatur.

CAPITVLVM VI.

IDEM ABBATI ET CONVENTVI SVBLACEN.

CVM ad Monasterium Sublacen. .·.·.·.·. Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero Monachorum lineis camisiis vteretur: .·.·.·.·. Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere: regulari monitione præmissâ, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quenquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod beatus Gregor. narrat in dialogo se fecisse. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori vel Cellario adsignetur. In oratorio verò, refectorio & dormitorio continuum semper silentium obseruetur. In claustro quoque certis horis & locis secundùm antiquam consuetudinem Monasterij laudabiliter obseruatam. In refectorio verò nullus omnino carne vescatur. Nec in quibusdam solennitatibus (sicut aliquando fieri consueuit) conuentus exeat cum Abbate paucis ibi relictis, vt extra refectorium edant carnes: cùm illis diebus præcipuè regularis disciplina sit studiosiùs obseruanda. Sed nec extra refectorium, nisi in infirmitorio, esum carnium credant sibi licere. Quanquam ex indulgentia possit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos (prout necessitas postulauerit) aduocare, ipsósque secum in camera sua meliùs & pleniùs exhibere. Porrò debiles & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint sibi tam in carnibus, quàm in aliis recipiant competenter. Quòd si quis eorum debilis fuerit,

aut etiam delicatus, vt non possit communibus cibis esse contentus: sic ei prouideatur sine scandalo aliorum, vt si Abbas vel Prior voluerit in refectorio misericordiam facere specialem, cibum aliquem competentem non ante illum, sed ante se faciat adportari, de quo ipse illi faciat pitantiam pro sustentatione naturæ. Tales autem ad agenda officia Monasterij deputentur, qui fideles fuerint & discreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur. Prior autem præ cæteris post Abbatem potens sit in opere & sermone, vt exemplo vitæ, verbóque doctrinæ fratres suos & instruere possit in bono, & à malo etiam reuocare: zelum religionis habens secundùm conscientiam, vt delinquentes corripiat & castiget, obedientes foueat & confortet. Abbas verò (cui omnes in omnibus reuerenter obediant) quantò frequentiùs poterit, sit cum fratribus in conuentu: vigilem curam & diligentem solicitudinem gerens de omnibus, vt de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quòd si præuaricator Ordinis fuerit, aut contemptor seu negligens aut remissus, pro certo se nouerit non solùm ab officio deponendum, sed & alio modo secundùm regulam castigandum: cùm offensa non solùm propria, verumetiam aliena de suis manibus requiratur. Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est adnexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

HOc cap. editum est pro Monasterio Sublacensi, quod est in Latio Ordinis S. Benedicti: sed multa continet, quæ spectant ad generalem disciplinam Monachorum. Primùm vetatur, ne Monachi lineis camisiis vtantur. Idem Synodus Londinensis habita anno Christi MCCXXXVIII. apud Matth. Paris. *Item quòd Monachi nec camisiis lineis, vel burnetis vtantur.* Tunica Monachorum lanea est, quod est insigne pœnitentium. In vita D. Bernardi lib. II. cap. VIII. *Adhærebat carni eius lanea tunica, & diebus & noctibus cuculla vestitus, sic ibat, sic cubabat.* Secundùm, ne quis Monachus proprium quid possideat, & si monitus illico non resignet, de Monasterio pellatur, nec recipiatur nisi peractâ regulari pœnitentiâ: quòd si in morte deprehensus fuerit proprium quid habere, res ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio condatur, vt à se factum memorat D. Gregorius IV. *dialogor. cap.* LV. Vnde si quid alicui destinatum fuerit, non præsumat accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur, seu tradatur. *Item quòd Monachus de cætero aliquid proprium non habeat, & si habeat, sine dilatione suo prælato assignet.* Tertiùm, in Oratorio & Refectorio, & Dormitorio continuum silentium obseruetur, in claustro quoque certis horis & locis, secundùm antiquam consuetudinem Monasterij laudabiliter obseruatam. Idem statuit præfata Synod. Londinens. *Item statuimus quòd silentium semper in debitis locis, temporibus, & horis statutis iuxta Regulam obseruetur, & signa scire studeant omnes necessaria.* Silentium maximè imperatur Monachis, quòd seculo mortui sint. Eugen. IV. *in can. placuit.* II. XVI. *qu.* I. *Sedeat solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Sacram lectionem & silentium in mensa indicit.* Cassian. de institut. Cœnobitar. cap. IV. *Propterea ne in locis debitis silentium infringeretur, opera & officia Monastica indicebantur per signa, & crepitum tabulæ.* Reg. Benedict. cap. XXXVIII. & aliis locis passim: quò pertinent verba illa Synodi Londinens. *Et signa scire studeant omnes necessaria.* Quartùm, ne quis Monachus in Refectorio carnes edat, nec extra Refectorium nisi ob ægritudinem, non seorsim, sed in Infirmitorio tantùm ex dispensatione Abbatis. Monachi Ordinis D. Benedicti exemplo Orientalium esu carnium interdicti iuxta reg. Benedict. *cap.* XXXIX. & Conc. Aquisgranens. *can.* XXXVII. quod instauratum in hoc cap. vt tolleretur abusus qui hac ætate passim inoleuerat apud Monachos Ordinis D. Benedicti, vt præter regulam vterentur carnibus. Synod Londinens. *Ad hæc cùm esus carnium sit Monachis nigri Ordinis per regulam Beati Benedicti, ac statutum nostrorum, nec non & Abbatum Angliæ præsidentium generali Capitulo interdictus, vt Monachis qui consueuerunt vesci carnibus per abusum tollatur occasio, & materia murmurandi, præcipimus,* &c. Abbas tamen potest dispensare cum Monachis quoad esum carnium, & mitiorem disciplinam, vt *hic & can. Monachum* XX. *qu. vlt.* Quintùm, ne cui committatur obedientia in perpetuum, ac si ad vitam locetur, sed ad nutum Abbatis sine contradictione reuocetur. Obedientias vocabant cellas & prioratus, quæ Monasterio parent, quia eius nutu & imperio reguntur: Fulbert. epist. II. *Ambo Præpositi simulantes causâ communis commodi ad obedientias suas se velle exire.* Et Goffrid. Vindocin. lib. IV. epist. VII. *Ad obedientiam vestram de Pinu, quam obuiam habuimus, hospitandi gratia diuertere dignum duximus*; intellige prioratum, vt innuitur ex illis quæ mox sequuntur, *quo intrantes prior adest.* Inde qui obedientiis præerant, Obedientiarij: Matth. Paris ad ann. MCCLIV. *Om-*

nes quoque Obedientiarios Ecclesiæ S. Albani etiam eleemosynarios conuocans fecit taxare bona sua districtè, & fideliter. Huiusmodi obedientiæ seu prioratus & quælibet beneficia regularia suapte naturâ sunt temporalia & ad nutum Abbatis amouibilia. *cap. ad nostram. cap. porrecta. suprà. de confirm. vtil. Clem. quia regulares. de suppl. neglig. prælat.* Iuo Carnotens. epist. CLXIII. *De Monacho illo quem iuramento constrinxisti, ne vltrà illam administraret obedientiam, quam aliquandiu sibi vsurpauerat per inobedientiam, consilium meum est vt vlteriùs eam non habeat,* &c. Et Goffrid Vindoc. lib. v. epist. XVIII. *Rogastis itaque vt Rainaldum Quartaldum in obedientiam, de qua eum amonimus, remitteremus.* Solus summus Pontifex Monacho in perpetuum seu quoad vixerit prioratum potest concedere. *cap. cùm inter. suprà. de elect.* Hodie in Gallia ex consuetudine vel potiùs abusu prioratus regulares sunt perpetui, nec tolluntur sine causa. Sextum, vt Prior post Abbatem potens sit in opere, & sermone, vt exemplo & verbo possit fratres instruere in bono, & à malo reuocare, zelo religionis præditus, vt delinquentes coërceat, & obedientes foueat & confortet. Gosuino in Priorem claustrâlem assumpto in Monast. S. Medardi Suessionensis has dotes tribuit auctor eius vit. lib. I. cap. XVII. *Claustralis Prior constitutus animos claustralium ad claustralem inflectebat, tam exemplis quàm sermonibus, dignitatem, & agebat in eis primò vt claustrales obseruantias haberent non ignotas, deinde vt cognitas custodirent.* Prior claustralis est primus post Abbatem, vt probatur ex *hoc cap. & Clem. II. de rescript.* Conc. Aquisgran. *can.* XXXI. *Vt præpositus intra & extra Monasterium post Abbatem maiorem reliquis Abbatis subditis habeat potestatem.* Priorem claustralem veteres Præpositum vocabant, quòd Monasterio post Abbatem præesset: vt Fundani Monasterij de quo Gregor. I. *Dialogor.* I. Abbas erat Honoratus, Præpositus Libertinus, Soractensis Præpositus Nonnosus, Abbas alius quem asperrimum fuisse scribit. Eodem modo distinguunt Græci [illegible], Syn. Nicen. II. *can.* XII. & XIX. Ad priorem claustralem post Abbatem spectat correctio, & coërcitio Monachorum, vt *hic* Anselm. Cantuar. *lib.* III. *epist.* XXIX. ad Monachos Cantuarienses. *Præcipio igitur vt omnes sicut mihi nostra seruata prælatione, & in petendis licentiis, & in exequendis mandatis & in iudicandis negligentiis domino Priori, & post illum Subpriori subditi sitis humili benignitate, & benigna mansuetudine.* Et Thomas Cantiprat. lib. I. cap. XVII. *Prior autem qui conuentum sub Abbate regebat.* Idem lib. II. cap. XXVI. *Priores & Subpriores in claustris, vel illos qui dicuntur officio curatore: istis maximè vigilanter incumbit, ne sessiones inordinatæ, & intra vel extra suspecta colloquia teneantur.* Septimum & vltimum quod subiungitur in fine *h. cap.* Abbas non potest dispensare cum Monachis, vt habeant peculium tanquam proprium, sed quoad administrationem, vel vsum temporalem: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, ita adnexa est Monachali regulæ, vt in his nec Summus Pontifex possit dispensare. Abdicatio proprietatis, & professio castitatis duo sunt è tribus solemnibus votis religionis, Augustin. de Hæres. ad Quodvultdeum. *Apostolici qui se isto nomine arrogantissimè vocauerunt, eo quòd in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia, & Monachos & Clericos plurimos.* Vnde ἐγκρατευόμενοι, id est continentes, dicuntur Monachi, Synod. Carthag. *can.* XLI. *apud Balsamonem*, & Basilio *can.* XIX. *ad Amphiloch.* Non vetatur Pontifex absoluere Monachum à voto religionis; quod non caret exemplis: sed non potest dispensare cum Monacho, manente Monacho, in votis paupertatis & castimoniæ, quia potest quidem absoluere Monachum à voto religionis, sed non potest soluere & tollere ea quæ sunt propria & substantialia religionis. Quæ sit auctoritas huiusce decretalis intelligere est, quòd eam lectam in dicta Synodo Londinensi, quæ habita est pro reformatione Ordinis D. Benedicti, refert Matth. Paris; & facile est obseruare pleraque huius Concilij capita descripta esse ex hoc cap. Nonnullis tamen Monachis de suis rebus testandi licentiam dedisse, Gregor. I. testem ipsum habemus, *lib.* IX. *epist.* XXII. & *lib.* XI. *epist.* V.

CAPITVLVM VII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

IN singulis regnis siue prouinciis fiat de triennio in triennium (saluo iure diœcesanorum Pontificum) commune Capitulum Abbatum, atque Priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt tale Capitulum celebrare: ad quod vniuersi conueniant præpeditionem canonicam non habentes, apud vnum de Monasteriis ad hoc aptum. Hoc adhibito moderamine, vt nullus eorum plusquàm sex euectiones & octo personas adducat. Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordiis duos Cisterciens. Ordin. vicinos Abbates ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cùm sint in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine pleniùs informati: qui absque contradictione duos sibi de ipsis adsocient, quos viderint expedire: ac ipsi quatuor præsint Capitulo vniuerso, ita quòd ex hoc nullus eorum sibi auctoritatem prælationis adsumat, vnde

[illegible]

TIT. XXXVI. [illegible]

[illegible]

CAPITVLVM XI

[illegible]

[illegible]

CAPVT ... VII.

[illegible]

[illegible]

eiusdem iuris erat locasse sub pensione annua quatuor solidorum Papiensinm; sed contrà Procurator, seu Syndicus Monasterij excipiebat nullam esse fidem prædicti instrumenti, propter rasutam in loco suspecto. nempe in loco datæ seu adnotationis anni & diei, iuxta *cap. ex literis. infrà. de fid. instrument.* Insuper idem Episcopus iurisdictionem suam asserebat hoc argumento, quòd à Monachis certa pensio longo tempore solnta fuerit Episcopo Sabinensi nomine præfatæ Ecclesiæ. Sed Procurator Monasterij respondebat, quòd etsi nonnulli testes deponerent de solutione pensionis huiusmodi, eorum testimonium non officiebat Monasterio, cùm non liqueret pensionem solutam ex parte Monasterij, vel tanto tempore solutam, quod sufficeret implendæ præscriptioni. Item instrumentum locationis non esse idoneum argumentum proprietatis, vt ostenditur etiam in *cap. inter dilectos, suprà. de fid. instrument. l. ad probationem C. locat. l. ad probationem. C. de liberal. caus.* Nec solutionem & perceptionem pensionis esse idoneum argumentum proprietatis, vt habetur *hoc loco, & cap. querelam. de elect. cap. cùm olim. de caus. poss. & propr.* Igitur quia constabat prædictam Ecclesiam sitam esse in diœcesi Sabinensi, ius Episcopale in ipsa Episcopo Sabinensi adiudicauit quoad spiritualia; sed Monasterium absoluit à petitione Episcopi quoad temporalia, quòd instrumentum quo nitebatur Episcopus esset vitiosum & suspectum.

CAPITVLVM VIII.

IDEM.

CVM dilectus filius .·.·.·.·. Quia causa non poterat in nostra præsentia terminari, cùm nuncius Monasterij super procuratione vel ratihabitione literas non haberet, eam vestro duximus examini committendam, mandantes quatenus si constiterit Abbatem ad Sed. Apo. antè quàm Episcopus in eum suspensionis vel excommunicationis, & in Monasterium interdicti sententias tulerit legitimè adpellasse, vel Monasterium à iurisdictione Episcopi eiusdem exemptum: eo non obstante quòd Abbas ab eo circunuentus præter fratrum suorum adsensum ei obedientiam repromisit, (cùm fraus & dolus ei patrocinari non debeant) iudiceris illas sententias non tenere. Quòd si Abbas in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri: licèt probet se ante prædictas sententias adpellasse, nihilominus tamen Monasterium iudicetis Aurien. Ecclesiæ subiacere, in cuius est diœcesi fundatum. Similiter eo in probatione adpellationis deficiente, si vobis constiterit de exemptione vel legitima præscriptione, tam Abbatem, quàm Monasterium ab impetitione Episcopi absoluatis.

HVius capitis snmma est. Si Episcopns sententiam snspensionis vel excommunicationis tulerit in Abbatem, & sententiam interdicti in Monasterium, & probetnr Abbatem ante sententiam appellasse, vel Monasterium exemptum esse, sententia non valet; tum qnia sententia suspensionis vel excommunicationis post appellationem dicta, nulla & irrita est. *cap. 1. cap. dilectis, suprà. de appellat.* tum quia Ordinarius non habet iurisdictionem in exemptos. *can. quam sit. can. luminoso* XVIII. *qu.* II. Neque mouet, quòd Abbas ab Episcopo circumuentus, sine consensu Monachorum ei obedientiam promisit, quia exemptus non potuit renunciare beneficio Sedis Apostolicæ sine consensu Monachorum, multò magis absque consensu Snmmi Pontificis. *cap. cum tempore. de arbitr. cap. dilecti. de renunciat.* Quòd si Abbas defecerit in probatione exemptionis, nec legitimâ possit præscriptione se tueri, licèt probet se ante sententiam appellasse, monasterium erit subiectum Episcopo, cuius in diœcesi situm est, quia omnes Ecclesiæ sunt in potestate Episcopi, in cuius diœcesi sitæ sunt, nisi probentur exemptæ, *vt hîc, & can. omnes basilicæ.* XVI. *qu.* VII. Quòd si Abbas defecerit in probatione appellationis, si aliàs liqueat de exemptione, vel legitima præscriptione, Abbas absoluitur à petitione Episcopi. Idem pronunciatum in consimili specie ab ipso Innocent. *lib.* 1. *epist.* LX.

CAPITVLVM IX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

NE nimia religionis diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicunque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis adsumat. Similiter, qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam & institutionem accipiat de adprobatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis Monasteriis locum monachi habere præsumat, nec vnus Abbas pluribus Monasteriis præsidere.

EX Conc. generali Lateranensi habito sub Innocent. III. vetitum est ne quis deinceps nouam religionem instituat; sed quisquis religioni se dicare voluerit, vnam de approbatis eligat, & si quis voluerit nouum Monasterium fundare, regulam & institutionem accipiat de approbatis; quò pertinet prior pars *h. cap.* Idem repetitum in Conc. Lugdunensi habito sub Gregorio X. ne noui Ordines instituantur, sine approbatione Sedis Apostolicæ. *cap. vn. h. tit in* VI. Edicto causam dedit, quòd hac ætate tot nouæ religiones emerserint, vt Ecclesia laboraret turba religionum, & plebs eisdem non sufficeret. Matth. Paris. ad ann. MCCLVIII. *Tot autem ordines exorti sunt, quòd hi hos & è conuerso supplantant; nec sufficit, vt consueuit, populus eos plebeiis eleemosynis sustentare.* Et hanc prohibitionis causam expressit Innocent. in *hoc cap.* Ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, ne nouæ religiones instituantur sine auctoritate Sedis Apostolicæ, hoc iure vetitum. Non incongruenter iure Ciuili nouum Collegium institui non potest sine nutu Principis. *l.* III. *ff. de collegiis illic.* Idem SC. cautum, ne qua Bachanalia Romæ, neve in Italia essent, nisi à Senatu permissum esset, Liu. lib. XXXIX. Ante Conc. Lateranense regulam D. Benedicti probauit Gregorius I. testis ipse dialog. II. de eius vit. cap. XXXVI. *Nam scripsit Monachorum regulam discretione pracipuam, sermone luculentam.* & auctor Chronic. Alissiodor. ad ann. DXXXVIII. *Benedicti vitam & regulam sua idem Dominus Apostolicus auctoritate roborauit & stilo.* Post eum eandem regulam comprobarunt & Bonifacius, & Alexander II. *can. sunt nonnulli. can. iuxta.* XVI. *qu.* I Regulam Benedicti, Basilij, & Augustini probauit Innocent. II. in *can. perniciosam.* XVIII. *qu.* II. Ordinem Humiliatorum antè reprobatum à Lucio III. *cap. vlt. de heretic. in* I. *collect.* comprobauit Innocent. III. *cap. olim causam. de restit. spoliat.* Eodem Conc. Lateranensi prohibetur ne Monachus locum habeat in diuersis Monasteriis, nec vnus Abbas pluribus Monasteriis præsit, & hæc est secunda pars *h. cap.* Monachus non potest habere locum in diuersis Monasteriis, nisi vnum ab alio pendeat. *cap. cùm singula. §. prohibemus. de prabend.* Vnde Monachus cuiuspiam Monasterij, semel electus in Abbatem alterius Monasterij, non habet vocem & suffragium in priori Monasterio. *cap. constitutis. suprà. de elect. can. si quis.* XXI. *qu.* II.

TIT. XXXVII. *De Capellis Monach. & aliorum Religiosorum.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS TERTIVS ARCHIPRESBYTERO ET CLERICIS sanctæ Ceciliæ.

DILECTVS filius M. Syndicus Ecclesiæ vestræ ab œconomo sancti Laurentij de Piscinula, in scrutiniis, baptismate, & capitulis, & similibus subiectionem postulans, possessorium & petitorium intentabat. Cùm enim Ecclesia sancti Laurentij sit in parœcia vestra sita, debet de iure communi Ecclesiæ vestræ in prædictis omnibus subiacere, quia nec priuilegium exemptionis habet, nec præscriptionem pro se poterat allegare, cùm illa Ecclesia sanctæ Ceciliæ præscripsisset, sicut per testes dicebat legitimè comprobatum. Præterea cùm coram C. Papa prædecessore nostro super prædictis inter vestram & prædictam Ecclesiam quæstio verteretur, M. presbyter eiusdem Ecclesiæ fuit sponte confessus, quòd Ecclesiæ sanctæ Ceciliæ scrutinium & baptisma debebat. Cúmque pars vestra testes, qui se illum diuersis temporibus ad Capitulum vocasse, ipsúmque venisse adserebant, in medium produxisset: eis iurare paratis, prædictus presbyter se vocatum iuisse ad Capitulum est confessus. Vnde prædictus prædecessor noster Ecclesiam vestram Capitulo, quo se conquesta fuerat spoliatam, saluo iure proprietatis Ecclesiæ sancti Laurentij reuestire curauit, sicut in eius literis continetur. Per hoc ergo proprietatem, quoad scrutinium & baptisma, & possessionem, quoad Capitulum, vester voluit Syndicus comprobare. Ad hæc sancti Laurentii œconomus ex aduerso respondit, quòd Ecclesia illa nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinebat. Cùm enim monasterium Monialium fuerit, & generaliter seruetur in vrbe, vt nullum Monasterium titulo sit subiectum, incongruum videbatur vt regulares secularibus supponantur. Præterea vsque hodie nos in ea institutionem & destitutionem liberam exercemus :.·.·.·. Nos igitur auditis propositis, œconomum sancti Laurentij Syndico vestro in baptismo & scrutinio condemnamus, ita vt per hoc Ecclesiæ Romanæ nullum præiudicium generetur, si quando fortè ius suum duxerit prosequendum. In institutione autem, & destitutione, & Capitulo œconomum ipsum ab impetitione Syndici vestri protsùs absoluimus, Syndico vestro super hoc perpetuum silentium imponentes.

HVIVS cap species hæc est. Syndicus Ecclesiæ S. Ceciliæ, quæ est titulus Cardinalis, ab œconomo Ecclesiæ S. Laurentij de Piscinula petebat subiectionem super scrutinio, baptismo & Capitulo & aliis, super his possessorio & petitorio simul, id est eodem iudicio, eâdem instantiâ intentato; Ecclesiæ sc. quæ sunt subiectæ titulo Cardinali ei subiacent, quoad scrutinium, baptismum, & Capitulum. *cap. his qua. suprà. de major. & obed.* Quoad scrutinium & baptismum, id est quoad catechesim, & probationem baptizandorum, quæ fit per xx dies ante baptismum. *can. ante baptismum. can. ante viginti. de consecr. dist* IV. Et quoad baptismum, qui sequitur huiusmodi scrutinium, ita vt vtrumque petatur à titulo Cardinali tamquam à matrice; quod receptum est contra jus commune, ex quo baptismus, & alia Sacramenta cuique conferri debent in Ecclesia parœciali. *can. plures.* XVI. *qu.* I Synod. Meld. *can.* XLVIII. Ticinens. *can.* XI. Quoad Capitulum, id est debitum seu officium veniendi ad Capitulum correctionis causâ. Presbyteri Cardinales habent iura Episcopalia in titulis & Ecclesiis eisdem subiectis, Panorm. *in d. cap. his qua.* Actor primùm nitebatur iure communi, quòd cùm Ecclesia S. Laurentij sita esset in parœcia S. Ceciliæ, de iure communi ei debebat parere in prædictis omnibus tamquam matrici. *cap. ad audientiam, infra. de Eccles. edific.* cùm non probaretur exempta, nec tuta esset præscriptione: tum etiam idem nitebatur præscriptione, quòd hæc omnia iura præscripsisset, sicut per testes se probasse dicebat Prætereà nitebatur confessione presbyteri S. Laurentij, qui confessus erat in eadem causa, coram Celestino III. proximo decessore Innocentij III. se debere scrutinium & baptisma Ecclesiæ S. Ceciliæ. Confessio facta in vno iudicio nocet in alio. *l. iubemus. C. de liberal. caus. l pen. C. de recept. arbitr.* Necnon confessione eiusdem presbyteri, qui productis modò testibus, & iurare paratis vltrò confessus est se vocatum venisse ad Capitulum; vnde secuta est Celestini sententia, quæ Ecclesiæ S. Ceciliæ restituit possessionem Capituli, quo se spoliatam conquerebatur, saluo iure proprietatis; nam causa possessionis non præiudicat proprietati. *l vn C. si de moment. possess.* Per hæc igitur actor proprietatem quoad scrutinium & baptismum, & possessionem quoad Capitulum comprobabat. Ex aduerso œconomus S. Laurentij tuebatur se opposita exceptione, quòd Ecclesia illa immediatè ad Sedem Apostolicam pertineret. Nec potuit parere Ecclesiæ S. Ceciliæ; cùm illa Monasterium Monialium fuerit, & generaliter seruetur in Vrbe, vt nullum Monasterium titulo Cardinali sit subiectum; incongruum enim esset regulares secularibus subesse, sicut indecorum est seculares regularibus misceri. *cap. ea qua. §. præcipimus. suprà. de Religios. domib* In vno enim eodémque officio non debet dispar esse professio. *can. in nona.* XVI. *qu.* VII. Præterea institutio & destitutio Clericorum eiusdem Ecclesiæ pertinebat ad Summum Pontificem; quod est idoneum argumentum iurisdictionis ordinariæ. *cap. conquerente. suprà. de offic. ordinar.* Re cognitâ igitur Pontifex condemnauit œconomum. S. Laurentij Syndico Ecclesiæ S. Ceciliæ in scrutinio & baptismo, saluo iure Ecclesiæ Romanæ; in Capitulo verò, institutione, & destitutione œconomum S. Laurentij prorsus absoluit à petitione Syndici Ecclesiæ S. Ceciliæ. Diuersa iura petenti adiudicantur ea tantùm iura, quæ se diutina possessione præscripsisse probauit. Tantum præscriptum, quantum possessum. *cap. cùm contingat. suprà. de decim. cap. auditis. de præscript. l. quod meo. §. vlt. ff. de acquir. possess.*

TIT. XXXVIII. *De iure Patronatus.*

CAPITVLVM XXVI.

INNOCENTIVS III. ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO.

PER nostras postulasti literas edoceri, vtrùm Clericus ad vacantem Ecclesiam, in qua ius obtinet Patronatus, seipsum (si est idoneus) valeat præsentare. Cùm igitur nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis: respondemus, quòd nullus se potest ad personatum alicuius Ecclesiæ præsentare quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis & meritis adiuuetur.

MELIORIBVS Ecclesiæ seculis ius Patronatus incognitum fuit, ac primùm ex consuetudine mundana, & lege seculari introductum, tandem vix admissum ab Ecclesia, quæ huc vsque ius Patronatus magis tulit, quàm probauit. *cap. quoniam h. tit.* Ius patronatus suas ætates habuit, & paruis initiis paulatim creuit vt cætera iura. Ac primùm ius illud stetit in nudo & simplici processionis aditu, cum aliqua tamen dignitatis & honoris prærogatiua coniuncto, vt colligitur ex *can. piæ mentis. can Frigentius.* XVI. *qu.* VII. Quod enim Gelasius in vtroque canone scripsit, fundatorem Ecclesiæ nihil in ea iuris habere præter processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur, haud ita accipiendum, vt alio iure non habeat processionis aditum, quàm quo vilis plebecula, quæ nihil meruit de Ecclesiâ; alioqui frustrà Pontifex fundatori excepisset processionis aditum, si non esset eo vsurus alio iure, quàm quo priuatus quilibet & vnus è plebe: & hac in re Patronum à plebe secerni innuunt postrema illa verba Canonis, *qui Christianis omnibus in commune debetur.* Coniecturam iuuat, quod Gregor I. proximo seculo processionis

gratiam vsurpauit pro processionis aditu, lib. XII. epist. XIX ad Felicem Messanensem Episcopum. *Nec antè dedicationis munus impartias, quàm superiùs comprehensus fuerit ordo donationis impletus, ennunciaturus ex more, nihil illic conditori iuris vlteriùs eam deberi, nisi processionis gratiam, quæ Christianis omnibus in commune debetur.* Vnde Clemens III. in cap. *nobis h. tit.* cùm ait honorem processionis Patrono seruari, id refert ad antiquos Canones, *sicut*, inquit, *est sacris Canonibus institutum.* Et quidem processionis honor ita præstari consueuit Patrono, vt procedenti in Ecclesiam, fortè die solemni fundationis, Clerici occurrerent solemni cum processione, Fulbert. epist. XXI. *Die proximâ Comes Theobaldus redit, se in processionem recipi cum processione præmandat. Monachi respondent se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit secum.* Ab initio Patroni ius præsentandi nacti non sunt; à Iustiniano primùm id introductum, vt Patronus Clericos institueret adhibitâ auctoritate Episcopi. *Nou.* LVII. *&* CXXIII. *cap.* XVIII. Seriùs verò id admisere Pontifices; nam & post Gelasium nullam in ipsis Ecclesiis conditores habuisse potestatem liquet ex Conc. Tolet. IV. *can.* XXXII. *can. nouerint.* X. *qu.* I. & Conc. Aurelianens. IV. *can.* VII. *&* XXVI *&* Cabillonensi I. *can.* XIV. Tandem ius præsentandi Patronis tributum obseruare est in Conc. Tolet. IX. *can.* II. *can. decernimus.* XVI. *qu.* VII. & si qua antè eiusdem iuris vestigia, non altiùs repetenda, quàm à temporibus Pelagij. *can. in parochia.* XVI. *qu.* I. *can. Abbatem.* XVIII. *qu.* II. Inde ius præsentandi Patronis de iure & consuetudine receptum. Conc. Parisiens. *can.* XXI. *Si laïcus idoneum vtilémque Clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur*, &c. Io. Saresber. epist. VI. *Ea die iam dictus O, & procuratores Comitis aduersus prænominatum E. petitorium instituerunt, dicentes ipsum iniustè occupare Ecclesiam, quam sine assensu Comitis, & Aduocatorum eiusdem Ecclesiæ, quam contra consuetudinem totius Ecclesiæ regni Anglorum, contra constitutionem Regis antiquam, omnium procerum dignitatem, ingressus erat manu, & violentia prædonis.* Et idem epist. CXIX. aduersus Osbertum Presbyterum: *Super Ecclesia de Trichestana Iord. Prior Acrensis instituit controuersiam, dicens eum præfatam Ecclesiam possidere, quam sine Prioris assensu, & alterius Aduocati, citra solemnem ordinem iuris, & regni consuetudinem, inuitis, & reclamantibus parochianis ingressus fuerat. Ad hac Osbertus se in eandem Ecclesiam canonicum ingressum habuisse respondit, Aduocato Comite Warren. ipsum præsentante*, &c. Iam à temporibus Pelagij inualuerat & vsus, vt Patroni censum, vel partem oblationum, quæ solemnibus diebus offerrentur, sibi seruarent; quod probauit ipse Pelagius si lege fundationis id nominatim cautum esset. *can. Eleutherius.* XVIII. *qu.* II. & Conc. Brachar. II. *can. si quis basilicam. de consecr. dist.* I. Etiam Patronis facultatibus lapsis de dote Ecclesiæ alimenta præberi sancitum Conc. Tolet. IV. *can.* XXXII. *can. quicumque.* XVI. *qu.* VII. *cap. nobis. h. tit.* quò pertinet illud Willelm. Briton. 2. Philippid.

Vt solet Ecclesia Patronos sæpe iuuare.

Vsu etiam receptum, vt fundatoris nomen diebus dominicis in solemnibus sacris recitaretur, Conc. Emeritens. *can.* XIX. *Et eorum nomina à quibus eius Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viuentes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore missæ. quòd si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo ordine.* Immo ita insaniere Monachi in cultu Patronorum, vt multis locis fundatores Monasteriorum in Diuorum numero censerentur. Hoc honore excultum Weltonem Comitem in cœnobio Altorfensi tradit Vadian. *de Monast. German. lib.* II. & Io. Galeatium Regulum Mediolanensem apud Cartusianos Papienses, Philipp. Comminius *lib* VII. *cap.* VII. Basilicis etiam nomen fundatoris inscriptum: vt Basilicæ S Felicis in Hispania inscripta fundatorum nomina his versibus, quorum auctor fuit Eugenius Episcopus Toletanus, cuius opuscula edita à Iac. Sirmundo.

Hoc opus Ætherius chara cum coniuge fecit,
Cui nomen olim Tuidesuinta fuit.

Præter nomina fundatorum, eorundem stemmata, seu insignia, honoris causâ basilicis insculpta, Paul. Langius in Chronic. Citizensi: *Ecclesia Nuenburgensis plures equidem habuit fundatores, & hos quidem Comites, vt est in præsens cernere in Ecclesia eadem in imaginibus celatis Comitum, qui fundatores fuisse in inscriptione clypeorum demonstrantur.* Præcipuum ius Patronatus consistit in præsentatione Clericorum: quæ ita spectat ad Patronum, vt institutio Ordinarij facta spreto Patrono, nulla sit & irrita, intra tempus præsentante Patrono. *d. can decernimus. cap. illud h. tit.* Patronus verò quamuis sit Clericus non potest se ipsum præsentare, cùm nemo se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis, vt definitur in *hoc cap.* Repellendus est qui se ingerit Ecclesiasticis officiis, ne videatur oriri à se ipso. *can. sicut is qui.* I. *qu.* VI. *can. in scripturis.* VIII. *qu.* I. Eadem ratione Ordinarius non potest instituere se ipsum, cùm inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personarum. *cap. vlt. suprà. de institut.* sc. ne videatur ortus à se ipso. Etiam iure ciuili. Prætor neque tutorem, neque iudicem ipse se dare potest. *l. vlt. ff. de offic. Prætor. l. Prætor de tutor. & curat. dat.* Pater tamen non vetatur præsentare liberos. *cap consuluit cap. quia Clerici. h. tit.* Ratio dubitandi erat, quòd donatio inter patrem & filium in potestate constitutum nulla est. *l. cùm de bonis. C. de donat. l. donat. C. de donat. inter vir. & vxor.* Ergo videbatur idem dicendum in præsentatione, quæ est genus donationis. Sed aliud in donatione, aliud in præsentatione: donatio enim à patre in filiumf. iure ciuili irrita est, quòd fictione legis pater & filius censeantur eadem persona, nec inter eos cadat distinctio personarum, quæ requiritur inter dantem & accipientem. Sed præsentatio filij per patrem facta non reiicitur, quia iure Canonico pater & filius spectantur vt diuersæ

CAPITVLVM XXIX.

[illegible]

[illegible]

CAPITVLVM XXX.

[illegible]

[illegible]

Qua[illegible]

CAPITVLVM XVIII.

[illegible]

Q[illegible]

[illegible]

CAPITULUM [illegible]

IDEM PRI[illegible]

C[illegible]M ven[illegible] fr[illegible] [illegible]

[illegible]

Hodie verò soluentis est electio, vtrum malit procurationem soluere in pecunia, an in cibariis *ex d. extravag. vas electionis.* & Tridentino Conc. Qui verò præter modum Conc. Lateranensi constitutum procurationem exegerit, tenetur in duplum ex *hoc cap.* vt in exactionibus simoniacis actio datur in duplum. *cap. audiuimus. infrà. de simon.* Immo si procuratio vltra modum exactitetur, licet visitatis auctoritate Apostolica denegare. *d. cap. cùm ad quorumdam.*

TIT. XL. *De consecratione Ecclesiæ, vel altaris.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. TORNACENSI EPISCOPO.

TVA frater. .·.·.·.·.·. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd in diœcesi tua, licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere, tam diebus Dominicis, quàm priuatis.

CAPITVLVM V.

IDEM.

CVM sis:.·.·.·.·. Noueris igitur, quòd plura in Ecclesia vna altaria, & plures Episcopos simul poteris consecrare.

ECCLESIA non est ædificanda absque dote & consensu Episcopi & crucis fixione, quam Græci σταυροπήγιον vocant. *can. nemo. de consecrat. dist.* 1. *can. sic quidam.* X. *qu.* I. *can. quidam.* XVIII. *qu.* II. *cap. cùm sicut. h. tit.* Balsam. *in can.* LXXXVI. *Synod. Carthag. & can.* VII. *Nicæn. II. Nou. Iust.* LXVII. *&* CXXXI. *cap.* VII. & pariter ad Episcopum pertinet consecratio Ecclesiarum vel altarium. *can. perlectis.* XXV. *dist. can. si quis Episcoporum.* XVI. *qu.* I. *cap.* I. *de relig. dom. Conc. Arausic I. can.* X. Dedicatio illi omnimodè reseruatur, in cuius territorio Ecclesia assurgit. Idem Conc. Arelat. II. *can.* XXXVI Absque præcepto Sedis Apostolicæ Ecclesiam consecrari vetuit Gelasius, *can. de locorum. can. præcepta & tribus seqq. de consecr. dist.* 1. Sed id iuris vix agnouere Episcopi maximè in Gallia. Nouum & insolens visum Præsulibus Galliæ, quòd postulante Fulcone Comite Andegauensi obrepulsam Hugonis Arch. Turonensis Petrus Cardinalis Legatus à latere missus sit in Galliam ad consecrandam Basilicam Lucacensis cœnobij. & consilium euentu damnatum: basilica enim post dedicationem repentino turbine labefactata corruit, de quo Glaber *lib.* II. *cap.* IV Dedicatio & consecratio Ecclesiarum & altarium ab Episcopo fit solemniter vnctione chrismatis, & missarum celebratione, & illatione sanctuariorum, id est reliquiarum. *can. de fabrica. can. altaria de consecr. dist.* 1. Conc. Nicæn. II. *can.* VII. Altaria non consecrantur sine reliquiis, Ambros. epist. LXXXV. *Nam cùm basilicam dedicassem, multi tamquam vno ore interpellare cœperant dicentes, sic in Romana basilica dedices, respondi; Faciam, si martyrum reliquias inuenero.* & rursus sub fin. eiusd. epist. vbi sermo de reliquiis SS. Geruasij & Protasij: *Succedant victimæ triumphales in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare qui pro omnibus passus est, isti sub altari qui illius redempti sunt passione, hunc ego locum prædestinaueram mihi: dignum est enim, vt ibi requiescat Sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur.* Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. XV. *Erecto altari, loculóque in eo ad recipiendas Sanctorum reliquias præparato, ad benedicendum inuitat Episcopum.* & idem de Miracul. Sanct. lib. I. cap. XXXIII. *De hoc enim sudario multi infirmi sanitatem experti sunt, ac plerumque & ipse Pontifex de eo decerpens pignora, vbi Ecclesias consecrabat fideliter collocauit.* Vnde in interdicto Ecclesiarum reliquiæ tolluntur, Conc Triburiensis *can.* XXXII. *can. si plures.* XVI. *qu.* VII. *cap.* II. *de iur. patronat.* Conc. Cabillonens. II. *can.* XXVI. Dedicatio Ecclesiarum Græcis ἐγκαίνια, ἀνοίξια, ἐνθρονισμός, Balsamo in *d. can.* VII. *Synod. Nicæn. II.* ὅτι πλοῦνται τὰ ἐγκαίνια, τὰ ἀνοίξια, καὶ ὁ ἐνθρονισμός, *quando fiunt encænia, apertiones & inthronizatio.* Augustin. in Ioann. cap. XLVIII. *Encænia festiuitas erat dedicationis Templi. Græcè enim καινὸν dicitur nouum, quandocumque nouum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Iam & vsus habet hoc verbum, si quis noua tunica induatur, encæniare dicitur.* Dedicatio fiebat solemniter coactâ Synodo Episcoporum. Euseb. lib. X. cap. III. ἐπὶ δὲ τούτοις, τὸ πᾶσιν εὐκταῖον ἡμῖν, καὶ ποθούμενον συνεκροτεῖτο θέαμα, ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις, καὶ τῶν ἄρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις, ἐπισκόπων τε ἐπὶ ταὐτὸ συνελεύσεις. *Deinceps celebre spectaculum omnibus optabile & vehementer desideratum, ante omnium oculos proponebatur, dedicationum scilicet solemnitates per vrbes singulas, templorum nuper exædificatorum consecrationes, frequentes Episcoporum in vnum conuentus.* Pseudosynodum Antiochenam collectam aduersus D. Athanasium obtentu dedicationis basilicæ, quæ à Constantino exædificata erat, προφάσει τῶν ἐγκαινίων τῆς ἐκκλησίας, refert Socrat. *lib.* II. *cap.* V. In dedicatione Ecclesiæ spargebantur largæ stipes in pauperes, Gregor. I. lib. I.

Etiam Gentilibus templa non fuere sine dote. Ouid. 10. Metam. *Est ager indigena Damasonum nomine dicunt, Telluris Cypriæ pars optima, quam mihi prisci Sacrauere senes templisque accedere dotem Hanc iussere meis.*

epist. LXV. *Propterea volumus vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annona modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum, qua tuis possint rationibus postmodum imputari.* In dedicatione quoque fiebat solemne epulom: Baptisterium Rnicoorum consecraturus Sidnoius Aruernorum Episcopus fortè tum vacante Rotenorum Ecclesia, solemnes epulas iodixit, lib. IV. epist. XV. *Epulum multiplex, & capacissima lectisternia para plurimis viis, plurimis turbis, ita bonorum contubernio sedit, ad te venitur, quippe postquam omnibus tempus futura dedicationis inclaruit, nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis posse iam consecrari.* Noo sine epulis etiam apud Græcos fuit solemne dedicationis, Cedrenus in Leooe Philosopho: Ἰανε δὲ μηνὶ προσκαλεῖται Ἀλμὸ Βασιλεὺς παρὰ Κωνσταντίνου τοῦ Λίβυος εἰς τὴν χαιρετισθεῖσαν παρ' αὐτοῦ μονὴν, ἐγγὺς τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, ἐφ' ᾧ τὰ ἐγκαίνια ὁμοῦ, καὶ ἀριστῆσαι. *Ianio mense Constantinus Afer in Monasterium suum, quod prope fanum Apostolorum condiderat, Imperatorem inuitauit, vt dedicationi eius & prandio interesset.* In dedicatione Ecclesiæ Radingensis procurationem per triduum ab Henrico II. Rege Anglorum fundatore erogatam Monachis & hospitibus refert Robert. Montens. in Supple. Sigeberti ad ann. MCLXV. *Circa octauas Pascha Rex Henricus fecit dedicari Ecclesiam B. Mariæ Radingis, & per tres dies regaliter procurauit Conuentum Monachorum, & hospitum.* In dedicatione etiam captiui manumissi: in dedicatiooe Viocelcumbeosis Monasterij Kenulphus Rex Merciorum Edbrithum Regem quem captiuum tenebat manumisit, Continuator Bedæ lib. 1. cap. XVI. *Nam apud Vincelcumbam, vbi Ecclesiam, qua adhuc superest Deo ædificauerat, ipsa dedicationis die Regem captiuum manumittens libertate palpauit.* Dedicationem etiam anteibant solemoes preces & ieiunia, Beda hist. Anglic. lib. III. cap. XXIII. *Studens autem vir Domini* (is erat Cedd. Episcopus Orientalium Saxonum) *accepium Monasterij locum primò precibus ac ieiuniis à pristina flagitiorum sorde purgare, & sic in eo Monasterij fundamenta iacere postulauit à Rege, vt sibi per totum quadragesima tempus, quod instabat, facultatem, ac licentiam ibidem orationis causa demorandi concederet: dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, à quibus normam disciplina regularis didicerat, vt accepta nuper loca ad faciendum Monasterium vel Ecclesiam prius orationibus, ac ieiuniis Domino consecrent.* Ad Episcopum igitur diœcesaoum spectat consecratio Ecclesiarum, qund insinuat Sidon. loco modò laudato de dedicatione Baptisterij Rutenensis: *Ad qua festa vos voti, nos ministerij, officij multos, fides totos causa solicitat.* Hinc ad dedicationem Ecclesiæ Episcopus inuitari dicebatur, Gregor. Tur. in vita S. Nicetij Lugduneos. Episc. *Factum est autem, vt post dies plurimos ad benedicendam Ecclesiam in parochia Paternacensi vrbis Turonica inuitaremur.* Episcopus verò potest consecrare Ecclesiam, tam diebus Dominicis quàm priuatis, vt cauetur in *hoc cap. tua fraternitas.* Ratio dubitandi erat, quòd Clerici non ordinaotur, nec virgines velantur, nec Episcopi consecrantur, nisi certis diebus. *cap.* I. II. *&* III. *& cap. literas. de tempor. ordinat.* ergo idem videbatur dicendum de Ecclesiis; sed Ecclesiam quolibet die consecrari obtinuit, quia maior solemnitas requiritur in ordinatione Clericorum, qui spiritualia Dei templa suot, quàm in consecratiooe Ecclesiarum. Hioc & plura altaria simul, id est eodem die in eadem Ecclesia consecrari possunt. *ex hoc cap. cùm sic.* Dedicatio autem Ecclesiarum, ne hoc omittam, noo modò perficitur adhibitis multis solemnibus; sed etiam solemnitas dedicationis singulis annis est celebranda. *can. solemnitates.* I. *&* II. *de consecr. dist.* I. *can. Eleutherius.* XVIII. *qu.* II. Augustin. serm. de tempore CCLV. *Sicut optimè nouit sanctitas vestra, fratres, consecrationem altaris hodie celebramus, & iustè ac meritò gaudentes celebramus festiuitatem, in qua benedictus vel vnctus est lapis, in quo vobis diuina sacrificia consecrantur.* Gregor. Tur. lib. VI. cap. XI. *Aduenit festiuitas oratorij ruris suburbani.*

CAPITVLVM III.

IDEM NIDROSIENSI EPISCOPO.

QVOD in dubiis :.·.·.·. Altare verò, in quo tabula, cui consecrarionis benedictio Ponrificali ministerio adhiberur, mota vel enormirer fracta fuerit, debet non immeritò consecrari. Nec negamus, quin oleum non consecrarum consecrato possit oleo commisceri.

CAPITVLVM VI.

IDEM.

LIGNEIS ædificiis Ecclesiæ vestræ casu consumptis, parietibus tamen illæsis, at mensa principalis alraris in sua exrremitate modicam passa fracturam :.·.·.·. Inquisirioni t. t. dux. respond. quòd cùm parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormirer læsa non fuerit, ob causam prædictam nec Ecclesia, nec altare debet denuo consecrari.

ALTARE denuo consecrandum est, si tabula altaris mota, vel enormiter fracta fuerit, ex *hoc cap. quod in dubiis*, immo si altare morum fuerit tota Ecclesia denuo consecrari debet. *can. si motum. de consecr. dist.* 1. quo vsus est Iuo Carnotens. *epist.* LXXII. & LXXX. Ratio est, quia altare est pars maxima Ecclesiæ; vnde in Gallia altarium appellatione designantur Ecclesiæ, & decimæ Monachis datæ sub certo censu, de quibus Synodus Aruernensis in *can. quæsitum.* 1. *qu.* III. *Ecclesia. vel decima, qua vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur.* Si tectum Ecclesiæ collapsum sit, illæsis parietibus, tabula altaris haud mota, vel enormiter læsa; nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari, *ex hoc cap. lignea.* Quòd si parietes Ecclesiæ mutentur, non mutato altari, sufficit Ecclesiam sale exorcisari, id est purgari aquâ cum sale benedictâ. *d. can. si motum.* Si verò Ecclesia reficiatur per partes, non indiget noua consecratione, quia eadem Ecclesia intelligitur. *can. de fabrica. de consecr. dist.* 1. *l. proponebatur. ff. de iudic. l. quod in rerum natura.* §. *vlt. de legat.* In consecratione Ecclesiæ vel altaris oleum non consecratum potest admisceri oleo consecrato, & alterius commixtione totum fit consecratum, ex *ipso cap. quod in dubiis.* quia maius dignum trahit ad se minus dignum. *cap. per tuas. de arbitr.*

CAPITVLM IV.

IDEM COMPOSTELLANO ARCHIEPISCOPO.

PROPOSVISTI, quòd venientibus ad Ecclesiam sancti Iacobi ex diuersis regionibus peregrinis, & volentibus aliis ab aliis per contentiones & rixas altaris de nocte custodiam vindicare, homicidia contingunt fieri interdum, & aliquando vulnera inferuntur :.·.·.·. F. t. e. r. quòd manente Ecclesia & altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam.

CAPITVLVM VII.

IDEM SENONENSI EPISCOPO.

CONSVLVISTI :.·.·.·. Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt adspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit.

ECCLESIA semel consecrata polluitur, id est desinit esse sacra incendio, seminis aut sanguinis effusione, id est homicidio, vel adulterio. *can. Ecclesiis. can. si motum. de consecr. dist.* 1. *can. Ecclesiis.* LXVIII. *dist.* Hoc pacto cædibus pollutam basilicam Dionysij martyris, ob idque sacris institium indictum refert Gregor. Turonensis lib. v. cap. XXXII *Sauciantur multi gladiis, respergitur sancta humano cruore basilica, ostia iaculis fodiuntur, & ensibus, atque vsque ad ipsum sepulchrum iela iniqua desæuiunt, quod dum vix mitigatur, locus officium perdidit,* &c. Æquè occupatione hæreticorum & infidelium polluitur Ecclesia, & si recepta fuerit ab hæreticis vel infidelibus, iteratâ consecratione indiget. *can. Ecclesias. & seqq. de consecr. dist.* 1. Conc. Epaunens. *can.* XXXIII. Hoc iure ædem D. Cypriani receptam à Vandalis solemni ritu purgatam tradit Procop. lib. I. de Bell. Vandalic. ita & iure ciuili occupatione hostium locus sacer fit profanus. *l. cùm loca. ff. de relig. & sumpt. funer.* Virgil. XII. Æneid.

Quos contra Æneada bello fecere profanos.

Et M. Tull. de finib. *Has tabulas M. Marcellus cùm illa omnia victoria profana fecisset.* Arch. Compostellanus, vt veniamus ad speciem *h. cap.* proposuit Summo Pontifici, quòd peregrinis ex vniuersis orbis Christiani partibus confluentibus ad D. Iacobi: (frequens iam olim fuit peregrinatio ad Basilicam D. Iacobi Compostellam, Hildebertus Cenomanens. epist. LXIX. *Ad memoriam B. Iacobi, strenuissime Comes, iter vt fertur assumpsisti, quod nos bonum quidem non negamus,* &c.) & studio religionis contendentibus aliis ab aliis de nocte altaris custodiam sibi vindicare, ex veteri se. ritu quo solebant peruigilia celebrari in ædibus martyrum, inde oriebantur frequentes rixæ vsque ad vulnera & cædes: quæsitum est igitur, an ex hoc casu polluta videretur Ecclesia, nouâque consecratione indigeret. Consultus Pontifex respondit manente Ecclesiâ & altari ipsam reconciliari posse per aquam vino & cinere benedictam: & hoc consulto responsum, ne propter frequentes casus pollutionis celebrioris Ecclesiæ sacra interturbarentur. Polluitur etiam cœmeterium, si excommunicatus in eo condatur, & reconciliandum est aspersione aquæ lustralis, ex *cap. consuluisti.* Ecclesia verò semel polluta reconcilianda est per Episcopum, non per simplicem Presbyterum. Quia Episcopus non potest mandare quæ sunt ordinis Episcopalis, secundi ordinis Clericis. *cap. aqua. h. tit.* Petrus Abbas Cellensis, lib. VI. epist. VIII. *Tertia denique causa subest, quia dominus Archiepiscopus noster Romam pergens, officium suum nos supplere commisit, nequa-*

fuit sanguine dedicatum, tempotalia promittebat: Nouum autem, quod est Christi sanguine consecratum, promittit æterna: & ideo Testamentum illud, fuit vetus & transitorium: hoc autem nouum est, & æternum. Vel vt vtamur alia ratione: vnde nouum, id est vltimum esse describitur: inde æternum, id est, perpetuum comprobatur. Nouissimum etenim hominis testamentum mortc immobile perseuctat, quia testatoris obitu confirmatur, iuxta quod Apostolus Testamentum in morte adserit confirmatum: alioquin non valet dum vixerit qui testatur. Præterea non solùm scriptura, sed etiam promissio dicitur testamentum, iuxta quod Apostolus ipse scribit: ideo Noui Testamenti mediator est, vt repromissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ipso Canone reperitur, Hic est enim sanguis meus, noui & æterni testamenti, id est, nouæ ac æternæ promissionis; scilicet confirmator, sicut Dominus repromittit; Qui manducat (inquiens) carnem meam, & sanguinem meum bibit, habet vitam æternam. Ex eo autem verbo, de quo mouit tua frat. quæstionem, videlicet mysterium fidei, munimentum erroris, quidam trahere putauerunt, dicentes in Sacramento altaris non esse corporis Christi, & sanguinis veritatem, sed imaginem tantùm & speciem & figuram: pro eo, quod Scriptura interdum commemorat, id quod in altari suscipitur, esse Sacramentum & mysterium & exemplum. Sed tales ex eo laqueum erroris incurrunt, quòd nec auctoritates Scripturæ conuenienter intelligunt, nec Sacramenta Dei suscipiunt reuerenter. Si enim quia figura est Sacramentum altaris, veritas esse negatur: ergo nec mors, nec resurrectio Christi (cùm figura sit) veritas est credenda. Siquidem mortem & resurrectionem Christi similitudinem & imaginem esse Apostolus manifestat: Christus, inquiens, mortuus est pro delictis nostris, & resurrexit propter iustificationem nostram. Apostolorum etiam Princeps Petrus sic in Epistola sua scribit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Sic ergo tam mors Christi, quàm eius resurrectio est exemplum, vt & nos peccato mortui, iustitiæ iam viuamus. Quare si non fuit veritas, quia fuit exemplum, ergo nec verè mortuus fuit Christus, nec verè à mortuis resurrexit. Sed absit à fidelium cordibus error iste, cùm Propheta de ipso testetur, quòd verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dicitur tamen mysterium fidei, quoniam aliud ibi creditur, quàm cernatur, & aliud cernitur, quàm credatur. Cernitur species panis & vini, & creditur veritas carnis & sanguinis Christi, ac virtus vnitatis & charitatis.

Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis & vini, veritas carnis & sanguinis, virtus vnitatis & charitatis. Primum est sacramentum & non res. Secundum est sacramentum & res. Tertium est res & non sacramentum. Sed primum est sacramentum geminæ rei. Secundum est sacramentum vnius, & alterius res existit. Tertium est res gemini sacramenti. Credimus igitur, quòd formam verborum sicut in Canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint successores.

Quæsiuisti etiam, vtrùm aqua cum vino in sanguinem conuertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholasticos variantur. Aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Christi duo præcipua fluxerint sacramenta, redemptionis in sanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo vinum & aqua, quæ commiscentur in calice, diuina virtute mutantur: vt in hoc sacramento plenè sit veritas & figura. Alij verò tenent, quòd aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, licèt Physici contrarium adseuerent, qui aquam à vino per artificium posse adserunt separari. Præterea potest dici, quòd aqua non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circunfusa, ita quòd vini saporem adsumit: quod inde conuincitur, quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur: sed accidentibus prioris vini commixtum corpori, quod sub eis latet, vndique circunfunditur, non madidans circunfusum: ipsa tamen accidentia vinum adpositum videntur adficere, quia si aqua fuerit adposita, vini saporem adsumit. Contingit igitur accidentia mutare subiectum, sicut & subiectum

contingit accidentia permutare : cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur. Sed nec inconueniens creditur aut absurdum, si aqua in corpore Christi esse credatur, cùm legatur de ipsius corpore processisse :.·.·.·. Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ adserit aquam cum vino in sanguinem transmutari : vt expressiùs eluceat proprietas Sacramenti. Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, iuxta quod alibi legitur: Beati qui seminant super omnes aquas: ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur: per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo: tam insolubili nexu coniungimur, vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per admirabilem vnionem, ac per hoc, ipso communiter mediante, cum patre vnum efficimur. Pater, inquit, sancte, serua eos, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos: non pro his rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt & ipsi in nobis vnum sint, & mundus credat quia tu me misisti.

Tertio loco fraternitas tua requisiuit, quare fuerit mutatum quod in secreta beati Leonis, secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio : cùm in modernis Sacramentariis habeatur, Annue nobis quæsumus Domine, vt intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio? Super quo respondemus, quòd cùm sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quòd iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre : idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quòd cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt : sed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos (cùm miseri simus) vndique mala nostra perturbant. Vnde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit vel proficiat huic Sancto vel illi talis oblatio ad gloriam & honorem : ita debet intelligi, vt ad hoc prosit, quòd magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris : licèt plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari : & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Verùm vtrum in hoc articulo locum habeat illa distinctio, qua docetur, quòd defunctorum alij sunt valde boni, alij sunt valde mali, alij mediocriter boni, alij mediocriter mali : vnde suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia pro valde bonis, actiones sunt gratiarum : pro valde malis, consolationes viuorum : expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis, tua discretio inuestiget.

CAPITVLVM VIII.

IDEM FERRARIENSI EPISCOPO.

IN quadam nostra decretali epistola adseris te legisse illud esse nefarium opinari, quod quidam dicere præsumpserunt, in Sacramento videlicet Eucharistiæ aquam in phlegma conuerti. Nam de latere Christi non aquam sed humorem aquaticum mentiuntur exisse :.·.·.·. Nos igitur ad tuæ supplicationis instantiam respondemus, quod quidam dixerunt, sed errauerunt, Christum non fuisse verum Deum sed adoptiuum, vt miseri Ariani. Alij Christum non fuisse verum hominem, sed phantasticum, vt impij Manichæi. Sed aduersus huiusmodi hæreses Ioannes Apostolus in epistola sua loquitur, dicens : Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : & hi tres vnum sunt; per hoc intendens ostendere quòd Christus sit verus Deus. Et tres sunt qui testimonium dant in terra : spiritus, aqua, & sanguis; per hoc intendens ostendere, quòd Christus sit verus homo. Nam ad esse hominis duo principaliter exiguntur, videlicet corpus, & anima, ex quorum coniunctione verus homo subsistit. Per hoc autem, quòd in articulo mortis Christus inclinato capite tradidit spiritum, de quo voce magna clamauerat ; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum : manifestè probatur, quòd ipse spiritum habebat non solùm flatum vitalem, sed animam rationabilem, de qua prædixerat : Tristis est anima mea vsque ad mortem : & potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Per hoc autem, quòd vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò sanguis exiuit & aqua : probatur apertè, quòd Chri-

ſtus verum corpus habebat. Nam de phantaſtico corpore nec ſanguis, nec aqua potuiſſet exire. Vnde ille qui vidit, teſtimonium perhibuit, & teſtimonium eius eſt verum: quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: ſpiritus, aqua & ſanguis. Quòd videlicet Chriſtus ſit verus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens, probatur ex eo quòd ſpiritum vitalem emiſit: & de vero corpore probatur, quoniam ex eo ſanguis exiuit & aqua: rationalis quippe anima non poſſet viuificare niſi corpus humanum, ex quibus verus homo conſiſtit. Cæterùm ſicut fuit verus ſpiritus, & verus ſanguis, ita proculdubio vera aqua: cùm Chriſtus ſit veritas, & à veritate omnis fallacia ſit penitus aliena: Nam ſi non fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Saluatoris exiuit, ille, qui vidit, & teſtimonium veritati perhibuit, profectò non aquam, ſed phlegma dixiſſet: nec in hoc verum regenerationis Sacramentum fuiſſet oſtenſum, cùm per Sacramentum baptiſmi non regeneremur in phlegmate, ſed in aqua. Neque per hoc poſſet vero argumento probari, quòd in Sacramento Euchariſtiæ admiſcenda ſit aqua vino, ſi de latere Chriſti, non aqua ſed phlegma cum ſanguine profluxiſſet. Sed nec vera fuiſſet figura, quæ ſuper hac re præceſſit in veteri Teſtamento, quando Moſes virga percuſſit ſilicem, & ex ea non phlegma, ſed aqua emanauit. Reſtat igitur vt qualiſcunque fuerit illa aqua, ſiue naturalis, ſiue miraculoſa, ſiue de nouo diuina virtute creata, ſiue de componentibus ex parte aliqua reſoluta, proculdubio vera fuit: cùm naturaliter poſſit & compoſitum in componentia, & elementatum in elementa reſolui: quemadmodum verus extitit ſudor ipſius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Cùm autem ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aër, & ignis: & ad vegetationem eiuſdem corporis quatuor humores conſimiles illis conueniant, videlicet ſanguis, cholera, phlegma, & melancholia: vt veritatem humani corporis expreſſiùs demonſtraret, vnum ex illis, & vnum ex iſtis Ioannes expreſſit, illa quæ potiùs ex illis, & ex iſtis quæ magis myſterio congruebant, ex elementis aquam, & ex humoribus ſanguinem: in quibus duobus duo maximè Sacramenta, redemptionis videlicet & regenerationis, elucent.

IN celebratione miſſæ aqua cum vino tranſſubſtantiatur, id eſt conuertitur in ſanguinem Chriſti, *ex hoc cap. cùm Martha.* ac damnatur error eorum, qui credebant in Sacramento Euchariſtiæ aquam in vinum non conuerti, ſed in phlegma, & de latere Chriſti non aquam, ſed humorem aquoſum exiiſſe. *cap. in quadam.* In ſacrificio miſſæ panis tantùm, & vinum aquâ permixtum offertur ex decreto Alexandri. *can.* 1. *& ſeqq. de conſecr. diſt.* II. Iren. *lib.* IV. *cap.* XLVII. Iuſtin. M. *apolog.* II. Gregor. Nazianz. *orat.* XXXVIII. Sigebert. *ad ann.* DCLXXXVIII. nimirum aqua cum vino miſcetur in ſignum aquæ, quæ de Chriſti latere manauit, & adunationis plebis cum Chriſto, cùm aqua ſit ſymbolum plebis, vt oſtenditur *hic & in can. cùm omne. de conſecr. diſt.* I. Armenios à recta fide deuiaſſe, & in ſacrificio miſſæ aquam vino non miſceri ſe audiſſe doluit Gregor. VII. *lib.* VIII. *epiſt.* I. In ſacrificio altaris plus vini quàm aquæ adhibendum eſt, quia aqua in vinum mutari debet, quæ mutatio fieri non poſſet, niſi vini quantitas præpolleret, ac deinde vinum mutatur in ſanguinem Chriſti. *d. can. cùm omne.* Ab officio & beneficio ſuſpenditur qui ſine aqua, & igne, & in fermentato ſacrificat. *cap. vlt. h. tit.* Latini fermentato pane vſi non ſunt. Solis Græcis indultum in fermentato ſacrificare ex Gregor. loco modò laudato: vnde Latini à Græcis azymitæ dicti per ludibrium; Sigebertus Gemblacenſis in Chronic. ad ann. MLIV. *Græci Latinos vocabant azymitas, & eos nimis perſequentes eorum Eccleſias claudebant, de fermentato ſacrificabant.*

CAPITVLVM VII.

IDEM RECTORIBVS ROMANÆ FRATERNITATIS.

DE homine . . . . . . Quæſiuiſti, quid de incauto Presbytero videatur, qui cùm ſe ſciat in mortali crimine conſtitutum, miſſarum ſolemnia, quæ non poteſt propter neceſſitatem quamlibet intermittere, propter ſui facinoris conſcientiam dubitat celebrare, peractiſque cæteris circunſtantiis miſſam celebrare ſe fingit, & ſuppreſſis verbis, quibus conficitur corpus Chriſti, panem & vinum tantummodo purè ſumit, ita credens per id quod prætendit, populo ſatisfacere, vt

per

[illegible]

[illegible]

CAPITVLVM IV.

[illegible]

[illegible]

Tertull. de coron milit. *Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus.* Idem dicendum in vigilia B. Ioannis Euangelistæ, quia eius festus dies celebratur intra Natalem Domini, quæ est prima pars *huius cap.* Nempe maiores festiuitates durant in octauam diem, etiam solemnitates Martyrum: de festo B. Teclæ Basil. Seleucienſ. *eius vit. lib.* II. *cap* XVII. ἦν ὁ τ̃ μαρτυρος αὐτῆς ἑορτὴ, καὶ ἡ τελευταία τῆς ἑορτῆς ἡμέρα, ἣν δὴ καὶ ἀπόλυσιν καλεῖν ἡμῖν ἔθος. *Festum erat martyris, & postremus iam eiusdem dies, quem vocamus dissolutionem* Sequitur in *hoc cap.* Ieiunium apud nos in Aduentu Domini agitur. In ieiunio spectanda est consuetudo Ecclesiarum, vt Romæ seruabatur ieiunium sabbati, quod aliæ nesciebant Ecclesiæ. *can. sabbato. de consecr. dist* III. Ambros. apud Augustin. epist. CXVIII. *Cùm Romam venio*, inquit, *ieiuno sabbato, cùm Mediolani sum non ieiuno.* vnde desumptus est *can. illa autem* XII. *dist.* De festiuitate S. Bartholomæi celebranda esset, necne consultus Pontifex respondit in *hoc ipso cap* spectandam esse consuetudinem regionis. Aliæ sunt festiuitates generales, quæ celebrantur ex consuetudine generali Ecclesiæ; aliæ sunt locales, quæ indicuntur ex consuetudine locorum, à singulis Episcopis in suis Episcopatibus *can.* I. *de consecr. dist.* III. Hieronym. in epist. ad Galat. *Et Pascha festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diuersa in honorem martyrum tempora constituta.* Ieiunium Quadragesimæ seruatur ex consuetudine generali Ecclesiæ. Ambros. serm. XXXIII. *Diximus superiore Dominica, hoc esse fidei nostræ opus primum, vt horum quadraginta dierum curriculo deuotissimè ieiunemus* & Hieron. in Matth. cap. IX. *Ecclesiæ autem consuetudo ad Passionem Domini, & Resurrectionem per humilitatem carnis venit, vt spirituali sagina ieiunio corporis preparemur.* Si qui tamen per tempus Quadragesimæ, ob annonæ inopiam, ne fame pereant carne vescuntur, non peccant, neque pœnitentia eis est iniungenda; sed pro eis est orandum, ne eis imputetur, quia bonarum mentium est culpam timere, vbi culpa abest, vt subiungitur *in hoc cap. & can. ad eius. dist.* V. De his verò qui propter debilitatem carnem edunt sabbato, quod in prouincia Bracarensi, quæ est Lusitaniæ, fieri non consueuit, spectanda est consuetudo regionis, quod additur in fine *h. cap.* Etiam in Quadragesima, & aliis solemnibus ieiuniis esus carnium indulgetur ex causa necessitatis, putà ob valetudinem. Ieiunium soluitur ob iustam causam, veluti ob ægritudinem, August. quæst. nou. testam. XXIII. *Talis hæc causa est, qualis hodie in ieiuniis legitimis, numquid si quis æger ieiunium corruperit, reus constituitur? non vtique, quia non est periculum, hoc enim aliquando licet sicut sabbatum apud veteres.* Etiam apud Ægyptios monachos ieiunium soluebatur in aduentu fratrum peregrinorum, Cassian. de Institut Cœnobit. *lib.* IV. *cap.* XXIII. XXVI. *& aliis locis*, de quo opportuniùs nobis propositum est dicere in Asceticis. Immo à multis seculis ipsum ieiunium Quadragesimæ mitiùs exigitur, indultâ refectione sub horam nonam, quæ est sub meridiem, cùm olim ieiunium non solueretur ante occasum solis, Thomas Cantipratensis Apiarij *cap.* LIV. *num.* XI. *Gradientibus namque duobus fratribus Prædicatoribus ieiuniorum tempore ante Pascha, cùm iam instaret tempus prandij hora nona.*

TIT. XLVII. *De Purificatione post partum.*

CAPITVLVM I.

INNOCENTIVS III. ARMACANENSI EPISCOPO.

VOLENS:.:.:.:. Licèt secundùm legem Mosaïcam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi ingressu cessarent. Quia tamen lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Inquisitioni t. r. respond. quòd postquam vmbra legis euanuit, & illuxit veritas Euangelij: si mulieres post prolem emissam acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nullâ proinde peccati mole grauantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus: ne pœna illis conuerti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, deuotionem earum non credimus improbandam.

MVLIER recens à partu non arcetur ab ingressu Ecclesiæ, quia lex Mosis euanuit illucescente Euangelica, ne pœna id est vitium naturæ muliebris imputetur in culpam. Si tamen religionis ergò per aliquot dies abstinendum duxerit, non improbanda est eius deuotio, vt cauetur in *hoc cap.* quod sumptum ex Innocent. III. *lib.* I. *epist.* LXIII. & illustratur ex *can. si mulier. can. ad eius. dist.* V. quibus exploditur *Nou. Leon.* XVII. qua restitutum ius antiquum, mulier statim post partum admittitur in Ecclesiam, quia purificatione non indiget. Sanè puerpera solet se, & partum offerre altari, vnà cum cereo: vnde cùm Philippus I. Rex de Guillelmo Normanno per iocum dictitasset, eum velut puerperam decumbere, dicterio offensus Normannus, *Cùm ad missam*, inquit, *post partum iero, centum millia candelas illi illuminabo*, vt refert Matth. Westmonaster. ad annum MLXXXVII. Maria Mater Christi, etsi purificatione non indi-

gerer, legem implere sustinuit; vnde eius Purificationis solemnitas celebratur. Olim & apud Græcos moris fuit celebrari ἐπιλόχια, id est secundinas Virginis Deiparæ, quod vetuit Synodus VI. in Trull. *can.* LXXX.

TIT. XLIX. *De immun. Eccles. cæmit. & rer. ad eas pertinentium.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. ILLVSTRI REGI SCOTIÆ.

INTER alia :.·.·.·.·.·. Tuis quæstionibus respondentes iuxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones legum ciuilium, diximus distinguendum, quòd fugiens ad Ecclesiam, aut liber, aut seruus existit. Si liber, quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec indè damnari debet ad mortem vel ad pœnam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam. Super hoc tamen, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus. Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsidet aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstitâ, secundùm Canonicas sanctiones. Si verò seruus fuerit, qui confugerit ad Ecclesiam: postquam de impunitate sua dominus eius Clericis iuramentum præstitit, ad seruitium domini sui redire compellitur etiam inuitus, alioquin à domino poterit occupari.

REx Scotiæ Pontificem consuluit, an reus cuiuscumque criminis confugiens ad Ecclesiam tutus sit, vel an impunè possit abduci ab Ecclesia. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* secundùm ius canonicum, & ciuile distinguendum esse an confuga sit seruus an liber: si liber, cuiuscumque criminis reus sit, non est per vim eripiendus ab Ecclesia, nec inde rapiendus ad mortem vel pœnam corporalem. Reus non potest extrahi ab Ecclesia, vel Ecclesiæ atrio. *can. reum. can. diffinivit. can. id constituimus.* XVII. *qu.* IV. *can. eos qui.* LXXXVII. *dist. l. præsenti. C. de his qui ad Eccles. confug.* Augustin. in Psalm. CL. *Tales compedes consolidant vobis & Episcopi manus, numquid non fugiunt in Ecclesiam compediti, & soluuntur hic.* Si reus igitur confugiat ad Ecclesiam pœnæ declinandæ causâ, Rector Ecclesiæ ei obtinere debet membra, & vitam, id est pro eo intercedere debet apud iudicem, ne morte vel membrorum fragio plectatur, nec antè tradendus est quàm interposita securitate de vita & membris. *d. can. reum. d. can. id constituimus.* Synod. Claromontensis apud Matth. Paris ad ann. MXCV. *Quod qui ad Ecclesiam, vel ad crucem confugerint, data membrorum impunitate, iustitiæ tradantur vel innocentes liberentur.* Pro sontibus intercedere solebant Episcopi, August. epist. CXXVII. ad Donatum Procons. Africæ de Donatistis coërcendis, non necandis. *Quæsumus igitur, vt cùm Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis iniuriis appetitam, vel afflictam esse cognoueris, potestatem occidendi te habere obliuiscaris, & petitionem nostram non obliuiscaris.* & idem epist. CLVIII. *Pœna sanè illorum quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam.* & rursus idem epist. CCL. *De damnis facilis potest haberi taxatio, tantùm supplicia deprecamur.* Aliàs nihil vetat abductum de Ecclesia legitimè puniri, id est aliâ pœnâ quàm capitali, putà pœnâ pecuniariâ, vel modicâ coërcitione, id est verberum cæsione. *d. can. reum. & can. id constituimus*, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus grassator. Qui impunè ab Ecclesia abduci possunt, vt additur *hoc loco. & can. sicut antiquitus.* XVII *qu.* IV Publicos latrones impunè cuique occidere licet. *l. vn. C. quand. lic. vnicuique sine iudic. se vindicar.* Idem dicendum de reis læsæ maiestatis. Olim tamen in Gallia, etiam reos perduellionis abductos de Ecclesia morte mulctari fas non erat. Sicarium à Fredegunde submissum, eductum è sancti Marcelli Cabillonensis Ecclesia verberibus cæsum Guntranus incolumem dimisit, quia nefas putauit, si is qui ab Ecclesia eductus fuerat truncaretur, Gregor. Tur. lib. IX. cap. III. *Et cùm Septimina, & Drostulfus rei læsa maiestatis confugissent ad Ecclesiam, inde exiere in iudicium, datâ sibi fide à Childeberto Rege de vita, nefas est enim vel criminosos ab Ecclesia eductos punire*, ait idem Turon. *eod. lib. cap.* XXXVIII. Quòd si seruus confugerit ad Ecclesiam, etiam inuitus reddendus est domino, dato sacramento de impunitate. *d. can. id constituimus. d. l. præsenti.* Si serui vel ingenui, qui iniuriâ seruiunt, confugiant ad Ecclesiam, vtrisque consulitur, Augustin. in Ioannem cap. XLI. *Aliquando fugiunt homines ad Ecclesiam, & plerumque eos patimur, quamquam indisciplinatos, volentes carere dominis, qui nolunt carere peccatis. Aliquando autem etiam illicito iugo, & improbe subiecti fugiunt ad Ecclesiam, quia retinentur ingenui ad seruitutem, & interpellatur Episcopus, & nisi curet operam impendere, ne ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur.*

CAPITVLVM VII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

ADVERSVS Consules & Rectores ciuitatum vel alios, qui Ecclesias & Ecclesiasticos viros talliis seu collectis & exactionibus aliis adgrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit: transgressores & fautores eorum excommunicationi subiacere præcepit, donec satisfactionem impenderint competentem. Verùm si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem & vtilitatem perspexerint, vt absque vlla coactione ad releuandas vtilitates vel necessitates communes, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda: prædicti laïci humiliter & deuotè recipiant cum gratiarum actione.

Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex priùs consulatur: cuius interest communibus vtilitatibus prouidere. Quia verò nec sic quorumdam malitia contra Dei Ecclesiam conquieuit, adiicimus vt constitutiones & sententiæ, quæ à talibus vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore valituræ. Cæterùm quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, vt intra tempus regiminis sustineat anathema, quatenus post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus. Nam & ipsum, qui satisfacere recusauerit, & successorem ipsius, nisi satisfecerit intra mensem, manere decernimus Ecclesiasticâ censurâ conclusum, donec satisfecerit competenter, cùm succedat in onere, qui in honore substituitur.

CLERICI immunes sunt à personalibus sordidis & extraordinariis muneribus, putà angariis & parangariis & susceptione hospitum. *l. 1. & 11. l. Presbyteros. C. de Episc. & Cleric. l. placet. C. de SS. Eccles.* Non autem à vectigalibus & tributis, quæ sunt onera prædiorum, onera realia. *l. de his. C. de Episc. & Cleric. l. sacrosancta. C. de SS. Eccles.* Ambros. epist. xxxii. ad Valentinian. Ion. *Si tributum petit non negamus, agri Ecclesiæ soluunt tributum* Neque à collatione ad instructionem viarum & pontium, quia non est sordidum munus. *l. ad instructionem. C. de SS. Eccles.* Inde in priuilegiis regiis Monasteriorum & Ecclesiarum Angliæ dempta instructio arcium & pontium. Tabulæ Kenulphi Regis Merciorum apud Ingulphum, *in Chronic. eiusdem Monastery: Huius rei gratia hanc donationem meam me viuente concedo, vt omnia Monasteria, & Ecclesiæ regni mei, à publicis vectigalibus, operibus, & oneribus absoluantur, nisi in instructionibus arcium, vel pontium, quæ numquam vlli possunt laxari.* Et Tabulæ Edgari Regis Anglorum, de priuilegiis ipsius Monasterij Croyland. apud eundem: *Hanc igitur totius Abbatiæ regificam libertatem ab omnibus approbatam, excepta moderata expeditione, & pontis, arcisue restauratione, fatemur à Sede Apostolica perpetuò corroborari.* Non excusantur iidem ab excubiis, seu custodia mororum. *cap. peruenit. h. tit.* Nemo excusatur ab hoc onere propter necessitatem publicam, vt in præcepto concessionis quod Ludouicus P. fecit Hispanis, qui ad se confugerunt: *In Marcha nostra explorationes & excubias, quod vsitato vocabulo Wactas dicunt, facere non negligant.* Ex Conc. Wormaciensi c. 1. vnicuique Ecclesiæ integer mansus tribuitur, solutus ab omni seruitio præter Ecclesiasticum. *cap. 1. suprà. de censib. can. sancitum.* xxiii. *qu.* viii. Quod statutum est ob egestatem Clericorum, quia ea ætate in Germania decimæ erant in potestate laicorum, Alberto Krantz. *Metropol. lib. 1. cap. 11.* Ex Conc. Lateranensi habito sub Alexandro III. Consules & Rectores ciuitatum & alij vetantur tallias, seu collectas & exactiones Ecclesiis & Clericis imponere sub pœna excommunicationis, nisi de consensu Episcopi & Cleri vrgente necessitate publicâ, vbi laïcorum non suppetunt facultates. *cap. non minùs. suprà. h. tit.* Quod Innocent. III. ex Conc. G. Lateranensi repetiit in *hoc cap* adhibito hoc temperamento, vt priùs consulatur Rom. Pontifex, cuius interest vtilitati publicæ prouidere, & vt huiusmodi collectæ non indicantur Clericis, nisi auctoritate Sedis Apostolicæ *cap. Clericis. h. tit. in* vi. Igitur Consules & Rectores ciuitatum prohibentur tallias, seu collectas imponere Clericis; & eo nomine malè audiuere Scabini & Consules, & Domini temporales in Gallia. *cap. 1. eod. tit. in* vi. Et pœna anathematis semel contracta, non soluitur finitâ administratione; post impletum enim munus durat in eodem, si non satisfaciat, & transit in successorem, si non satisfaciat intra mensem, vt additur in *hoc cap.* Syndicus, seu tutor vel curator deposito officio non tenetur ex contractu, vel negotio gesto nomine vniuersitatis vel pupilli, dum administrauit. *l. curatores. §. in enm. ff. de administr. rer. ad ciuit. pertinent. l. cùm quædam. C. de adm. tut.*

l. 1. *C. quand ex fact. tut.* sed ex delicto rectè conuenitur deposito officio. *l. iubemus. C. ad l. Iul. repetund.* & delictum prædecessoris transit in successorem, si non satisfaciat; quia alienum delictum suum facit, ex quo sciens ipsum non purgat, vt rectè animaduertit *gloss. h. loc.* ex *cap.* 1. *suprà. vt lit. non contestat.* & succedit in onere, qui in honore substituitur, vt scriptum est in calce *h. cap.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM IN EODEM.

QVIA plerique Prælati, vt procurationem aut seruitium aliquod impendant Legato vel alij, plus extorquent à subditis, quàm soluant, & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potiùs quàm subsidium in subiectis; id de cætero fieri prohibemus. Quòd si quis fortè præsumpserit, & sic extorta restituat, & tantumdem cogatur pauperibus elargiri.

Superior autem, cui fuerit querela deposita: si negligens fuerit in huiusmodi executione statuti, Canonicæ subiaceat vltioni.

EX eodem Conc. generali Lateranensi Prælati, qui pro procuratione præstanda Legato Sedis Apostolicæ, vel alij, à subditis plus extorquent, quàm soluant, tenentur in duplum, id est extorta restituere, & tantumdem pauperibus erogare tenentur; quæ est summa *h. cap.* Iudex Ecclesiasticus potest quandoque delinquentes multâ pecuniariâ coërcere *cap. dilectus. de off. ordinar. cap.* 11. *de delict. puer. cap. venerabilibus.* §. *denique. de sentent. excommunic. in* VI. Sed non potest eam addicere ærario Episcopali, quia Ecclesia fiscum non habet. *cap. irrefragabili. in fin. de offic. ordinar. cap. licèt. de pœn.* Synodus Cabillonens. II. *can.* XVIII *Dictum est nobis quòd in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant Wadios accipiant, & à Presbyteris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam diuidant; quod penitus abolendum decreuimus, &c.* Sed multa eroganda est pauperibus, vt statuitur in hoc cap. Cassiodor. lib. VIII. variar. epist. XXIV. *Decem librarum auri dispendio feriatur, quæ à palatinis sacrarum largit. omnino protinus exacta per manus antistitis pauperibus erogentur: multa inquam eroganda est pauperibus, vel fabrica Ecclesiæ aut locis piis.* ex Conc. Trident. *sess.* XXV. *de reform. cap.* III. *&* XIV.

TIT. L. *Ne Clerici vel Monachi secularib. negociis se immisceant.*

CAPITVLVM VIII.

INNOCENTIVS III. ESTVL. EPISCOPO.

SICVT te accepimus referente :·.·.·:·.·. Frater. tuæ mandamus, quatenus Clericis in sacris Ordinibus constitutis tabellionatus officium, per beneficiorum subtractionem adpellatione postpositâ interdicas.

IN Esculana ciuitate inualuerat sequior vsus, vt Presbyteri & Diaconi passim Tabellionum officio fungerentur. Hac de re consulenti Episcopo Esculano mandauit Pontifex, vt Clericis in sacris Ordinibus constitutis tabellionatus officio priuatione beneficij, appellatione submotâ, interdiceret. Clericis in sacris Ordinibus positis Tabellionum officio interdictum est, quia est sordidum munus. Tabelliones sunt serui publici. *l. non aliter. ff. de adopt.* In hanc sententiam Capitul. Caroli M. *lib.* I. *cap.* CLVIII. *Vt nullus Presbyter chartas scribat.* Eadem ratione Presbyteros Cancellarios publicos esse vetuit Synodus Cabillonens. II. *can.* XLIV. Cancellarij sunt Notarij seu scribæ iudicum. *l. nemo. l. nullus. C. de adsess. & Cancellar. Iud. vel Princip.* Trebell. Pollio in Carino, *Præfectum vrbi vnum ex Cancellariis suis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando nec dici*, inde dicti quòd intra cancellos scriberent. Nec obstat quòd Parocho licet excipere testamentum Parœciani. *cap. cùm esses. suprà. de testament.* quia hoc est speciale in testamento parœciani, fauore vltimæ voluntatis, & piæ causæ propter legata pia, quæ vt plurimum huiusmodi testamentis continebantur. Non ignotum sanè fuit munus Notariorum in Ecclesia: ex instituto Clementis Ecclesia Romana habuit suos Notarios per singulas regiones vrbis diuisos, qui gesta martyrum, & alia acta Ecclesiæ perscriberent: habuerunt & aliæ Ecclesiæ suos Notarios. *can. multorum.* XXVII. *qu.* II. sed horum munus versabatur tantùm in actis Ecclesiasticis.

EX LIBRO QVARTO DECRETALIVM

HÆc decretalis integra legitur apud Innocent. III. *lib.* I. *epist.* XXIX. Huius cap. species hæc est. Laurentius cum Petronalia sponsalia per verba de futuro contraxit, nec per eum stetit, sed per mulierem, ne matrimonium impleretur; quatuor vel quinque pôst annis idem L. aliam mulierem per verba de præsenti desponsauit. Consultus Pontifex rescripsit priora sponsalia de futuro soluta esse per posteriora sponsalia de præsenti, impositâ ei pœnitentiâ, qui sponsalium fidem irritam fecit. Sponsalia de futuro etiamsi iureiurando firmata sint, soluuntur per sponsalia de præsenti, impositâ pœnitentiâ ei qui fidem infregit, nisi sponsalibus certa dies dicta sit, intra quam nuptiæ contraherentur. Nec per eum stetit, quominùs matrimonium impleretur ad diem dictam; pro impleta habetur conditio, quoties per eum stat, in cuius persona implenda est, quominus impleatur. *l. iure ciuili. ff. de condit. & demonstrat. l.* III. *de condit. instit.* In nuptiis contrahendis ad certum terminum, obligatio soluitur lapsu termini, eius gratiâ per quem non stetit. *cap. de illis. suprà. h. tit.* quia in matrimonio res non capit moram propter periculum lapsus carnis. *cap. quoniam.* §. I. *suprà. vt lit. non contestat.* Hoc iure pœnitentia iniungitur ei qui sponsalium fidem temerat, vt in *hoc cap. & d. cap. de illis.* Iure ciuili datur pœna dupli, olim quadrupli. *l. pen. C. de sponsalib.* Secùs si vtraque sponsalia contracta sint per verba de futuro, prioribus standum est, propter fidem prioris iuramenti, iniunctâ pœnitentiâ de secundo. Ratio dubitandi erat, quòd sponsalia in futurum contracta, etiamsi iureiurando firmata sint, contrario consensu dissoluuntur, vel etiam renuntiatione vnius partis. *cap. præterea. cap. requisiuit. h. tit. quia iusiurandum assumit naturam actus, cui apponitur, l. vlt. C. de non numer. pec. cap. quemadmodum. de iureiurand.* & iusiurandum quod sponsalibus interponitur, perinde ac sponsalia ipsa contrario consensu dissoluitur: sed hîc statur prioribus sponsalibus, quia vtraque firmata erant iureiurando, & in pari causa standum est priori iuriiurando: in pari causâ spectatur priuilegium temporis. *l. assiduis. C. qui potior in pignor.* Quòd si de his satis non constet, sententia suspenditur, donec de his pleniùs liqueat. In causa matrimoniali, non est ferenda sententia, nisi pleniùs liqueat. *cap. causam matrimonij. suprà. de probat. cap.* I. *de consang. & affinit.* & hîc maximè iudicantem oportet cuncta rimari. *can. iudicantem.* XXX. *qu.* V.

CAPITVLVM XXIII.

IDEM ARELATENSI EPISCOPO.

CVM apud Sedem Apostolicam: . . . . Sanè consuluisti nos, vtrùm mutus & surdus alicui possint matrimonialiter copulari. Ad quod t. r. quòd cùm prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, vt quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarúmque coniunctionibus agitur. Videtur, quòd si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari. Cùm quod verbis non potest, signis valeat declarare.

CAPITVLVM XXV.

IDEM BRIXIENSI EPISCOPO.

TVÆ fraternitati: . . . . Postulasti, vtrùm ex solis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni t. t. r. quòd matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti. Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis: & pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cùm intelligantur minimè consentire.

MVTVS & surdus nuptias contrahere possunt, vt probatur *vtroque hoc cap. & l. mutus. ff. de iur. dot. l. ex facto. de vulgari & pupillar.* quia nuptiæ contrahuntur nudo consensu, quem sufficit exprimi nutu & signis, cùm consensus qui verbis non potest, nutu & signis valeat declarari. *l. & in epistola. C. de fideicommiss.* Augustin. in Ioannem cap. XXIII. *Ecce nutu ostende quod vis, certè animus tuus vult ostendere, quod in se habet, vnde facis nutum de corpore, scilicet labiis, vultu, superciliis, oculis, manibus, hæc omnia non sunt, quod animus tuus, etiam ista media sunt.* Et prohibitorium est edictum de matrimonio; vnde sequitur, vt mutus & surdus matrimonium contrahere possint, cùm non prohibeantur, & quòd verba requiruntur in contrahendis nuptiis, non valet quoad contrahentes, sed quoad probationem tantùm, ex *hoc capit. tuæ fraternitati.* Iure Ciuili & Canonico sponsalia & nuptiæ contrahuntur nudo consensu,

ſine verbis. Lege Francorum matrimonium contrahitur per oſculum & annulum. *cap. 1. h. tit.* quod ſumptum eſt ex Conc. Tribur. *can.* xxxix. In Supplem. Otthon. Friſing. cap. 11. de Philippi Ducis Sueuiæ filia, *Mox à Duce Leopoldo cognato ſuo, per manus Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni deſponſatur, à quo amantiſſimè amplexata, publici ſigno oſculi, mutuationéque annulorum ſubharratur.* Hoc *cap. cùm apud.* integrum pete ex Innocent. III. *lib.* 1. *epiſt.* CCCLXVIII.

CAPITVLVM XXIV.

IDEM VERSEL. EPISCOPO.

DILECTVS filius R. propoſuit, quòd filiam ſuam cuidam matrimonialiter copulauit: .·.·.·. Cùm autem eadem mulier cum ipſo viro, qui continuo furore laborat, morari non poſſit, & propter alienationem furoris legitimus non potuerit interuenire conſenſus: mandamus, quatenus ſi rem noueris ita eſſe, præfatas perſonas cures ab inuicem ſeparare.

PATER inſcius filiam ſuam nuptui tradidit cuidam qui erat furioſus, fortè deceptus imagine, ſeu ſpecie adumbratæ ſanitatis mentis. Sæpe furioſi ſunt conſtituti in conſpectu adumbratæ quietis. *l. quod meo. §. ſi furioſo. ff. de acquir. poſſeſſ.* Cornel. Celſus lib. III. cap. XVIII. de variis inſaniæ generibus: *Alij etiam artes adhibent, ſummámque ſpeciem ſanitatis præbent, ſed exitu deprehenduntur.* Conſultus Pontifex an matrimonium irritum eſſet, reſpondit irritum eſſe: furor ſuperueniens non diſſoluit ritè contractum matrimonium; ſed impedit contrahendum. *can. hi qui. can. neque furioſus.* XXXII. *qu.* III. *l. oratione. §. ult. ff. de rit. nupt. l. furor. de ſponſalib.* quia ſpectatur tempus nuptiarum. Quòd ſi furioſus habeat dilucidum interuallum, tunc poteſt contrahere nuptias, & ea omnia agere, quæ ſui compotes. *l. pen. C. de curator. furioſ.*

CAPITVLVM XXVI.

IDEM.

TVA nos duxit fraternitas conſulendos .·.·.·.·.·. Conſequenter quæſiuiſti, cùm quandam mulierem quidam aliter inducere nequiuiſſet, vt ſibi committeretur carnaliter, niſi deſponſaſſet eandem, nullâ ſolemnitate adhibitâ, vel alicuius præſentiâ dixit illi, Te Ioannes deſponſat: cùm ipſe Ioannes non vocaretur, ſed finxit ſe vocari Ioannem: non credens eſſe coniugium, eo quòd ipſe non vocaretur hoc nomine, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantùm exequendi carnalem: vtrùm inter prædictos ſit matrimonium celebratum, cùm mulier conſenſerit in eundem, & ille diſſenſerit & diſſentiat, nec aliud aliquid egerit, quàm ſuperiùs eſt expreſſum, niſi quòd cognouerit eandem? Super quo tibi r. quòd cùm præfatus vir prædictam deſponſauerit mulierem in propria perſona, & ſub nomine alieno, quo vocari tunc ſe finxit, & inter eos ſit carnalis copula ſubſecuta: videtur fortè pro coniugio præſumendum, niſi tu nobis expreſsè ſcripſiſſes, quòd ille non propoſuit, nec conſenſit illam ducere in vxorem, quod qualiter tibi conſtiterit, non videmus. Nos autem, quid iuris ſit reſcribentes, dicimus, quòd ſi res ita ſe habuerit, videlicet, quòd ille eam non propoſuit ducere in vxorem, nec vnquam conſenſit in prædictam perſonam, non debet ex illo facto coniugium iudicari, cùm in eo nec ſubſtantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inueniri: quoniam ex altera parte dolus ſolummodo adfuit, & defuit omnino conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere coniugale.

QVIDAM mulierem deſponſauit, ſub alieno nomine quo vocari ſe finxit, ſecutâ carnali copulâ: quæſitum eſt an matrimonium contractum eſſet. Conſultus Pontifex reſpondit in *hoc cap.* ex huiuſmodi facto non debere coniugium iudicari, cùm in eo deficiant ſubſtantia, & forma contractus. Subſtantia matrimonij eſt conſenſus, ſine quo matrimonium non contrahitur. Forma conſiſtit in verbis ad exprimendum conſenſum idoneis. *cap. pen. h. tit. cap. licèt. infrà. de ſponſ. duor.* Ratio dubitandi erat, quòd ſponſalia de futuro inducunt matrimonium ſecutâ copulâ carnali. *cap. is qui fidem. h. tit.* Item cùm præfatus vir mulierem deſponſauerit in propria perſona, videbatur pro matrimonio præſumendum, & ſimulationem, ſeu dolum non impedire matrimonium. Plus valet quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur. Sed non eſt matrimonium, quia defuit conſenſus, ſine quo matrimo-

nium non perficitur, sed simulatio punienda, quæ in nuptiis vetita est. *l. simulata. ff. de rit. nupt.* Vnde qui ficto cœlibatu aliam duxit vxorem, tenetur de crimine stupri. *l. eum qui duas. C. ad l. Iul. de adulter.* ex eo tamen non sequuntur nuptiæ, quia nemo potest duas vel plures vxores habere. *d. l. eum qui duas. & l. ea qua. C. de donat. ante nupt.* sed stupri actio datur in eum, qui ficto cœlibatu mulierem decepit.

CAPITVLVM XXVII.

IDEM EPISCOPO BELVACENSI.

CVM in tua diœcesi : .·.·.·.·. Sanè quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus matrimonium contrahere, bannis (vt tuis verbis vtamur) in Ecclesiis editis, ac nullo contradictore publicè comparente, licèt fama priuatum impedimentum deferat parentelæ, cùm ex parte contrahentium iuramenta malorum de sua propinquitate (vt suspicionis tollatur materia) offeruntur: quid tibi sit faciendum in casibus huiusmodi, quæsiuisti. Ad quod taliter respond. quòd si persona grauis, cui fides sit adhibenda, tibi denuntiet, quòd hi, qui sunt matrimonio copulandi, se propinquitate contingant, & de fama vel scandalo doceat: aut etiam per teipsum possis certificati de plano: non solùm debes iuramenta parentum sponte oblata non recipere, verùm etiam eos, qui sic contrahere nituntur, si moniti induci nequiuerint, compellere, vt à tali contractu desistant, vel contra famam huiusmodi, secundùm tuæ discretionis arbitrium iuramenta exhibeant propinquorum. Alioquin, si persona denuntians non extiterit talis, vt diximus, & de fama, vel de scandalo non poterit edocere: ad desistendum monere poteris, non compellere contrahentes.

SINGVLARIS fuit consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ, vt nuptiæ non contraherentur, nisi priùs bannis, seu denuntiationibus publicè in Ecclesia editis de contrahendo matrimonio, vt vitarentur matrimonia clandestina, & si quod esset inter contrahentes impedimentum canonicum, putà cognationis in gradu vetito, vel aliud quodlibet, à scientibus obiiceretur, vt proditur in *hoc cap.* Et hoc speciali ex consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ transiit in ius commune in Concilio generali Lateranensi habito sub Innocent. III. *cap. cùm inhibitio. suprà. de clandestin. despons. cap. pen. qui matrim. accus. poss.* Non dedignatur Ecclesia Romana rectos aliarum Ecclesiarum mores imitari, Gregor. I. lib. VII. epist. XXIII. *Tamen si quid boni vel ipsa, vel altera Ecclesia habet. Ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum, stultus est enim qui in eo se primum existimat; vt bona quæ viderit discere contemnat.* In multis Ecclesiæ Romanæ placuere mores Gallicani, vt in bannis nuptialibus, ex *hoc cap.* & in magistris Scholarum instituendis singulis in Ecclesiis. *cap. quanto. de magistr. in 1. collect.* Hinc Ecclesiam Gallicanam tamquam lucernam super candelabrum positam aliis lucere, lubens fatetur Honorius III. in *cap. cùm creatura. suprà. de celebrat. missar. in integra.* Iudicium Ecclesiæ Gallicanæ de Rom. Pontificibus aduersus Schismaticos facile secuta est vniuersa Ecclesia. Arnulphus Lexou. *epist.* XXI. *Sicut enim omnes quos ad oppressionem Romana Ecclesia rabida Teutonici furoris prouexit inuidia, virtus Altissimi manifesta deiecit, sic omnibus quos deuotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit & triumphum, cùm multis constet cæteras regiones abundasse portentis, sola Gallia monstra non habuit; sed sinceritate fidei, doctrina veritatis, virtutum quoque titulis, & plurima operum exhibitione præfulsit.* & Io. Saresbe. *epist.* XLVIII. *Eos verò in simili casu præualuisse, crebra occulimus lectione, quos Gallicana recepit, & fouit Ecclesia, & infelicem exitum eorum, quos tentationis impetus introduxit.* Iudicio Patrum Ecclesiæ Gallicanæ stare paratum fuisse Henricum II. Regem Anglorum in causa Thomæ Cantuar. Episcopi asserit Matth. Paris ad ann. MCLXIX. *Rex autem Anglorum coram Rege Francorum, vt asserebat, Archiepiscopo satisfacere paratus erat, vel si contendere vellet iudicium in Palatio Parisiensi subire Gallicana Ecclesia ponente partes suas, seu Scholaribus diuersarum prouinciarum æqua lance negotium examinantibus.* Huiusmodi verò bannorum consuetudo, ita fuit propria Galliarum, vt inde etiam nomen acceperit: Bannus enim, vel Bannum est vox Gallicana, vt scripsit Ipse Pontifex hîc Beluacensi Episcopo. *Bannis, vt tuis verbis vtamur, in Ecclesia editis.* Bannus passim occurrit pro citatione, vel edicto, vel denuntiatione, vt banna nuptiarum hîc vel pro pœna non respondentis ad edictum, Gregor. Tur. lib. V. cap. XXVI. *Post hæc Chilpericus Rex, de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ; vel basilicæ bannos iussit exigi, pro eo quòd in exercitum non ambulassent.* & Abbas Vrspergens. in Frideric. I. *Bannum, id est, pœnam pecuniariam constituit;* ita vt, si quis pacis violaret iura, centum marchas auri persolueret. Et eadem bannorum consuetudo in nuptiis enata videtur ex lege Salica, *tit.* XLVII. ex qua in niallo, seu iudicio coram tribus testibus, per imaginariam emptionem & venditionem, quæ fiebat tribus solidis & denario, vxor duce-

batur, quia contingebat interdum, vt bannis seu denuntiationibus nuptiarum in Ecclesia editis, ac nullo contradictore publicè existente, licèt priuatum cognationis impedimentum fama deferret, maiorescognationis vtriusque contrahentium suspicionis purgandæ causâ offerrent se iuratoros, contrahentes inter se cognatione coniunctos non esse, Episcopus quid faceret dubius consuluit Pontificem. Consultus Pontifex rescripsit ei in *hoc cap.* quòd si persona grauis & fide dignior ipsi denuntiet, eos quorum de matrimonio agitur, esse inter se cognatione coniunctos, & de fama, vel scandalo doceat, vel etiam Episcopus ipse per se fieri possit certior de plano, id est causâ summatim cognitâ, non solùm debet iuramenta parentum, id est cognatorum reiicere, verùm etiam contrahere volentes, si moniti non pareant, compellere, vt nuptiis abstineant; vel si videatur, eos adigere, vt famam quæ circumfertur de cognatione purgent iuramento propinquorum. Alioquin si denuntiator talis non extiterit, cui credendum sit, & de fama & scandalo non doceat, monere poterit, non compellere contrahentes vt abstineant. Fama & scandalum impedit matrimonium. *cap. super eo. de cognat. spiritual. cap. super eo. de consang. & affinit.* In nuptiis contrahendis non modò spectatur ius, sed etiam honestas publica. *cap. iii. h. tit.* quæ sc. læditur si contrahentes de fama sint inter se coniuncti.

TIT. II. *De desponsatione impuberum.*

CAPITVLVM XIII.

INNOCENTIVS III. C. ET P. QVONDAM FILIIS MALEBRANCÆ.

AD dissoluendum, quod factum fuerat inter I. & S. ∴∴ Adcusatione pro puella super consanguinitate propositâ, præfatus I. multas exceptiones proposuit: per quas nitebatur vos ab adcusatione multipliciter remouere: ∴∴∴ Interloquendo pronuntiauimus inter iuuenem & puellam nec matrimonium nec sponsalia fuisse contracta: cùm constet puellam nondum ad septennium peruenisse. Quocirca nec adcusatio locum habebat, cùm non esset, quod posset legitimè adcusari. Denuntiari tamen poterat consanguinitas, vt interdiceretur matrimonium contrahendum. Ad denuntiationem ergo legitimè probandam terminum adsignamus, saluis exceptionibus non solùm propositis, sed etiam proponendis. Ne verò quicquam in puellam interim adtentetur, auctoritate Apostol. interdicimus, ne in negotio de nouo procedatur vlteriùs, donec vel à denuntiatione cessetur, vel eâ probatâ ordine iudiciario procedatur. Quòd si contra interdictum nostrum in præiudicium ipsius aliquid fuerit adtentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.

HOc cap. integrum extat apud Innocent. *lib. 1. epist.* cccxx. Huius speciei hæc est. Quidam Ioannes nondum septennem puellam duxit vxorem sine consanguineorum assensu. Nondum secutâ pubertate accusatio aduersus matrimonium nomine puellæ instituta ex causa consanguinitatis, quæ erat inter contrahentes. Re cognitâ Pontifex interlocutus est, nec nuptias, nec sponsalia esse, cum puella nondum septenni. Nuptiæ non valent inter impuberes. Sponsalia contrahi nihil vetat ante pubertatem, dummodo contrahentes non sint minores septem annis. *l. in sponsalibus. 11. ff. de sponsal.* & consequenter matrimonium nondum existens non posse accusari. Rei quæ nondum est non potest seruitus constitui. *l. vlt. ff. si seruit. vendic.* Denuntiari tamen posse consanguinitatem, vt interdiceretur matrimonium contrahendum. Denuntiari potest etiam crimen nondum commissum, si quis proximus sit præcipitio, & delicto. *can. diacon.* xciii. *dist.* Dato termino ad probandam denuntiationem, saluis exceptionibus, & ne in puellam quidquam interim tentetur, putà ne tentetur coitus seu stupratio puellæ, auctoritate Apostolica interdictum: si agatur de nuptiis puellæ interim nihil attentandum, eáque debet sequestro deponi. *cap. cùm locum. de sponsalib. l. iii. §. vlt. ff. de liber. exhib.* si quid verò tentetur contra interdictum Apostolicum, id in irritum deducitur.

CAPITVLVM XIV.

IDEM EPISCOPO ABBATENSI.

TVÆ nobis exhibitæ literæ continebant, quòd quidam filiam suam circiter xii. annos habentem cuidam nobili desponsauit, qui subarrhauit eandem, consensu mutuo accedente: ∴∴∴ Quia verò nobis constare non potuit, cuius

ætatis esset puella cùm eidem viro extitit desponsata, cùm dicatur, quòd circiter XII. annos habebat, vtrúmne prudentia tunc in illa suppleret ætatem: respondemus, quòd si puella nubilis non erat ætatis, cùm sæpe præfatus vir desponsauit eandem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, proculdubio inter eos non coniugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamuis ab ipso viro eadem fuerit subarrhata.

HVIVS cap. species hæc est. Quidam filiam suam ætatis duodecim circiter annorum, cuidam nobili viro nuptum collocauit, à quo eadem subarrhata, per annuli sc. traditionem. Subarrhatio sponsæ fit per annulum. *can. nostrates. can. fœmina.* XXX. *qu.* V. *l. si donata. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Re integrâ, id est nuptiis nondum contractis, mortuó patre puellæ, auunculus puellam ipsam alteri matrimonio copulauit, & ille qui priùs eandem desponsarat, cum ipsius matre nuptias contraxit. Re cognitâ, Episcopus inter eos nuptias diremit, quòd non constaret matrimonium cum ea, cuius filiam priùs desponsarat, ob publicam sc. honestatem. *cap.* III. *suprà. de sponsalib.* Posteà mortuo viro secundo, qui prædictam puellam vxorem duxerat. Ipsa tertió nupsit, superstite illo qui priùs eam desponsarat. Cæterùm ipsa & vir eius consuluere Episcopum, an sibi liceret remanere in huiusmodi matrimonio. Consultus Episcopus respondit priori sponso superstite, alium non potuisse copulari. Idem verò Episcopus postulante Capitulo eâdem de re consuluit Pontificem. Consultus Pontifex rescripsit in *hoc cap.* si puella nondum erat nubilis ætatis & prudentia non supplebat ætatem, cùm præfatus vir eandem desponsauit, inter eos non matrimonium, sed sponsalia contracta, quamuis ab ipso viro eadem fuerit subarrhata. Ex subarrhatione præsumitur matrimonium, nisi immatura ætas resistat, putà si puella nondum nubilis sit ætatis, nec malitia suppleat ætatem. *cap. à nobis. h. tit. cap. iuuenis. suprà. de sponsalib.* Ex subarrhatione præsumitur matrimonium ob suspicionem copulæ. *can. si quis vxorem. & seq.* XXVII. *qu.* II. nisi ætas impar remoueat suspicionem.

TIT. III. *De clandestina desponsatione.*

CAPITVLVM III.

INNOCENTIVS III. IN CONCILIO GENERALI.

CVM inhibitio copulæ coniugalis sit in vltimis tribus gradibus reuocata, eam in aliis volumus districtè seruari. Vnde prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, vt cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito: vt intra illum, qui voluerit & valuerit legitimum impedimentum obponat, & ipsi Presbyteri nihilominus inuestigent, verùm aliquod impedimentum obsistat. Cùm autem adparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.

OLIM nuptiæ prohibebantur inter cognatos vsque ad septimum gradum. *can.* I. *can. nullum. can. progeniem. can. de consanguinitate. can. nulli.* XXXV. *qu.* II. Iuo Carnotens. epist. XLV. *Vnde vobis ex Apostolica, & Canonica auctoritate præcipimus, vt tam calumniosum coniugium in Ecclesiis nostri Episcopatus, nec ipsi consecretis, nec ab aliquo quantum in vobis est, consecrari permittatis, nisi primum in præsentia nostri consanguinitas hæc septimum gradum excessisse legitime fuerit comprobata* Hodie ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innoc. III. nuptiæ vetantur dumtaxat, vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt ostenditur init. *h. cap.* & meliùs in *cap. non debet. infrà. de consang. & affinit.* Nuptiæ clandestinæ vetitæ sunt. *can.* I. XXX. *qu.* V. Nuptiæ clandestinæ sunt, si fiant sine consensu parentum, in quorum potestate sunt contrahentes, & sine solemni benedictione, in conspectu Ecclesiæ. *d. can.* I. Tertull. II. ad vxorem: *Vnde sufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pater rato habet; nam nec in terris filij sine consensu patrum rite, & iure nubent.* In eandem sententiam Auctor quæst. vtriusque testam. cap. CXXVII. *Cuius rei traditio etiam in synagoga mansit, & nunc in Ecclesia celebratur, vt Dei creatura, sub Dei benedictione iungatur.* Synes. epist. CV. ἐμοὶ τοιγαροῦν ὅ τε θεὸς, ὅ τε νόμος, ἥ τε ἱερὰ Θεοφίλου χεὶρ γυναῖκα ἐπιδέδωκε, *mihi igitur & Deus & lex & sacra Theophili manus vxorem dedit.* Eo nomine damnantur Plato & Zeno

quòd occultas concilient nuptias, ἢ λαθραίως κατασκευάζειν γάμους, inquit Chrysostomus in Matth. *homil.* VI Clandestinæ etiam nuptiæ sunt, quæ celebrantur absque proprio parocho, & testibus, & omissis bannis, seu denuntiationibus, quæ ex consuetudine Gallicanæ Ecclesiæ transierunt in ius commune, vt ostenditur & *hic & cap. cùm in tua. suprà. de sponsalib.* Vt clandestinæ vitarentur nuptiæ, prospectum est ne fierent sine dote, & dotalibus tabulis. *can. consanguineorum.* III. *qu.* IV. *can. aliter. can. nullum.* XXX. *qu.* V. & absque pluribus testibus ad minus decem, Ambros. ad virgin. lapsam: *Inter decem testes confectis sponsalibus, nuptiis consummatis, quanti viro fœmina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium.* Eodem consilio prouisum ne nuptiæ fierent absque solemni epulo, Athen. lib. V. ὡς πολλοί ... ἄγειν συμπόσια περὶ τοὺς γάμους ... *legibus scitum est celebrari connuia nuptiis, tum propter Deos nuptiales, tum testimony causa.* Ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. speciali quorumdam locorum consuetudine in legem versa statuitur hic, vt cùm matrimonia contrahenda fuerint, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, vt qui velit & valeat legitimum opponat impedimentum. Hæc fuit consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ, quæ in ius commune transiit ex Concilio Lateranensi, vt nuptiæ non fiant, nisi priùs bannis, seu denuntiationibus in Ecclesia publicè editis, vt opponatur si quod sit impedimentum. *cap. cùm in tua. suprà. de sponsalib.* Recipiendis oppositionibus aduersus matrimonium præfigitur competens terminus, fortè decem dierum, vt in *can. vlt.* LXXXIX. *dist.* Si quis expositum ante limina Ecclesiæ collegerit, dantur ei decem dies post contestationem, seu proclamationem, intra quos si puer vindicatus non fuerit, securus est qui collegit. Hodie ex Concilio Tridentino bannis, seu denuntiationibus huiusmodi datur tempus, quod trinæ denuntiationi congruum fuerit. Nec eò spectat, quod scriptum est in *d. can.* I. XXX. *qu.* V. suo tempore sacerdotaliter benedicatur; nec enim ille can. loquitur de bannis, seu denuntiationibus nuptialibus, quarum nullum vestigium exstat hac ætate, sed de interstitio temporis, quod moris erat dari nuptiis post sponsalia contrahendis, ne vilem haberet maritus datam, quam non suspirasset sponsus dilatam. *can. institutum.* XXVII. *qu.* II.

Si quis verò huiusmodi clandestina vel interdicta coniugia inire præsumpserit, in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cùm illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem adfectatores ignorantiæ videantur: Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserunt.

Ex Tit. XVII. *Qui sint filij legitimi?* Cap. XIV.

EX tenore literarum vestrarum nobis innotuit, quòd cùm G. vidua hæreditatem quondam R. mariti sui sibi & pupillo filio suo restitui postularet, pars aduersa petitionem eius nitebatur excludere, pro eo, quòd R. maritum ipsius viduæ de adulterio genitum adserebat ∴∴∴ Intelligentes, quòd pater prædicti R. matrem ipsius in facie Ecclesiæ ignaram, quòd ipse aliam sibi matrimonialiter copulasset, duxerit in vxorem, & dum ipsa coniunx ipsius legitima putaretur, dictum R. suscepit ex eadem: in fauorem prolis potiùs declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.

Liberi suscepti ex clandestino matrimonio inter cognatos contracto in gradu vetito, etiam inter ignorantes, prorsus illegitimi habentur, nec eis prodest ignorantia vel error parentum, quia omissis denuntiationibus præsumitur scientia, vel affectata ignorantia, ex *hoc* §. In his quæ clam fiunt dolus præsumitur. *l. vlt. ff. de rit. nupt.* Item liberi suscepti ex matrimonio interdicto, etiam in conspectu Ecclesiæ, sunt illegitimi, si ambo contrahentes sciuerint impedimentum: quòd si alter coniugum ignorauerit impedimentum, liberi censentur legitimi propter bonam fidem alterius coniugum, ex hoc *cap. ex tenore.* Ignorantia mulieris fuerunt statum liberorum. *l. qui in prouincia. ff. de rit. nupt.* Io. Saresber. epist. LXXXIX. *At quia de paterna successione agitur, patris fallacia nequaquam liberis suffragatur, parcit interdum mansuetudo legum his, ab ignorantia conuictis, qui ratione cognationis ab inuicem separantur, liberósque eorum ab infamia & hæreditatis damno liberat, quas Ecclesia per ignorantiam detenta coniungit auctoritas.* quæ omnia illustrat idem auctor verbis *d. legis qui in prouincia.*

. Sane si parœcialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauiùs puniendus, si culpæ qualitas postulauerit. Sed his, qui taliter præsumpserint, etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia iniun-

gatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiosè impedimentum obiecerit, canonicam non effugiet vltionem.

Si Parochus clandestina matrimonia prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis his interfuerit, per triennium ab officio suspenditur, grauiùs puniendus, si culpa exegerit. Clerici præcisè non vetantur interesse nuptiis, sed dumtaxat nuptiis clandestinis. Prohibentur sanè nuptiali epulo interesse. *can. Presbyteri.* xxxiv. *dist. can. non oportet. de consecr. dist.* v. *Synodi VI. in Trull. can.* xxiv. Monachi nuptiis prorsus interesse vetantur, ne incautè misceantur mulierum cœtui: qua ratione vetantur & sibi commatres facere. *can. peruenit.* xviii. *qu.* ii. Contrahentibus clandestinas nuptias etiam in gradu licito, condigna pœnitentia iniungitur, vt *hîc & cap.* i. *h. tit.* Puniuntur contrahentes huiusmodi nuptias, etiamsi nullum obsit impedimentum, quòd contrahant contra interdictum Ecclesiæ. *cap.* i. *de matrimon. contract. contr. interd. Eccles.* Si quis verò dolo malo impedimentum obiecerit ad impediendum legitimum matrimonium, canonicam non effugiet vltionem. Qui calumniosè obiicit impedimentum, punitur arbitrio iudicis; quia vbi certa pœna statuta non est, irrogatur arbitrio iudicis. *cap. de causis. suprà. de offic. delegat.* qui dolo impedit matrimonium, punitur; quia libera debent esse matrimonia. *l. Titio centum. ff. de condit. & demonstr. l. Titia. de V. O. cap. gemma. suprà. de sponsalib.*

TIT. IV. *De sponsa duorum.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. MVTINENSI EPISCOPO.

TVAS dudum: .·.·.·. De consuetudine, quæ diu in Mutinensi obtinuit ciuitate, vtrùm si quis iuraret se aliquam ducturum, & citra carnis copulam desponsasset, si consequenter desponsasset aliam, & etiam cognouisset: primò cognita adiudicaretur viro, non quæ priùs extitit desponsata: .·.·.

Ne verò turpis sit pars, quæ suo non congruit vniuerso, & Ecclesia Mutinensis tenere debeat humiliter, & seruare quod beati Petri Sedem & suam Metropolim sequi viderit & docere, in matrimoniis de cætero contrahendis, illud te volumus obseruare, vt postquam inter legitimas personas consensus legitimus interuenerit de præsenti, qui sufficit in talibus iuxta canonicas sanctiones: & si solus defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur, si personæ iunctæ legitimè cum aliis postea de facto contrahant: quod priùs de iure factum fuerat, non poterit irritari.

IN Mutinensi ciuitate diu consuetudo obtinuit, vt si quis aliquam desponsasset per verba de præsenti, & nondum secutâ carnis copulâ, posteà aliam desponsasset, ac iniisset, potior esset quæ priùs cognita esset, quàm priùs desponsata. Re cognitâ Pontifex rescripsit in *hoc cap.* matrimonium contrahi per verba de præsenti, & semel contractum non dissolui per matrimonium cum alia de facto postea contractum. *cap. pen. suprà. de sponsalib.* Nec spectari contrariam consuetudinem, quæ apud Mutinam obtinebat. Quia inferior Ecclesia, Metropolim, vel Romanam Ecclesiam sequi debet, ex *hoc cap. & can. noluit.* xi. *dist. can.* i. xii. *dist. can. altaria. de consecr. dist.* i. Idem antè iudicatum ab Alexandro III. in *cap. licet. h. tit.*

TIT. V. *De conditionibus adpositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. MASICANENSI EPISCOPO.

PER tuas literas intimasti, quòd cùm quædam mulier P. nomine N. postularet in virum, adserens inter se mutuum de præsenti consensum interuenisse, & carnalem copulam accessisse: vir ipse quamuis contracta sponsalia, & carnis copulam non negaret, adserebat tamen se illam in vxorem ducere non teneri: quia sponsalia inter ipsos sub hac fuerunt conditione contracta, si pater eius & patruus sponsalibus consentirent: Sed ipsi quàm citò nouerunt, & sponso contradixerunt

& sponsæ. Verùm mulier replicabat, quòd licèt fides præstita fuerit ab vtroque sub conditione præscripta, non tamen sibi fuerat à patre viri, vel patruo aliquando contradictum: & ante tempus contradictionis expressum à testibus, & pòst, dicebat inter se carnalem copulam accessisse :.:.:.:.:. Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd cùm liquidò constet, quòd post contracta sponsalia, carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum, quia videtur à conditione adposita recessisse. Nam etsi probatum sit, quòd postquam pater & patruus viri contradixere sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali coniunctione cognouerit, non est tamen aliquo modo probatum, quòd antequam ipse cognouisset eandem, pater eius & patruus contradicere curauissent.

MVLIER quædam P. nomine Nicolaum postulabat in virum, asserens sponsalia inter se contracta per verba de præsenti, & secutam carnalem copulam: vir ipse non negabat contracta sponsalia, simul & secutam carnalem copulam, negabat tamen intercedere matrimonium, quòd sponsalia inter eos contracta fuerint sub conditione, si pater & patruus sponsalibus consentirent; ipsos verò quamprimùm nota fuissent sponsalibus contradixisse. Replicabat mulier, non fuisse contradictum à patre, vel patruo ante carnalem copulam. Consultus Pontifex rescripsit in *hoc cap.* cùm liquidò constaret post sponsalia de præsenti carnalem copulam secutam pro matrimonio esse præsumendum. Matrimonium per contrahitur, etiam per consensum de futuro, si carnalis copula secuta sit. *cap. is qui fidem. cap. pen. suprà. de sponsalib.* quia secutâ copulâ videtur recessum à conditione apposita. Desponsatio per verba de præsenti facta sub conditione transit in matrimonium, secutâ carnali copulâ. *cap. iii. h. tit.* quia conditio apposita sponsalibus remissa videtur, secutâ copulâ. Conditio, quæ initio contractus dicta est, posteà alia pactione immutari potest. *l. sed Celsus §. vlt. ff. de contrah. empt.* Ratio dubitandi erat, quòd datum sub conditione eâ deficiente repeti potest. *l. sub conditione ff. de condict. indeb.* Sed hoc speciale est hîc fauore matrimonij, in quo secuta copula, à conditione recessum videtur.

TIT. VI. *Qui Clerici, vel vouentes matrim. contrah. possunt.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. LIBONENSI ET LVBICENSI EPISCOPIS.

INSINVANTE I. nobili muliere nostro est Apostolatui reseratum, quòd à quibusdam curialibus fuit Regi Legionensi pro ipsius copula supplicatum: quod cùm ad consanguineorum eius notitiam peruenisset, vt maritum acciperet, ei sub obtestatione regia suggesserunt: ipsa verò quòd tunc nollet nubere protestans, consilium accepit ab eis, quòd votum emitteret castitatis, quod in manibus cuiusdam de fratribus sancti Augustini fecit, eo adiecto tenore, vt in domo propria cum omni substantia sua remaneret. Sanè in eiusdem Ordinis habitu biennio pòst permansit, licèt id se inuitam fecisse adserat & coactam, non tam metu regio quàm parentum :.:.:.:. Tandem adtendens, quòd inuita votum emiserit, eo dimisso de parentum consilio, P. Michaëli publicè fuit matrimonialiter copulata: de quo quatuor sustulit filios tempore procedente :.:.:.:. Nos igitur adtendentes, quòd in emissione voti, quod præcessit, nulla vel modica coactio adfuisset, quam patientia & perseuerantia sequentis temporis penitus profugauit, & quòd sequens coniunctio potiùs iniqua fuit, & violenter extorta: mandamus, quatenus si præmissis veritas suffragatur, præfatam mulierem ad malè dimissum religionis habitum readsumendum, & seruandum quod vouit, monere & inducere procuretis, & (si opus fuerit) per censuram Ecclesiasticam coërcere.

HÆc decretalis integra occurrit apud Innocent. III. *lib.* 11. *epist.* ccxxi. Huius species hæc est. I. mulier nobilis, ne ex rescripto seu literis Regis Legionensis cogeretur nubere cuidam viro, cuius conditio displicebat, cognatorum consilio votum castitatis emisit, in manibus cuiusdam de fratribus S. Augustini, intellige vnum ex Eremitis S. Augustini, quorum institutio præcessit Concilium generale Lateranense habitum sub Innocentio III. *cap. vn. §. sanè. de religios. domib. in vi.* eâ lege scilicet adiectâ, vt cum omni substantia, in propriis ædibus remaneret, & in eiusdem Ordinis habitu biennio perseuerauit, quo tandem dimisso de cognatorum consilio P. Michaëli publicè nupsit; de quo quatuor suscepit liberos. Verùm postea diffidens ne huiusmodi coniunctio minùs licita esset, consuluit Pontificem. Consultus Pontifex attendens, quòd in emissione voti nulla aut modica intercessit coactio, quam patientia & perseuerantia, quæ secuta est, purgauit,

gauit, & quòd sequens coniunctio per vim & metum fuit extorta, rescripsit mulierem compellendam, etiam per censuras Ecclesiasticas, si res exigat, ad reassumendum habitum religionis. Ratio dubitandi erat, quòd professio facta sub conditione de retinendis propriis erat nulla & inualida, cùm non recipiat conditionem, quæ sit contra substantiam voti. *cap. vlt. suprà. de condit. apposit. can. solet.* XXXVII. *qu.* II. Tamen professio valet circumscripta huiusmodi conditione, quæ est contra substantiam actus. *d. cap. vlt. & cap.* I. *eod. tit.* vel etiam professio huiusmodi probatur, quia facta erat sub conditione de retinendo non proprietatem bonorum, sed vsum eorum, quod non erat alienum de consensu superioris. *cap. cùm ad monasterium de stat. Monach.* & olim erant viduæ & puellæ, quæ suscepto religionis habitu, non migrabant domibus propriis. *can. de viduis. can. mulieres. can. vidua.* XXVII *qu.* II. *cap ex parte de conuers. coniugat.* Videbatur etiam professio nulla & irrita, quòd videretur elicita metu regio, ne scilicet mulier nuberet ei quem Princeps iubebat; sed rescriptum Principis, quo nuptiæ conciliantur, non probat iustum metum, tum ne Principis nomen trahatur ad inuidiam. *l. ad inuidiam C. de his quæ vi met. caus. l.* I. & II. *C. vt nem. priuat.* tum quia rescriptum Principis per subreptionem elicitum præsumitur ficto consensu puellæ. *l.* I. *C. si nupt. ex rescript.* vel quòd arrhæ sponsalitiæ iam datæ essent, vt contigit apud Greg. Tur. *lib* IV. *cap.* XLV. *At ille regressus ad Regem, præceptionem ad iudicem loci exhibuit, vt puellam hanc suo matrimonio sociaret, dicens quia dedi arrham in desponsatione eius.* Et quod de facto proponitur hîc, nulla vel modica intercesserat coactio in emissione voti, de consilio enim parentum facta erat. Ob metum professio non fit irrita, nisi sit huiusmodi, qui cadat in constantem virum, vt *hic & cap. cùm dilectus. suprà. de his quæ vi metusv. caus.* Præterea suspicionem metus tollebat, quæ secuta est patientia, & assensio biennij. Professio quæ fortè nulla erat ab initio, conualescit superueniente consensu. *can. constat.* I. *qu.* I. *l.* II. *C. de his, quæ vi metusv. caus.* Ratio etiam dubitandi erat, quòd votum emissum esset in manibus cuiuspiam simplicis Monachi, non Abbatis. Hoc interest inter votum solemne & simplex, quòd votum simplex fit apud Deum in manibus cuiusdam Monachi, non Abbatis; votum solemne fit in manibus Abbatis vel superioris, cum susceptione habitus. Votum solemne impedit matrimonium contrahendum, & contractum dirimit: votum simplex impedit matrimonium, sed contractum non dirimit. *cap.* III. *cap. rursùs. h. tit. cap. vn. de vot. in* VI. sed hîc professio rata habetur, licèt facta in manibus cuiusdam Monachi, quia fortè pro superiore habebatur. *l. Barbarius. ff. de offic. Prætor.* vel quia conualuit ex susceptione habitus, & perseuerantia biennij. *cap. consuluit. h. tit.*

TIT. VII. *De eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO SPOLETANO.

SIGNIFICASTI nobis, quòd cùm P. ciuis Spoletanus quandam M. mulierem duxisset legitimè in vxorem, eâ relictâ, cuidam meretrici adhæsit: .·.·.·. Verùm cùm vxor ipsius esset viam vniuersæ carnis ingressa, meretricem, cui adhæserat, desponsauit. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd nisi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel eâ viuente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum iudices matrimonium supradictum, excommunicato munus absolutionis (si petierit) iuxta formam Ecclesiæ impensurus.

CAPITVLVM VII.

IDEM MESSANENSI CAPITVLO.

VENIENS ad præsentiam nostrãm G. laïcus humili insinuatione monstrauit, quòd cùm in ciuitate Lemouicensi, quandam sibi matrimonialiter copulasset, ab ea recedens Messanam aduenit, vbi M. mulierem insciam quòd aliam haberet vxorem, sibi solemniter copulauit: verùm cùm eidem pœnitentia fuisset iniuncta, vt ad legitimam rediret vxorem, & ipse propter hoc in suam patriam rediisset, vxorem suam inueniens carnis debita persoluisse, ad Messanam rediit ciuitatem, & supradictæ M. tanquam legitimæ cohabitauit vxori: .·.·.·.·. Licèt autem viuente vxore legitimâ prædictam M. sibi copulare nequiuerit in vxorem: quia tamen vxore defunctâ, vtpote à lege ipsius solutus, in eandem M. de nouo potuit matrimonialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem vxoris: mandamus quatenus, si est ita, eidem G. vt supradictæ M. adfectu adhæreat coniugali, licentiam concedatis.

NEMO potest ducere in vxorem, quam priùs, id est superstite viro, polluit per adulterium, quod iuris primum ortum est ex constit. Leonis I. *can.* I. XXXI. *qu.* I. & sancitum in Conc. Triburiensi. *can. relatum can. si quis viuente. ead. caus. & qu.* & hæc fuit sententia Augustini, in *can denique. ead. caus. & qu.* si restituatur negatio. In vxorem duci prohibetur, quæ priùs fœdata est adulterio, quia spes huiusmodi connubij inducit votum captandæ mortis. *d can si quis viuente.* Quandoque nuptiæ cum adultera permittuntur, peractâ pœnitentiâ, nisi constante matrimonio adulter mœchæ fidem dederit de ea ducenda, si viro superstes esset, aut vitæ ipsius insidiatus sit. *d. can. relatum. d. can. si quis viuente.* & hæc est sententia vtriusque huiusce cap. licèt nuptiæ vetentur cum ea quæ adulterata est, tamen contractæ non dissoluuntur, sed vtrique pœnitentia iniungitur. *d. can. si quis viuente.* Sic nuptiæ vetantur cum hæreticis, sed contractæ non dissoluuntur. *cap. quantò. infrà. de diuort.* Hoc *casu significasti.* integrum extat apud Innocentium III. *lib.* I. *epist.* CII.

TIT. IX. *De coniugio seruorum.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. H. EPISCOPO:

AD nostram noueris audientiam peruenisse, quòd G. Presbyter Card. Apost. Sed. Legat. R. militem à muliere quadam propter conditionis separauit errorem. Ideóque mandamus, quatenùs si constiterit quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quòd postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem, propter quod per Card. eundem ab eius fuerit consortio separatus, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem.

IVRE Ciuili inter seruos non est connubium, sed contubernium. *l.* III. *C. de incest. nupt. l. serui. C. ad l. Iul. de adulter.* Vnde serui & ancillæ coniuges dicuntur contubernales. *l. vxorem. § codicillis. & §. concubina. ff. de legat* III. Iure Canonico matrimonium constat inter seruos, & ancillas. *can. omnibus. can. si quis liber. can. fœmina.* XXIX. *qu* II. saluo iure domini, id est saluis operis & obsequiis dominicis. *cap* I. *h. tit.* idque vbi contractum est non sine consensu domini. *can. vlt.* XXIX *qu.* II. Hoc iure matrimonium constat inter seruos & ancillas, quia quod ad Deum nulla est distinctio personarum. *d. can. omnibus. & can. si fœmina.* & baptismo sublata est seruitus in spiritualibus, I. *Cor.* VII. *pretio enim empti estis*, id est sanguine Christi, *nolite serui hominum effici.* Si nobilis tamen insciens nuptias contraxerit cum ancilla, & ex quo ipsius conditio nota fuit, nec facto, nec verbo in eam consensit, dissoluitur matrimonium, ex *hoc cap* Iuo Carnotens. epist. CCXXI. *Si decreta Patrum & leges sæculi super hoc consulere volumus, reperiemus, quia inter ingenuos & æquales tantùm legitima constat esse coniugia, & vbi aliter per ignorantiam euenerit, licita fore diuortia.* Aliud est, si ingenuus sciens se coniunxerit ancillæ, quia sibi est quod imputet. *d. can. si fœmina.* Nuptiæ quidem contrahi debent inter pares honestate personas. *l. si donationum. C. de nupt.* Ambros. epist. LXVI. *Quare vtrum pares copulandi an impares sint, sed nisi fallor compares appellari solent, boues qui iungit ad aratrum, equos ad currum pares eligit, & vt ætas conueniat, & forma, nec natura discrepet, nec decolores diuersita.* Et idem lib. I. de Abraham. *Discant ergo homines coniugia non spernere, nec sibi sociari imparis, ne huiusmodi suscipiant liberos, quos hæredes habere non possint, vt vel transfundendæ hæreditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digno studeant matrimonio.* Et hoc maximè Saxonum legibus sancitum, Adamus Bremens. lib. I. cap. V. *Et id legibus firmatum, vt nulla pars in copulandis coniugiis propria sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat vxorem, & liber liberam, libertus coniungatur liberta, & seruus ancilla; si verò quispiam horum sibi non congruentem & genere præstantiorem duxerit vxorem, cum vita sua damno componat.* Tamen non dissoluitur matrimonium contractum inter liberos, & ancillas, quia apud Deum nulla est distinctio generis Hac ætate quæsitum est, an coniugium esset inter seruos, & ancillas, nondum scilicet extincta erat seruitus, nec desiit ante tempora Ludouici Hutini, qui cùm in belli Flandrici sumptum pecunia egeret, seruos manumisit, pretio dicto in singula capita, auctore Io Tillio, & antè ab anno MCCLII. serui libertate donati à Margareta Comitissa Flandrensi, vt scripsit Iacob. Meyer. *lib.* IX. *Annal. Flandr.*

TIT. XI. *De cognatione spirituali.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO ET ARCHIDIACONO LICONIENSI.

VENIENS ad Apostolicam Sedem C. Anglicus: .·.·.·.·. Mandamus, quatenus, si constiterit H. mulierem prædicti viri filium de sacro fonte leuasse antequàm eam desponsasset vxorem, vos inter eos diuortium adpellatione postposità celebretis.

CAPITVLVM VII.

IDEM MAGISTRO S. CANON. HERFORDENSI.

TVA nos duxit discretio consulendos, an natus ante compaternitatem, filiam compatris patris sui vel commatris sibi possit matrimonialiter copulare? & si contraxit, an debeant separari? & an conscij talis matrimonij teneantur illud in publico adcusare? Super quo respondemus, quòd huiusmodi personæ non possunt matrimonium contrahere: & si contraxerint, possunt ab inuicem separari: & qui contractum sciuerint, debent Ecclesiæ illud nuntiare.

COGNATIO spiritualis contrahitur inter compatres seu suscipientes de sacro fonte baptismi, & matrimonium inter eos ante vel post contractum dissoluitur. *can.* I. II. *& seqq.* XXX. *qu.* I. finge quidam desponsauit mulierem, quæ antè natum ex se, & alia ex fœmina soluta de sacro fonte susceperat: matrimonium dirimitur, ex *hoc cap. veniens. & can. nosse.* XXX. *qu.* I. Ratio dubitandi erat, quòd officium compaternitatis est munus pietatis. *d. can. nosse.* à quo nemo excusetur. Gregor. Tur. lib. X. cap. XXVII. *Illum non oportet scandalizari, si consobrinum eius filium fratris mei, de sancto suscipiam lauacro, quia hanc petitionem nullus Christianorum debet abnuere.* Ergo durius erat nuptiis impedimento esse necessarium pietatis officium; sed non nego officium compaternitatis esse quidem officium pietatis, à quo honestè quis non excusatur, sed tamen quo inuitus quispiam non tenetur; vnde non est incongruum compaternitatem impedire nuptias, vel contractas dissoluere. Quid si vir & vxor liberos proprios vel alienos sacro de fonte susceperint, inde cognatio spiritualis oritur inter virum & vxorem; sed matrimonium non dissoluitur, ne coniuges causam diuortio quærant. *cap.* II. *h. tit.* Audoueta diuortij occasionem dedit Chilperico iussu Fredegundis, de sacro fonte suscepto proprio filio, Aimoin. lib. III. cap. VI. *Nec potero* (hæc sunt verba Chilperici ad Audoueram) *te habere coniugem, cùm commatris adepta sis nomen.* Inter liberos compatrum nuptiæ non vetantur, nisi obstet consuetudo Ecclesiæ, vel nisi alter ex his, vel vterque causam dederit compaternitati, ex *hoc cap. tua nos. & cap. super eo h. tit.* Cognatio spiritualis quæ contrahitur ex compaternitate, non transit ad susceptoris vel suscepti liberos, ne matrimonij contrahendi libertas coangustetur.

TIT. XIII. *De eo, qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. PRÆPOSITO MAGDEBVRGENSI.

DISCRETIONEM tuam: .·.·.·.·. Sanè ex parte tua fuit propositum, quòd quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum à se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit in quantum potuit renitentem. Ille verò cum ipsa, licèt inuita, matrimonij solemnia celebrauit: sed mulier quàm citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulauit. Nos igitur inquisitioni t. t. respond. quòd & viro pro tam turpi facinore grauis est pœnitentia iniungenda, & mulier propter publicam honestatem est monenda solicitè, vt nec primum repetat, cuius consanguineus eam licèt inuitam cognouit: nec redeat ad secundum, cui non potest propter reatum adulterij commisceri: sed in continentia maneat, donec prior fuerit viam vniuersæ carnis ingressus. Quòd si forsitan ad id induci nequiuerit, vir prior cogatur

redire ad ipsam, & maritali eam adfectione tractare: cùm adulterium ei non possit obiicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim inuitam. Nam & si secundùm Euangelicam veritatem nunquam nisi propter fornicationis causam, aut vir vxorem, aut vxor possit dimittere virum: non tamen semper propter causam eandem, vel vxor virum, vel vir dimittere potest vxorem, cùm possit exceptione, vel replicatione legitima impediri. Sed nec adfinitas, quæ post contractum legitimè matrimonium inter virum & vxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo iure non debeat sine sua culpa priuari: quanquam à quodam prædecessore nostro dicatur in simili casu fuisse distinctum, vtrùm incestus vel adulterium manifestum fuerit, an occultum: aliis adserentibus inter gradum proximum & remotum esse potiùs distinguendum.

CAPITVLVM X.

IDEM ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI.

TVÆ fraternitatis deuotio postulauit, vtrum is, qui cum sorore legitimæ coniugis fornicatur, cum vxore possit postmodum commorari, & exigere debitum, ac soluere requisitus. Nos igitur respondemus, quòd vxor vt à commixtione viri abstineat propter publicam honestatem, & in continentia maneat, donec vir viam vniuersæ carnis ingressus fuerit, diligentiùs est monenda. Quòd si fortè commonitioni parere recusans talis fuerit, vt de lapsu timeatur ipsius, vir eius poterit & debebit eum Dei timore debitum ei soluere coniugale, cùm adfinitas post matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit.

QVIDAM mulierem sibi desponsauit per verba de præsenti, quam non secutâ carnali copulâ inuitam cuidam consanguineo suo in vxorem tradidit. Post nuptias mulier quamprimùm potuit, à viro fugâ se eripuit, & priori viro restitui postulauit. Hac de re consultus Pontifex respondit in *hoc priori capit.* & viro pro tam turpi facinore grauem infligendam esse pœnitentiam. Non licet viro vxorem alteri tradere, August. de fid. & operib. *In Ecclesia nuptiarum non etiam vinculum, verùm etiam sacramentum, ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere, quod in rep. tunc Romana, non solùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur.* Hæresis damnatus Nicolaus vnus è prioribus septem Diaconis, qui zelotypiæ purgandæ causâ communem omnibus vxorem fecit, de quo Epiph. hæres. xxv. & mulierem propter publicam honestatem esse monendam, vt nec priorem virum repetat, à cuius consanguineo licèt inuita adulterium passa est, nec redeat ad secundum, cui non potest sine adulterio coniungi; sed in continentia maneat, donec prior vitâ functus sit. Quòd si fortè adduci nequeat, vt contineat, prior vir cogatur ad eam redire, & maritali affectu eam tractare, cùm adulterium ei non possit obiicere, qui eam adulterandam tradidit maximè inuitam. Adulterij non potest accusari mulier, quæ ipsius viri lenocinio adulterata fuerit. *l. cùm mulier. ff. solut. matrimo. l. si vxor. §. iudex. ad l. Iul. de adulter. cap. significasti. infrà. de diuort.* Nam etsi adulterium sit iusta causa separationis, vt in *hoc priori cap. & d. cap. significast. cap. ex literis. infrà. de diuort. can. 1. & seqq.* XXXII. *qu.* VII. Non tamen semper, cùm actio adulterij elidi possit opposità exceptione, si non vir adulterio causam, vel occasionem præbuerit; sed nec affinitas, quæ post nuptias inter virum & vxorem iniquè contrahitur, officit coniugi, quæ iniquitatis particeps minimè fuit. Affinitas contrahitur ex iniusto coïtu, quæ impedit matrimonium. *can. nec eam.* XXXV. *qu.* II. sed affinitas superueniens iniquè contracta, non dissoluit matrimonium ritè contractum, vt ostenditur in *vtroque hoc cap. & cap. vlt. infrà h. tit.* cùm nemo priuandus sit iure suo sine culpâ. Nec probatur distinctio cuiuspiam Pontificum, qui hac distinctione vsus est, affinitatem contrahi ex incestu, vel adulterio manifesto, ex occulto minimè, quò spectat Decretalis Vrbani III. *cap. super eo. infrà. tit. prox.*

CAPITVLVM VII.

IDEM BISVNTINENSI ARCHIEPISCOPO.

FRATERNITATI tuæ:.:.:.:. Diuortij sententiam approbamus, quam in eum canonicè promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cuius antea sororem adhuc septennem contractis sponsalibus extraordinariâ libidine noscitur polluisse.

QVIDAM septennem puellam sibi desponsauit, & tentato coïtu præmaturè, vel vt dicitur hîc extraordinariâ libidine. Extraordinaria libido dicitur, quæ extra ordinem accenditur, id est ante pubertatem. *can. extraordinaria.* xxxv. *qu.* ii. Aliàs & extraordinariæ voluptates non modò; quæ præter vsum naturæ, sed omnes quæ extra legitimum matrimonium. *can. in eo.* xxxii. *qu.* iv. ex Hieronymo, & idem ad Occean. *Incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriusque sexus mutata natura Christi fonte purgatur.* Quidam, inquam, puellâ septenni desponsatâ, nisus coïtum, eiusdem sororem sibi copulauit: quæsitum est an matrimonium valeret, & an sententia diuortij, quæ in eum promulgata erat, rata esset. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* sententiam diuortij ratam esse, idémque antè iudicatum. *cap.* iii. *suprà. de sponsalib.* Affinitas contrahitur ex nuptiis contractis cum puella impubere, etiam non secutâ copulâ modò tentatâ, quæ dirimit matrimonium postea contractum cum consanguinea, tum propter publicam honestatem, tum propter suspicionem copulæ carnalis. *d. cap.* iii. Neque obstat *d. can. extraordinaria,* quo extraordinaria seu præmatura pollutio non est impedimento nuptiis: Hic enim canon ita accipiendus est, vt non sit impedimento nuptiis contrahendis cum alia extranea; sed non est negandum esse impedimento nuptiis cum cognata puellæ, quæ præmaturè tentata est.

CAPITVLVM VIII.

IDEM EPISCOPO GERVNDINENSI.

EX literis fraternitatis tuæ accepimus, quòd G. lator earum matrem puellæ, quam intra nubiles annos desponsauerat in vxorem, carnaliter sæpe cognouit, & pòst carnali commixtione puellam tractauit adultam: .:.:.:. Nos autem eidem viro pœnitentiam iniungi fecimus pro peccato: consult. r. respondentes, quòd eis ab inuicem separatis, mulier alteri viro non nubat, si postquam nouit viri & matris delictum, ei non erubuit commisceri. Vir etiam & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias conuolare, sed semper continentiam seruare tenentur, & enorme deflere delictum, quod pro nefanda libidine contraxerunt, præsertim si circa personas huiusmodi de lapsu carnis minimè timeatur.

QVIDAM puellam impuberem desponsauit, ac postmodum matrem ipsius puellæ carnaliter cognouit, ac demum ad puellam ipsam iam adultam accessit, quæsitum est verùm mulieri soluto matrimonio liceret ad secundas nuptias transire superstite viro. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* pro delicto pœnitentiam viro esse iniungendam, & eis inuicem separatis, alteri viro mulier non coniungatur, si ex quo nouit viri & matris turpitudinem, eum admisit: Nec vir, & mater ipsius mulieris ad alias nuptias transeant, & perpetuam pœnitentiæ causâ continentiam colant præsertim, si absit periculum incontinentiæ. Affinitas superueniens ex illicito coïtu dissoluit sponsalia. *cap.* ii. *h. tit. cap. super eo. infrà. tit. prox.* Matrimonium iam contractum non item. *cap. discretionem. cap pen. & vlt. h. tit.* Incestuosis pœnitentiæ causâ perpetua continentia imponitur, nisi ob ætatem immineat periculum incontinentiæ. *can. in lectum. can. si quis.* xxxiv. *qu.* ii. Cum iunioribus dispensatur, vt consulatur ætati, propter periculum lapsus. *can. in adolescentia.* xxxiii. *qu.* ii.

CAPITVLVM IX.

IDEM ARCHIEPISCOPO MAGDEBVRGENSI.

VENIENS ad Apostolicam Sedem E. laïcus nobis proposuit, quòd cùm tempore infantiæ suæ quandam puellam se ducturum iurauerit in vxorem, quàm citò ad legitimam peruenisset ætatem, pater puellæ confœderatione huiusmodi fideiussorum obligatione hinc inde firmata, eum in propriam domum recepit, & nutriuit in simul cum puella: deinde ex conuersatione diuturna, sorori puellæ carnaliter se coniunxit. Tandem amicorum suorum deuictus instantiâ, quam iurauerat in vxorem accepit: & nuptiis celebratis, quando se illi opportunitas ingerebat, cognoscebat vtramque. Verùm licèt in præsentia tua super hoc fuerit accusatus, conuinci tamen non potuit, nec suum voluit confiteri delictum: nunc autem reuersus ad cor, pœnitens de commissis, salutis suæ consilium requirit impendi. Cùm igitur non tantùm à malo, sed ab omni specie mali præcipiat Apostolus abstinere: mandamus, quatenus prædicto E. pro huiusmodi enormitatis excessu iniunctâ pœnitentiâ competenti, consulas ei, monens illum salubriter & inducens, vt de cætero abstineat ab vtraque.

Qvidam infans adhuc puellam desponsauit, interposito iureiurando & fideinssoribus hinc inde, & in domo patris puellæ educatus, ex nimia consuetudine sororem puellæ carnaliter cognouit, securus nuptiis cum sponsa vtriusque consuetudine vsus est, tandem culpæ pœnitens, quidnam faceret pro curanda salute consuluit Pontificem. Aditus Pontifex consuluit, vt ab vtraque abstineret. Affinitas superueniens ex illicito coïtu, non dissoluit matrimonium semel contractum; sed perpetuæ continentiæ legem imponit, nisi timeatur de lapsu carnis. *cap. pen. & vlt. h. tit.*

TIT. XIV. *De consanguinitate & adfinitate.*

Capitvlvm IV.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO ET CAPITVLO TIRON.

De infidelibus ad fidem conuersis, vtrùm si ante conuersionem suam secundùm legis veteris instituta, circa gradus consanguinitatis à canone denotatos coniuncti fuerint, separari debeant post baptismum: Consul. t. duximus respondendum, quòd matrimonium sic contractum non est post baptismi lauacrum separandum, cùm à Iudæis Dominus requisitus, si liceret vxorem ex quacunque causa dimittere, ipsis respondit: Quos Deus coniunxit, homo non separet, per hoc innuens esse matrimonium inter eos.

Cap. xv. Tit. xvii. *Qui filij sint legitimi.*

IDEM EPISCOPO TIBVRIENSI.

Gavdemvs:·.·.·. Cæterùm prolem de infidelium coniunctionibus natam, qui secundo, tertio, vel vlteriore gradu, secundùm opinionem illorum matrimoniali contraxerunt adfectu, post fidem receptam (vtilitate publica suadente) legitimam volumus reputari.

Infideles coniuncti ante conuersionem in gradu vetito à canone, si ad fidem conuertantur, quia matrimonium est inter infideles, etiam ad eos pertinet, quod scriptum est, *Quod Deus coniunxit homo non separet*, vt hic & *cap. gaudemus. infrà. de diuort.* Inter infideles matrimonium existit, vt contractus ciuilis. *cap. veniens. de Presbyter. non baptizat.* Sed vt Sacramentum inter infideles non perficitur. *cap. quanto. & d. cap. gaudemus. infrà. de diuort. can. deinde. xxvi. dist.* Et liberi suscepti ex matrimonio infidelium in gradu vetito à canone, parentibus conuersis ad fidem legitimi sunt. *cap. gaudemus. infrà. qui fil. sint legit.* Neque obstat quòd baptismo totum, quod in homine gestum est soluitur. *d. can. deinde.* quia baptismo non soluitur coniugium, sed peccatum omne dimittitur. *d. cap. gaudemus.* Aliâ ratione & matrimonium inter infideles non dissoluitur accedente baptismo, propter vtilitatem publicam, id est fauore Christianæ religionis ne mulieres reuocentur à baptismo timentes deseri à viris suis. *d. cap. gaudemus.*

Capitvlvm V.

IDEM ROSSANENSI ARCHIEPISCOPO.

Qvod super his:·.·.·.·. Super eo igitur, quòd pater & filius, cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, auunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quòd licèt omnes consanguinei viri sint adfines vxoris, & omnes consanguinei vxoris sint viri adfines: inter consanguineos tamen vxoris & viri, & ex eorumdem, scilicet viri & vxoris coniugio, nulla prorsus adfinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela.

Pater & filius rectè ducunt matrem & filiam simul, vel diuersis temporibus. Duo cognati rectè ducunt duas cognatas. Auunculus & nepos rectè ducunt duas sorores, quia licèt cognati viri sint affines vxoris, & retro cognati vxoris sint affines viri, tamen cognati viri & vxoris in-

ter se non sunt affines, & inter se matrimonio iungi non prohibentur, ex *hoc cap.* quod haustum est ex Iure Ciuili. *l.* IV. §. *affines. ff. de gradib. & affinib.*

CAPITVLVM VI.

IDEM.

QVIA circa: .·.·.·.·. Porrò de nobili viro N. pro cuius dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea, quæ ipsum quinto consanguinitatis gradu contingit, à Sede Apostol. obtinenda, falsa nobis causa fuerat allegata, proles videlicet. Cùm tamen ante dispensationem obtentam vnica filia, quam habebat, viam fuerit vniuersæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat: dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione (sicut adseris) graue videas scandalum imminere.

HVIVS cap. species hæc est. Quidam vir nobilis contractis nuptiis cum muliere in gradu vetito, ex ea puellam suscepit, quâ sublatâ de medio dispensationem obtinuit à Pontifice, fauore prolis. Hac de re aditus Pontifex respondit in *hoc cap.* dissimulandum vt coniuges remaneant in matrimonio sic contracto, propter graue quod imminebat scandalum ex separatione. Dispensatio obtenta ex falsa causa per subreptionem super matrimonio, nulla est, & irrita; sed eadem conualescit, si Pontifex causâ cognitâ, rem dissimulandam duxerit ob vitandum scandalum. Dissimulatio, seu tolerantia ex causa inducit dispensationem. *cap. cùm iam dudum. de præbend. cap. ad Apostolicam. de regular.* Solus Papa potest dispensare super matrimonio in gradu vetito, vt docetur *hic & cap. vlt. suprà. de transact. cap. literas. de restit. spoliat. can. quadam lex.* XXXV. *qu.* II. Quod olim erat Principis. *l. si senatori. l. qui in prouincia. ff. de rit. nuptiar.* Iusta causa dispensandi super matrimonio & aliis, est, vt vitetur offensio, & scandalum. *cap. quod dilectio. h. tit. cap. Deus qui. de vit. & honest. Cleric.* vel ob publicam causam inter Principes, Conc. Trident. *sess.* XXIV. *de reform. cap.* V. vt in baptismo dispensatur cum liberis Regum & Principum, vt baptizentur extra Ecclesiam. *Clement. vn. de baptism.*

CAPITVLVM VII.

IDEM.

TVA nos duxit fraternitas consulendos, vtrùm illorum sufficiat testimonium ad matrimonium dirimendum, qui consanguinitatis gradus ab auunculo, & nepote, videlicet fratris filio, vel sororis incœperint computare? Nos igitur inquisit. t. t.t. quòd cùm coniugium multum fauoris obtineat, testes, qui ad diuortium celebrandum producti consanguinitatis gradus computant, à stipite debent incipere, id est, à parentibus vel germanis, & sic per ordinem distinguere gradus, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis designando personas, præsertim cùm sæpius testimonium perhibeant de auditu: quod quia minùs est validum, non est in articulo huiusmodi nimium laxanda facultas: cùm qua ratione computationem inciperent à secundo, eâdem ab vlterioribus inchoarent.

IVRE ciuili & canonico inter ascendentes & descendentes gradus cognationis eodem modo censentur. Vtroque iure cognatio parentum, & liberorum incipit à primo gradu, vt pater & mater, filius & filia sunt in primo gradu. *l.* I. *&* IX. *ff. de grad. & affinib.* Sed inter collaterales gradus cognationis aliter numerantur Iure ciuili, quàm canonico; nam Iure ciuili gradus cognationis numerantur per generationes, exempli gratiâ, filius & pater sunt in primo gradu, fratres inter se sunt in secundo gradu. *d. l.* I. *&* IX *can.* II. *& seqq.* XXXV. *q*[illegible] Iure canonico gradus cognationis numerantur per capita seu personas, & singulæ personæ gradum faciunt. Hoc iure fratres & sorores sunt in primo gradu, fratrum & sororum filij, id est consobrini, in secundo gradu. *can. ad sedem.* XXXV. *qu.* V. *can. de parentela. ead. caus. qu.* VI. Consanguinitatis gradus numerantur à stipite, id est à parentibus vel germanis, seu fratribus, vt ostenditur in *hoc cap. & cap. testes. suprà. de testib.* Et testes producti in causis matrimonialibus in computandis gradibus consanguinitatis debent incipere à stipite, id est à parentibus, vel germanis, & distinguere gradus per ordinem designando personas nominibus propriis, vel per æquipollens, vt subiungitur in *hoc cap.* Nihil refert an res designetur proprio nomine, an demonstratione, quæ nominis vice fungitur *l. certum. ff. de reb. cred.* maximè quod additur hîc cùm sæpiùs in huiusmodi causis admittantur testes de auditu: in causis matrimonialibus cùm quæritur de cognatione, testes de auditu recipiuntur. *can. de præsentia.* XXXV. *qu.* VI. *cap. licet. de testib.* quod speciale est, in-

quit Pontifex hîc, fauore matrimonij; vnde in iisdem causis admittuntur vicini & alij, putà cognati & affines. *cap.* III. *infrà. qui fil. sint legit. l. filium ff. de his qui sui vel alien. iur. sunt.* & maiores natu loci, Gregor. VII. *lib.* I. *epist.* V.

CAPITVLVM VIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

NON debet reprehensibile iudicari, si secundùm varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cùm vrgens necessitas, vel euidens vtilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo. Cùm ergo prohibitiones de coniugio in secundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis, cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: cùm cessante prohibitione, cesset effectus; constitutiones super hoc editas, sacri adprobatione Concilij reuocantes, præsenti constitutione decernimus, vt sic contrahentes de cætero liberè copulentur. Prohibitio quoque copulæ coniugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest absque graui dispendio huiusmodi prohibitio generaliter obseruari. Quaternarius verò numerus bene congruit prohibitioni coniugij corporalis, de quo dicit Apostolus, quòd vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis. Cùm ergo iam vsque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis: vt si quis contra prohibitionem huiusmodi præsumpserit copulari, nullâ longinquitate defendatur annorum: cùm diuturnitas temporum non minuit peccatum, sed auget, tantóque sunt grauiora crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.

OLIM nuptiæ erant vetitæ inter cognatos & affines, vsque ad septimum gradum. *cap.* III. *cap. quia circa. h. tit. cap.* III. *suprà. de clandest. desponsat. can.* I. *& passim.* XXXV. *qu.* II. *&* III. *can. nulli. ead. caus. qu.* III. *can ad sedem. ead. caus qu.* V. Hodie ex Conc. G. Lateran. habito sub Innoc. III. nuptiæ prohibentur vsque ad quartum gradum cognationis vel affinitatis inclusiuè, vt definitur in *hoc cap. & d. cap.* III. *de clandest. despons.* Nec si quis in gradu prohibito nuptias contraxerit, potest se tueri præscriptione temporis, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget vt subiungitur hîc. Præscriptio non currit contra matrimonium, sicut neque contra votum. *can. quod Deo.* XXXIII. *qu.* V. *cap. sicut nobis. de regular.* Et si matrimonium contrahatur in gradu vetito, non excusat consuetudo, quæ dicenda est potiùs corruptela. *cap. quod super his. h. tit. cap. vlt. de spons. duor.* Inter collaterales prohibitio nuptiarum redacta est ad quartum gradum: inter ascendentes & descendentes verò nuptiæ prohibentur in infinitum. *l. vlt. ff. de rit. nupt. §. ergo. instit. de nupt.*

TIT. XV. *De frigidis & maleficiatis, & impotentia coëundi.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. ALTISSIODORENSI EPISCOPO.

FRATERNITATIS tuæ literas recepimus, continentes quòd O. mulier cuidam viro matrimonialiter nupsit, cum quo per multos annos morata, non potuit carnaliter ab ipso cognosci. Licèt autem per Archipresbyterum tuum super hoc fuisses edoctus: tu tamen volens habere certitudinem pleniorem, quasdam matronas suæ parœciæ prouidas & honestas, ad tuam præsentiam euocasti, districtè illis iniungens, sub periculo animarum, vt mulierem ipsam prudenter inspicerent, & perquirerent diligenter, vtrùm idonea esset ad viriles amplexus, quæ tandem in fide sua tibi adseruere constanter, quòd eadem nunquam poterat esse mater aut coniunx, tanquam cui naturale deerat instrumentum. Vnde inter ipsam & virum

diuortium

diuortium celebrasti, mulierem inducens, vt ad religionem aliquam se transferret, perpetuam continentiam seruatura: & viro licentiam tribuisti, vt vxorem duceret, quia pater fieri cupiebat. Contigit autem postea, quòd mulier inuenit qui feras huiusmodi referauit, & abiiciens continentiam, quam promisit, G. latori præsentium supernupsit. Quamuis igitur semiplenè nobis expresseris, quomodo dicta mulier se promiserit continentiam seruaturam; vtrùm videlicet simplici verbo, an voto solemni, vtrúmve ad religionem transierit, vt promisit, an contra promissionem suam in domo remanserit, & qualiter feras illas fecerit referari, vtrùm videlicet artificio medici, an concubitu viri, seu alio quolibet modo: nos tamen perspicaciter adtendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit remoueri; sententiam diuortij per errorem licèt probabilem nouimus esse prolatam, cum pateat ex pòst facto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commiscerut: & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium extitisse: quare inter eam & præfatum Guil. matrimonium non esse censemus, eósque præcipimus ab inuicem separari. Et si prædicta mulier ad religionem transiuit (sicut adserit promisisse) primus vir, qui non cognouit eandem, cum ea remaneat, eum qua postmodum Ecclesiæ auctoritate contraxit: alioquin eâ dimissâ, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit, nisi se voto mulier illa constrinxerit ad continentiam obseruandam, vt intelligatur per hoc cum præfato Gu. fornicata fuisse, vel nisi se fornicatio modo alij viro miscuerit, vt primus vir prætextu fornicationis, eius velit consortium declinare. Nam si tantùm simplici verbo se promisit continentiam seruaturam, & postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato Gu. quamdiu articulus iste dubitabilis erat, præsumi non debet, quòd fornicaretur cum illo, sed amodò non debet cum illo aliquatenus remanere. Per hæc autem quæstionem illam noueris esse solutam, qua quæritur, vtrùm ea, quæ adeò arcta est, vt nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodo leuis, sed fortè tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi. Similiter illa, quæ viro cui nupserat, adeò arcta est, vt nunquam ab eo valeat deflorari: si ab eo sit per iudicium Ecclesiæ separata, & nubat alteri, cui arcta non sit, & per frequentem vsum secundi reddatur etiam apta primo: vtrùm ad eum redire debeat, cum quo priùs fœdus inierat coniugale. De talibus autem non est facilè iudicandum, cùm finale iudicium pendeat ex futuro.

Species *h cap.* hæc est. Mulier quædam diutiùs fuit cum marito, à quo sæpiùs tentata, sed frustrà, quòd nimis arcta esset. Episcopus ad quem pertinebat quæstio matrimonij, causæ enim matrimoniales pertinent ad Episcopum, non ad Abbatem vel inferiores, nisi ex priuilegio vel consuetudine. *cap. accedentibus, de excess. Prælat. cap. auditis. de præscript. cap. litteras. de restit. spoliat.* Quia causæ matrimoniales requirunt maiores iudices. *cap. 1. de consangu. & affinit. cap. pen. de in integr. restit.* Io. Saresb. epist. LXXXIX. *Cùm itaque matrimonij quæstio verteretur, quod de Ecclesiis, Ecclesiasticis infirmatur, aut conualescit, decreuit curia Catholici Principis, Serenissimi Regis Anglorum Henrici II. vt ad examen Ecclesiasticum causa rediret, vbi de iure Canonum, quos Clerus nouit, vulgus ignorat, quæstio matrimonij finem debitum sortiretur.* Episcopus, inquam, re relatâ per Archipresbyterum, cui fortè causæ cognitio demandata erat, vt intelligendum est & in *d. cap. 1.* matronas quasdam prouidas & honestas euocauit, quibus mandatum, vt eam mulierem inspicerent, & aspectu corporis probarent an idonea esset ad rem nuptialem. Matronæ inspectâ muliere retulere, eam non esse idoneam nuptiis, Episcopus hac de causa soluto matrimonio, viro permisit aliam vxorem quærere. Mulieri autem cùm non esset viripotens, suasit vt Monasterium peteret. Posteà si forte reseratâ parte illâ mulier nupserit alij viro, sententia diuortij per errorem prolata retractatur, & mulier reddenda est priori viro, dimisso posteriori. Ratio est, quia euentus probauit impedimentum perpetuum non fuisse, ac per hoc matrimonium valuisse. Non obstat *can. si per sortiarias.* XXXIII. *qu.* 1. vbi soluto matrimonio ob impotentiam coëundi, ex maleficio, si vir priore vxore superstite, cum alia contraxerit, & potens deprehensus fuerit, matrimonium prius non redintegratur. Ratio distinctionis est, quòd si impedimentum fuit generale respectu omnium, veluti frigiditas, vel arctitas, is qui reperitur idoneus ad secundum matrimonium restituitur primo, quia hinc apparet impedimentum non fuisse perpetuum; sin autem impedimentum non fuerit generale respectu omnium, sed respectu illius, putà ob maleficium, tunc etiam is qui iudicatus est impotens ad prius matrimonium, si reperiatur idoneus ad secundum, non restituitur

primo, quia ex eo non ſequitur non fuiſſe impedimentum perpetuum reſpectu primi. Igitur ſententia per errorem lata contra matrimonium, non tranſit in rem iudicatam, quin poſſit reuocari quandocumque apparuerit, Eccleſiam deceptam fuiſſe, vt patet ex *hoc cap. & cap. vlt. h. tit. cap. lator. cap. conſanguinei. de re iudicat.* Cùm quæritur an idonea ſit puella ad virile[m] complexum, vel an integra ſit, necne, eius rei probandæ causâ obſtetrices iuſſu iudicis adhibentur. *cap. propoſuiſti. cap. cauſam. de probat.* Ambroſ. epiſt. LXV *Non probatur Domino quæ vnius obſtetricis indiget teſtimonio, quod plerumque quæritur pretio.* & Auguſtin. de hæreſib. ad Quodvult deum. *Cùm primùm illa ſe aſſeruiſſet integram, atque ab obſtetrice inſpici poſtulaſſet, quæ inſpecta, & quid eſſet inuenta.* Quamuis obſtetricum oculi ſæpè manúſque fallantur. *can. nec aliqua.* XXVII. *qu.* I. ex Cypriano quem ſecutus Ambroſ. eod. loco. *Quid quod etiam ipſi Archiatri dicunt, non ſatis liquidò comprehendi inſpectionis fidem, & ipſi medicinæ vetuſtis Doctoribus id ſententiæ fuiſſe: nos quoque vſu hoc cognouimus ſæpè inter obſtetrices obortam varietatem, & quæſtionem excitatam, vt plus dubitatum ſit de ea quæ inſpiciendam ſe præbuerit, quam de ea quæ non fuerit inſpecta.* Obſtetricum etiam arbitrium eſt, an prægnans ſit mulier. *l. 1. ff. de ventr. inſpic.*

TIT. XVII. *Qui filij ſint legitimi.*

CAPITVLVM XII.

PER tuas literas intimaſti, quòd R. ex muliere, quam ſecundùm opinionem maioris partis viciniæ in concubinam habebat, prole ſuſceptâ, quandam pòſt & aliam eâ defunctâ duxit in vxorem: & ea, de qua prolem ſuſceperat, virum ſibi alium copulauit: proceſſu verò temporis idem R. in præſentia multorum, firmauit proprio iuramento, quòd eam, quam habere viſus fuerat concubinam, priùs adfidauerat in vxorem, quàm ex ea filium genuiſſet: & poſtea cùm ageret in extremis eum quem ex ea ſuſceperat, in teſtamento hæredem inſtituens, legitimum filium adpellauit. Cùm autem tuæ inquiſitioni fuiſſet commiſſum, an filius ſic ſuſceptus, legitimus eſſet hæres ipſius R. & ad eius patrimonium admittendus, tu præter id, quod ex quadam decretali bonæ memor. Alexand. Papæ prædeceſſoris noſtri, ſtandum eſſe ſuper hoc verbo viri & mulieris credebas: receptis teſtibus à filio eiuſdem R. productis, quibus legitimè comprobauit prædictum R. matrem ſuam in capella ſancti Sergij adfidaſſe, eum ipſius R. hæredem eſſe legitimum iudicaſti. Nos autem adtendentes, quòd plus eſt, quod in veritate agitur, quàm quod ſimulatè concipitur: licèt dictus R. cum ea dimiſſa, quam vt concubinam habuerat, ad alia vota tranſiuerit, videatur ipſo facto matrimonium, quod inter eos celebratum fuerat, denegaſſe: quia tamen deſponſatio per teſtes legitimos comprobata, eos matrimonialiter fuiſſe coniunctos oſtendit: ſiue deſponſatio ipſa fuerit de præſenti, vt per conſenſum legitimum per verba de præſenti expreſſum, copula matrimonij inter eos fuerit celebrata: ſiue per verba de futuro, carnali copulâ ſubſecutâ: non tam decretali dicti prædeceſſoris noſtri, quæ in caſu diſſimili loquitur, quàm inductis probationibus innitentes, te proceſſiſſe legitimè reſpondemus, ſententiam tuam auctoritate Apoſtolica confirmantes.

SI negetur quis eſſe filius, ſtatur verbo viri & mulieris. *cap.* III. *h. tit.* quia non eſt veriſimile, quòd pater negaret filium, ſi reuera filius eſſet. *cap. afferte. de præſumpt.* Pietas paterna optimum conſilium capit pro liberis. *l. nec in ea lege. §. [illegible]. ff. ad l. Iul. de adulter. cap. ſuper eo. de teſtib.* Nec eſt affectus qui vincat paternum. *l. vlt. C. de curat. furioſ.* Sed non ſtatur verbo viri & mulieris, ſi factum repugnet. Finge: Titius ex Seia quam domi habuit ſuſcepit filium, quâ depulſâ Caiam duxit vxorem; Seia quoque quæ dimiſſa erat nupſit alteri poſtea Titius coram teſtibus iurauit Seiam ſibi non concubinam, ſed legitimam vxorem fuiſſe, & filium ex ea ſuſceptum teſtamento hæredem inſtituit, & filium nuncupauit: hoc caſu non ſtatur dicto viri, quod facto diluit fidem, & vterque petendo alias nuptias ſe ſolutum aſſeruit. Inſtrumenta inuicem pugnantia, vel teſtes ſibi contrarij, ſi ab eadem parte proferantur, meritò reiiciuntur. *l. eos qui diuerſa. ff. ad l. Cornel. de fal. l. ſcripturæ. C. de fid. inſtrument. Nou. Iuſtin.* XC. *cap.* III. Nec ſolo hoc argumento filius legitimus probatur, quòd pater dixerit eum natum ex legitima vxore: non nudâ aſſeueratione, nec ementitâ profeſſione liberi patri conſtituuntur. *l. non nudis. C. de probat.* ſed quia filius ipſe idoneis teſtibus probauit ſe natum ex coniugio contracto per verba de præſenti, vel verbis de futuro, ſecutâ copulâ; filiatio enim rectè probatur per teſtes. *l. filium. ff. de his*

qui sui vel alien. iur. l. Lutius. de condit. & demonstrat. Non omittendum hanc decretalem extare apud Innocentium III *lib. 2. epist.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM NOBILI VIRO GV. MONTISPESSVLANI.

PER venerabilem frat. N Arelatensem Archiepiscopum tua nobis humilitas supplicauit, vt filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quominus tibi succedere... naralium obiectio non noceret. Quòd autem super hoc Apostolica Sedes pl... habeat potestatem, ex illo videtur, quòd diuersis causis inspectis, cum quibusdam minùs legitimè genitis, non naturalibus tantùm, sed adulterinis etiam dispensauit, sic ad actus spirituales illos legitimans, vt possint in Episcopos promoueri: ex quo verisimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat sæculares, præsertim si præter Romanos Pontifices inter homines superiorem alium non cognoscant, qui legitimandi habeat potestatem: quia cum maior in spiritualibus tam prouidentia, quàm auctoritas & idoneitas requiratur: quod in maiori conceditur, licitum esse videtur & in minori. Per simile quoque id videtur posse probari, cùm eo ipso, quòd aliquis ad apicem Episcopalis dignitatis attollitur, eximitur à patria potestate. Præterea etiam si simplex Episcopus scienter seruum alterius in Presbyterum ordinaret, licèt ordinator satisfacere domino teneretur, ordinatus tamen iugum euaderet seruitutis. Videretur siquidem monstruosum, vt qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa sæculares actus illegitimus remaneret. Vnde cùm in spiritualibus dispensetur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum. Id autem in patrimonio beati Petri liberè potest Apostol. Sedes efficere, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & Summi Principis exequitur potestatem. Videbatur autem ex eo trahere maiorem audaciam postulandi, quòd cùm Rex Francorum I. reginam dimiserit, & ex alia postmodum superducta puerum susceperit & puellam, & tu similiter, exclusâ legitimâ, superduxeris aliam, ex qua filios suscepisti: sicut cum filiis Regis eiusdem, sic cum tuis credebatur de benignitate Apostol. Sedis dispensandum. Verùm si veritas diligenter inspicitur, non res similis, sed valde dissimilis inuenitur: nam Rex ipse à Regina per Rhemensem Archiepiscopum Apostolicæ Sedis Legatum fuit per sententiam separatus: tu verò vxorem tuam à te tua propria separasti. Ipse quoque priusquam ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera peruenisset, aliam superduxit, ex qua prolem geminam noscitur suscepisse: sed tu in contemptum Ecclesiæ, aliam superinducere attentasti. Præterea Rex ipse contra matrimonium impedimentum affinitatis obiecit, & coram præfato Archiepiscopo testes induxit: cuius sententia, quia cassata fuit solummodo propter iudiciarium ordinem non seruatum, nos post restitutionem Reginæ alios cognitores duximus deputandos. Tu verò vxori tuæ nihil quod diuortium induceret obiecisti: cùm etsi fides tori sit vnum de tribus bonis coniugij, non tamen ipsius violatio coniugale vinculum violasset. De filiis ergo eiusdem Regis, vtrùm legitimi vel illegitimi fuerint, quamdiu pendet quæstio affinitatis obiectæ, potest non immeritò dubitari. Nam si affinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam non esse Regis coniugem apparebit: & per consequens alia videbitur sibi legitimè copulata, & filios ei legitimos peperisse. Insuper cùm Rex superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit, in quo videretur aliquibus, quòd per seipsum (non tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis) potuit dispensare: tu autem nosceris aliis subiacere: ∴∴∴. Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex veteri, quàm ex nouo Testamento trahentes, quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio, (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verùm etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno iuri præiudicare velimus, sed quia sicut in Deuteronomio continetur: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam,

lepram & lepram, & iudicium intra portas videris variari, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus: ſequeriſque eorum ſententiam: qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur. Sanè cùm Deuteronomium, lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo Teſtamento debeat obſeruari: locus enim quem elegit Dominus, Apoſtolica Sedes eſſe cognoſcitur: cùm enim Petrus vrbem fugiens exiuiſſet, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, Domine, quò vadis? reſpondit, venio Romam iterum crucifigi, quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Sunt autem Sacerdotes Leuitici generis fratres noſtri, qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officij coadiutores exiſtunt. Is verò ſuper eos Sacerdos ſiue Iudex exiſtit, cui Dominus inquit in Petro: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Eius Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum. Tria quippe diſtinguit iudicia. Primum inter ſanguinem, & ſanguinem, per quod criminale intelligitur & ciuile. Vltimum inter lepram & lepram, per quod Eccleſiaſticum & criminale notatur. Medium inter cauſam & cauſam, quod ad vtrumque refertur tam Eccleſiaſticum, quàm ciuile: in quibus cùm aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad iudicium eſt Sedis Apoſtolicæ recurrendum, cuius ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens ait: Neſcitis quoniam Angelos iudicabitis? quanto magis ſæcularia? Licèt igitur cum filiis ſæpedicti Regis (de quibus, an fuerint legitimi, ab initio dubitatur) duxerimus diſpenſandum: quia tamen tam lex Moſaica, quàm canonica ſobolem ſuſceptam ex adulterio deteſtatur, teſtante Domino, quòd manſeres & ſpurij vſque ad decimam generationem in Eccleſiam non intrabunt: canone verò vetante tales ad ſacros ordines promoueri: ſæcularibus quoque legibus non ſolum repellentibus eos à ſucceſſione paterna, ſed negantibus ipſis etiam alimenta: petitioni tuæ non duximus adnuendum.

CELEBERRIMA eſt ſpecies *h. cap.* quæ valdè illuſtratur à Zurita in Indicib. Aragon. *ad ann.* MCCXIV. Guillelmus Comes Montiſpeſſulani, id nomen ciuitati Galliæ Narbonenſis, quæ habuit ſuos Comites. Gu. Comes inquam dimiſſa vxore legitimâ, ea erat Mathildis Emanuelis CP. Imper. filia, ex qua vnica filia nomine Maria ſuſcepta, aliam ſuperduxit, cui nomen fuit Agnes, ex qua cùm ſuſcepiſſet liberos Gu. Thomam & alios, per Arelatenſem Archiepiſcopum poſtulauit à Pontifice legitimos fieri, vt iuſti ſibi hæredes eſſent. Cui priuſquam reſpondeat Pontifex, præfatur ius ſibi legitimandi filios, non modò ſuſceptos ex concubina, qui propriè dicuntur naturales; ſed etiam ſuſceptos ex adulterio: nec modò ad actus ſpiritnales, putà ad ordines, vel beneficia Eccleſiaſtica; ſed etiam ad temporalia, putà ad munera & honores, vel ad hæreditariam ſucceſſionem: & vt ſententiam ſtabiliat variis vtitur argumentis. Primùm argumento à maiori ad minus hoc pacto: Summus Pontifex poteſt aliquem legitimare, quoad actus ſpirituales, multo magis quoad actus temporales, qui minoris longè momenti ſunt; cui enim licet quod plus eſt licet & minus *cap. cui licet. de R. I. in* VI. Secundum argumentum ducitur à pari, per Epiſcopatum filius ſoluitur patriâ poteſtate. *Nou. Iuſtin.* LXXXI. *auth. ſed Epiſcopalis. C. de Epiſc. & Cleric.* Item ſeruus liberatur à poteſtate dominica, quem ſciens prudénſque Epiſcopus ordinauerit. *can. ſi ſeruus.* LIV. *diſt.* Ergo à pari qui factus eſt legitimus quoad actus ſpirituales, qui ſunt præſtantiores, legitimus factus videtur quoad temporales. Tertium argumentum petitur à congruo, quòd is qui in ſpiritualibus legitimatur, intelligatur etiam legitimatus quoad ſæcularia; alioquin monſtro ſimile eſſet, quempiam partim legitimum, partim illegitimum eſſe *arg. l. quæritur ff. de ſtat. hom.* His ſubiungit Pontifex ſibi licere ſpurios legitimare, etiam quoad actus ſæculares ſaltem in patrimonio S. Petri, in quo & Pontificis & Principis gerit poteſtatem. Ex quo innuere videtur non deeſſe ſibi poteſtatem legitimandi liberos Comitis Montiſpeſſulani, quòd terræ ipſius iuriſdictio ad Eccleſiam Romanam ſpectaret, vt aſſerit ipſe Pontifex *regiſtr.* XV. *epiſt.* CII. Eo audaciùs à Pontifice petebat Comes liberos legitimari, quòd non careret præiudicio, ſeu auctoritate rei iudicatæ, cùm paulò antè filij adulterini Philippi Regis ſuſcepti ex pellice ſuperducta Ingeburgæ Reginæ, legitimati eſſent ab ipſo Pontifice, de quo Rigordus in eius vit. *ad*

ann. MCCI. Verùm Pontifex omnibus his argumentis respondet, longè aliam esse causam Regis Francorum, ac Comitis: Rex enim aliam superduxit dimissâ priùs Ingeburge ex sententia Rhemensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis Legati, pro qua præsumendum erat donec renouaretur, propter auctoritatem rei iudicatæ *l. res iudicata. § in omnibus ff. mandat.* & antequàm prohibitus esset aliam ducere. Hic verò Comes licèt minor temerè diuertit ab vxore sine iudicio Ecclesiæ, & contra interdictum aliam superduxit: non potest vir vxorem dimittere sine iudicio Ecclesiæ. *can. sæculares.* XXXIII. *qu.* II. *can. multorum.* XXXV. *qu.* VI. *cap. porrò. infrà. de diuort.* Præterea Rex obtentu affinitatis qualitercumque per testes probatæ coram prædicto Legato ex sententia, quæ quidem rescissa est à Summo Pontifice, quòd promulgata esset non seruato solemni ordine iudiciorum, non manifesto vitio causæ, vxorem dimisit. At Comes nullam diuortij causam adduxit. Præterea Rex Francorum in temporalibus superiorem non agnoscit, vt præter hunc locum agnoscit idem Pontifex in *cap. nouit. de iudic.* & Albertus Argentinensis scriptor Germanicus in Chronico. *Cùm Francia à nullo haberi dicatur in feudum.* atque ita sine fraude & cuiusquam iniuria Rex se subijcere potuit iurisdictioni Summi Pontificis, cui per se ipsos filios illegitimos potuit legitimos facere, non tamquam pater filios, sed tanquam Princeps subditos: quod probari potest exemplo Friderici II qui Moginfredum, seu Manfredum filium naturalem legitimauit, eique testamento Arelatense regnum reliquit, vt refert Auctor Paralip. Abb. Vrsp. At Comes qui Regem superiorem habebat; etsi enim iurisdictio Montispessulani spectaret ad Summum Pontificem, hoc intelligendum erat de dominio principali, non de iure supremo quod saluum erat apud Regem Francorum. Comes, inquam, qui Regem superiorem habebat, non eius erat dignitatis, vt in his dispensandi haberet potestatem, licèt enim Duces & Comites prouinciales antea omnia ferè regalia iniectâ manu occupassent, iam in ordinem redacti erant, & Regiam maiestatem colere assueuerant. Immo & in ipso Rege dubitandum erat, an in temporalibus Pontifici se subdere ei liceret: Princeps enim non potest à se abdicare imperium. *l. l parus. & ibi gloss. ff. de offic. præsid.* Nec sententia Pontificis consentientes habuit Principes sæculares, vel ipsum Philippum Regem, cùm enim Ioannes Rex Anglorum Innocentio III. & successoribus, Angliæ Regnum vectigale fecisset, Philippus non dissimulauit palam dicere, Ioannem id non licuisse, absque Baronum assensu, & rem exemplo valde periculosam esse. Matth. Westmonaster. ad ann. MCCXVI. *Item nullus Rex vel Princeps potest dare regnum suum sine assensu Baronum suorum, qui regnum tenentur defendere; & si Papa hunc errorem tueri, allectus nouæ dominationis libidine contumaciter decreuerit exemplum omnibus regnis dabit perniciosum.* Tot rationibus permotus Pontifex reiecit preces Comitis Montispessulani de legitimandis ipsius liberis ex adulterio natis. Nihilominus Willelmus Comes Willelmum filium vnum ex adulterinis testamento instituit hæredem, à quo lite motâ aduersus Mariam de dominio Montispessulani, anno MCCXIV. Pontifex pro Maria sententiam tulit auctore Zurita. Iure ciuili liberi quatuor modis legitimantur I. per subsequens matrimonium § *vlt. de nupt. l. cùm quis. l.* [illegible] *de naturalib. liber.* & in hoc congruit Ius canonicum. *cap.* [illegible] *h. tit.* & sententia Patrum, Aug. de Bono coniug. *cap.* XIV. *Posse sanè fieri nuptias ex male coniunctis honesto postea placito consequente manifestum est.* Liberi sc. legitimantur per subsequens matrimonium, modò suscepti sint ex ea, cum qua matrimonium potuit constare ab initio; secùs nati ex ea cum qua non potuit esse matrimonium, putà ex adulterio. *cap. tant. h. tit. l. nuper C. de naturalib. lib.* II per oblationem Curiæ, cùm pater filios naturales offert Curiæ quæ est senatus Municipalis. *l.* III. *&* IV. *C. de naturalib. liber. Nou.* LXXXIX. *cap.* II. III. per nominationem filij, si pater testamento vel alio instrumento filium nominauerit, non adiectâ naturalis appellatione. *Nou.* CXVII. *cap.* II. *auth. si quis liberos. C. de naturalib. liber.* IV. rescripto Principis, *Nou.* LXXIV. *auth. præterea. C. de natur. liber.* Principis est defectos natalibus restituere. *l.* I. *& seqq. ff. de natalib. restit.* Synes. epist. XXII. Gauisus sum, inquit, cùm audiui, [illegible] *aureos liberos, imperatoris voce lege tibi factos liberos.* & Hieronym. ad Oceean. *Multos videmus ob nimiam paupertatem vxorum sarcinam declinare, & ancillas suas habere pro vxoribus, susceptósque ex his liberos colere, vt proprios: qui si fortè ditati ab Imperatore stolam illius meruerint, confestim Apostolo colla submittent, & inuiti inter vxores eas recipere cogentur: sin autem Principale rescriptum eadem tenuitas impetrare non quiuerit, cùm Romanis legibus scita Ecclesia mutabuntur.* Pontifex verò non potest legitimare defectos natalibus, quoad temporalia, quia eius iurisdictio non spectat ad temporalia. *cap. causam quæ. h. tit. d. cap. nouit.* præterquam in territorio Ecclesiæ Romanæ, in quo Pontifex Pontificis & Principis partes implet. Pontifex etiam potest legitimare liberos Principis eo postulante, quia Princeps qui superiorem non agnoscit, potest se submittere iurisdictioni S. Pontificis, ex *hoc cap.* quod innuitur *l. est receptum. ff. de iurisd.* & hoc iure cùm Bucardus de Auenis liberos suscepisset ex Margarota Comitissa Flandriæ, ac deinde ipsa enupsisset alij, à Pontifice petiit liberos ex ea susceptos legitimari; quod obtinuit, authore Matth. Paris. Sed hoc ius valdè nouum & inuidiosum.

TIT. XVIII. *Qui matrim. accusare poss. vel contra illud testificari.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO, PRÆPOSITO, ET PRIORI sanctæ Mariæ de Albanen. Genuen.

SIGNIFICANTE M. de Canula nostro est Apostolatui declaratum, quòd cùm N. duxisset legitimè in vxorem, S. mater ipsius nisa est matrimonium accusare, vt ab eo pecuniam extorqueret: & licèt intellectui suo praua non possint opera respondere, nihilominus vult habere pecuniam, vt ab accusatione desistat. Cùm igitur non sit malitiis hominum indulgendum, mandamus, quatenus si est ita, ipsam ab accusatione matrimonij repellentes, eidem super hoc silentium imponatis.

ETIAM parentes & cognati vtriusque sexus admittuntur ad accusandum matrimonium, quia certiores sunt de gradibus consanguinitatis, & affinitatis. *cap. videtur. h. tit. can* 1. *&* 11 xxxv. *qu*. vi. Quod enim dicitur patrem non esse idoneum testem in causa filij, *l. testis idoneus. ff. de testibus.* verum est in contractibus, & criminalibus. Pater non auditur in caput filij. *l. parentes. C. de testib.* Eleganter Ambros. lib. ii. de Caïn & Abel. cap. ix. in hæc verba Domini, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. An quia parentes tui accusatores esse non possunt, nolo enim vt ea necessitudo, quæ est auctor salutis, fiat auctor periculi, in te solo leges suas natura amiserit? ideo ergo putas crimen latere, quia parentes accusare non debent.* Sed aliud in causa matrimonij, quæ est fauorabilis. *d. cap. videtur. & d. can.* 1. *&* 11. Mater tamen, quæ accusat matrimonium filiæ per calumniam quæstus causâ, vt à viro pecuniam emungat, repellitur, ex *hoc cap. & l. qui accusare. in fin. ff. de accusat.* Ratio subnectitur, quòd malitiis non sit indulgendum. *l. in fundo. ff. de rei vindicat.*

CAPITVLVM VI.

IDEM.

CVM in tua diœcesi :·.·.·.·. Si verò post contractum matrimonium aliquis adpareat accusator, cùm non prodierit in publicum, quando banna, secundùm consuetudinem in Ecclesiis edebantur, vtrùm vox suæ debeat accusationis admitti, meritò quæri potest. Super quo sic duximus distinguendum, quòd si tempore denuntiationis præmissæ is, qui iam coniunctos impetit, extra diœcesim existebat, vel aliàs denuntiatio non potuit ad eius notitiam peruenire, vt puta si nimiæ infirmitatis feruore laborans, sanæ mentis patiebatur exilium: vel in annis tam teneris constitutus, quòd ad comprehensionem talium eius ætas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus: eius accusatio debet audiri. Alioquin cùm rationabiliter præsumatur, quòd denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa diœcesi minimè ignorauit, tanquam suspectus est proculdubio repellendus: nisi proprio firmauerit iuramento, quòd postea didicerit ea, quæ obiecerit, & ad hoc ex malitia non procedat: quia tunc etiamsi didicisset ab illis, qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi: quoniam etsi ab impetitione huiusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoueri nequiret, cùm culpabilis non existat.

AB accusatione matrimonij repellitur, qui cùm banna, seu denuntiationes in Ecclesia solemniter ederentur, vt moris est, *cap. cùm in tua. de sponsalib.* quod est pars *h. cap. cap. cùm inhibitio. de clandestin. desponsat.* impedimentum sciens tacuit, nisi tempore denuntiationis abfuerit, putà extra diœcesim; vel aliàs non habuit notitiam denuntiationis, fortè ob valetudinem, vel ætatem. Et si iuret quòd postea impedimentum accepit ab his, qui tempore denuntiationis de eo siluerunt, aduersus matrimonium accusator auditur, cuius auctor repellitur, ex *hoc cap.* secùs in causa matrimoniali testis non auditur, cuius auctor exploditur *cap. licèt de testib.* Ratio diuersitatis est, quòd maior idoneitas requiritur in teste, quàm in accusatore, quia in verbo testis reus damnatur, in verbo accusatoris non item, nisi adsint testes, vt rectè glossa animaduertit hoc loco.

TIT. XIX. *De diuortiis.*

CAPITVLVM VII.

INNOCENTIVS III. FERRARIENSI EPISCOPO.

QVANTO te nouimus in canonico Iure peritum: .·.·.·.·. Sanè tua F. intimauit, quòd altero coniugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat conuolare. Quod vtrùm possit fieri, per tuas nos duxisti literas consulendos. Nos igitur consult. t. respondentes distinguimus, licèt quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem Catholicam conuertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat. Frater enim vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi. Et canonem etiam, in quo dicitur: Contumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur. Si verò alter fidelium coniugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quòd in hoc casu, is, qui relinquitur, viuente altero possit ad secundas nuptias conuolare, licèt in hoc casu maior adpareat contumelia creatoris. Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit: quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret. Nec obstat quod à quibusdam forsan obiicitur, quòd fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari: cùm in multis casibus hoc contingat, vt si alter coniugum incidatur. Per hanc responsionem quorumdam malitiæ obuiatur, qui in odium coniugum, vel quando sibi inuicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, vt ab ipsa (nubentibus coniugibus) resilirent. Per hanc ipsam responsionem illa soluitur quæstio, qua quæritur, vtrùm ad eum, qui ab hæresi vel infidelitate reuertitur, is, qui permansit in fide, redire cogatur.

INTER infideles, si alter coniugum conuertatur ad fidem, altero, id est infideli, volente ei cohabitare, vel non sine blasphemia diuini nominis, vel eo consilio, vt eum pertrahat ad peccatum mortale, qui relinquitur, id est conuersus, si velit, potest ad secundas nuptias transire, vt *hic & can. si infidelis.* XXVIII. *qu.* I. Si alter coniugum conuertatur, matrimonium non soluitur, inuito eo qui conuersus est; sed ita demum si velit. *can. iam nunc. can. sic enim. ead. caus. & qu.* quia non est cogendus fidelis ad conuictum cum infideli, propter impedimentum & periculum religionis. Ambros. lib. I. de Abraham. *quomodo potest congruere caritas si discrepet fides.* Si verò alter fidelium coniugum labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, is qui relinquitur superstite altero, non potest transire ad secundas nuptias, quia matrimonium inter fideles contractum est ratum & indissolubile, quòd sit sacramentum fidei; vnde qui permansit in fide, compellitur ad eum redire, si reuertatur ab hæresi, vel infidelitate. Matrimonium non soluitur, ob alterius lapsum in hæresim, vel infidelitatem, vt occurratur dolo quorumdam coniugum, qui hæresim fortè simularent matrimonij soluendi causâ: eâdem ratione ob adulterium non soluitur matrimonium, sed datur thori separatio, ne viro cogitante de secundis nuptiis, mulier per calumniam adulterij accusetur. *can. dixit Dominus.* XXXII. *qu.* I. Matrimonium non soluitur propter hæresim Rectè tamen alter coniugum discedit ab alio in hæresim lapso. *cap. de illo. h. tit.* si tamen is neget se hæreticum, non datur separatio, priusquam iudicio Ecclesiæ damnatus sit. *cap. cùm secundum. de heretic. in* VI. Matrimonium non solui propter hæresim, ait Pontifex hic, licèt quidam prædecessorum aliter sensisse videatur. Intellige Celestinum III. cuius decretalis iacet in *cap. laudabilem. suprà. de conuers. infidel.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM TIBERIADENSI EPISCOPO.

GAVDEMVS in Domino: .·.·.·.·. Vtrùm pagani vxores accipientes in secundo vel tertio, vel vlteriore gradu sibi coniunctas, sic coniuncti debeant post

conuersionem suam insimul remanere, vel ab inuicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postulasti. Super quo taliter respondemus, quòd cùm sacramentum coniugij apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens: Si quis frater infidelem habet vxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat: & in præmissis gradibus à paganis quoad eos matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus canonicis non arctantur: (quid enim ad nos, secundùm Apostolum eundem, de his quæ foris sunt, iudicare?) in fauorem præsertim Christianæ religionis & fidei, à cuius perceptione per vxores se deseri timentes viri possunt facilè reuocari: fideles huiusmodi matrimonialiter copulati libere possunt, & licitè remanere coniuncti, cùm per sacramentum baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur. Quia verò pagani circa plures insimul fœminas affectum diuidunt coniugalem, vtrùm post conuersionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur: . . . . Verùm absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa: & scriptura diuina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: non dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit, adhærebit vxoribus, sed vxori . . . . . . Nec vlli vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur: per quam sicut Iacob à mendacio, Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ & alij viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Euangelio: Quicunque dimiserit vxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo vxore dimissâ, duci alia de iure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ: per quod euidenter apparet pluralitatem in vtroque sexu, cùm non ad imparia iudicentur, circa matrimonium, reprobandam. Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiauit vxorem: cùm tale repudium veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam eâ viuente licitè poterit aliam etiam ad fidem Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutionem petenti, quamuis de iniusta spoliatione constaret, restitutio negaretur: quia secundùm Apostolum frater aut soror non est huiusmodi subiectus seruituti. Quòd si conuersum ad fidem, & illa conuersa sequatur antè, quàm propter causas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur. Quamuis quoque secundùm Euangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur, non tamen dimissor poterit obiicere fornicationem dimissæ, pro eo, quòd nupsit alij post repudium, nisi aliàs fuerit fornicata.

QVÆSITVM est vtrùm pagani coniuncti in gradu prohibito à canone, putà secundo vel tertio, post conuersionem ad fidem sint inuicem separandi. Rescribit Pontifex in *hoc cap. eos* seiungi non oportere, cùm sacramentum coniugij etiam apud infideles existat; quod & repetitum est in *cap. vlt. suprà. de transact.* Durius videri potest quod scriptum est hîc, sacramentum coniugij apud infideles existere, cùm sacramenta non sint extra Ecclesiam. *can. extra Catholicam.* 1. *qu.* 1. *can quia ex sola.* XXIV. *qu.* 1. Sed matrimonium apud infideles dicitur sacramentum, quòd sit spes sacramenti propter spem & promissionem conuersionis gentium. Quo pacto Maximinum Episcopum Donatistam dilectissimum & honorabilem fratrem, propter spem postliminij compellat Augustinus *epist.* CCIII. Propriè verò non est sacramentum, coniugium inter infideles, nam etsi verum matrimonium sit inter infideles, non est ratum, quòd absit sacramentum. *cap. prox. suprà. h tit.* Inter infideles constat matrimonium, etsi coniuncti sint in gradu vetito à lege canonica, quia infideles Constitutionibus canonicis non arctantur, iuxta illud Pauli, *Quid enim ad nos de his quæ foris sunt iudicare.* & matrimonium ab infidelibus contractum in grado vetito à lege canonica, non dissoluitur subsequente conuersione alterius, quia per baptismum non soluitur matrimonium, sed peccatum, vt *hîc & can.* 1. XXVIII. *qu.* II. Nec obstat quòd matrimonium peruenerit in eum casum, à quo incipere non potuit, quia id locum non habet in matrimonio fauore religionis Christianæ, à cuius professione facilè reuocaretur vir per vxorem timentem se deseri. Dubitatum est an pagani qui plures habent vxores, vt Numidæ & Mauri, Sallustio. *de Bell. Iugurth.* Persæ Ammian. *lib.* XXII. *&* XXIII. & Sarraceni, ac Turcæ Calcondyl. *lib.* III. post conuersionem

sionem ad fidem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant. Ratio dubitandi erat, quòd matrimonium ritè contractum ab infidelibus, non dissoluitur per baptismum, cùm infideles non ligentur canonicis institutis: & cùm quæritur an valeat matrimonium, spectetur tempus contractus, & casus superueniens non dissoluat matrimonium. *l. patre furioso. ff de his qui sui vel alien. iur. sunt. l.* 1. *C. de repud.* Rescripsit Pontifex in *hoc ipso cap* infideles, si conuertantur, non posse retinere plures vxores, & aliis dimissis primæ vxori adhærere compelli, quia Iure ciuili non licet duas vel plures vxores ducere. *l. eum qui duas. C. ad l. Iul. de adulter. §. affinitatis. vers. qui duas. instit. de nupt.* Etiam iure naturali cuiquam non licuit plures vxores habere, nisi quibus diuinâ reuelatione concessum est, vt Patriarchis & maioribus veteris Testamenti, qui ex dispensatione diuina religionis propagandæ causâ duas vxores habuere. *can. obiiciuntur.* XXXII. *qu.* IV. non sine hac publicæ honestatis obseruatione, vt seorsim quamque haberent, non in eadem domo, vt vna videretur eis vxor esse, vt scripsit Epiphan. *hæres.* LXXX. Infidelis qui pro moribus suis legitimam repudiauerit vxorem, si conuertatur ad fidem, eâ superstite non potest aliam ducere, quia repudium in Euangelio vetitum est. *can.* I. II. *& seqq.* XXXII. *qu.* VII. Gregor. Nazianzen. epist. CLXXVI. *τὸ ἀποστάσιον, ὃ τοῖς ἡμετέροις ἀπαρέσκει πάντως νόμοις, κἂν οἱ Ῥωμαίων ἑτέρως κρίνωσι. Diuortium quod legibus nostris prorsus improbatur, etiamsi Romana aliter decernant.* Augustin. Homil. XLIX. *Nec vobis fœmina habere viros licet, quorum priores vxores viuunt, adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure cœli.* Nec eam fœminam quæ discessit à marito, licet nobis ducere viuo marito. Excipe, nisi post conuersionem viri, mulier renuat habitare cum ipso, aut si consentiat non absque contumelia creatoris, vel vt eum prouocet ad peccatum, quo casu restitutionem petenti, quamuis iniustè spoliato, restitutio denegatur. Quid si post virum mulier conuertatur ad fidem, antequam ille aliam ducat vxorem, quod facere non prohibetur, eam recipere compellitur, ex *hoc ipso cap* matrimonium enim inter infideles, statim ipso iure non soluitur per baptismum alterius, sed demum si ille maluerit. *cap. prox. suprà. h. tit.*

CAPITVLVM IX.

IDEM LIVONIENSI EPISCOPO, ET EIS QVI CVM IPSO sunt fratribus.

DEvs qui Ecclesiam suam .·.·.·.·.·. Quia dispar est ritus in Liuoniensi Ecclesia de nouo ad fidem Catholicam conuersorum à nostro: propter infirmitatem gentis eiusdem concedimus, vt matrimoniis contractis cum relictis fratrum, vtantur: si tamen fratribus decedentibus sine prole, vt semen defuncti iuxta legem Mosaicam suscitarent, cum talibus contraxerunt: ne tales sibi de cætero postquam ad fidem venerint, copulent, prohibentes.

EX indulgentia seu dispensatione Innocentij III. Liuoniensibus recèns ad fidem conuersis, (Liuonia regio Septentrionalis sub Innocentio III. maximâ ex parte ad Christi fidem adducta, teste ipso Pontifice, *registr.* XVI. *epist.* CXXIV. *& seq.*) propter infirmitatem gentis concessum, vt qui fratrum relictas duxerint ante conuersionem, eas retineant, si frater decesserit sine liberis: Post receptam verò fidem non licet his vxorem ducere viduam fratris defuncti. *ex hoc cap.* Similiter ex dispensatione Pontificis in Noruegia nuptiæ permissæ inter cognatos sexto gradu. *cap. quod dilectio. de consangu. & affinit.* In Anglia ex dispensatione Gregor. I. nuptiæ permissæ inter cognatos, in quarto vel quinto gradu. *can. quadam lex.* XXXV. *qu.* II. *&* III. ne Angli neophyti, id est nouelli in fide, austeritate legis reuocarentur à proposito. *can. ad Sedem. ead. caus. qu.* V. Cùm iisdem Liuoniensibus ob eandem causam & in aliis dispensatum. *cap. Dìm qui. de vit. & honest. Cleric.* quod est pars *h. cap.*

TIT. XX. *De donationibus inter virum & vxorem, & de dote post diuortium restituenda.*

CAPITVLVM V:

INNOCENTIVS III. COMPOSTEL. ARCHIEPISCOPO, & vniuersis Episcopis in Regno Legionensi constitutis.

ET sit necesse sit: .·.·.·.·.·. Quia verò castra quædam, quæ Rex Legion. filiæ Regis Castellæ in dotem tradidisse proponitur, ita vt si eam aliquâ occasione relinqueret, ipsa cederent in ius eius: impedimentum præstare videntur huiusmodi copulæ dissoluendæ: Cùm castra ipsa non tam ob turpem, quàm ob nullam causam sint data, vtpote cùm inter eos matrimonium non existat, & ideò nec

dos, nec donatio propter nuptias. Ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnam eius potiùs retorqueri: castra ipsa restitui volumus, & ad id puellam per excommunicationis sententiam coarctari.

HÆc decretalis integra occurrit apud Innocentium III. *lib.* II. *epist.* XXXII. cui adnecte *epist.* xcii. *libr* I. eiusdem. Huius cap. species hæc est: Rex Legionensis filiæ Regis Castellæ quædam castra in dotem tradidit, id est in donationem propter nuptias? quæ dos impropriè dicitur, quòd doti opponatur, vt *hic & cap. prox. suprà. h. tit* vel dotalirium. *cap. plerumque h. tit. cap. ex parte. supra de for. compet. can. si autem.* XXXVI. *qu.* II. Robert. Montens. in Supplem. Sigeberti: *Willhelmus Rex Siciliæ fecit chartam fieri Ioanna Reginæ suæ vxori de dotalitio suo.* Gu. Brito Philipp. lib. IX.

Si mihi germanam reddis, nihilominus omne
Germanæ dotalitium mihi reddere debes.

In dotem, inquam, seu dotalitium tradidit, eâ lege, vt quocumque casu soluto matrimonio penes eum maneret. Matrimonio nullo & irrito dicto ob causam consanguinitatis, Pontifex censuit in *hoc cap.* castra dotis seu dotalitij nomine data restituenda esse viro, quasi data non tam ob turpem causam, aliàs condictio cessaret, quàm ob nullam, cùm matrimonium nullum esset, & per consequens nec dos, nec donatio propter nuptias. *l. incesta. l. dote. ff. de rit. nupt.* Dotis causâ datum, si matrimonium nollum fit, repetitur condictione sine causa dati, quasi datum non tam ob turpem, quàm nullam causam. *l. auunculo. ff. de cond. ob tu. cauf. l.* I. *C. de condict. cauf. dat. l. cum quidam. C. ad l. Iul. de adulter.* Huius decretalis meminit Rodericus Sancius *lib* III *rer. Hispanic. cap* XXXVIII. & Roderic. Tolet. lib. IX. *cap.* II. qui rem tamen gestam refert inter Henricum I. Regem Legionis & Castellæ, (quam tunc vtrumque Regnum coniunctum erat) & Maphaldam natam Regis Portugalliæ.

CAPITVLVM VI.

IDEM ARCHIDIAC. SANCTI ANDREÆ DE SCOTIA.

NVPER à nobis tua discretio requisiuit, si aliqua terra data fuerit alicui, non in hæreditatem vel feudum, sed tantùm quoad vixerit possidenda: & ipse postmodum tertiam partem vxori suæ in dotem concesserit: vtrùm eo defuncto præfatam dotem vxor (dum vixerit) habere debeat & tenere: cùm Ecclesia dotes protegere teneatur viduarum? Postulasti præterea, si qua terra data fuerit alicui, & hæredi, quem de vxore legitima procrearet, in hæreditatem vel feudum: & ipse vxori suæ quadam parte ipsius in dotem concessa, decesserit postmodum sine prole, an mulier dotem eandem de iure posset habere? Nos autem consultationi tuæ taliter respond. quòd cùm regulariter nullus plus iuris in alium transferre possit, quàm eum constet habere: vir, cui terra prædicto modo conceditur, non potest vxori relinquere, quod ei non licuit, nisi quoad vixerit, possidere: nec licet vxori suæ partem illius terræ in donationem propter nuptias ex viri concessione tenere, nisi donationi ille, ad quem spectat dominium illius terræ, voluerit consentire. Quod autem de prima consultatione dicimus, hoc respondemus etiam de secunda. Nam licèt Ecclesia in causis viduarum se fauorabilem debeat exhibere, contra iustitiam tamen non est eis fauor Ecclesiasticus concedendus. Illud verò te nolumus ignorare, quòd vxor dare dicitur viro dotem: vir autem vxori donationem facere propter nuptias, secundùm legitimas sanctiones.

SI cui prædium datum sit non in hæreditatem, id est aludium vel feudum, sed ad tempus, quoad vixerit possidendum, & ipse tertiam eiusdem fundi vxori suæ in dotem, seu donationem propter nuptias, vt subiungitur infrà in *hoc cap.* concesserit, viro demortuo, & finito vsufructu, mulier non potest tertiam partem illius fundi dotis, seu dotalitij nomine retinere, quia vir non potest plus iuris ad alium transferre, quàm ipse haberet. *l. nemo. de R. I. can. Da beatum.* I. *qu.* VII. Quòd si cui fundus datus fuerit, & hæredi eius quem legitima de vxore susceperit in hæreditatem vel feudum, & ipse partem eiusdem fundi vxori in dotalitium concesserit: viro defuncto absque liberis, mulier tenetur restituere dotalitium. Resoluto enim iure dantis, resoluitur ius accipientis. *l. lex vectigali ff. de pignorib.* Scoti ad quos pertinet hæc decretalis, vt colligitur ex ipsius inscript. quæ emissa est Abbati S. Andreæ de Scotia. tertiam bonorum mariti statuêre vxori, pro dote seu dotalitio. Quo iure vsi sunt Angli. Tabulæ Ioannis Regis apud Matth. Paris MCCXV *Assignetur autem ei pro dote sua tertia pars totius terræ mariti sui, quæ sua fuit in vita, nisi de minori dotata fuerit ad ostium Ecclesiæ.*

CAPITVLVM VII.

IDEM ARCHIEPISCOPO ET ARCHIDIACONO GENVENSI.

PER vestras literas intimastis, quòd cùm magistrum R. super quadam summa pecuniæ pro H. paupere, auctoritate nostra curaueritis conuenire: quam idem H. pro dote vxoris suæ requirebat ab eo, dictus R. exceptionem opposuit contra ipsum, quòd vxorem suam à se repulerat, & tacitâ veritate super hoc literas impetrauerat: quia cùm super eadem dote alia vice coram vestræ ciuitatis consulibus quæstio mota esset, ipsi pronuntiauerunt, vt quoniam idem H. ad inopiam vergere videbatur, dos illa non adsignaretur eidem, nisi cautionem idoneam de ipsa non peritura præstaret: vnde vos ei, vt de saluanda dote caueret, & vxorem suam reciperet, præcepistis:.·.·.·. Cùm ergo satis possit ei modicum credi dotis, cui creditum est corpus vxoris: mandamus, quatenus dotem adsignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui mercatori committi, vt de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonij sustentare: ne occasione dotis detentæ, vxor à viro dimissa, seu vir, qui dimisit vxorem, adulterij reatum incurrat.

HVIVS cap. species hæc est: Cùm R. certam pecuniam pro puella Honorio in dotem promisisset, de dote soluenda conuentus duplici exceptione vsus est: primâ, quòd vxorem à se repulisset: secundâ, quòd iudices delegati à Pontifice essent impetrati tacitâ veritate, id est tacito quòd cùm aliàs coram Consulibus Genuensibus eadem quæstio de dote disceptata esset, pronuntiatum esset, quatenus idem Honorius ad inopiam vergebat, ei dos non traderetur, nisi idoneam cautionem præstaret dotem saluam fore Quo audito iudices dati præcepere Honorio, vt de dote soluenda caueret, & vxorem suam reciperet; sed cùm Honorius non inueniret idoneum fideiussorem, consultus Pontifex rescripsit, in *hoc cap* vt dos ei assignaretur sub ea cautione quam posset præstare. Iure ciuili maritus non præstat fideiussorem dotis. *l.* 1. *&* 11. *C. ne fideiuss. dot.* Iure canonico, si maritus suspectus sit de lapsu facultatum, tenetur quidem cauere de dote, sed liberatur præstando cautionem quam potest, *ex hoc cap.* Cautio scilicet præstanda est pro viribus grauati. *l. de creationibus. C. de Episc. aud. l. vlt §. fin autem talis. C. de curat. furios.* & cùm quis fideiussorem inuenire non potest, cautio iuratoria admittitur. *auth. generaliter. C. de Episc. & Cleric.* Hoc Iure qualiscumque cautio pro dote recipitur, cùm modica dos satis possit ei credi, cui creditum est corpus vxoris. quæ ratio desumpta est *ex d. l.* 1. *&* 11. vel vt consulatur doti, pecunia deponatur apud mercatorem, vt ex parte honesti lucri quam feret vir, onera matrimonij sustineat. Marito non licet fœnerari de dote, sed permittitur pecuniam credere negotiatori, vt ex parte honesti lucri quam inde consequetur, onera matrimonij sustineat. Vsuræ dotis debentur marito propter onera matrimonij. *cap. salubriter. de vsur.* scilicet si dos ei non soluatur; sed si vir non sit soluendo. non ideo licet marito collocare dotem fœnori, sed eam deponere apud mercatorem, vt ex honesto lucro quod inde feret, id est ex parte quæstus negotiationis, se & vxorem alat.

TIT. XXI. *De secundis nuptiis.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. P. NOBILI MVLIERI.

CVM (secundùm Apostolum) mulier mortuo viro suo, ab eius sit lege soluta, & nubendi cui vult tantùm in Domino liberam habeat facultatem: non debet legalis infamiæ sustinere iacturam, quæ licèt post viri obitum intra tempus luctus (scilicet vnius anni spatium) nubat, concessâ sibi tamen ab Apostolo vtitur potestate, cùm in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros canones imitari.

IVRE ciuili mulier si nubat intra annum luctus infamis efficitur, & amittit donationem propter nuptias, & ea omnia quæ ad eam peruenerunt ex liberalitate viri. *l.* 1. *& auth. eisdem pœnis. C. de secund. nupt.* idque propter turbationem sanguinis *l. liberorum ff. de his qui not. infam.* Iure canonico mulier intra annum luctus potest nubere, absque labe infamiæ, quia soluta est à lege viri, vt in *hoc cap. & cap. prox. h. tit.* Sed hoc ius non seruatur in Gallia, nec mulier si nubat intra annum luctus, euitat pœnam legis, nisi à Principe literas impetrauit, vt intra annum luctus nubere liceat. *l. solet. ff. de his qui not. inf.*



EX LIBRO QVINTO DECRETALIVM.

TIT. I. *De accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus.*

CAPITVLVM XIV.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO BISVNTINO.

LICET in beato Petro: . . . . . Sanè cùm ex literis B. Decani Sancti Stephani, & I. & O. Canonicorum Ecclesiæ Bisuntinæ ad Apostol. Sedem audientiam peruenisset, te varia crimina commisisse, ac ab eis fuisses per easdem literas super periurio, crimine simoniæ, & incestus delatus: Clemens Papa prædecessor noster (seruatâ iudiciariâ grauitate) tibi certum terminum adsignauit, quo responsurus obiectis Apostolico te conspectui præsentares. Cùm autem iuxta tenorem citationis ad Sedem Apostolicam accessisses, nec vllus adpareret, qui te ita impeteret de prædictis: ne aliquid de contingentibus omittere videremur, ab I. & O. Archidiac. in nostra præsentia constitutis quæsiuimus diligenter, si quid super præmissis aduersus te pro se, vel aliis proponere vellent, & quod scripserant, legitimè demonstrarent: ipsi autem, quòd non proposito accusandi hæc scripserant, responderunt. Sed quia super quibusdam incorrigibilis videbaris, quædam de te Apost. Sedi duxerant intimanda: sed nuntius, qui pro literis accesserat impetrandis, mandati formam excessit. Nos igitur dictis Canonicis super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cætero eis super his accusare liceat, vel etiam infamare. Quia verò prædicti Canonici citra vinculum inscriptionis desistere voluerunt, eis de iuris permissione id non duximus imputandum. Ne autem in absolutione tua minùs canonicè procedere videamur, quamuis potiùs in odore bonæ opinionis Coepiscoporum nostrorum, quàm eorum infamia delectemur: Cabilonensi Episcopo, & Abbati de Firmitate, inquisitionem famæ tuæ duximus committendam.

HOc cap. integrum petendum est ex Innocentio III. *lib* 1. *epist.* CCLXXVI. cuius species huiusmodi est: Archiepiscopus Bisuntinus, cùm per literas Decani S. Stephani, & aliorum Canonicorum de variis criminibus, putà periurio, incestu, & simonia delatus esset apud Pontificem, & vocatus ad Sedem Apostolicam accessisset, nec accusator compareret, & Canonici interrogati, an contra ipsum quid vellent proponere, & haberent copiam probandi, quod literis scriptum erat, responderunt se non animo accusandi hæc scripsisse, sed correctionis causa, quòd super his Archiepiscopus incorrigibilis videretur: Pontifex igitur, quia prædicti Canonici ante inscriptionem ab accusatione destiterunt, eis non duxit imputandum, sed perpetuum eis silentium imposuit, ne super his de cætero eum accusare liceret, vel infamare. Ne verò minùs canonicè ageret in absolutione Archiepiscopi Cabillonensi Episcopo, & Abbati de Firmitate inquisitionem famæ mandauit; nempe vt eidem indiceretur purgatio canonica. *cap. accepimus. infrà. de purgat. canonic.* quod pertinet ad eandem speciem. Accusator non admittitur sine vinculo inscriptionis, id est nisi libello accusationis profiteatur se parem pœnam subiturum, quam reo intendat. *l. libellorum. l. si cui. ff. h. tit. l. pen. C. eod. tit. l.* XIV. *C. Th. eod. can. legum.* II. *qu.* I. *can. quisquis. ead. caus. qu.* VII. *can. accusare.* III. *qu.* IX. *can. in criminalibus.* V. *qu.* III. Symmach. lib. X. epist. LXX. *Quid habeat conditionis inscriptio nostis præ cæteris: prouisum est enim ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem priùs pœnæ sponsione vinciret.* Ante inscriptionem accusator potest impunè ab accusatione desistere. *l. miles. ant. §. socer. ff. ad l. Iul. de adulter. can si quis iratus. can. si quem.* II. *qu* III. & ideo Pontifex hoc loco Canonicos Bisuntinos admisit, vt ab accusatione desisterent, quòd ad eam accessissent sine libello inscriptionis. Secùs in ciuilibus qui semel actionem proposuit, instante reo cogitur litem ad finem perducere. *Auth. qui semel. C. quomod. & quand. index.*

CAPITVLVM XV.

IDEM SALESBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

VENIENS ad Sedem Apostolicam A. Pragensis Canonicus contra Pragensem Episcopum inter alia proposuit coram nobis, quòd cùm esset filius Sacerdotis,

in Eccleſiam fuerat Pragen. intruſus: & contra eiuſdem Eccleſiæ priuilegium homagium Duci Bohemiæ præſtitiſſet, ſic ſubiiciens Pragenſem Eccleſiam ſeruituti ..:..:..:. Vnde prædictum Epiſcopum ad feſtum Reſurrectionis Dominicæ peremptoriè nos meminimus citauiſſe. Idem verò ad ſuam excuſationem viarum diſcrimina, conſecrationem chriſmatis imminentem, & quòd filius Bohemiæ Principis eſſet per ipſum baptizandus, tunc temporis per nuntios & literas allegauit. Licèt autem excuſationes huiuſmodi (ſicut erant) friuolas æſtimantes, ipſum reputauimus contumacem: nec procuratores eius in cauſa poſſemus recipere criminali: eis tamen conceſſimus auditores, vt ſi poſſent, illum aliquatenus excuſarent. Cúmque prædictus A. coram eis repetiiſſet obiecta, fuit ex aduerſo reſponſum, quòd cùm olim ſuper hoc ad Magdeburgenſem Archiepiſcopum literæ fuerant impetratæ: idem A. in obiectorum ſe videns probatione deficere, ad pedes eius ſe humiliter proſternens, veniam poſtulauit: & quòd aduerſus eum calumnioſè proceſſerat, eſt confeſſus. Cæterùm cùm ſuper hoc mandato ſtare eiuſdem Archiepiſcopi iurauiſſet: ipſe præcepit eidem, ſub debito præſtiti iuramenti, vt contra eundem Epiſcopum de cætero proponere talia non auderet. Cùm igitur nobis ex ipſius A. confeſſione conſtaret ipſum iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe, ac tale recepiſſe mandatum; ſuper impetitione dicti Epiſcopi ſilentium ei duximus imponendum: propter contumáciam tamen eidem Epiſcopo canonicam purgationem propter infamiam indicentes.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt: Pragenſis Epiſcopus à Canonico ipſius Eccleſiæ delatus apud Pontificem, quòd cùm eſſet filius Sacerdotis in Pragenſem Eccleſiam eſſet intruſus, & contra eiuſdem Eccleſiæ libertatem Duci Bohemiæ (ſubinde Bohemiæ Reges Ducum tantùm nomine vſi ſunt, tamquam regni decus non homini, ſed prouinciæ datum eſſet: Æneas Sylu. in Bohem. *cap.* XXIV & Paul. Langius *in Chronic. Citizenſ.*) homagium præſtitiſſet, hoc pacto Pragenſi Eccleſiâ in ſeruitutem redactâ, & eo nomine vocatus ad Sedem Apoſtolicam iudicio defuiſſet, & per nuntium abſentiam excuſaſſet propter viarum diſcrimina, & imminentem confectionem chriſmatis, & quòd natus Bohemiæ Principis per ipſum eſſet baptizandus. Licèt huiuſmodi excuſationes repulſæ fuerint tamquam friuolæ, nec procurator eius audiendus eſſet in cauſâ criminali: eidem tamen datus auditor, coram quo per procuratorem abſentiam excuſaret. In criminalibus cauſis procurator non auditur, neque ad agendum, neque ad defendendum. *l. pen.* §. I. *ff. de public. iudic. can. qui accuſare. can. abſente, can. abſens.* III. *qu.* IX. *can. in criminalibus.* V. *qu.* III. *cap. tua. ſuprà. de procurat.* Ad excuſandam abſentiam rei non repellitur procurator. *d. l. pen. can. reos.* XXIII. *qu.* V. *cap. cùm dilecti. ſuprà. de dolo & contumac.* Coram auditore dato cùm reus excepiſſet, quòd olim ab eodem conuentus de iiſdem criminibus coram Magdeburgenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis delegato, de quo idem Innocent. *lib* I. *epiſt.* XVIII. idem iuratus, ab accuſatione deſtitit, id confitente etiam ipſo Canonico, ſuper accuſatione Archiepiſcopi ſilentium ei duxit imponendum. Qui ſemel accuſationem remiſit non poteſt eam repetere. *l. accuſationem. C. de his qui accuſ. can. ſi illic.* XXIII. *qu.* IV. maximè ſi iuratus. *c. p. quemadmodum. de iureiur.* Propter contumaciam tamen eidem Archiepiſcopo citatio, & propter infamiam purgatio canonica indicitur hîc. Ex quacumque cauſa in ius vocatus, venire debet, ſiue iure, ſiue iniuriâ citetur, aliàs coërcetur, vt contumax. *l.* II. *ff. ſi quis in ius vocat.*

CAPITVLVM XVI.

IDEM PRIORI SANCTI FRIDIANI, ET MAGISTRO B. Canonico Piſano.

SVPER his, de quibus nos conſulere voluiſtis, inquiſit. veſtræ breuiter reſpondemus, quòd tribus modis valet crimen opponi, denuntiando, excipiendo, & accuſando. Quando crimen in modum denuntiationis opponitur, non eſt inſcriptio neceſſaria; ſed cùm in modum accuſationis, oportet inſcribi, quoniam ad depoſitionem inſtituitur accuſatio, ſed ad correctionem eſt denuntiatio facienda. Cùm autem excipiendo fuerit crimen obiectum, diſtinguendum eſt, quare opponatur, & quando. Si autem obiicitur, vt ab accuſatione vel teſtificatione aliquis repellatur, non eſt inſcribi neceſſe: ſed cùm opponitur, vt quis à promotione officij, vel beneficij excludatur, ſi ante confirmationem obiicitur, non cogitur quiſquam inſcribere: quia crimen hoc modo probatum, impedit promouendum: ſed non

deiicit iam promotum. Post confirmationem verò, cùm scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus, quia etiam ab obtinendo repellit, & deiicit ab obtento, ad extraordinariam pœnam, secundùm arbitrium Iudicis discreti, citra vinculum inscriptionis, est excipiens adstringendus, si defecerit in probando: pro eo quòd crimine sic probato, perdit quod per electionem & confirmationem ei fuerat adquisitum: sed ob hoc priùs habita non amittit. Licèt enim agatur de crimine, non est tamen huiusmodi quæstio criminalis: vnde per procuratorem potest ritè tractari.

TRIBVS modis crimen opponitur, per accusationem, denuntiationem vel exceptionem. Accusatio hoc differt à denuntiatione, quòd accusationem inscriptio præcedere debet, vt *hic. & cap. qualiter & quando. infrà. h. tit. cap. licet Hely. de simon. can. qui accusare. III. qu. IX. l. III. C. h. tit.* quoniam accusatio instituitur ad depositionem. *d. cap. qualiter & quando & d. cap. licet Hely.* In denontiatione inscriptio non est necessaria, quia vindictam & pœnam non persequitur, sed correctionem, ex *hoc cap. & cap. qualiter. infrà. h. tit. d. cap. qualiter & quando, & d. cap. licet Hely & cap. nouit. de iudic.* Ideóque denuntiationem præcedere debet monitio *cap. II. cap. cùm dilectus. d. cap. qualiter, & quando. h. tit. & d. cap. licet Hely.* Cùm crimen obiicitur per exceptionem interest, scire, cur & quando opponatur, si enim obiiciatur excipiendo, vt ab accusatione quis repellatur, quia criminosus accusare non potest. *cap. I. cap. nullis. h. tit. can. si quis. can. querendum II. qu. VII. l. I. C. de his qui accus. non. poss.* Gregor. Nazianz. epist. LXI. ὡς ἂν τὸν νόμον φυλάξω δικαστηρίων, ἀπολογήσομαι πρότερον, εἶτα κατηγορήσω. *Verùm vt seruem legem iudiciorum, priùs me innocentabo, tum accusabo.* In accusatione vel denuntiatione per exceptionem, inscriptione opus non est. Cùm verò crimen per exceptionem opponitur, vt à promotione officij, vel beneficij quis excludatur, si ante confirmationem obiicitur, non cogitur quisquam se inscribere, quia crimen hoc modo obiectum impedit promouendum, etiam in alijs dignitatibus, seu beneficijs postmodum acquirendis. *cap. super eo. de elect.* sed non deiicit iam promotum. Post confirmationem verò, cùm quis ordinandus fuerit, aut consecrandus, quia crimen per exceptionem obiectum & probatum, etiam ab obtinendo repellit, & deiicit ab obtento, excipiens de crimine si in probatione defecerit, extra ordinem punitur arbitrio iudicis. Vbi certa pœna statuta non est à lege, relinquitur arbitrio iudicis. *cap. de caus. de offic. d. l. gat.* & ab huiusmodi pœna appellari potest: secùs à pœna dicta à lege. *l. si qua pœna. ff. de V. S.* & tunc crimen opponitur per exceptionem citra vinculum inscriptionis, quia sic probato crimine electus & confirmatus amittit quod per electionem & confirmationem ei erat quæsitum, sed ob id priùs obtenta non amittit. In obiectione criminis per exceptionem inscriptio non desideratur, quia licèt agatur de crimine, non est tamen huiusmodi actio criminalis; vnde per procuratorem potest institui, ex *hoc cap. & cap. tue. de procurat.*

CAPITVLVM XVII.

IDEM VERCEL. EPISCOPO, ET ABBATI DE TILETO.

QVALITER & quando: .:.:.:. Si circa Nouarien. Episcopum debitum inquisitionis ordinem obseruâstis: discretionem vestram in Domino commendamus. Si verò qualiber occasione prætermisistis eundem, adhuc ipsum tempore opportuno volumus obseruari: ne inde nascantur iniuriæ, vnde iura nascuntur. Ideóque mandamus, quatenus ad conscientiæ vestræ iudicium recurrentes, si contra præscriptum ordinem tanquam homines excessistis: non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis vt aliorum corrigatis errores: quoniam apud iudicem districtum, in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis: ita videlicet vt inueniatis occasionem aliquam congruentem, per quam ne vestra vilescat auctoritas: quanto cautiùs & prudentiùs poteritis, supersedeatis ad præsens: quoniam ex his, quæ inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi. Si verò præscriptum ordinem custodistis, omni gratia & timore postpositis, Deum solum habentes præ oculis, viâ regiâ incedentes, sine personarum acceptione in negotio procedatis. Formam vero iuramenti, quam à Clericis Nouariens. super inquisitione facienda in hoc negotio recepistis, in similibus volumus obseruari: vt videlicet iurent Clerici, quòd super his, quæ sciunt vel credunt esse in sua Ecclesia reformanda, tam in capite, quàm in membris (exceptis occultis criminibus) meram & plenam dicant inquisitoribus veritatem.

REGVLARITER nemo sine accusatore damnandus est. *l. Diuus. ff. de custod. reor. l. rescripto. §. si quis accusatorem. de muner. & honor. cap. I. h. tit.* Tertull. ad Scapul. *Pudens etiam missum ad se Christianum, in elogio concussione eius intellecta dimisit scisso eodem elogio, sine accu-*

satore negant, se auditurum hominem secundùm mandatum. Ammian. lib. XIV. *Nec vox accusatoris vlla licèt subditi, in his malorum quærebatur acernis, vt saltem specie tenus crimina præscriptis legum committerentur.* Idem infrà eod. libr. *Quúmque pertinaciùs vt legum gnarus accusatorem flagitaret, atque solemnia.* Wlcatius in Cassio. *Non possumus reum facere, quem nullus accusat.* Ambros. epist. LXV. *Si leges publicas interrogemus accusatorem exigunt.* & idem epist. LXXI. de muliere quam Christus dimisit deficiente accusatore: *Dimittitur mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur.* Iudex tamen iure magistratus, seu ex officio de grauioribus criminibus potest inquirere. *l. si quis in hoc. C. de Episc. & Cleric.* & hoc est genus inquisitionis, de quo agitur in hoc *cap. inquisitioni. cap. qualiter & quando infrà h. tit. cap. licèt Hely. de simon. cap. quoniam. §. sunt & aly. suprà. vt lit. non contestat.* Inquisitio est hîc quæstio de crimine, quæ fit per iudicem ex officio sine accusatore, vel denuntiatore, quam Dominus exemplo probauit, cùm dixit in causa primorum parentum, *descendam & videbo.* & hoc est proprium officium iudicis inquirere de criminibus; vnde olim iudicium inquisitio vocabatur, & præfecti iodiciorum criminalium quæstores, vel quæsitores. *cap. forus. infrà. de V. S.* Inquisitio non fit in occultis, vel leuibus criminibus, sed in grauioribus & publicis, de quibus quis laborat infamia. *ex hoc cap. & d. cap. inquisitioni. & d. cap. qualiter & quando. cap. cùm oporteat. h. tit.* In his iudex inquirit, non tamquam idem sit actor & iudex, sed quasi denuntiante famâ, & deferente clamore, vt *hic in antiq. & d. cap. qualiter & quando.* & per clamosam insinuationem, quæ vicem accusationis, vel denuntiationis obtinet. *d. cap. licet Hely.* Vbi iudex de crimine cognoscit per inquisitionem, testes audire debet per se, non per alium. *auth. apud. C. de fid. instrum* & in inquisitione testes non audiuntur nisi iurati, ex *hoc cap* In ciuilibus iudex potest inquirere, & audire testes per se, vel per missum, *auth. ad. hac. C. de iudic. can. Episcopus in Synodo.* XXXV. *qu.* VI. In notoriis etiam iudex per inquisitionem procedit nemine accusante, ne scelera maneant impunita. *cap. euidentia. h. tit. & d. cap. licet Hely.*

CAPITVLVM XVIII.

IDEM ARCHIEPISCOPO ARELATENSI, ET VALLIS magnæ Abbati.

CVM dilecti filij Cisterc. Abbas, & P. & R. Monachi Fontis-Frigidi Apostol. Sedis Legati ad Ecclesiam Agathen. accessissent, vt in ea Legationis officium exercerent, quia de Agathensi Episcopo per frequentem clamorem multa sibi fuerant insinuata sinistra: voluerunt descendere ac videre, si clamorem opere compleuisset: ..:..:.. Quia verò nobis non constitit, sub qua forma Episcopus cum Canonicis Agathen. coram dictis Legatis præstiterit iuramentum, vtrùm videlicet ita iurauerit, vt super statu Ecclesiæ plenam & meram diceret veritatem, an vt ad inquisita veraciter responderet; Mandamus, quatenus eisdem Legatis ex parte nostra mandetis, vt sub quâ formâ iuramentum præstiterit, studeant fideliter intimare. Et si secundùm responsionem eorum sub secunda forma iurauerit: aut ipse sufficienter probauerit, se sub illa forma iurasse, aut per depositiones testium, quos produxit, aut etiam aliorum: cùm depositiones illæ non fuerint publicatæ, nec productioni testium renuntiare curauerit: quoniam secundùm eandem non tenetetur ex debito iuramenti, nisi ad inquisita solummodò respondere, vos excusationes suas audire curetis. Et si eas probauerit, cùm excusationes huiusmodi confessiones eius non perimant, sed exponant, quæ tales sunt vt ad bonum & malum valeant retorqueri, & ideo iudicari debent ex causa, eum sublato appellationis obstaculo absoluatis: cùm etsi repertus sit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen & pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, huiusmodi leuis culpa leuiter ei valeat indulgeri. Quòd si excusationes illas super dilapidatione, naufragio, & simonia probare nequiuerit, aut sub prima forma iurauerit: cùm secundùm eandem nec veritatem tacere, nec admiscere debuerit falsitatem: vos (non obstantibus excusationibus, quas de nouo proposuit; cùm in confessionibus suis nullam omnino de illis fecerit mentionem: quamuis firmiter adseruerit, quòd plures ex illis Legatis prædictis exposuit, cùm hoc per se probare non posset, tanquam qui solus examinabatur ab illis) eum ab administratione Agathen. Ecclesiæ remouere curetis.

HVIVS cap. species hæc est: Cùm Abbas Cisterciensis, & Petrus de Castronouo, & Radulfus Monachi Fontis-Frigidi diœcesis Narbonensis Cisterciensis Ordinis, Legati Sedis Apostolicæ in prouincia Narbonensi aduersus Albigenses, de quibus Petrus Vallis-Sernens. *inst. histor.*

Legationis causâ accessissent ad Agathensem Ecclesiam, vt cognoscerent de variis Agathensis Episcopi criminibus, per frequentem clamorem sibi insinuatis, purâ dilapidatione, naufragio, & simonia, tam Episcopus quàm Canonici, præstito iureiurando coram prædictis Legatis respondêre, & Episcopus ipse de obiectis confessus est. Posteà consultior factus, coram Legatis excusationes proposuit aduersus confessa: primùm se excusauit de dilapidatione, quòd res essent alienatæ æris alieni Ecclesiæ soluendi causâ, quæ erat iusta causa alienationis. *can. hoc ius. x. qu.* III. II. idem se excusauit de naufragio, non vt glossa nimis suauiter credidit, quòd res naufragio amissas collegisset, vt eas restitueret dominis; sed quòd Episcopus intenderet se habere ius naufragij, id est ius retinendi res naufragio amissas, suo in littore expositas: quo iure eâ ætate vtebantur multi optimates in Gallia; nec non Germani & Itali in ditione Imperij ex consuetudine. Quod ius explosum est constitut. Friderici II. *auth. nauigia. C. de furt.* & antè variis Conciliis. *cap. excommunicationi. infra. de raptor.* Gregor. VII. *lib.* V. *epist.* XIV Hildebert. Cenom. *epist.* LXV. Tertiò idem se excusauit de simonia, quòd insciens quempiam ordinasset per simoniam, ad præsentationem fortè Archidiaconi, vel alterius, qui eo nomine receperat pecuniam. *cap. ex tuæ. infrà. de simon.* Sed quia Legati, huiusmodi excusationes reiicerent, quòd non fuissent propositæ in ipsa confessione, quòd Episcopus simpliciter confessus esset de dilapidatione, naufragio, & simonia, eo quòd coram Legatis iurasset plenam & meram dicere veritatem: Re delatâ ad Sedem Apostolicam, quia non constabat liquidò, quâ formâ iuratum esset, videlicet an plenam & meram dicere veritatem, an respondere tantùm ad inquisita, Legatis mandauit Pontifex per Arelatensem Archiepiscopum & Vallis-magnæ Abbatem, vt referrent quânam formâ iurasset Episcopus: ita vt si sub secunda forma iurasset respondere, scilicet tantùm ad interrogata, aut Episcopus ipse hoc probaret per testes, vt audirent excusationes Episcopi super confessis, & si eas probaret, illum absoluerent: cùm excusationes huiusmodi confessionem non perimant, sed exponant. Declaratio quæ ius nouum non tribuit, sed datum declarat, potest fieri quandocumque. *l. heredes palam. §. I. ff. qui testam. cap. pastoralis. §. vlt. de testam.* & ideo huiusmodi excusationes iudicari debent ex causa, id est, interpretandæ sunt non sine causæ cognitione. *l. §. præterea. ff. de quæstionib.* & ita visum Pontifici, quòd etsi Episcopus in quibusdam culpabilis repertus fuerit, ex labore & pudore quem incurrit satis punitus sit. Vltrò confessus mitiùs punitur; quia contumacia cumulat pœnam. *l. relegati. ff. de pœn. cap. quoniam. §. in aliis. suprà. vt lit. non contestat.* In delictis vltronea confessio est pars maior pœnæ, seu pœnitentiæ, ob pudorem quem suffundit. Ambros. II. de Caïn & Abel: *Est quædam in peccatis verecundia, & pænitentia portio crimen fateri, nec dorinare culpam, sed recognoscere: mitigat iudicem pudor reorum.* & si diutino tempore quis in reatu fuerit, pœna eius subleuatur. *l. si diutino ff. de pœn.* Quòd si Episcopus excusationes probare nequiuerit, aut sub prima forma iurauerit, plenam sc. & meram dicere veritatem, vt reiectis excusationibus, quas de nouo proposuit, ab administratione Ecclesiæ remoueatur. Confessus de dilapidatione tamquam proprio iudicio damnatus remouetur ab administratione Ecclesiæ. Pœna dilapidationis est remotio ab administratione, vt quis puniatur in quo peccauit. *cap. vlt. infrà. h. tit. cap. venerabili. suprà. de offic. delegat.* Matth. Paris ad ann. MCCXIII. *Cùmque ad Westmonasterium peruenisset,* (loquitur de Nicolao Tusculano Episcopo & Apostolicæ Sedis Legato in Anglia) *Willelmum Abbatem dilapidationis, & incontinentia à Monachis suis accusatum illico degradauit.* Episcopus etiam ex confessione damnatur de simonia, ex *hoc cap.* quia cùm occultè committatur simonia, & difficilis sit eius probatio, probatur ex confessione rei, & pœna simoniæ est priuatio beneficij.

Capitvlvm XIX.

IDEM ARCHIEPISCOPO TARRACONEN. ET ABBATI SANCTÆ Mariæ de Populeto, & Archidiacono Barbinon.

CVm oporteat Episcopum :·.·.·.·. Sanè venientibus ad Apostolicam Sedem G. & H. Canonicis Vicen. & multa enormia contra Vicen. Episcopum proponentibus coram nobis: quia illa non debebamus sub dissimulatione transire, vobis inquisitionem illorum duximus committendam. Verùm dictus Episcopus, antequam ad ipsum vestra citatio peruenisset: ad præsentiam nostram accedens proposuit, quòd illi, qui enormia de ipso suggesserant, typo malitiæ potiùs, quàm iustitiæ zelo ducti nobis huiusmodi intimarunt; cùm ipsi eius sint inimici manifesti, & cum eius hostibus conuersentur, consanguineósque suos ac complices intendant ad testificandum producere contra ipsum, qui ad denuntiandum, seu testificandum admitti non debent, vtpote iuramenti præstiti transgressores, & aliis criminibus irretiti :·.·.·.·. Discretioni vestræ mandamus, quòd nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem illorum non subitò procedatis. Quòd si ad inquisitionem fuerit procedendum, prædictos vel alios, quos ipsius esse constiterit inimicos, nec ad prosequendam inquisitionem, nec ad perhibendum

bendum testimonium contra ipsum Episcopum admittatis: sed per viros idoneos super his, quæ gesta sunt, inquiratis diligentiùs veritatem. Et si nihil graue probatum fuerit contra ipsum: vos purgationem canonicam indicatis eidem.

HVIVSCE cap. species hæc est: Canonicis Vicensibus, sic velim legas pro Vicentinis. Vicus est vrbs Episcopalis suffraganea Metropolis Tarraconensis, olim Ausona Lucæ Tudensi, & aliis. Vicensibus, inquam, Canonicis multa enormia denuntiantibus contra Episcopum, inquisitio rei à Pontifice demandata est Tarraconensi Episcopo, qui est Metropolitanus, & Abbati S. Mariæ de Populeto, id nomen Monasterio quod insigne fuit monumento Regum Arragonum, de quo Hieronym. Blanca *in commentar. rer. Arragonens.* Episcopus priusquam citaretur apud iudices datos, accedens ad Pontificem, proposuit non esse audiendos contra ipsum huiusmodi denuntiatores, quòd essent manifesti inimici, & cum eius hostibus conuersarentur. Inimici accusatores vel testes non audiuntur. *l. 1. §. præterea. ff. de quæstionib.* Ambros. epist. LXV. *Duobus & tribus testibus stat omne verbum; sed illis testibus, qui ante hesternum, vel nudiustercius non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci velint, &c.* Igitur inquisitoribus datis mandauit Pontifex, ne inquisitio fieret aduersus Episcopum, nisi constaret famam ipsius læsam esse super delatis. Inquisitio non fit, nisi contra infamatum. *vt hic & cap. qualiter. cap. inquisitionis. cap. qualiter & quando. infrà. h. tit.* & si placuerit per inquisitionem procedi contra Episcopum, in eum non audiuntur, nisi testes idonei, id est omni exceptione maiores. *can. Sacerdotes.* II. *qu.* VII. nec damnatur Episcopus, nisi testimonio LXXII. testium. *can. Præsul. & seq.* II. *qu.* IV. Et si nihil graue probatum fuerit, ei purgatio canonica indicitur, ex *hoc cap.* famæ & existimationis scilicet purgandæ gratiâ.

CAPITVLVM XX.

IDEM.

CVM dilectus filius :·.·.·.·. Si vobis constiterit prædictos, quorum nomine sunt excessus huiusmodi de Episcopo nuntiati: publicè concubinarios tunc fuisse, propter quod in eos fuit excommunicationis sententia promulgata, vel præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, vel ipsos conspirasse in eum, à denuntiatione repellatis eosdem: alioquin audiatis, quæ fuerunt hinc inde proposita. Eidem Episcopo auctoritate nostra nihilo minus prohibentes, ne super his, super quibus ad audientiam nostram fuerit legitimè adpellatum, præfatos Clericos indebitè grauare præsumat: donec causa supradicta iuxta formam mandati nostri fuerit terminata.

DENVNTIATORES non admittuntur aduersus Episcopum publici concubinarij, & conspiratores, vt ostenditur in *hoc cap. & can. conspiratores.* III. *qu.* IV. *can.* 1. IV. *qu.* 1. Conspiratores dicuntur Clerici vel Monachi, qui conuenticula clanculum faciunt aduersus Episcopum, & hoc est quod dicitur crimen conspirationis Græcis ἑταιρίας σύγκλημα Synod. Calched. *can.* XVIII. *can. coniurationum. & seq.* XI. *qu.* 1. Synod. VI. in Trull. *can.* XXXIV. & Wormat. *can.* LXXIV. Ad denuntiandum non admittitur publicus concubinarius, quia suspensus est ab executione ordinis. *can. præter.* XXXII. *dist.* A denuntiatione repelluntur & qui non præmonuerunt: denuntiationem præcedere debet monitio, quia non persequitur pœnam, & vindictam, sed correctionem, vt *hic & cap. qualiter. cap. qualiter & quando. infrà. h. tit.*

CAPITVLVM XXI.

IDEM EPISCOPO GEBERNENSI.

INQVISITIONIS negotium, quam de Episcopo & Canonicis Valentinensibus vobis commisimus terminandam.: .·.·.·. Secundò quæsiuistis, quid vobis sit statuendum, si contra quempiam per inquisitionem probatum fuerit tale crimen, quod deponeret accusatum criminaliter & conuictum. In quo quidem duximus distinguendum, vtrùm sit tale crimen, quod ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficij etiam post peractam pœnitentiam impediret: putà si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordinem aut beneficium vitio simoniæ: quo casu erit sicut in accusationis iudicio procedendum: alioquin secundùm personæ merita, & qualitatem excessus, pœnam poterit iudicantis discretio moderari.

VBI proceditur per inquisitionem, si probatum fuerit tale crimen quod deponeret accusatum criminaliter & conuictum, si tale crimen est quod impediret executionem suscepti ordinis, vel retentionem beneficij etiam post peractam pœnitentiam, putà homicidij, aut simoniæ commissæ ordinis vel beneficij adipiscendi causâ, hoc casu procedendum est sicut in accusationis iudicio, id est pœna statuitur, quæ dicta est à lege, vel canone, aliàs pœna imponitur arbitrio iudicis pro meritis personæ, & qualitate delicti, vt proponitur initio *h. cap.* Non obstat *cap. dilectus. II. infrà. de simon.* vbi si quis damnetur de simonia per viam accusationis, deponitur; quòd si per viam inquisitionis, deportatur in arctius Monasterium pœnitentiæ causâ quia: hoc speciale est in regularibus, qui mitiùs puniuntur de simonia commissa pro introitu Monasterij, ob consuetudinem quæ inoleuerat, vt vix Monachi reciperentur sine pretio, & ob multitudinem eorum, qui hoc pacto recepti erant. *cap. non satis. eod. tit.*

TERTIÆ dubitationis articulus continebat, vtrùm cùm duo vel plures iurati, adfirmant aliquem crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo aliquâ infamiâ non laboret: aliquam illi pœnam infligere debeatis. Et vtrùm ad petitionem quorumdam quasdam schedulas vobis occultè tradentium infamationem Episcopi continentes, sit ad inquisitionem eorum, quæ in ipsis continentur schedulis, procedendum. Et an fides eorum dictis debeat adhiberi, qui post iuramentum interrogati secretò, vtrùm sint eorum, de quibus inquiritur, inimici, respondent, quòd non diligunt illos, vel directè inimicos se adserunt eorundem, aut etiam ante iuramentum id publicè confitentur: nullas tamen inimicitiarum causas probabiles ostendentes. Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliquâ non laborat infamiâ, seu clamosa insinuatio non processerit, propter dicta huiusmodi puniendum: quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cùm inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam. Aut etiam aduersus eos, contra quos fit inquisitio, fides adhibenda est dictis eorum, qui post iuramentum vel ante, tacitè vel expresè inimicos se adserunt eorundem, nisi forsan ante iuramentum in fraudem id facere præsumantur.

INQVISITIO non fit de crimine, super quo non præcedat infamia & clamosa insinuatio, id est clamor populi ex quo oritur infamia facti non iuris, vt *hic, & cap. qualiter. cap. cùm oporteat. cap qualiter & quando. h. tit.* Nec fit inquisitio ad preces eorum, qui schedulam seu libellum famosum clam porrigunt ex *hoc §.* Excommunicantur qui libellos famosos clam spargunt. *can. I. II. & III. V. qu. I.* & Iure ciuili damnari ob carmen famosum sunt infames & intestabiles. *l. ob carmen. ff. de testib l. V. §. si quis librum. de iniur.* Tranquill. in Domitian. cap. VIII. *Scripta famosa vulgóque edita, quibus primores viri, ac fœmina notabantur aboleuit, non sine auctorum ignominia.*

QVÆSIVISTI etiam, quid statui debeat, si nihil per certam scientiam, sed tantùm per famam, & eorum, qui fuerint inquisiti, credulitatem iuratam, contigerit inueniri. Et vtrùm aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo vel tres, vel etiam plures dixerint infamatum: licèt de ipso nihil sinistri in publico audiatur. Ad quod est nostra responsio, quòd propter famam & deponentium credulitatem duntaxat non erit ad depositionis sententiam procedendum: sed infamato canonica poterit indici purgatio, secundùm arbitrium iudicantis: qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cuius apud bonos & graues læsa opinio non existit.

IN inquisitione facienda testes de fama & auditu crimen non probant, ad hoc vt aliquis deponatur; sed infamato canonica purgatio indicitur, *ex hoc §.* In criminalibus testes de auditu non valent, in criminalibus probationes debent esse luce clariores. *l. singuli. C. de accus. l. cum reis. C. de pœn. l. vlt. C. de probat.* quæ refertur *in can. sciant cuncti. II. qu. VIII.*

CAPITVLVM XXII.

IDEM EPISCOPO ET DECANO SALVATENSI.

AD petitionem Galteri quondam Corbiensis Abbatis, R. & P. Canonicis Nouiomensibus à nobis dudum correctione commissa: . . . . Verùm dilectus filius

G. sanctæ Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis tunc Apostolicæ Sedis Legatus dicto G. præsente, nec reclamante, super statu Monasterij cœpit inquirere diligenter: & cùm inquisitione finitâ eum Parisius euocasset, propositurum contra inquisitionem eandem si quid rationabiliter duceret proponendum: idem præsentiam eius adiens, allegauit, quòd in Monasterij correctione procedere non valebat, quæ prædictis iudicibus priùs fuerat auctoritate nostrâ commissa: & Cardinalem ipsum ex iustis causis se asserens habere suspectum, vocem ad nos appellationis emisit: quem Cardinalis (inspectis, quæ probata fuerant contra eum) amouit à regimine Abbatiæ, dando fratribus eiusdem loci liberam facultatem alium eligendi, qui Priorem de Argentolio elegerunt concorditer in Abbatem: .·.·.·.·. Cùm igitur nobis de talibus fuerit facta fides, propter quæ præfatus G. erat meritò amouendus, etsi restituendus foret propter iudiciarium ordinem non seruatum, ipsum prouidimus manere priuatum regimine Abbatiæ: supradictum Priorem (pro eo quòd præfato G. propter iuris ordinem non seruatum inordinatè remoto, intelleximus ob eandem causam per consequentiam minùs legitimè substitutum) per sententiam amouentes: quem quia non propter personæ vitium, vel scientiæ defectum, sed propter iuris solemnitatem prætermissam amouimus, ipsum postmodum restituimus in Abbatem.

HANC decretalem integram pete ex Innocentio III. *regist.* XIII. *epist.* I. cuius species hæc est: Precibus Galteri Abbatis Corbiensis correctione Monasterij R. & P. Canonicis Nouiomensibus demandatâ, Gualo tum Apostolicæ Sedis Legatus in Gallia, de cuius Legatione Rigord. in Philippo A. Abbate præsente, nec reclamante, de statu Monasterij cœpit inquirere: Et inquisitione factâ eùm Abbatem Parisius euocasset, propositurum exceptiones, si quas haberet contra inquisitionem: idem Abbas accedens ad Legatum allegauit, quòd in causa ei se interponere non liceret quæ aliis iudicibus priùs demandata erat à Pontifice. Legatus etiam à latere non potest se immiscere causæ specialiter alteri mandatæ. *cap. studuisti. de offic. legat.* quia mandatum speciale derogat generali, vt ibidem subiicitur, & totus ordo confunditur, si sua cuique iurisdictio non seruetur. *can. ecce.* XCIX *dist. can. peruenit.* XI. *qu.* I. Causâ cognitâ Legatus Abbatem amouit à regimine Abbatiæ, non obstante ipsius appellatione, datâ Monachis potestate alium eligendi, à quibus Prior de Argentolio concorditer electus est in Abbatem. Pontifex re ad se delatâ, etsi Abbas non ritè, id est non seruato iuris ordine depositus esset, quia erat depositus ex iusta causa, depositionis sententiam confirmauit, & substitutum amouit, quia non ritè electus erat, sed quia electio nulla erat & irrita, non vitio personæ, vel defectu scientiæ, sed ob prætermissum iuris ordinem, mox Pontifex ipsum restituit in Abbatem. Electio semel cassata à Pontifice ob spretum iuris ordinem, ab eodem statim potest restitui de gratia, quia Pontifex exemplo Principis non tenetur seruare iuris ordinem. *l. Princeps. ff. de legib. l. vnic. C. quand. Imp. int. pupill. auth. sed & lis. C. de temp. appellat.* De quibusdam causis Princeps cognoscebat extra ordinem, id est misso iuris ordine. Tranquill. in Claud. cap. XV. *Alium interpellatum ab aduersariis de propria lite negantémque cognitionis rem, sed ordinarij iuris esse, agere causam confestim apud se coëgit.* & hæc sunt quæ cognitionis dicebantur, vt & in inscriptione. *l. vlt. ff. ad Trebellian. & l. vlt. de hered. instit.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM.

ACCEDENS ad præsentiam nostram G. nepos quondam H. Subdiaconi nostri suâ nobis conquestione monstrauit, quòd cùm idem H. apud Sedem Apostolicam viam vniuersæ carnis ingressus fuisset, præbendam, quam decedens habuerat in Ecclesia Cremonensi, ei duximus conferendam: .·.·.·.·. Mandamus, quatenus nisi præfatus G. super obiectis eidem in modum exceptionis criminibus, videlicet periurio & homicidio, publicè fuerit infamatus: concessionem nostram sibi factam executioni mandetis. Deinde si legitimus accusator apparuerit, audiatis, quæ fuerint hinc inde proposita: & si prædicta crimina vel eorum aliquod legitimè probatum fuerit contra eum, ipsi super eadem præbenda silentium imponatis. Si verò contra eum legitimus non apparuerit accusator, & ipse super prædictis criminibus dignoscitur respersus infamia, purgationem ei canonicam indicatis: in qua si defecerit, imponatis ei silentium. Si autem purgationem præstiterit: contradictores ab eius molestia compescentes, eos qui eum nisi sunt impedire, in expensis legitimis condemnetis.

PRÆBENDA Cremonensis Ecclesiæ vacante in Curia morte H. Subdiaconi Sedis Apostolicæ, ea à Pontifice ad quem spectabat collatio, collata est G. nepoti defuncti, cui cùm mittendus esset in possessionem per executores Pontificios, à Capitulo per exceptionem obiecta sunt crimina periurij & homicidij: periurus & homicida sunt incapaces beneficij, vt colligitur ex *hoc cap. & cap. ex literis. de excess. Prælat.* Re perlatâ ad se Pontifex rescripsit, vt Pontificia præbendæ collatio executioni mandaretur, nisi prædictus G. esset infamatus de obiectis criminibus. Exceptio criminis non impedit executionem collationis beneficij, nisi is cui collatum est sit publicè infamatus. *cap. cùm dilectus. de ordin. cogn.* Quòd si post adeptionem possessionis accusator appareat, audiendus sit; & accusatore deficiente, si idem laboret infamia super prædictis criminibus, ei purgatio canonica indicatur.

CAPITVLVM XXIV.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

QVALITER & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris & noui Testamenti colligitur euidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones: sicut olim apertè distinximus, & nunc sacri approbatione Concilij confirmamus. Legitur enim in Euangelio, quòd villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audiuit ab illo, Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris ampliùs villicare. Et in Genesi Dominus ait, Descendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Ex quibus auctoritatibus manifestè probatur, quòd non solùm cùm subditus, verùm etiam cùm Prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis & maledicis, sed à prouidis & honestis, non semel tantùm, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat; debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentiùs perscrutari, vt (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam idem sit accusator & iudex, sed quasi denuntiante famâ vel deferente clamore officij sui debitum exequatur. Licèt autem hoc sit obseruandum in subditis: diligentiùs tamen est obseruandum in Prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam. Et quia non possunt omnibus complacere: cùm ex officio suo teneantur non solùm arguere, sed etiam increpare: quinetiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare: frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres prouidè statuerunt, vt accusatio Prælatorum non facilè admittatur, ne concussis columnis, corruat ædificium: nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solùm falsæ, sed etiam malignæ criminationi ianua præcludatur. Verùm ita voluerunt prouidere Prælatis ne criminarentur iniustè, vt tamen cauerent, ne delinquerent insolenter: contra morbum vtrumque inuenientes medicinam congruam: videlicet vt criminalis accusatio, quæ ad deminutionem capitis, id est, degradationem intendirur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cùm super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, vt iam clamor ascendat, qui diutiùs sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum & puniendum eius excessus non ex odij fomite, sed caritatis procedatur affectu: quatenus si fuerit grauis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoueatur omnino: quod est secundùm sententiam Euangelicam à villicatione villicum amoueri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. Debet igitur esse præsens is, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentauerit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi se ipsum: & non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (vt quid & à quo sit dictum appareat) publicanda, necnon exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ: ne per suppressionem nominum, infamandi: per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum, audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus tanto diligentiùs debet Prælatus adsurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos, vt de no-

totiis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum: tamen vt diligens adhibeatur omnibus cautela, ne forte per leue compendium ad graue dispendium veniatur: sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denuntiationem caritatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire: illo semper adhibito modetamine, vt iuxta formam iudicij, sententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem contra regulares personas non credimus vsquequaque seruandum, quæ (cùm causa requirit) faciliùs & liberiùs à suis possunt administrationibus amoueri.

SVPERIOR ex officio inquirere debet contra subditos & Prælatos de excessibus illorum, vbi clamor & fama ad eum peruenit, non tanquam idem sit accusator & iudex, sed quasi denuntiante famâ & deferente clamore; & hoc diligentiùs seruandum est in Prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, vt eleganter ait Pontifex in *hoc cap.* id est expositi sunt odijs, & insidiis priuatorum. I. Chrysostom. de Sacerdot. lib. v. *ἀνάγκη τὸν ἐπίσκοπον μυρίας ὑπομένειν ἀλόγους, necesse est antistitem absurdas querelas sustinere.* Qua de causa laïcis non licet accusare Episcopos, quia oppidò eis quidam infesti existunt. *can. laicos. can. laici.* II. *qu.* VIII. & accusatio Episcoporum non est facilè recipienda. *can. accusatio. ead. caus. qu.* VII. Accusatio criminalis, quæ intenditur ad deminutionem capitis, seu degradationem, non admittitur nisi præcedat inscriptio. Inquisitio ex officio fit sine inscriptione, quia non intenditur ad degradationem, sed ad correctionem, cuius causâ etsi quis non degradetur, remouetur ab administratione. Remotio ab administratione non excedit modum correctionis, *vt hic & cap. inquisitionis. suprà. h. tit.* Inquisitio debet fieri contra præsentem, nisi per contumaciam absit: & in inquisitione dicta & nomina testium publicanda sunt, necnon exceptiones, seu obiectus admittuntur aduersus testes, ne his infamandi vel falsum deponendi licentia præbeatur, ex *hoc cap.* Olim inquisitio de vita & moribus iudicum legendorum fiebat secretò & per parietes, id est intra ædes priuatas. Plin. lib. XXIX cap. I. *Decuria*, inquit, *pro more censuris principum examinantur, inquisitio per parietes agitur.* Sicut accusationem præcedere debet inscriptio, sic & denuntiationem caritatiua monitio, & inquisitionem clamosa insinuatio, id est diffamatio: sed hæc ratio non vsquequaque seruatur in regularibus, qui faciliùs & liberiùs à suis administrationibus amouentur, vt additur in fine *h. cap.* Ob leuiores culpas Abbas potest remoueri ab administratione. *cap. per tuas. infrà. de simon.* Mitiùs agitur cum sæculari quàm cum regulari, quia districtius est munus Monachorum, quàm Clericorum. *can. Monachus. can. alia causa.* XVI. *qu.* I.

CAPITVLVM XXV.

IDEM IN EODEM.

SICVT olim à sanctis Patribus noscitur institutum: Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis prouincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maximè quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, relegentes, vt eas faciant obseruari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Vt autem id valeat efficaciùs adimpleri, per singulas diœceses statuant personas idoneas, prouidas videlicet & honestas, quæ per totum annum simpliciter & de plano absque vlla iurisdictione solicitè inuestigent, quæ correctione vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & suffraganeos & alios in Concilio subsequenti, vt super his & aliis (prout vtilitati & honestati congruerit) prouidà deliberatione procedant: & quæ statuerint, faciant obseruari: publicaturi ea in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, à sui executione officij suspendatur.

CONCILIVM prouinciale iterum quotannis Metropolitanus cum suffraganeis totius prouinciæ celebrare debet, Conc. Nicæn. *can.* V. Antiochen. *can.* XX. Calched. *can.* XIX. *can. habeatur. can. propter can. peruenit.* XVIII. *dist.* Postea semel quotannis Concilium prouinciale celebrari placuit. Synod. VI. in Trull. *can.* VIII. Synod. VII *can.* VI. *can. quoniam. ead. dist.* Quod repetitum est in Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. quo sancitum, vt Concilium prouinciale cogatur singulis annis pro corrigendis excessibus, & reformandis moribus, præsertim in Clero, ex *hoc cap. & cap. graue nimis. de præbend.* Concilij prouincialis est disponere res totius prouinciæ: ita cautum in Synodo Constantinopolit. Socrat. lib. V. cap. VIII. *ἔδοξε δὲ, ὥστε εἰ χρεία καλέσοι τὰ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν, ἵνα ἡ τῆς ἐπαρχίας σύνοδος διοικῇ. Itémque statuerunt, vt si vsus*

postularet, vt cuiusque prouinciæ Concilium prouinciale dispensaret. & ita seruatum in Gallia, Gregor. Tur. lib. IX cap. XX. *Sed iuxta consuetudinem canonum placebat gloriosissimo nepoti vestro, vt vnusquisque Metropolitanus cum prouincialibus suis coniungeretur, & tunc quæ irrationabiliter in regione propria fiebant, sanctione Sacerdotali emendarentur.* Ex Concilio Lateranensi in huiusmodi Concilio prouinciali inquisitio fieri debet aduersus Prælatos, qui affectu carnis & sanguinis, non idoneis personis beneficia conferunt. *d. cap. graue nimis.* Ex eodem etiam Conc. vt huiusmodi Concilium efficaciùs prosit correctioni morum, Metropolitanus per singulas diœceses debet statuere viros idoneos & probos, qui per totum annum simpliciter & de plano absque vlla iurisdictione inquirant, de his quæ emendatione vel reformatione egeant, & ea fideliter referant in proximo Concilio. Et huiusmodi inquisitores iidem sunt, qui testes Synodales dicti. *cap. præterea. suprà. de testib. cogend.* quia non habent iurisdictionem, sed nudam inquisitionem & relationem. *can. Episcopus in Synodo.* XXXV. *qu.* VI. Et statuta in Synodo prouinciali edita publicanda sunt in Episcopalibus Synodis, quæ annuatim celebrandæ sunt per singulas diœceses, vt *hîc & can decernimus.* XVIII. *dist.* Non omittendum, ad Concilium prouinciale vocari oportere, non modò prouinciales Episcopos, sed etiam Capitula cathedralium Ecclesiarum. *cap. vlt. de maiorit. & obedient. cap. vlt. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* quod antè statuit Synodus Tarraconensis I. *can.* XIII. *Epistolæ tales per fratres à Metropolitano sunt dirigendæ, vt non solùm è cathedralis Ecclesiæ Presbyteris, verùm etiam ad Concilium trahant, & aliquos de filiis Ecclesiæ sæcularibus adducere debeant.*

TIT. III. *De simonia, & ne aliquid pro spirit. exig. vel promittatur.*

CAPITVLVM XXIX.

INNOCENTIVS III. ABBATI DE IVGO DEI, ET PRIORI DE SILLA.

SVAM nobis parœciani de Villa-Franca querimoniam destinarunt, quòd Capellanus eorum pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium minùs licitè pecuniam ab eis exigit, & extorquet : . . . . . . Discretioni vestræ mandamus, quatenus dictum Capellanum, vt à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciat competenter, moneatis : sibi (si obedire noluerit) pœnam canonicam infligentes.

CAPITVLVM XLII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

AD Apostolicam audientiam frequenti relatione peruenit, quòd quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium & similibus, pecuniam exigunt & extorquent : & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtrà verò quidam laïci laudabilem consuetudinem, erga sanctam Ecclesiam piâ deuotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his, prauas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus obseruari : statuentes, vt liberè conferantur Ecclesiastica sacramenta ; sed per Episcopum loci veritate cognitâ compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

PRIOR decretalis integra extat apud Innocentium III. *lib.* I. *epist.* CCXXIX. Huius species hæc est : Parochiani Villæ-Francæ, id nomen oppido diœcesis Lugdunensis, in tractu Belliiocensi, conquesti sunt, quòd Capellanus eorum, id est Parochus, vt in *can. questa. vers. Capellanos.* XII *qu* II. quo sensu & Capellæ appellatione continetur Ecclesia parochialis. *cap. nobis. de iur. patron.* pro exequiis mortuorum & benedictione nubentium exactitaret ; mandauit Pontifex Abbati de Iugo Dei, & Priori de Seillin, (Monast. de Iugo Dei haud procul Villæ-Francæ oppido fundatum à Guichardo de Belloioco, ex Paradino) vt moneatur Presbyter à tanta præsumptione desistere, ac nisi pareat, canonica eidem pœna infligatur. Pro benedictione nubentium, & collatione aliorum Sacramentorum vetatur quidpiam exigi, quia Sacramenta Ecclesiastica gratis conferenda sunt, vt *hîc & cap. cùm in Ecclesiæ. suprà. h. tit. can. nullus. can. quidquid. & seq.* I. *qu.* I. Nec excusat consuetudo, quæ dicenda est potiùs corruptela, quàm consuetudo. *d cap. cùm in Ecclesiæ can dictum est. can. statuimus* I. *qu.* I. Non obstante consuetudine vetantur prauæ exactiones, sed piæ consuetudines non arcentur, ex *hoc cap. ad Apostolicam.* id est oblationes, quæ vltrò fiunt : quædam enim tametsi honestè accipiuntur, inhonestè tamen petuntur. *l.* I. *§. preiudr.*

ff. de extraord. cognit Auctor serm. ad fratres in erem. serm XXXVII. *Nam si sacramentum dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non minister Christi es, sed mercator. Spontanea & sincera voluntate porrige Sacramenta, nihil petendo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando, sed si tibi datur, recipis iuste, possidere potes.* Ita & pro funeribus mortuorum nihil exigere licet, nec ferenda consuetudo, quæ non minuit peccatum, sed auget, vt hic, & *cap. non satis supra h. tit.* Pro sepultura, inquam, nihil exigendum, ne venalis videatur Ecclesia, aut de funeribus gratulari, si de his quæratur compendium. *can. quæsta. can. in Ecclesiastico.* XIII. *qu.* II. Synod. Meldens. *can.* LXXII. Damnatur consuetudo Montis-pessulani, quæ inualuerat ne priùs effoderetur sepultura, quàm pro solo in quo condendus erat mortuus pretium penderetur. *cap. pen. suprà. de sepultur.* A plebe camelo traductus Georgius pseudo-Episcopus Alexandrinus, quòd lecticariorum ad efferenda mortuorum cadauera certum numerum instituisset, ita vt non aliorum operâ mortuos efferre liceret, peregrinos maximè; atque ita ex vnoquoque cadauere quæstum faceret, Epiphan. *hæres.* LXXVI.

CAPITVLVM XXX.

IDEM CANTVARIEN. ARCHIEPISCOPO.

DILECTVS filius A. nuntius tuus pro parte tua proposuit, quòd cùm Cantuar. diœcesim visitans, in Monasteriis & Religiosis locis pullulasse repereris simoniacam prauitatem, ita quòd in eis multi pretio sunt recepti, qui potiùs gratis recipi debuissent, imò etiam ad religionis obseruantiam inuitari. Dubitas igitur, an quia multitudo reperitur in causa, seueritati sit aliquid detrahendum? Nos inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si aduersus eos, qui labe fuerint huiusmodi maculati, accusatio coram te fuerit canonicè instituta, postquam crimen ordine fuerit iudiciario patefactum, tam in dantes, quàm in recipientes canonicæ seueritatis exerceas vltionem. Quòd si de hoc tibi per solam inquisitionem constiterit: eos, qui per simoniacam prauitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos, ad agendam pœnitentiam ad Monasteria dirigas arctiora. Abbatibus autem & Abbatissis, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & Officialibus eorumdem iniungas pœnitentiam competentem: & donec illam peregerint, eos à sacrorum ordinum executione suspendas: iniungens Episcopis tuis, vt hanc formam per suas diœceses studeant obseruare. Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.

PRo receptione Monachi quicquam pecuniæ exigi vetatur. *can. nullus Abbas.* I. *qu.* II. *Synod. VII can.* XIX. *cap. non satis. suprà h. tit. cap.* II. *de stat. Monach.* Et si quid eo nomine exigatur, datur condictio. *cap. veniens. infrà. h. tit.* Tamen si quid vltro offeratur, nihil vetat recipi, vt definitur in calce *h. cap.* cuius species hæc est. Cùm Archiepiscopus Cantuariensis diœcesim lustrando comperisset in Monasteriis & aliis locis Religiosis, quamplures non sine pretio receptos, consuluit Pontificem, an pœna canonis esset temperanda ob multitudinem, quæ erat in causa, id est in huiusmodi reatu. Pontificem monebat quòd de rigore canonis aliquid remittendum videbatur, ob multitudinem noxiorum. *can. non potest.* XXIII. *qu.* IV. Licèt Iure ciuili quædam crimina grauiùs plectuntur, quoties nimium multis grassantibus exemplo opus sit. *l. aut facta. in fin. ff. de pœn.* Consultus Pontifex respondit, quòd si crimen simoniæ obiectum sit per accusationem, in vtrumque, id est dantem & accipientem canonicæ seueritatis vltio distringatur: quòd si per inquisitionem, receptus per simoniam, pœnitentiæ causâ detrudatur in arctius Monasterium, & interim ab executione ordinum suspendatur. Neque obstat *cap. inquisitionis. suprà. de accusat.* vbi si quis de simonia conuictus sit per inquisitionem, ita proceditur ac in accusationis iudicio, quia hoc de cap. speciale est in regularibus, qui mitiùs puniuntur hoc casu ob consuetudinem & multitudinem delinquentium.

CAPITVLVM XXXI.

IDEM PRIORI SANCTI VICTORIS, MAGSITRIS I. BONONIENSI & L. Moldicensi Canonicis.

LIcet Heli Summus Sacerdos in se bonus existeret: quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit, dum filiis eius in bello peremptis, ipse de sella corruens, fractis ceruicibus, expirauit. Ad corrigendos igitur subditorum excessus,

tanto diligentiùs debet Prælatus adsurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos (vt de notoriis excessibus taceatur) etsi tribus modis procedi possit, per accusationem videlicet, denuntiationem, & inquisitionem ipsorum: vt tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, sicut accusationem legitimam præcedere debet inscriptio, sic & denuntiationem caritatiua correctio, & inquisitionem clamosa debet insinuatio præuenire. Descendam (inquit Dominus) & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Tunc enim clamor peruenit ad Prælatum, cùm per publicam famam, aut insinuationem freqnentem subditorum sibi referuntur excessus: & tunc debet descendere & videre, id est, mittere & inquirere, vtrùm clamorem, qui venit, veritas comitetur. Nam iuxta canonicas sanctiones, si quid de quocumque Clerico ad aures Prælati peruenerit, quod eum iustè possit offendere: non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita: sed coram Ecclesiæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda: vt si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tanquam sit idem accusator & iudex: sed quasi famâ deferente, vel denuntiante clamore, sui officij debitum exequatur: eo semper adhibito moderamine, vt iuxta iudicij formam, sententiæ quoque forma dictetur. Cùm igitur de Abbate Pomposiano ea nobis frequenter insinuata fuissent, quæ ab honestate regulari nimiùm dissonabant, Monachis ad præsentiam nostram accedentibus, quidam ex ipsis nobis ipsum de simonia, periurio, dilapidatione, ac insufficientia detulerunt. Contra quos cùm idem Abbas exciperet quòd denuntiationem huiusmodi fraterna correctio secundùm regulam Euangelicam non præcesserat: & iidem constanter adsererent, quòd correctionem huiusmodi præmisissent: Licèt ad probandum hoc duorum Monachorum iuramenta fuissent exhibita: quia tamen super hoc ipsi nondum contendere desistebant: nos, vt prædiximus, frequentibus clamoribus excitati, ex officio nostro voluimus inquirere de præmissis, omnes Monachos, qui vel cum ipso, vel contra ipsum accesserant, iuramenti vinculo adstringentes, vt de propositis plenam, quam scirent, exponerent veritatem: quorum depositiones cùm in scripturis redactæ, publicatæ fuissent, super illis cœperunt multiplicirer disputare: quia verò tum ex adsertione Monachorum, tum ex ipsius Abbatis confessione cognouimus, quòd idem non modicam summam pecuniæ relictam à prædecessore suo expenderat, & in alia summa maiori Monasterium obligarat: nos eum quasi de dilapidatione suspectum ab administratione Abbatiæ duximus suspendendum: & quia simonia multis modis contra ipsum Abbatem videbatur esse probata: ipse contra testes multas exceptiones opposuit, super quibus fuerat multipliciter disputatum, aliis adserentibus in crimine simoniæ, sicut in crimine læsæ Maiestatis omnes indifferenter, tam infames, quàm criminosos, non solùm ad accusandum, sed etiam ad testificandum admittendos: cùm ad instar publici criminis & læsæ Maiestatis procedat accusatio simoniæ: aliis è contrario respondentibus, quòd licèt hæc duo crimina quantum ad accusationem, quasi paria iudicentur, differunt tamen in multis: cùm alia pœna pro vno, & alia pro altero inferatur: & inter personas accusatorum, & testium sit vtique distinguendum: cùm non per accusatores, sed testes crimina comprobentur. Ne verò vel innocentiæ puritas confusâ succumberet, vel simoniæ prauitas effugeret impunita: nos æquitate pensatâ illas dumtaxat exceptiones oppositas probandas admisimus, quæ probatæ non de zelo iustitiæ, sed de malignitatis fomite procedere viderentur.

CAPITVLVM XXXI.

IDEM.

PER tuas literas nobis intimasti, te dubitare super quadam epistola decretali, quam nos adseris edidisse de testibus admittendis contra simoniacam prauitatem. Noueris igitur, quòd nos illam epistolam, quæ sic incipit, Quamuis ad abolendam, nequaquam edidimus: sed aliam, quæ sic incipit, Licèt Heli. nos edidisse

fatemur

fatemur: ad cuius intelligentiam credimus distinguendum, vtrùm is, contra quem agitur de simoniaca prauitate, denuntietur simpliciter, aut criminaliter accusetur: & vtrùm agatur secundùm iuris rigorem, aut secundùm temperantiam æquitatis. Item vtrùm ipse sit regularis, qui iam renuntiauerit mundo; an sæcularis, qui adhuc in mundo existit, & an inferioris gradus, an excellentioris sit dignitatis. Ad hæc vtrùm antè fuisset claræ opinionis, & bonæ famæ: an grauiter infamatus, & valdè suspectus: & vtrùm de facili possit puniri, an sine scandalo nequeat condemnari. Prætereà vtrùm testes sint honesti, an criminosi: & an sint emendati de crimine, an adhuc in crimine perseuerent. Rursus si crimina sint eadem vel minora, an paria vel maiora: vtrúmve testes ex zelo iustitiæ, an ex malignitatis fomite deposuisse credantur. Denique vtrùm ad prauitatem simoniacam detegendam sola dicta testium inducantur, an alia etiam adminicula suffragentur. Hæc omnia sunt ad intelligentiam illius epistolæ distinguenda. Ille quidem Pomposianus Abbas, qui iampridem renuntiauit mundo, erat de simonia, periurio, dilapidatione ac insufficientia grauiter infamatus. Cúmque per Monachos, qui iurauerant perhibere testimonium veritati, simonia multis modis videretur esse probata: ipso contra testes multas exceptiones opposuit, conspirationes videlicet, inimicitias capitales, furtum & adulterium, vt eos à testimonio remoueret. Nos verò (ne innocentiæ puritas confusa succumberet: vel simoniæ prauitas effugeret impunita) illas dumtaxat exceptiones probandas admisimus, quibus fortè probatis testes, non zelo iustitiæ, sed malignitatis fomite processisse constaret, vt conspirationes, & inimicitias capitales: cæteras autem exceptiones, vt furti, adulterij, propter immanitatem hæresis simoniacæ (ad cuius comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur) duximus repellendas: quoniam etsi probatæ fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen euacuarent ex toto, aliis adminiculis suffragantibus, præsertim cùm testes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra talem taliter duximus admittendos: non secundùm rigorem iuris, sed secundùm temperantiam æquitatis, cùm ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine: sed ciuiliter, vt ab administratione amoueretur tanquam immeritus & damnosus. Et vtique tales Prælati ex leuioribus causis possunt ab administrationibus amoueri, sicut quorundam religiosorum adprobara consuetudo deposcit. Vnde prædictus Abbas non expectatâ sententiâ, quasi malè conscius sibi, cessit.

CVM Abbas Pomposianus denuntiatus fuisset apud Pontificem de simonia, periurio, dilapidatione, insufficientia seu imperitia, & idem Abbas tueretur se hac exceptione, quòd denuntiationem fraterna monitio, & correctio non præcessisset, & iidem Monachi constanter assererent, correctionem non esse omissam, & duo è Monachis iureiurando interposito idem affirmarent. Hac de re Pontifex ex officio inquirendum duxit, & quia ex depositionibus Monachorum; Monachi scilicet testes audiuntur in causis Monasterij. *cap. tuis quæstionibus. suprà. de test. b.* maximè deficientibus aliis testibus. *cap. etsi Christus. de iureiurand.* & confessione ipsius Abbatis cognouit Pontifex, cum non modicam pecuniæ quantitatem à decessore relictam consumpsisse, & graue æs alienum contraxisse, eum ab administratione Abbatiæ tamquam suspectum de dilapidatione amouit. Et quia crimen simoniæ videbatur probatum, & idem Abbas varias contra testes exceptiones opponebat, super quo grauis oriebatur disputatio, aliis asserentibus in crimine simoniæ, sicut & læsæ maiestatis, etiam infames & criminosos ad accusandum & testificandum admitti. Sicut in crimine maiestatis etiam non idonei testes admittuntur, putà serui aduersus dominum. *l. pen. C. qui accus. non poss. l. VII. C. ad l. Iul. Maiest.* quia vt ait Tertull. Apolog. cap. II. *in reos maiestatis omnis homo miles est.* In crimine quoque simoniæ quilibet testis admittitur. *cap. si dominus. h. tit.* putà seruus aduersus dominum, criminosus vel etiam famosus vt meretrix. *cap. tanta. h. tit.* Iuo Carnotens. epist. XXVII. *Præterea secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ aliter agitur contra simoniacam & Neophytorum heresim, quàm aduersus cætera crimina; nam cùm in aliis accusationibus accusatorum & testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur.* Et hoc est quod innuit Gregor. IX. in *cap. vlt. suprà de test. b.* cùm ait reum postulatum non admitti in testem, nisi in exceptis criminibus, quæ non alia sunt quàm simoniæ, & læsæ maiestatis, adeóque etiam intercessor seu mediator simoniæ in testem auditur, *cap. 1. eod. tit. in VI.* Aliis è contrario contendentibus, quòd licèt hæc duo crimina quantum ad accusationem paria iudicentur, in multis tamen differunt, cùm non eâdem pœnâ plectantur, & multum intersit inter testem & accusatorem, cùm crimen non probetur per accusatorem, sed per testem. Ne verò innocentia per calumniam labefactetur, vel simonia impunis elabatur, Pontifex huiusmodi tantùm exceptiones recipiendas ait in crimine simoniæ, quibus probatis liqueret testes, non

zelo iustitiæ, sed maligno spiritu deposuisse, quæ est summa *h. cap. licèt Hely*. id est in crimine simoniæ, non alias admitti exceptiones contra testes quàm inimicitiarum capitalium vel conspirationis, vt explanatur in *cap. per tuas.* quod est veluti commentarius prioris cap. Inimici testes non audiuntur, quòd eorum fides suspecta sit, *non.* xc. *cap.* vii. Hac exceptione vsus est Athaoasius aduersus Eusebium & suos. Socrates lib. 1. cap. xxi. καὶ πρῶτον μὲν τοὺς περὶ Εὐσέβιον ὡς ἐχθροὺς παραγράφεται, φάσκων μὴ δεῖν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν κρίνεσθαι. *Ac primum Eusebium cum suis, vt hostes reiecit, non debere iudicium ab aduersariis exerceri ait.* Aliæ exceptiones putà furti vel adulterij non admittuntur in crimine simoniæ, in odium simoniacæ hæresis, vt additur in eodem *cap. per tuas*. Simonia est hæresis. *can. quicunque. can. cùm liqueat.* 1. *qu.* 1. *can. vlt. ead. caus. qu.* vii. Quod dictum est in *cap. licèt Hely* etiam infames & criminosos testes admitti in crimine simoniæ, dummodo ooo sint inimici, intelligendum est si de crimine simoniæ agatur ciuiliter, vt ab administratione amoueantur, non criminaliter ad depositionem, & si agatur in regularem, non in sæcularem. Prælatus regularis ex leuioribus causis potest amoueri ab administratione, sicut quorumdam religiosorum approbata consuetudo deposcit, vt additur in *fin. h. cap.* & idem probatur *cap. qualiter & quando. suprà. cap. prox.*

CAPITVLVM XXXIII.

IDEM ABBATI IEMBLACENSI.

SICVT tuis literis intimasti, cùm in Iemblacensi Ecclesia fueris Monachus, fuisti tandem promotus ad regimen Ecclesiæ Florinensis. Verùm Abbate Iemblacensi pòst sublato de medio: ipsa quæ priùs te filium habuerat, in patrem per electionem canonicam te vocauit: & quia pastore carebat Leodiensis Ecclesia cathedralis, ad Colonien. Ecclesiam (quæ tua est metropolis) proficiscens, ipsius auctoritate in Iemblacensi Ecclesia interim ministrasti. Cæterùm postquam in Leodiensi Ecclesia fuit Episcopus institutus, is à te requisitus electionem de te factam noluit confirmare. Verùm cùm hæc fieri pro extorquenda pecunia comperisses: sub interminatione anathematis vetuisti, ne pro facto huiusmodi aliqua pecunia offerretur. Sed quidam de fratribus te inconsulto & ignorante contra excommunicationis à te factæ sententiam venientes, promiserunt pecuniam, & etiam exoluerunt: & sic ab Episcopo inuitatus, institutionem ab eo accepisti liberè, quemadmodum postulabas:.:.:.:.:. Quamuis autem secundùm sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur: quia tamen longè diuersum est non præbere consensum, & expressè aliquid prohibere: taliter duximus respondendum, quoniam ex eo, quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam, & exoluit, præsertim cùm is nulla sit tibi consanguinitate coniunctus, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam (sicut credimus) imputari, nisi postea consenseris, pecuniam soluendo promissam, aut reddendo solutam: alioquin contingeret, quòd alicuius factum insidias inimico parantis ei damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Illos autem qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt: in tantum constat esse culpabiles, quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, (quæ non iudicat de occultis) pœnâ essent canonicâ feriendi.

HVIVS cap. quod integrum legitur apud Innocentium III. *lib.* 11. *epist.* clix. species hæc est: Vacante Monasterio Iemblacensi quod à Vicberto viro oobili fundatum in diœcesi Leodiensi, Sigeberto *ad ann.* dcccccxi. & Tritemio *in Chronic. Hirsang. ad ann.* dcccccciv. Monachi in Abbatem elegere quemdam Abbatem Florinensem, olim Monachum Iemblacensem. Electus Abbas, quia tum fortè vacabat Leodiensis Ecclesia, adiit Colonieosem Archiepiscopum, qui est Metropolitanus, & ipsius auctoritate in Iemblacensi Ecclesia interim ministrauit; postea electo Leodiensi Episcopo, cui nomen fuit Albertus à Knick, ex Ægidio aureæ Vallis *in ipsius vit.* idem ab eo quæsiuit, vt confirmaret electionem suam, à quo repulsus cùm intelligeret pro confirmatione posci pecuniam, sub interminatione anathematis vetuit, ne quis è suis Monachis eo nomine offerret pecuniam: Nihilominus quidam Monachi, inconsulto & ignorante Abbate, spretâ excommunicationis interminatione, certam pecuniæ quantitatem numerarunt Episcopo, & tum Abbas inuitatus ab Episcopo, institutionem seu benedictionem ab eo liberè accepit. Re cognitâ Abbas consuluit Pontificem an Abbatiâ sibi cedendum esset, ob simoniam à Monachis admissam. Rescripsit Pontifex in *hoc cap.* quòd etsi liberi impuberes, qui inscientes vitio parentum per simoniam beneficia adepti sunt, illis renuntiare tenentur: quod sumptum est ex *can. præsentium.* 1. *qu.* v. *& cap. ex insinuatione. h. tit.* quia tamen longè aliud est non præbere assensum, ac oominatim

intercedere, seu contradicere, factum eorum qui eo inuito & ignorante pecuniam dedere, haud ei obesse, quia dolus alterius non debet mihi nocere. *l. non debet. de R. I.* De simonia meritò notatur hic Albertus Leodiensis Episcopus, quàm enim malè audierit hac de labe, nimiùm signat eius epitaphium apud Ægid. *in eius vit. cap.* XCVII. vbi cognominatur Albertus Giezy, quòd esset comparandus Giezy seruo Helizei, qui ob simoniam leprâ percussus est. Benedictio Abbatis Iemblacensis pertinebat ad Leodiensem Episcopum, quia benedictio Abbatum spectat ad diœcesanum Episcopum. *cap. 1 de suppl. neglig. Prælat. cap. cùm contingat. de ætat. & qualit. præfic. cap. meminimus. de accusat.* Syn. VII. *can.* XIV. *can. quoniam* LXIX. *dist.* quam minùs necessariam existimauit Iuo Carnot. *epist.* LXXIII. & LXXXVIII. Vacante Ecclesia Leodiensi, non iniuriâ Abbas Iemblacensis adiit Metropolitanum benedictionis quærendæ gratiâ, quia vacante Ecclesiâ suffraganeâ, Metropolitanus gerit vices Episcopi. *can. conquestus.* IX. *qu.* III. Neque obstat quòd vacante Sede Episcopali Capitulum confirmat electiones. *cap. his quæ. cap. cùm olim. de maior. & obed.* Confirmatio enim electionis rectè pertinet ad Capitulum, quia est iurisdictionis: at benedictio Abbatum non transit ad Capitulum, quia est ordinis. *d. can. quoniam.* atque ita sede vacante deuoluitur ad Metropolitanum propter insufficientiam Capituli.

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM DECANO BELVACENSI.

TVA nos duxit discretio consulendos: . . . . . . Deuotioni tuæ t. respond. quòd si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, vt illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: huiusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ: cùm in talibus omnis pactio aut conuentio cessare debeat, iuxta canonicas sanctiones. Si verò purè ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, & vt in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici eiusdem Ecclesiæ purè consentiant: huiusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ prauitatis. Licèt autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare: si tamen is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, vt per temporalia bona quæ offert, spiritualia valeat adipisci: & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille, quàm isti apud districtum iudicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles iudicantur.

SI quis Clericus se & sua offerat Ecclesiæ, sub pacto, & conditione, vt in Canonicum admittatur, & postmodum eadem sibi retineat pro præbenda, huiusmodi receptio vel oblatio non caret vitio simoniæ; quia in spiritualibus omnis pactio, seu conditio abesse debet *can. quàm pio.* I. *qu.* II. *cap. vlt. de pact.* Quòd si purè & sine conditione idem bona sua offerat Ecclesiæ, & postea supplex rogitet Capitulum, vt in Canonicum admittatur, & bonis suis vti frui liceat vice præbendæ, tunc simonia non contrahitur, vt à Decano Beluacensi consultus Pontifex rescripsit in *hoc cap.* Episcopi & Clerici tempore electionis vel ordinationis solebant se & sua offerre Ecclesiæ, vt alio loco me obseruasse memini; & arguitur typhus quorumdam Clericorum, qui se iactant propter huiusmodi oblationem, & aliis insultant, Syn. VII. *can.* V. Ne ab his qui Monasterium ingrediuntur, pecuniæ oblatæ recipiantur, ne de his quæ Monasterio obtulerint efferantur, præcipit Cassian. I.V. *de instit. cœnob. cap.* IV. Si quis verò eo animo se & sua offerat Ecclesiæ, vt per temporalia quæ offert spiritualia adipiscatur, non aliter eum recepturis Canonicis, tam ille quàm isti culpabiles iudicantur, id est simoniaci vel quasi. Simonia committitur, si quid pro obtinendo beneficio promittatur, vel præstetur etiam in pios vsus, putà in fabricam Ecclesiæ, sustentationem pauperum, vel donaria Ecclesiæ. *can. ex multis.* I. *qu.* III. Simoniacum est si quid recipiatur vel exigatur ex pacto, pro collatione beneficij. Oblata vltrò post collationem vel ordinationem non inducunt simoniam, quia non sunt merces muneris, sed oblatio. *can. sicut Episcopum.* I. *qu.* II. gratis accipitur, gratis oblatum. *cap. constitutus. de Relig. domib.* Sed si quis res suas offerat Ecclesiæ eo animo, vt per temporalia prouocet donationem spiritualium, tunc simoniæ, vel quasi tenetur; quia duplex est simonia, mentalis & conuentionalis, conuentionalis committitur interposito pacto, mentalis quæ committitur sine pacto præcedente solo affectu animi, quæ non inducit irregularitatem, nec depositionem, sed per solam pœnitentiam abolетur. *cap. vlt. infrà. h. tit.* Eâdem ratione pronum est dicere simoniam committi, si capellaola condatur; seu dotetur animo permutandi cum beneficio Ecclesiastico, quia temporale datur Ecclesiæ, non alio animo & affectu quàm assequendi beneficium: & qui dat Ecclesiæ res suas, vt ex permutatione vel alia via perueniat ad beneficium, non donat sed fœneratur: huiusmodi donatio non est propriè donatio, sed fœnus, & negotiatio: inhonesta est donatio vel remissio

debiti, etiam quæ fit hæreditatis captandæ gratiâ, id est spe futuræ successionis: nec datur condictio dati, spe elusa. *l. si materes. C. de transact.* Nec excusat quòd eo pacto pinguior, & melior fit conditio Ecclesiæ, quia Ecclesia non quærit commoda temporalia, sed salutem animarum: caritas non quætit, quæ sua sunt; & ita Pontifices optimi rerum arbitri huiusmodi fondationibus Capellarum modum imposuere, *si non fiant animo permutandi.* Præterea quo iure Patronus potest retinere res donatas animo permutandi cum beneficio Ecclesiastico, cùm Patronus qui semel obtulit res suas Ecclesiæ, nequeat vllam potestatem retinere in rebus donatis. *can. sic quidam. can. decretum. can. nouerint. X. qu. I.*

CAPITVLVM XXXV.

IDEM PRIORI CARTVSIENSI.

PER tuas literas intimasti, quòd cùm B. in quadam domo Cartusiensis Ordinis suscepisset habitum monachalem, à diœces. Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus: sed postmodum didicit ex relatione quorumdam, quòd Episcopus multoriens commiserat vitium simoniæ: propter quod idem Monachus in suscepto formidat ordine ministrare, nolens ab eodem Episcopo ad superiores ordines promoueri: .·.·.·.·. Nos igitur respondemus, vt idem in ordine sic suscepto securè ministret: sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne fortè ædificet ad gehennam: licèt ex eo, quòd conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem huiusmodi sit collapsus: quam vtique non euadet, nisi deponat errorem.

HVIVS cap. species hæc est. Cùm B. in quadam domo Ordinis Cartusiensis esset professus, à diœcesano Episcopo ordioatus est in Subdiaconnm. Ordioatio regularium spectat ad Episcopum diœcesanum, id est ad Episcopum in cuius diœcesi situm est Monasterium, in quo iidem professi sunt, vel io quo deguot. *cap. cùm nullus. de temp. ordin. can. si quis de alterius.* LVIII. *dist.* Ante Conc. Tridenr. hoc sibi vindicabant Regulares, præsertim Mendicantes tamquam ex priuilegio, vt à qoocumque antistite ordinari possent, sed hoc vetuit Synodus Tridenrina. Quot turbæ excitatæ à Ioanne Hierosolymitano aduersus Epiphaniom Salaminæ Cypri Episcopum, quòd Paulinianum fratrem Hieronymi in agro Eleotetopolitaoo ordinasset. De quo se excusaoit Epiphanius *epist. ad Io. Hierosolym. quæ est* LX. inter epist. Hieronymi, quòd Paulinianus esset de fratribus Mooasterij Peregrinorum, qui ei noo parerent. Postmodum idem accepit ex relatione quorumdam, Episcopum ordinatorem simoniæ labe esse fœdatum: qua de causa consuluit Pootificem, an in suscepto ordine ministrare deberet, & ab eodem Episcopo ad superiores ordines promouendus esset. Consultus Pontifex rescripsit in *hoc cap.* vt insciens ordinatus à simoniaco, in ordine suscepto securus ministret; sed ad superiores ordines non promoueatur cootra conscientiam, id est opinionem licèt erroneam, nisi priùs deponat errorem. Si quis sciens à simoniaco ordinatus sit, ordioatio nulla & irrita est. Si quis ignorans à simoniaco non simoniacè ordinatus sit, eius ordinatio sustinetur. *can. si quis à simoniacis.* I. *qu.* I. Gregor. VII. *lib.* VI. *epist.* XXXIX. Ignorans à simoniaco ordinatus potest securè ministrare in suscepto ordine; sed si conscientia eum torqueat, non potest promoueri ad alios ordines, nisi priùs errore solutus. Conscientia etiam erronea nisi purgetur sequenda est, *cap. inquisitioni. infrà. de sentent. excomm.* Temporibus Gregorij VII. adeò acriter quidam Episcopi exarsere io simoniacos, vt ab Episcopis simooiacis ordinatos denuò consecrareot: quod reiecit Petrus Damian. *Opuscul.* VI. *ad Henric. Rauennat. seu libro qui inscribitur Gratissimus.*

CAPITVLVM XXXVI.

IDEM CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO.

IN tantum peccatis exigentibus corda quorumdam simoniaca prauitas deprauauit: .·.·.·.·. Sanè peruenit ad audientiam nostram, quòd cùm olim quidam suffraganei tui pro chrismate certam consueuerant accipere pecuniæ quantitatem, non metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipant, recipientes in media quadragesima, quod recipere consueuere post Pascha: & vt causam recipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos priùs chrismales, secundò Paschales dicebant, consuetudinem mediæ quadragesimæ nuncupantes: .·.·.·.·. Cùm verò expressiùs exprimat venditionis speciem, qui priùs recipit pretium, quàm rem conferat pretiosam, & gratis sit gratia conferenda: mandamus, quatenus taliter excessus corrigas supra-

dictos, suffraganeos tuos, & officiales eorum à tam illicita exactione compescens, quòd aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam. Prauam etiam illam consuetudinem de tua prouincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum inuestitura Archidiaconi marcham argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solui pecuniæ quantitatem.

HVIVS cap. species est: Quidam Episcopi Cantuariensis prouinciæ in Anglia solebant accipere certam pecuniam pro chrismate, id est pro collatione chrismatis, & vt simoniæ pœnam effugerent, eam recipiebant in antecessum, id est quæ post Pascha solebat præstari, eis prorogabatur in media Quadragesimæ, & ne causa præstationis deesset, qui priùs chrismales denarij vocabantur, Paschales vel consuetudo mediæ Quadragesimæ mutato nomine dicebantur. Quò pertinet etiam *cap. ea qua h. tit.* Cùm verò venditionis speciem apertè significet, qui priùs accipit pretium quàm rem tradat. Quia emptio venditio non fit sine pretio. Hieronym. II. adu. Ruffin. *Nec reprehendam quòd comparatum codicem pro empto posuerit, cùm comparatio æqualium sit, emptio pretij annumeratio, &c.* & gratia sit gratis danda Gratis accepistis, gratis date. *can. nullus. can. quidquid.* I. *qu.* I. Cantuariensi mandat Pontifex hîc, vt eorum Suffraganeos & Officiales, id est Vicarios, qui Officialium appellatione noti sunt in Anglia. *cap. ex frequentibus. suprà de institut. cap. insinuante. de offic. delegat.* à tam praua exactione abstinerent. Inoleuerat etiam fœda consuetudo in Anglia, vt pro inuestitura Ecclesiarum Archidiaconi marcham argenti: minores Decani, id est Archipresbyteri, seu Decani Rurales, de quibus *can. nullus.* XVII. *qu.* II. vaccam albam, vel certam pecuniæ quantitatem exactitarent: quod vetuit idem Pontifex in fine *h. cap.* Huius sæculi labem Anglicanam diris persequitur Matth. Paris, ad ann. MCCXXXVII. *Non curatur de iustitia & honestate, de simplicium informatione, immo cùm quocumque modo quis beneficio Ecclesiastico inuestitur, de summa pecunia, quam inde sortiri possunt statim sciscitatur, vltima verò vel nulla quæstio oritur de Sancto, vel eius nomine quo Ecclesia intitulatur.* Inuestitura Ecclesiarum pertinebat ad Archidiaconum seu Decanum, vt *hic & cap. vt nostrum. de offic. Archid.* nec non installatio seu missio in possessionem. *d. cap. vt nostrum.* Io. Saresber. *epist.* I. *Et per Archidiaconum Episcopi, vt mos est, in possessionem liberam canonicè introductum.* Ad Archidiaconum etiam spectabat præsentatio ad ordines, & examinatio præsentandorum. *d. cap. vt nostrum,* & ne quid vel modicum eo nomine exigeret vetitum *d. cap. ea quæ.*

CAPITVLVM XXXVII.

IDEM.

PER tuas nobis literas intimasti, quòd cùm D. lator præsentium vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet: quendam Presbyterum exorauit, vt ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: quod cùm ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quòd nunquam, si præsentaret eundem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem, & sic ad præsentationem eius exritit ordinatus, nec se in hoc egisse aliquod illicitum intellexerit. :·.·.·.·. Nos inquisitioni tuæ taliter respond. quòd nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet ordine ministrare.

QVIDAM Clericus cùm vellet in Subdiaconum ordinari, quendam Presbyterum exorauit, vt ipsum ad suæ Ecclesiæ titulum præsentaret: ordinatio enim non fiebat sine titulo. *can. neminem. can. Sanctorum.* LXX. *dist.* fide interpositâ, quòd ratione præsentationis, ab eo nunquam aliquam peteret portionem; & sic ad eius præsentationem est ordinatus. Quæsitum est an ordinatio valeret. Rescripsit Pontifex in *hoc cap.* ne is nec in suscepto ordine ministraret, nec ad superiores ascenderet, nisi cum eo esset dispensatum. Solus Rom. Pontifex potest dispensare cum eo qui sciens simoniam vel confidentiam commisit, vt *hîc & cap. pen. infrà. h. tit. can. erga.* I. *qu.* I. aliàs Episcopus dispensat cum eo qui ignorans. *can. præsentium. ead. caus. qu.* V.

CAPITVLVM XXXVIII.

IDEM.

CONSVLERE :·.·.·.·. Quicumque vicedominatum, vel aliam Ecclesiasticarum rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes, quàm vendentes cum Simone percelluntur, & ab illa Ecclesia, in cuius contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, iustè excluduntur.

SIMONIACVM est, si quid detur vel exigatur pro collatione beneficij Ecclesiastici. *can si quis dater. can. si quis Episcopus.* 1. *qa.* III. quod & constitutione Heorici I. Fraocorum Regis sancitum. Glaber. lib. v. cap. vo *Omnia quippe ministeria Ecclesiastica, ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro secularia mercimonia.* & mox: *Tunc prepesuit edictum omni Imperio suo, vt nullus gradus Clericorum, vel ministerium Ecclesiasticum, pretio aliquo conquireretur; aut si quis dare aut accipere prasumeret, omni honere destitutus anathemate multaretur.* Idem vetatur in collatione officij Ecclesiastici, quod est adnexum spiritualibus, putà pro collatione Vicedominatus, vel cuiuscumque rerum Ecclesiasticarum administrationis, vt in *hoc cap.* & *d. can. si quis Episcopus.* Ratio est, quòd officia Ecclesiastica beneficiorum iure censentur. Simonia committitur in officiis Ecclesiasticis, perinde ac in beneficiis, vt ex Concilio Calched. *can.* II. Si per pecuniam promotus fuerit œconomus, seu dispeosator, defensor vel maosiooarius, Græcis ἔκδικος seu παραμονάριος. vterque & promotus & promotor depooitur. *d. can. si quis Episcopus.* Munus œconomi, seu defensoris oon solebat credi nisi Clericis. *d. can si quis Episcopus. can. in singulis.* LXXXVIII. *dist. can. quia in quibusdam. can. iudicatum.* LXXXIX. *dist.* & *l. consulta C. de testam.* Vnde administratores rerum Ecclesiæ dicuntur esse ἐν τῷ κανόνι in *d. can* Calched. id est in ordine, seu matricula Ecclesiæ, & plura officia Ecclesiastica si sint perpetua sunt inuicem incompatibilia, pariter atque beneficia. *cap.* 1. *de consuetud. in* VI. Vicedominus est Vicarius Episcopi in temporalibus. *can. salvater.* 1. *qa.* III. *can. volumus.* & *seq.* LXXXIX. *dist.*

CAPITVLVM XXXIX.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

SICVT pro certo didicimus, in plerisque locis à plerisque personis, quasi columbas in templo vendentibus fiunt exactiones & extorsiones turpes, & prauæ pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinibus Clericorum: éstque taxatum quantum sit isti vel illi, quantúmve alteri, vel alij persoluendum: & ad cumulum damnationis maioris quidam cupiditatem, & prauitatem huiusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore obseruatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem huiusmodi (quæ magis dicenda est corruptela) penitus reprobamus, firmiter statuentes, vt pro his siue conferendis, siue collatis nemo aliquid quocunque prætextu exigere, aut extorquere præsumat: alioquin & qui receperit, & qui dederit huiusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur.

PRo consecratione Episcopi nihil potest dari, vel accipi, nec pro benedictione Abbatis, vel ordine, id est ordinatiooe Clericorum, absque labe simoniæ, ex *hoc cap.* & *cap.* 1. *suprà. h. tit.* Inoocent. ipse lib. II. *epist.* CCVII. & CCCLXVI. Nec ipse Notarius pro chartis, seu literis quæ dantur ordinatis, aliquid potest accipere. *d. cap.* 1. *can nullus Abbas. can. sicut Episcopum.* 1. *qu.* II. Neque excosat consuetudo, quia est magis diceoda corruptela quàm consuetudo, vt *hic* & *cap. non satis. suprà. h. tit. can. dictum est. can. statuimus.* 1. *qa.* 1. Comprouinciales Episcopos arguit Basil. epist. LXXVI. quòd ab illis qui ordinarentur pecunias acciperent, idque palliarent oomine pietatis, id est piæ consuetudinis, ὀνομάζοντες δὲ εὐσέβειαν, & quòd sibi suaderent se non delinquere, quòd non ante, sed post maouum impositiooem peconiam accipereot. Consuetudinem Ecclesiæ Carnotensis de exactionibus, quæ fierent pro initiatiooe Canonicorum, licèt defenderetur consuetudine Romanæ Ecclesiæ, notat Iuo Carnot. epist. CXXXIII. *Si qua autem adhuc sunt, qua pro consuetudine antiqua publicè exigunt Decanus & Cantor, & alij ministri, ab his qui Canonici fiunt, me contradicente, & persequente, Romana Ecclesia consuetudine se defendunt, in qua dicunt cubicularios & ministros sacri Palatij multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, qua oblationis, vel benedictionis nomine palliantur, cùm nec calamus nec charta gratis ibi, vt aiunt, habeantur.*

CAPITVLVM XL.

IDEM IN EODEM.

QVONIAM simoniaca labes adeò plerasque Moniales infecit, vt vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes huiusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus: statuentes, vt quæcunque decætero talem commiserint prauitatem, tam recipientes quàm recepta, siue sit subdita, siue Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his

autem, quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus prouidendum, vt remotæ de Monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis eiusdem Ordinis collocentur. Quòd si fortè propter nimiam multitudinem alibi nequiuerint commodè collocari: ne damnabiliter in sæculo euagentur, recipiantur in eisdem Monasteriis dispensatiuè de nouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus adsignatis. Hoc etiam circa Monachos, vel alios regulares decernimus obseruandum. Verùm ne per simplicitatem vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, vt diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari.

OLIM Monachi vix solebant recipi sine pretio, nec sine donatione fundi cuiuspiam liberi à parentibus Monasterio offerebantur. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib 1. cap. XVI. *Quidam etiam vir diues Waco nomine Beneuentanus, in expeditione constitutus obtulit Monasterio filium suum nomine Wachipertum cum XX. possessionibus suis variis in locis constitutis* & Bernardus Clareuallens. *epist.* 1. ad Robertum, qui à Cisterciensi Monasterio Cluniacum redierat, cui primum à patre oblatus dicebatur eum fundo. *Ostenditur*, inquit, *deinde terra, qua cum illo & pro illo dicitur data fuisse, sed si cum terra eum receperant, cur non & cum terra eum retinuerunt, &c.* Ex Concilio Turonensi habito sub Alexandro III. nihil potest dari vel accipi pro receptione in Monachum absque simonia. *cap. non satis. suprà. h. tit. can. nullus Abbas.* 1. *qu.* II. Quòd si vltro offeratur, non præcedente pacto, nihil vetat accipi. *cap dilectus. suprà. h. tit.* si quid exigatur pro ingressu Monasterij, receptus remouetur de Monasterio, & arctius in Monasterium detruditur, perpetuæ pœnitentiæ causâ. *cap. de regularibus. h. tit.* Recipiens ab officio suspenditur, & pecunia restituitur. *cap. veniens. h. tit.* An idem iuris esset in Monialibus, dubitatum ob paupertatem Monasteriorum virginum, & multitudinem earum, quæ innumeræ propemodum fuêre toto orbe. Tria millia virginum in vrbe suo sumptu aluisse Gregor. I. ob nimiam ipsarum egestatem, auctorem illum habemus *lib.* VI. *epist.* XXIII. Tamen Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. vetitum in *hoc cap.* ne Moniales recipiantur interposito pretio, alioquin recepta & recipiens amoueantur Monasterio, & perpetuæ pœnitentiæ causâ in districtius Monasterium ablegentur. Receptæ ante Concilium mitiùs tractantur, & in aliis Monasteriis eiusdem Ordinis collocantur, vel si id non liceat, ne detur locus euagationi de nouo recipiuntur eisdem in Monasteriis, & in inferiorem gradum reiiciuntur. Idémque decernitur quoad Monachos vel alios regulares, in fin. *h. cap* Pœna simoniæ inter cæteras est detrusio in arctius Monasterium, vt *hic & can. reperiuntur.* 1. *qu.* 1. & reiectio in inferiorem gradum ex hoc ipso cap. Regradatio seu reiectio in vltimum locum, est pœna canonica Clericorum vel Monachorum. *can. præcipimus.* XCIII. *dist. can. mandamus.* XIX. *qu.* II. *cap. intelleximus. de ætat. & qual. præf.* quod est Innocentij III. vbi dixi. Hoc ius emendatum quoad Moniales constitut. Martini V. *gloss. in pragm. tit. de annat.* §. t. V. *labore.*

CAPITVLVM XLI.

IDEM IN EODEM.

AVDIVIMVS de quibusdam Episcopis, quòd decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subiiciunt, nec patiuntur alios in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persoluatur. Præterea cùm miles aut Clericus domum religionis ingreditur, vel apud religiosos eligit sepulturam: etiam si nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cùm igitur non solùm à malo, sed ab omni specie mali sit secundùm Apostolum abstinendum, exactiones huiusmodi penitus inhibemus. Quòd si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat, in vtilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter conuertenda.

VACANTIBVS Ecclesiis quidam Episcopi his sacris interdicebant, nec priùs ferebant, alios in eisdem Clericos institui, quàm certam pecuniam corrasissent. Præterea si quis miles aut Clericus Monasterium iniret, vel ibi sepulturam eligeret, etiam si nihil Monasterio relictum esset, Episcopi difficultates moràsve nectebant donec aliquid muneris emunxissent: quod vetat hîc Concilium generale Lateranense, ita vt accipiens teneatur in duplum. Ne à Monachis Episcopi xenia exigant oblationum, seu eulogiarum nomine, vetat *can. Eleutherius.* XVIII. *qu.* II. & Gregor. I. *lib.* VII. *epist.* XXXIII. Quia Episcopi Monachis Ecclesias non alia conditione permittebant, quàm eâ, vt statis annis, quoties sc. perpetui illarum Vicarij, quos personas vocabant, mutarentur, certa pecunia præstaretur; quod genus pensionis redemptio altarium dicebatur: hanc vt nefariam & simoniacam explosit Vrbanus II. *can. quæsitum.* 1. *qu.* III. de quo Iuo Carnotens. *epist.* XII. Gofridus Vindocinens. *lib.* III. *epist.* XII. & Io. Saresber. Policrat. *lib.* VII, *cap.* XVII.

TIT. V. *De Magist. & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

CAPITVLVM IV.

INNOCENTIVS III. IN CONCILIO GENERALI.

QVIA nonnullis propter inopiam & legendi studium, & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit constitutione prouisum, vt per vnamquamque Cathedralem Ecclesiam magistro, qui eiusdem Ecclesiæ Clericos, aliósque scholares pauperes gratis institueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. Verùm quoniam in multis Ecclesiis id minimè obseruatur: nos prædictum roborantes statutum, adiicimus, vt non solùm in qualibet cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus, à Prælato cum Capitulo, seu maiori & saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in Grammatica facultate, & alios instruat iuxta posse. Sanè Metropolis Ecclesia Theologum nihilominus habeat qui Sacerdotes & alios in sacra pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Adsignetur autem cuilibet magistrorum à Capitulo vnius præbendæ prouentus, & pro Theologo à Metropolitano tantundem, non quòd propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiu reditus ipsos percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quòd si fortè de duobus magistris Ecclesia Metropolis grauetur, Theologo iuxta modum prædictum ipsa prouideat, Grammatico verò in alia Ecclesia suæ ciuitatis, siue diœcesis, quæ sufficere valeat, faciat prouideri.

IN singulis Ecclesiis primitus fuere scholæ, quibus proponebantur, qui sacras & sæculares literas docerent. Vt in Ecclesia Antiochena fuit schola celeberrima cui præfuit Malchion, à quo erroris in Synodo conuictus Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus. Euseb. *lib* VII. *cap.* XXIII. In Ecclesia Alexandrina fuit & schola à Marco instituta, è qua prodiere clarissimi viri Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & Heraclas, Euseb. *lib.* V. *cap.* X. *&* *lib* VI *cap.* XII. Hieronym. *de Script Eccles. cap.* XXXVI. XXXVIII. *&* LIV. In Rhemensi Ecclesia à Fulcone Episcopo restitutæ duæ scholæ, quibus præfuit Remigius Altissiodorensis, Flodoard *lib.* IV. *Rhemens. hist. cap.* IX. *Præfatus denique Præsul honorabilis Fulco, duas scholas Remis Canonicorum scilicet loci, atque ruralium Clericorum iam pæne delapsas restituit, & euocato Remigio Antisiodorensi Magistro liberalium artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecit, &c.* In Wintoniensi Ecclesia, quæ est in Anglia, fuere etiam scholæ, de quibus cùm mota esset lis, vtpote fori Ecclesiastici, tandem deuoluta est ad Sedem Apostolicam. Io. Saresber. epist. XIX. ad Adrian. IV. *Auditis ergo allegationibus Magistri Iord. instrumentis diligenter inspectis, memorato Ioanni vestra nostra authoritate inhibuimus, ne contra voluntatem Iord. scholas regere præsumeret in præfata ciuitate.* Scholarum vsum pæne neglectum instaurauit Eugenius II. *can. de quibusdam.* XXXVII. *dist* Et paulò pòst religiosissimi Principes Carolus Magnus, & Ludouicus in singulis Episcopiis & Monasteriis scholas disposuere in grammatica, cantu, & computo. Capitul *lib.* I. *cap.* LXXII. *& lib.* II. *cap.* V. Inde Synodus Cabillonens. II. *can.* III. *Oportet etiam vt sicut dominus Imperator Carolus præcepit, Episcopi scholas constituant, in quibus & literaria solertia disciplinæ, & sacræ Scripturæ documenta discantur.* In Osnaburgensi Ecclesia à Carolo Magno institutæ scholæ vtriusque linguæ, Albert. Krantz. *Metropol. lib.* I. *cap.* II. Ac denique passim in Episcopalibus Ecclesiis fuere scholæ, præsertim in Germania, idem Krantz. *Metropol. lib.* III. *cap.* XLIII. *Apud insignes Ecclesias ab antiquo docti viri fouebantur, qui publicas scholas sustinerent, priusquam publica literarum gymnasia, quæ nunc multa florent, per Christianismum erigerentur, &c.* Ob id singulis in Ecclesiis Episcopalibus institutus Scholasticus seu Magister Scholarum, qui scholis præerat, & actu docendi munere fungebatur. *cap. cùm dilecta. de rescript. cap. licèt. de transact. cap. cùm Apostolica. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* Leelberto Scholastici munus credidit Gerardus Cameracensis Episcopus, quem successorem accepit, cuius officium honestissimum propter docendi munus commendat Baldricus Nouiomensis Chronic. Cameracens. *lib.* III. *cap.* LXI. *Et vt ampliùs in scientia eum confirmaret, regendas scholas S. Mariæ matris Ecclesiæ ei commisit, qui honor propter laborem rarus, nobilibus committitur, sed quanto rarior, tantò magis honorabilior comprobatur.* & paulò pòst *Cognita verò Episcopo Scholastici industria, separauit eum à puerorum doctrina.* & Albert. Krantz. lib. IV. Metropol. cap. XXVI. vbi de Bennone ex Scholastico Hildeshemensi, Osnaburgensi Episcopo. *Docebant enim illa ætate*, inquit, *Scholastici sacras literas, & habebant qui subdocerent in triuialibus.* Huius Scholastici laus propria, literarum scientia,

scientia, propter adnexum docendi munus. Sigebert. ad ann. MXLV. *Franco Scholasticus Leodicensium, & scientia literarum, & morum probitate claret.* Ob id etiam in singulis Episcopalibus Ecclesiis comparatæ Bibliothecæ in vsum Clericorum, vt in Ecclesia Hierosolymitana, Euseb. *lib.* VI. *cap.* XIV. & passim in aliis Ecclesiis, Hieronym. ad Pammach. *Ecclesiarum bibliothecis fruere, &c.* Conc. Lateranens. habito sub Alexandr. III. prouisum, vt in Cathedrali quaque Ecclesia, Magistro qui Clericos eiusdem Ecclesiæ, & pauperes scholares gratis doceret competens beneficium præberetur. *cap. 1. suprà. h. tit.* quod repetitum est in Concilio generali Lateranensi, habito sub Innocent. *can.* XI. *ult. h. cap.* Nec huius instituti auctor fuit Alexander III. Hoc enim de consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ haustum idem insinuat *cap. quantò h. tit. in 1. Collect.* Magister scholarum Clericos eiusdem Ecclesiæ & alios gratis docere debet, quia eo nomine competens beneficium ei constitutum est, *vt hic, & d. cap. quanto.* Alioquin si careret beneficio, nihil vetaret eum exigere collectam, quod gloss. hic probat exemplo Doctorum Bononiensium, qui cùm non haberent stipendia de publico, à scholaribus collectam exigebant. Æternùm laudandus Libanius Rhetor, qui pauperes gratis docuit. Testis ipse de se apud Basil. epist. CXLV. [illegible]. *Rectè & illud conіectas, quòd studia nostra pecuniis non æstimentur, sed satis sit ei qui dare non potest, vt accipere velit.* Præter scholas quæ institutæ fuere in singulis Ecclesiis Episcopalibus, eodem Concilio generali statutum vt non modò in qualibet cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis quarum facultates sufficerent, magister idoneus constitueretur, à Prælato cum Capitulo, seu maiori & saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos eiusdem Ecclesiæ & alios gratis in Grammatica doceret. Grammaticæ studium valdè commendatur Clericis, quòd sine ea vix possint proficere in sacris literis. Non iniuriâ memoratur depositus quidam Episcopus, quòd confessus esset, se numquam de Grammatica didicisse, nec legisse Donatum. *cap. vlt. suprà. de ætate & qualit. præfic.* Donatus Romæ Grammaticam docuit. Hunc præceptorem suum laudat Hieronym. *in Eccl' siast.* Quàm studiosè legeretur facilè inde colligas, quòd Lupus Abbas Ferrar. *epist.* CIII. à Benedicto III. Donatum in Terentium ad se mitti rogitat. Eodem Conc. cautum, vt in Metropolitana quaque Ecclesia instituatur Theologus, qui Presbyteros & alios in sacra pagina doceat, præsertim in his quæ spectant ad curam animarum. Singulis autem magistris à Capitulo assignetur vnius præbendæ prouentus, & Theologo tantumdem, ita vt non propter hoc fiat Canonicus, sed vnius præbendæ fructus percipiat, quamdiu actu docebit. Quòd si Metropolitana Ecclesia de duobus nimium grauetur, Theologo iuxta modum prædictum ipsa prouidebit, de fructibus scilicet vnius præbendæ: Grammatico verò in alia Ecclesia suæ ciuitatis vel diœcesis collegiata, scilicet quæ non impar sit oneri, prouidebit, quia Ecclesia non est nimium grauanda. *cap. quanto. suprà. de censib.*

TIT. VI. *De Iudæis, Sarracenis, & eorum seruis.*

CAPITVLVM XIII.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO SENONENSI, & Episcopo Parisiensi.

ETsi Iudæos (quos propria culpa submisit perpetuæ seruituti) pietas Christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum: ingrati tamen nobis esse non debent, vt reddant Christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam (iuxta vulgare prouerbium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueuerunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quòd Iudæi faciunt Christianas filiorum suorum nutrices, & (quod non tantùm dicere, sed etiam nefandum est cogitare) cùm in die Resurrectionis Dominicæ illas recipere corpus & sanguinem Iesu Christi contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam. Alia insuper contra fidem Catholicam detestabilia & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant: cùm eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei nostræ confusionem inducunt:.·.·.·. Inhibemus ergo districtè, ne de cætero nutrices, vel seruientes habeant Christianos, ne filij liberæ filiis famulentur ancillæ, sed tanquam serui à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant seruos illorum, quos Christi mors liberos, & illos seruos effecit:.·.·.·.·.·. Si verò nutrices & seruientes non dimiserint Christianos, sub excommunicationis pœna inhibeatis districtè omnibus Christianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.

IVdæis vel paganis non licet Christianum mancipium in dominio habere. *cap.* II. *h. tit. l.* 1. & II. *C. ne Christian. mancip.* imò excommunicantur qui eis seruiunt. *cap. Iudæi. cap. ad hæc. h.*

AAaa

tit. Sed nec Iudæis licet habere nutrices Christianas, quæ eorum liberos lactent, ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innocent. III. in *hoc cap. & dd. capp. Iudæi. & adhæc.* Edicto causam dedit, quòd Iudæi, vbi Christianæ liberorum suorum nutrices in die Resurrectionis Dominicæ sacrum Christi corpus accepissent, triduo earum lacte liberos abstinebant, quod continuæ causâ mittebatur in secessum seu latrinam, vt exponitur in *hoc cap.* Quòd si Iudæi Christianos seruos vel nutrices non dimiserint Christianis sub excommunicationis pœna, cum eis commercio interdicitur, vt subiungitur in fin. *h. cap.* Pœnæ genus est finegotiatione, vel commercio cui interdicatur. *l. 1. §. pen. ff. de off. præf. vrb. l. morit est. §. pen. & vlt. de pœn.* In pœnam Macedonibus interdictum connubio, & commercio agrorum, ædificiorúmque, id est iure emendi vendendive extra fines regionis suæ. Liuius lib. XLV. *Pronuntiauit deinde neque connubium, neque commercium agrorum ædificiorúmque inter se placere, cuiquam extra fines regionis suæ.* A Philippo Augusto Galliæ finibus pulsi Iudæi, quòd seruos & ancillas, quos domi habebant à recta religione ad Iudaïcam superstitionem auocarent. Rigord. *in eius vit.* & Guill. Briton. 1. *Philipp.* Christianis etiam non licet azyma Iudæorum comedere, sc. ritu Iudaico, vel cum eis habitare, vel medicis Iudæis vti, Syn. VI. in Trullo. *can. XI. can. nullus. XXVIII. qu. 1.* Latinos Orientales Principes, quòd Physicis, id est Medicis vterentur Iudæis vel Saracenis sugillat W. Tyr. *lib. XVIII. cap. vlt. Nostri enim Orientales Principes maximè, id efficientibus mulieribus, spretâ nostrorum Latinorum Physicâ, & medendi modo, solis Iudæis, Samaritanis, Syris & Saracenis fidem habentes eorum curæ se subiiciunt imprudenter, & eis se commendant Physicarum rationum prorsus ignaris.* Quod satis probatur infelici casu Caroli Calui Imp. & Balduini III. Regis Hierosolymitani, quorum hic veneno sublatus à Barach Iudæo medico Tripolitanæ Comitis, teste ipso Tyrio, ille à Sedechia medico & credito suo, Aimoin. Cont. *lib. V. cap. XXXV.* Iudæis vetitum interesse inaugurationi Richardi I. Regis Anglorum, quòd suspecti essent de maleficis artibus, Matth. Paris ad ann. MCLXXXIX. *Huic coronationi multi Iudæorum interfuerunt contra Regis prohibitionem: die itaque præcedenti, communi interdictum est edicto ne Iudæi, aut mulieres interessent; propter magicas artes, quæ solent in Regum coronationibus exerceri, de quibus Iudæi & aliquæ mulieres sunt infames.* Quàm vitandum sit Iudæorum consortium ob contagium Iudaïcæ superstitionis, audi Ambros. serm. XVII. *Non solùm autem Gentilium, sed & Iudæorum consortia vitare debemus, quorum etiam confabulatio est magna pollutio; hi etenim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum & publica inquietant, & ideo magis præualent, quò magis sunt impudentes.*

CAPITVLVM XIV.

POSTVLASTI qualiter contra Iudæum procedere debeas, qui manus iniecit in quendam Clericum violentas. Ad quod breuiter respondemus, quòd si dictus Iudæus tuæ iurisdictionis existit, ipsum pœnâ pecuniariâ punias, vel aliâ (secundùm quod conuenit) temporali, faciens læso satisfactionem congruam exhiberi, alioquin eius dominum moneas & inducas, vt passo iniuriam, & Ecclesiæ ab eo satisfieri faciat competenter: quod si dominus eius neglexerit adimplere, tu Christianis omnibus per cens. Eccles. interdicas, ne cum ipso Iudæo antequam satisfaciat, præsumant commercia exercere.

SI Iudæus in Clericum violentas manus iniecerit, pœnâ pecuniariâ plectitur, aut aliâ temporali arbitrio iudicis: ni satisfaciat, omnibus Christianis cum eodem commercio interdicitur, ex *hoc cap.* Pœna est Iudæis, si eis interdicatur commercio cum Christianis, quia Iudæi & Syri fere omnes fœnus, & negotiationem exercent, & propositâ sibi pœnâ interdictionis commercij, facilè in obsequio continentur. Sidon. 1. epist. VIII vbi depingit Rauennæ peruersum rerum omnium ordinem, *Fœnerantur Clerici, Syri psallunt.* Iudæus si percusserit Clericum, non incidit in pœnam, *can. si quis suadente. XVII. qu. IV.* sed pecuniariâ pœnâ, vel aliâ temporali coërcetur, putà interdictione negotiationis, quia non est fori Ecclesiastici, cùm Ecclesia non iudicet de his qui foris sunt. *can. multis. II. qu. 1. cap. gaudemus. de diuort.*

CAPITVLVM XV.

IDEM IN CONCILIO GENERALI

IN nonnullis prouinciis à Christianis Iudæos, seu Saracenos habitus distinguit diuersitas: sed in quibusdam sic quædam inoleuit confusio, vt nullâ differentiâ discernantur. Vnde contingit interdum, quòd per errorem Christiani Iudæorum, seu Saracenorum, & Iudæi seu Saraceni Christianorum mulieribus com-

[illegible] quam [illegible] indignus à cura gregis remoueatur, fortè quòd non sit compos plebem docendi, attendens ordinatè, id est seruato ordine iuris, purà per denuntiationem, vel accusationem apud Episcopum, ad quem pertinet institutio & destitutio Clericorum, vt subditur in ima parte *h. cap.* Institutio & destitutio Clericorum spectat ad iurisdictionem Episcopi, *vt hic & cap. conquerente. suprà. de offi. ordinar. cap. I & II de Capell. Monach. cap. cùm & plantare. §. in Ecclesiis. infrà. de priuileg.* non sine consilio Capituli. *cap. nouit. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* & hoc, si spectes ius decretalium, olim enim institutio Clericorum spectabat ad solum Episcopum, destitutio non item; Episcopus solus honorem dare poterat, solus auferre non poterat, ex Conc. Hispal. II. *can.* VI. *can. vlt.* LXVII. *dist.*

CAPITVLVM XIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

EXCOMMVNICAMVS itaque & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam orthodoxam, & Catholicam fidem, quam superiùs exposuimus, condemnantes hæreticos vniuersos quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem diuersas habentes, sed caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum.

EXCOMMVNICANTVR omnes hæretici quibuscumque nominibus censeantur, quia inter se discordes, omnes conueniunt contra Ecclesiam Catholicam: vultus habent diuersos, sed caudas ad inuicem colligatas, vt vulpeculæ Philistinorum, vt proditum est init. *h. cap. & cap. excommunicamus II. infrà. h. tit.* Hieronym. in cap. VII. Esaiæ: *Hæretici qui inter se discrepant, in Ecclesiæ oppugnatione consentiunt, iuxta illud quod Herodes, & Pilatus inter se discordes, in Domini Passione amicitia fœderantur.* & Augustin. de Verb. Domini serm. VI. *Hæretici, Iudæi, & pagani vnitatem fecerunt contra vnitatem, &c.* Pœna hæreticorum est excommunicatio si laici sint, depositio ab ordine, & ab omni officio & beneficio Ecclesiastico si Clerici sint. *cap. ad abolendam. suprà. h. tit.*

DAMNATI verò præsentibus sæcularibus potestatibus, aut eorum balliuis relinquantur animaduersione debitâ puniendi: Clericis priùs à suis ordinibus degradatis: ita quòd bona huiusmodi damnatorum, si laïci fuerint, confiscentur: si verò Clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.

COGNITIO de hæresi pertinet ad Episcopum vel ad Capitulum sede vacante, etiam contra exemptos ad Episcopum tamquam Sedis Apostolicæ delegatum. *cap. ad abolendam. h. tit.* quia hæresis est crimen merè Ecclesiasticum, id est iurisdictionis Ecclesiasticæ. *cap. vt inquisitionibus §. prohibemus. h. tit. in* VI. Hinc Betisacius quidam Rationalis seu Procurator Ducis Bituricensis olim præfecti Galliæ Narbonensis, conuentus de reddendis rationibus administrationis, cùm finxisset se Bugerem & hæreticum, redditus est foro Episcopali. Io. Frossard vol. IV. cap. VII. *Vées cy Betisach, lequel nous vous rendons pour Bougre, & pour Heretique, & errant contre la foy; & s'il ne fut Clerc, nous eussions fait de luy, ce que ses œuures demandent.* Hæresis damnati scilicet per iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari traduntur animaduersione debitâ puniendi, id est pœnâ corporali: ita vt si Clerici sint, priùs degradentur: si laïci, damnatorum bona fisco vindicentur; si verò Clerici, adscribantur Ecclesiæ, à quâ stipendia recepere, ex *hoc* § Hæresis vel aliorum grauiorum criminum damnati pœnæ causâ traduntur Curiæ sæculari. Rigord. in vita Philipp. A. de hæreticis sectæ Amalrici. *Et ita huius secta plures Sacerdotes Clerici, & laici, ac mulieres diutiùs latentes pro vt Domino placuit, tandem detecti, & capti & Parisios adducti, & in Concilio ibidem congregato conuicti, & condemnati, & ab ordinibus in quibus erant degradati, traditi fuerunt Curiæ Philippi Regis qui tamquam Rex Christianissimus & Catholicus vocatis apparitoribus fecit omnes cremari.* Iuo Carnotens. epist. LXVI. *Clericos sibi aduersantes clandestinis denuntiationibus Curiæ tradi fecit.* Clerici traditi Curiæ sæculari non priùs vltimo supplicio afficiuntur quàm solemniter degradentur. *cap. nouimus. de V. S.* Hæreticorum bona si laïci sint, fisco vindicantur; si verò Clerici, adscribuntur Ecclesiæ in qua ordinati fuere, quia bona Clericorum propriè spectant ad Ecclesiam, quæ eis fuit in titulum. *can. ingredientibus* XIX. *qu.* III. *auth. ingressi. C. de SS. Eccles.* Augustin. epist. XIX. in append. *Videtur itaque mihi hæc regula in rebus huiuscemodi retinenda, vt quicquid eo iure quo talia possidentur, eius fuerit quo alicubi Clericus ordinatur, ad eam pertineant Ecclesiam in qua ordinatur.* Hæretici variis subinde pœnis affecti, Constitutione Theodosij alij exilio, alij infamiâ mulctati, alij à Republica, id est muneribus & honoribus repulsi, Sozomen. *lib.* VII. *cap.* XII. Mitiorem pœnam exilij probat Augustin. lib. II. contra Crescon. *Mitiora in vos constituit Imperator, propter mansuetudinem Christianam, exilium vobis voluit inferre, non mortem.* Aliâ Constitutione Theodosij proposita est pœna decem librarum auri in eosdem. Augustin. lib. III. cont. Parmenian. *cap.* LXXXII. *Quæ res coëgit tunc primò aduersus vos allegari apud Vica-*

Bugeres dicti hoc loco hæretici, nostris, *Bougres*, quòd laborarent vitio Sodomiæ. Matth. Paris ad ann. MCCXXXVI. *Circa dies autem illos innaluit heretica prauitas eorum qui vulgariter dicuntur Patarini, & Bugares.*

rium Serranum legem illam de decem libris auri, quas vestrûm adhuc nullus pendit, & nos crudelitatis arguitis. Eiusdem legis meminit idem author, *lib* 1. *contra epist. Parmenian.* Constitutione Theodosij & Valentiniani Manichæis pœna capitis dicta, cum aliis mitiùs actum, nec grauior fuit pœna quàm exilij. *l.* v. *C. h. tit.* Hanc legem tum nesciisse videtur Augustin. cùm nulla lege regia in hæreticos sæuitum in necem contendit lib. 1. contra liter. Petilian. *Si occisori fratris Deus noluit inferri mortem, sed relinqui carnifici vitam, vide ne fortè hoc sit, quòd cùm Regis cor in manu Dei sit, vnde multas ad vos commouendos, & corripiendos leges ipse constituit, nulla tamen lex Regia vos iussit occidi, &c.* Constit. Honorij cùm hæretici compesci nequirent, irrogata pœna proscriptionis & sanguinis. *l. sciant cuncti. C. Th. h. tit.* Pro Donatistis ne gladio coërcerentur apud Donatum Comitem Africæ intercessit idem Augustin. epist. CXXVII. *Quæsumus igitur, vt cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis iniuriis appetitam, vel afflictam esse cognoueris potestatem occidendi te habere obliuiscaris, & petitionem nostram non obliuiscaris.* Et quandoque prodesse vt hæretici gladio coërceantur, consentit ipse Leo Pontifex *epist.* LXXIV. *can. sicut.* XXIV. *qu.* III. Posterioribus sæculis in hæreticos passim igni & ferro sæuitum, viuos igni crematos passim memoratur, præter Rigord. loco modò laudato Thomas Cantiprat. Apum lib. II. cap. LVII. *Erat circa Cameracum ciuitatem quidam Hæreticus astutus valde, qui metuens inquiri & comburi à Fratribus Prædicatoribus, qui in dicta ciuitate eo tempore plurimos comburebant, finxit se arreptum à dæmone.* Hæreticos quosdam in Anglia candente ferro in fronte notatos, tradunt Gu. Neobrigens. lib. II. *cap.* XIII. Matth. Paris *ad ann.* MCLXVI. idem auctor Chronic. Altissiod. *ad ann.* MCLXXXI.

QVI autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles: nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatémque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quòd si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur.

SVSPECTI de hæresi nisi innocentiam canonica purgatione probauerint, anathemate feriuntur. Ob suspicionem hæresis, etiamsi desit accusator vel testis, canonica purgatio indicitur. *can. omnibus.* II. *qu.* V. *cap. inter. de purgat. canonic.* Quòd si per annum in excommunicatione insorduerint, tunc velut hæretici damnantur ex hoc §. Si quis vltra annum in excommunicatione insordescat, non auditur, Conc. Carthag. V. *can.* XVI. qui retexitur in *can.* LXXXII. *Synod. Carth. apud Balsamon.* & *can. rursus. can. quicumque.* XI. *qu.* III.

MONEANTVR autem & inducantur, & si necesse fuerit, per cens. Eccles. compellantur sæculi potestates quibuscunque fungantur officiis, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quòd de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quòd amodo quandocunque quis fuerit in potestatem, siue perpetuam siue temporalem adsumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Si verò dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros Comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur: & si satisfacere contempserit, intra annum significetur hoc Summo Pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum obponat. Eadem nihilominus lege seruatâ circa eos, qui non habent dominos principales.

SÆCVLARES potestates iureiurando tenentur cauere se de terris ditionis suæ pro viribus hæreticos expulsuros. Synod. Tolet. VI. *can.* III. ne quis in Regia sede collocaretur, nisi priùs sacramento caueret, se Iudæos in regno non passurum, ita vt si fidei temerator existeret, esset anathema Maranatha. Quòd si dominus temporalis ab Ecclesia monitus, terram suam hæresis labe expurgare neglexerit, per Metropolitanum & cæteros Comprouinciales excommunicationis vinculo obstringitur: & si intra annum satis non faciat, hoc denuntiari iubetur Summo Pontifici, qui vasallos ab eius fide denuntiet absolutos, & terram concedat Catholico priùs occupanti, saluo iure domini principalis, id est Regis à quo terra tenetur in feudum: hæc est summa *h.* §. & *cap. vlt. infrà h. tit.* Vnde sumpta est constit. Friderici II. iisdem ferè verbis, *auth. si verò C. h. tit.* Idem antè statutum in Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. *cap. ad abolendam. suprà, h. tit.* Hoc pacto expeditione sacrâ comparatâ in Albigenses, Toloza & aliæ vrbes, quæ parebant Raimundo Comiti Tolozano, quia hæreticos fouebat, concessæ Simoni Comiti Montis fortis, qui eas armis occupauit, saluo iure Regis, à quo Simon Comes easdem in feudum recepit,

Petru

Petro Wallissern. *cap.* LXXXIII. Quòd si Episcopus à vicinis Episcopis conuentus intra sex menses neglexerit loca ad suam diœcesim spectantia hæresis tabe labefactata Catholicæ vnitati restituere, conceduntur vindicanti, nisi is cuius olim erant, demonstret suam diligentiam callido consilio præuentam, & magis illius negligentiam electam ab hæreticis, vt eis impune esset. *can. placuit.* XVI. *qu.* III. Commune Principum & Episcoporum officium regionem suam purgare hæreticis. Hinc Nestorius Episcopus Constantinopolitanus cùm orationem haberet apud Theodosium Iuniorem, *Tribue mihi*, inquit, *terram vacuam hæreticis, ego tibi cœlum retribuam: Tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis non deero.* Socrat. *lib.* IV. *cap.* XXIX.

CATHOLICI verò, qui crucis adsumpto charactere ad hæreticorum exterminium se adcinxerint, illa gaudeant indulgentia, illóque sancto priuilegio sint muniti, quæ accedentibus in terræ sanctæ subsidium conceduntur.

Ex hoc §. cruce signati in exterminium hæreticorum iisdem gaudent indulgentiis & priuilegiis, quibus cruce signati in expeditionem terræ sanctæ. Nempe temporibus Innocentij III. bellum decretum in Albigenses hæreticos, qui in partibus Tolozanis surrexerant, expeditionis duce Simone Comite Montis-fortis, & quo fideles ad sacram militiam magis excitarentur, qui crucis tesseram in hæreticos susciperent, à Pontifice iisdem donati indulgentiis & priuilegiis, quibus potiebantur cruce signati in expeditionem Hierosolymitanam. Matth. Paris ad ann. MCCXIII. *Addidit etiam authoritate Sedis Apostolicæ, vt quicunque ad expugnandum eos, laborem sibi iniunctum susceperint, sicut illi qui sepulcrum Domini visitant, tam in rebus, quàm in personis, ab omni hostium incursione manerent securi.* Quibus indulgentiis & priuilegiis gauderent cruce signati in expeditionem Hierosolymitanam, patet ex epist. Eugenij III. apud Otbon Frisingens. *de Frideric. gest. lib.* I. *cap.* XXXV. & Innocent. III. *epist.* CCCLXXI. & Iuon. Carnot. *epist.* CLXVIII.

CREDENTES præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere, firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quòd si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem: ne causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, nullatenus eius patrocinium admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius sint momenti; sed cum auctore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint: excommunicationis sententiâ vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sanè Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec eleemosynas aut oblationes eorum percipiant: alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia in illa diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare.

NON modò hæretici, sed & credentes, id est non qui sectantur errores hæreticorum, vt sentiunt interpretes: distinguuntur enim ab hæreticis, vt *hic. & cap* 11 *h. tit.* sed qui credentiam & gratiam hæreticorum affectant, eorúmque amicitiam colunt. quo ferè sensu crediti & creditarij sunt fideles, & deuoti Principum. Gregor. Tur. lib. IX. cap. X. *Transmitte Abbates & creditos tuos, vt hæc quæ loquor exponam.* & in vita Ludouici P. & apud Aimoin. *lib.* V. *cap.* X. *fideles ac creditarios à latere suo misit.* Credentes, inquam, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum ipso iure excommunicantur, & si per annum in excommunicatione insorduerint, ipso iure fiunt infames, & publicis officiis arcentur, ex *hoc* §. Constit. Theodos. hæretici à Republica arcentur, id est à publicis muneribus, Sozomen. *lib.* VII. *cap* XII. καὶ πολιτείας ὁμοίως μὴ μετέχειν τοῖς ἄλλοις *& Reip. consimiliter ac cæteros participes non esse*, vt defensores ciuitatum creari non possunt. *l. iubemus. C. de Episc. audient.* A Patriciatus honore repulsi Ariani, Procop. de bell. Vandalic. lib. II. εἰς πατρικίους τοῦ ἀξιώματος Γελίμερ, [illegible] οὐ μεταπείθεσθαι τῆς Ἀρείου δόξης ἤθελεν. *Gelimer inter Patricios non receptus, quod à secta nollet Ariana discedere.* Adeóque hæretici arcentur à militia: *l. quicumque. §. nullum. C. h. tit.* quòd sint excommunicati, Iuo Carnot. epist. XXVIII. *Excommunicatos in hostem mittere non debeo.* Hæretici quoque vel fautores hæreticorum in testes

vel accusatores non admittuntur, vt *hic*, *& can. suspectos.* III. *qu.* v. maximè in Clericos. Augustin. epist. x. in append. *Nam hereticorum accusationes, contra Catholicum Presbyterum admittere, nec possumus nec debemus.* Si quis hæreticus vel fautor eorum iudex fuerit, eius sententia irrita est, ex *hoc ipso* §. Sententia excommunicati non valet. *cap. ad probandum. de re iudic. can. miramur.* XXIV. *qu.* I. Si idem fuerit aduocatus, non auditur in foro: si tabellio, instrumenta ab eo confecta nullius sunt momenti, vt subditur in *hoc* § nec prodest hîc *l. Barbarius. ff de offic. Prætor.* quæ propter vtilitatem publicam tuetur gesta eius, qui cùm seruus esset præturam gessit. Ius enim singulare hîc editum est in odium hæresis. Hæretici quoque sunt intestabiles, id est nec possunt testari nec donare, nec capere ex testamento, vel donatione, vt *hic & l. Manichæos. C. h. tit.* Augustin. lib. 2. contra epist. Parmenian. *Sun & aliæ iussiones generales, quibus eis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus, aut testamentis aliquid capiendi.* Denique quod additur in *hoc* §. Hæretici vel fautores eorum si Clerici fuerint, deponuntur ab officio & beneficio: idem antè sancitum Conc. Lateranensi. *cap. ad abolendam. h. tit.* Iidem priuantur Ecclesiasticis Sacramentis, necnon Ecclesiastica sepultura, vt proditur in fin. huius *eod. cap.* II. *h. tit. & auth. credentes. C. h. tit.* quæ iisdem ferè verbis delibata est ex *hoc* §. Constit. Impp. Hæretici non carent gentilitio sepulcro. *l. humanum. C. h. tit.*

ADIICIMVS insuper, vt quilibet Archiepiscopus vel Episcopus per se, aut per Archidiaconum suum aut alias honestas idoneásque personas bis aut saltem semel in anno propriam parœciam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat: & ibi tres aut plures boni testimonij viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat, quòd si quos ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione, fidelium vita & moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare. Ipse autem Episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè puniantur. Si qui verò ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, iurare fortè noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur.

ARCHIEPISCOPVS vel Episcopus per se, aut per Archidiaconum aut alios idoneos viros semel, aut iterum in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit degere hæreticos, lustrare debet, & tres aut plures boni testimonij viros, vel etiam totam viciniam iuramento adigere debet, quòd si quis hæreticos vel suspectos hæresis ibi scierit, eos Episcopo deferat: adeóque accusatos Episcopus ad se vocare debet, qui nisi se purgauerint ab obiecto reatu, vel post purgationem in pristinam perfidiam relapsi sint, canonicè puniantur. Si qui verò ex eis obstinatè, & per superstitionem renuerint iurare, ex hoc ipso tamquam hæretici habentur, ex *hoc* §. qui desumptus iisdem ferè verbis, ex *cap. ad abolendam. h. tit. in* I. *Collect.* Erant hæretici illius temporis qui iusiurandum omne respuebant, quales fuere Humiliati, & Pauperes de Lugduno. de quorum erroribus Abbas Vrspergens. & gloss. *in cap. olim causam. de restit. spoliat.*

VOLVMVS igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda Episcopi, per diœceses suas diligenter inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus: cùm id certis indiciis apparuerit, & ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere prauitatem.

EPISCOPVS si in purganda ab hæresis labe diœcesi negligentior vel remissior fuerit, ab Episcopatu deponitur, & in locum ipsius alius sufficitur, qui velit & possit hæresim compescere. Ante Concil. generale Lateranense Episcopus ob huiusmodi causam suspendebatur per triennium. *cap. ad abolendam. h. tit. in* I. *Collect.* vel cessante Episcopo locus concedebatur viciniori vindicanti, iuxta Canones Africanos. *can. placuit* XVI. *qu.* III. Deposito Episcopo ob moram vel remissionem in tollenda hæresi, alium idoneum substitui oportet, qui possit & velit coërcere hæreticos. Spectanda est solertia & religio eius, cui creditur Ecclesia inter hæreticos posita. August. epist. XVI. in append. *Timui ei committere Ecclesiam, præsertim inter hæreticorum circumlatrantium rabiem constitutam.*

TIT. VIII. *De Schismaticis, & ordinatis ab eis.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. BISVNT. ARCHIEPISCOPO.

FRATERNITATI tuæ ∴ Priorem, quem à schismatico asseris ordinatum ab officio poteris repellere incunctanter: nisi legitimè probauerit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.

EX Concilio Lateranensi habito sub Alexandro III. ordinationes à schismaticis factæ nullius sunt momenti. *cap. 1. h. tit.* nisi cum eis dispensatum sit ab habente potestatem, vt rescribitur in *hoc cap.* Soluto schismate, quo per decem & sex annos scissa est Ecclesia inter Alexandr. III. & Octauianum Guidonem, & Ioannem Abbatem Strumensem, habitum est Concilium Lateranense, in quo à schismaticis factæ ordinationes irritæ factæ sunt, nisi cum eis dispensatum esset à Sommo Pontifice: ideo tempore huiusce Conc. quamplures ordinati à schismaticis supplices adiere Pontificem, vt ab eo dispensationem obtinerent. Arnoldus Lubecens. lib. II. cap. XXVIII. *In ipso autem tempore indictum est ab Alexandro generale Concilium, quod celebratum est Lateranis in palatio Constantini. Factus est ergo Conuentus magnus Prelatorum, & pergebant illuc multi ordinati a schismaticis, sperantes se gratiam Apostolici inuenire, & mitras exequendi officij ab eo consequi, &c.* Succedente Lucio III. apud eum pro ordinatis à schismaticis intercessit Imperator, vt cum eis dispensaretur. Idem Arnoldus lib. III. cap. X. *Cùmque honestissimè susceptus esset à Veronensibus, & à Clericis qui illuc conuenerant de diuersis partibus terrarum, qui tempore Alexandri Papa à schismaticis ordines susceperant, cœpit Imperator omni instantia intercedere pro ipsis ad Dominum Apostolicum, vt clementer circa ipsos dispensaret, &c.* Hinc Christianus Moguntinus, & Philippus Coloniensis Archiepiscopi eiurato schismate ordinationes à schismaticis factas irritas dixerunt, & de nouo vterque pallium recepit à Pontifice. Albert. Krantz. Metropol. lib. VII. cap. III. Solus Pontifex potest dispensare cum ordinatis à schismaticis, vt *hic, & cap. quia diligentia. suprà. de elect.* Sicut solus Pontifex dispensat cum eo qui ordinem in apostasia recepit. *cap. vlt. infrà. tit. prox.* Quod dictum est, ordinationes à schismaticis factas irritas esse, verum est quantum ad executionem ordinis. *can. ordinationes. IX. qu. I.* & cautè accipiendum quod scriptum est in *can. pudenda. XXIV. qu. I.* Ordinatum à schismaticis non consecrari, sed execrari. Ordinari à schismaticis characterem quidem recipiunt, sed non habent executionem ordinis, donec cum eis dispensetur. Bernardum Constantiens. Magistrum scholarum rectè notat Bertold. Constant. *in Chron. ad ann.* MXCI. quòd in libro quem edidit contra schismaticos, zelo vltra lineas ductus scripserit ordinatos à schismaticis, si resipiscant, iterum ordinandos esse.

TIT. IX. *De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.*

CAPITVLVM III.

TVÆ fraternitati: .·.·.·.·. Super secundo articulo inquisitioni tuæ duximus respondendum, quòd Clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abiecerunt habitum Clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtionem Ecclesiasticam coërcendi, donec deficiente probatione ad infamiam abolendam purgationem canonicam curauerint exhibere.

CLERICVS qui abiicit habitum & tonsuram Clericalem, apostasiæ crimen incurrit, & si in reatum incident, non gaudet priuilegio Clericali. *cap. I. h. tit. cap. in audientia. cap. contingit. II. infrà. de sentent. excommunicat. l. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de iniur. l. generaliter. §. I. C. de Episc. & Cleric.* Adeóque Clericus qui deponit habitum Clericalem, apostasiam contrahit, & per districtionem Ecclesiasticam, id est per censuras Ecclesiasticas compellendus est habitum resumere, vt ostenditur *hic, & Conc. Calched. can. XXIV. can. eos qui semel. XX. qu. III.* Quòd si sit infamatus de apostasia, id est de abiectione habitus Clericalis, etiam deficientibus testibus, ei indicitur canonica purgatio, vt subiungitur in fine *h. cap.* Apostata excommunicatur tamquam infidelis. Fertur Theodoricus Africæ Dux sectâ Arianus Diaconum quendam sibi familiarem, qui vt sibi gratior esset Arianum se professus erat, necasse cum huiusmodi elogio, εἰ ἐμοὶ τῷ Θεῷ οὐκ ἐτήρησας πίστιν, μᾶλλον οὐ τηρήσεις ταύτην ἐμοί. Auctor est Zonaras *in Anastasio.* Monachus apostasiæ reus à Clericatu tamquam indignus repellitur, Concilio Arelatensi II. *can. XXV. can. vlt. L. dist.* Augustinus epist. XV. in II. appendic. *Recenti autem Concilio statutum est, vt de aliquo Monasterio qui recesserint, vel proiecti fuerint, non fiant alibi Clerici, aut præpositi Monasteriorum.* Ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. Monachi fugitiui annuatim perquirendi, & suo quisque Monasterio reddendi saluâ ordinis disciplinâ. *cap. vlt. suprà. de regular.* id est saluâ Regulâ Benedicti, per quam tertiùm egressus de Monasterio velut incorrigibilis expelli potest. In pœnis desertorum variatum est. A Iustiniano Clerici desertores pœnæ causâ traditi Curiæ ciuitatis. *l. sancimus. §. I. C. de Episc. & Cleric.* Monachi desertores constituti inter officiales, seu apparitores Præsidis, qui prouinciam regit. *nou. VI. cap. V.* sed posteà magis placuit eosdem in Monasterium inuitos reuocari, *nou. CXXIII. cap. XLII. & nou. Leo. VIII.*

CAPITVLVM IV.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

QVIDAM (sicut accepimus) qui ad sacri vndam baptismatis voluntariè accesserunt, veterem hominem omnino non exuunt, vt nouo perfectiùs induantur: eùm prioris ritus reliquias retinentes, Christianæ religionis decorem tali commixtione confundant. Cùm autem maledictus sit homo qui terram duabus viis ingreditur, & indui veste non debeat lino lanáque contexta: Statuimus vt per Prælatos Ecclesiarum talis obseruantia veteris ritus omnimodè compescatur, vt quos Christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, saluriferæ coactionis necessitas in eius obseruatione conseruet: cùm minus malum existat viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retrò ire.

CONCILIO generali Lateranensi spontè baptizati coërcendi, si prioris ritus reliquias teneant. Scriptum est enim, Non arabis in boue, & asino: & alibi, Non indues vestem lana linóque contextam, vt *hic & can. in nona*. XVI. *qu*. VII. id est nemo potest duobus dominis seruire, Christo & Belial. *Matth*. VI. Non sine probro Imperatores Christiani, etiam Pontifices maximi fuere, & amictum Pontificalem à Sacerdotibus accepere ad Gratianum vsque, qui primus hunc oblatum reiecit, Christiano huiusmodi vti habitu nefas ducens. Auctor est Zoxim. *lib*. IV. Et hoc est quod de Constantio innuit Symmachus lib. X. epist. LIV. *Cúmque alias religiones ipse sequeretur, has seruauit Imperio* Hac de re malè audierunt & Iudæi ad quos pertinet hoc caput, vt glossa innuit, quòd etiam post baptismum Iudaïcæ superstitionis reliquias & fermentum fouerent, & frequenter ad vomitum redirent, ideo Iudæi priusquam baptizentur octo mensibus inter Catechumenos stare debent: Conc. Agath. *can*. IV. *can. Iudæi. de consecr. dist*. IV. & semel baptizati ad Iudaïsmum redeuntes, ad cultum Christianæ religionis reuocandi, Concilio Tolerano IV. *can*. LVIII. *can. plerique. de consecr. dist*. IV. Hinc valdè suspecta fuit conuersio Iudæorum. Iudæum vix fidelem notat Augustin. quæst. veter. Testam. cap. XLII. *Cùm enim in vniuersa terra noui Testamenti sit prædicatio, Iudaismus tam rarò est, vt difficilè Iudæus fidelis inueniatur, & omnes Ecclesiæ noui Testamenti Gentium nominentur*. Ob id non modò Iudæi, sed & qui ex Iudæis sunt, id est prognati è Iudæis conuersis, arcentur à publicis officiis, Conc. Tolet. IV. *can*. LXIV. *can. constituit*. XVII. *qu*. IV. & Iudæi, si baptizentur, professionem in scriptis edere debent, quâ ritus Iudaicos abdicent, LL. Wisigoth. *lib*. XII. *tit*. III. *cap*. XIII. Inde fortè Iudæi conuersi per ironiam dicti Marrani, id est fideles, vt sonat nomen. Gu. Tyrius de Bell. sacr. libr. I. *De vtroque ita regno Marrani futuræ peregrinationis signo crucis se communiuerunt*. Postea tamen cum Iudæis mitiùs actum, nec si sincerè fidem susceperint, repelluntur à præbendis, & aliis beneficiis Ecclesiasticis, *cap. cum te. de rescript*.

TIT. XII. *De homicidio voluntario, vel casuali.*

CAPITVLVM XIII.

INNOCENTIVS III. EPISCOPO LVGDVNENSI,

DILECTVS filius A. Capellanus proposuit, quòd cùm quadam corporis molestia grauaretur, vt comedendi adpetitum aliquantulum excitaret, equum, quem nutriebat, ascendit: qui cùm bene non pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium saltibus lasciuiret, ipse (vt eius refrenaret impetum) freno vim intulit, equúmque calcaribus stimulauit: cúmque fracto freno equus proprio arbitrio relictus curreret festinanter, quædam mulier veniens ex obliquo infantulum baiulans obuiauit: in quam equus irruens (procul abiecto sessore) puerum prædictum oppressit. Ideóque mandamus, quatenus, si est ita, cùm idem Capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetrauit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quominùs diuina possit officia celebrare.

CAPITVLVM XIV.

IDEM METENSI EPISCOPO.

EX literis tuæ fraternitatis accepimus, quòd cùm H. Presbyter fœnum vellet de curru deponere, perticam superiùs alligatam proiecit in terram: & cùm fœno

insisteret deponendo, puerum quendam iuxta currum reperit semiuiuum, in quo præter modicum liuoris in fronte nihil inueniri potuit læsionis. Nos autem ab eodem quæsiuimus Sacerdote, si priùs, quàm iaceret perticam, circumspexisset solicitè an aliquis esset circa currum: qui quòd diligenter circumspexit, adseruit: sed quòd vidisset aliquem, denegauit. Ad te igitur remittentes eundem: mandamus, quatenus si res ita se habet, nisi circa eundem graue scandalum sit exortum, vel tantâ laboret infamiâ, quòd deficiente accusatore, oporret eidem canonicam purgationem indici, ipsum liberè permittas exequi officium Sacerdotis.

CAPITVLVM XV.

IDEM BISVNTINENSI ARCHIEPISCOPO.

EX literis tuæ fraternitatis accepimus, quòd quidam Monachus ad deponendam de campanili campanam subseruiens: quia quoddam lignum corruit ipso mouente, quendam puerum oppressit & occidit. Quocirca mandamus, quatenus si Monachus ipse rem necessariam agebat & vtilem, & in loco, per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illuc de consuetudine venire, quando lignum dignoscitur mouisse, satis poterit, præsertim in Monasterio, ad altiores ordines promoueri.

CAPITVLVM XVI.

IDEM EPISCOPO PADVANO.

SIGNIFICASTI nobis, quòd cùm F. Clericus equitaret, equus, cui insidebat, tam se, quàm ipsum proiecit in aquam. Vnde Clericus ipsum grauiter calcaribus stimulauit. Equus verò cùm existeret bucca durus, præter voluntatem sessoris raptus in cursum, mulierem quandam obuiam habuit, quam ex improuiso pedibus interfecit. Cúmque nos ab eodem Clerico fecissemus inquiri, vtrùm equi vitium priùs sciuisset, illud adseruit se ignorasse. Idcóque mandamus, quatenus si ita est, ad cautelam iniungas eidem pœnitentiam competentem: quâ peractâ, non impedias quominus in susceptis ministret ordinibus, & ad maiores valeat promoueri.

DVPLEX est homicidium, voluntarium, & casuale seu inuoluntarium. Homicidium voluntarium est, quod committitur deliberato consilio & animi proposito, seu animo occidendi. *cap. sicut.* §. *illi autem. h. tit.* Talis homicidij pessimum genus quod committitur ex insidiis per sicarios seu assassinos, quod mordrum appellant. Matth. Paris ad ann. MCCXV. *Per proditionem interfecit, pessimo mortis genere, quod Angli murdrum appellant.* & hoc est quod nostri vocant homicidium qualificatum, propter quod beneficium, vel officium vacat ipso iure ante sententiam. *cap. 1. h. tit. in* VI. Homicidium casuale est, quod committitur casu fortuito, & non occidendi animo; & huiusmodi delicta Græcis πτώματα, Latinis casus: Ambros. in Psalm. XXXVI. *Nam casus eos propriè appellant Latini, Græcè enim πτώματα nuncupantur.* Casuale inquam homicidium est, quod casu fortuito, non occidendi animo committitur, cuius varia argumenta proponuntur, quatuor his Capitulis, quæ ideo coniungenda duximus. Primum est, cùm Clericus quidam valetudinis causâ equitaret, seu eques deambularet. Equitatio scilicet prodest ad valetudinem. Cornel. Cels. lib. IV. cap. XIX. de profluuio alui, *Vehiculo sedisse, vel magis etiam equo prodest, neque enim vlla res magis intestina confirmat.* Plin. lib. XXVIII. cap. IV. *Equitatio stomacho & coxis vtilissima.* Cùm Clericus, inquam, valetudinis causâ equitaret, incidit in mulierem quæ puerum in vlnis gestabat, & equus eius calcitrans rupto freno, excusso sessore, puerum obuium protriuit. Huiusmodi casus Clericum non reddit irregularem, nec impedit quominùs ritè sacra celebret, quia nec voluntate, nec actu homicidium perpetrauit, & casus huiusmodi contigit cùm rei licitæ daret operam. *cap. dilectus. cap. Ioannes. cap. vlt. h. tit.* Ei non imputatur homicidium, qui non voluntate, sed casu hominem occidit. *can. hi qui. can. sæpè.* L. *dist.* Secundum est, cùm Clericus fœnum de vehiculo deponeret, perticam qua fœnum coërcebatur fortè misit in terram, & ex casu perticæ puer humi exanimis inuentus est: tale quoque homicidium non efficit irregularem, nisi ex eo graue scandalum ortum sit. *cap. ex literis.* Tertium est, si Monachus ad deponendam de loco suo campanam operam præbens mouerit lignum, cuius casu puerum transeuntem oppressit, non est irregularis, nec quicquam vetat, quin ad superiores ordines promoueatur, quia rem necessariam actitabat, & in loco per quem alicui transitum fore non crederet. *cap. ex literis.* II. Quartum est, si Clericus raptus ab equo quo vectabatur, mulierem

obuiam habuit, & eam equus calcibus occiderit, non efficitur irregularis, sed cautelæ causâ, ei pœnitentia iniungitur, si vitium equi nesciuit. *cap. significasti.* His quintum adde, si cùm Clericus reficiendi causâ laquear Ecclesiæ deponeret, Presbyter qui rei dabat operam ruinâ laquearis oppressus sit, non fit irregularis, si tempestiuè & alta voce circumstantes præmonuit, vt sibi cauerent. *d. cap. vlt. & can. si duo. 1. dist.* Denique homicidium casuale, homicidam non reddit irregularem. *cap. lator. h. tit.* Vt & iure ciuili si putator cùm ex arbore ramos deiiceret, vel machinarius ligno vel lapide desursum proiecto prætereuntem occiderit, non tenetur lege Aquilia, vel lege Cornelia si priùs proclamauerit caue, caue. *l. si putator. ff. ad l. Aquil. l. in lege. ff. ad leg. Cornel. de sicar. & d. can. si duo.* Veteribus cæsores arborum, fabri lignarij, vel cæmentarij, & aliud genus, cùm opus facerent, prætereuntibus tutelæ corporis causâ proclamare solebant *caue, caue.* M. Tull. II. de Orator. *Cùm Cato percussus esset, ab eo qui arcam ferebat, cùm ille diceret, Caue, rogauit numquid aliud ferret præter arcam.* Vt & cùm aqua per fenestras effunderetur, ne quis eâ madefieret solempne erat proclamare, ἐξίτω *caue, recede.* Suidæ in voc. ἀπονίζειν.

CAPITVLVM XVII.

PETRVS Diaconus & Monachus Sancti Ioannis de Puna, sua nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm ipsum quondam sæculari habitu in Ecclesia de Rigelo beneficium obtinentem, Abbas illius Ecclesiæ eodem beneficio spoliasset: cognati & amici eius irati plurimùm & commoti, nocte quadam in domo Diaconi conuenerunt, & cœnâ factâ, dicebant quòd vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiri autem expressè ab eodem Diacono ne Abbatem occiderent, aut aliquid sibi facerent vnde ordinis sui discrimen incurreret, & animæ detrimentum: nihilominus irruerunt in eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto: qui post dies aliquos expirauit: .·.·.·.·. Quocirca mandamus, quatenus si præmissa noueris veritate subnixa, sæpedicto Diacono, non solùm in Diaconatus officio ministrare, sed etiam ad ordinem Presbyteratus ascendere (si aliud canonicum non obstiterit) liberam concedas auctoritate Apostolica facultatem: præsertim si super hoc non fuerit respersus infamia: cùm ei non debeat imputari, quod contra prohibitionem eius expressam, eo causam vel occasionem non dante, ausu sacrilego fuit ab ipsius consanguineis attentatum.

HVIVS cap. quod integrum extat apud Innocent. III. *lib. 1. epist.* CCCXVIII. species hæc est: Abbas S. Ioann is de Pinna, (sic enim legendum pro de Puna, id nomen celeberrimo Monasterio diœcesis Iaceranæ in regno Aragonum, de quo in *cap. cùm olim. suprà. de censib.* vbi dixi) occisus est à cognatis & amicis Petri Diaconi, in eum iratis, quòd Petrum spoliasset beneficio, quod obtinebat in Ecclesia de Rigulo, eo inuito & prohibente. Qua de causa idem Petrus religione ductus, vltrò ab officio Diaconi abstinuit, & ante biennium habitum Monachalem assumpsit: sed nondum securus consuluit Pontificem, an sibi fas esset in officio Diaconi ministrare, & ad Sacerdotium aspirare. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* hunc homicidam non censeri, ac proinde irregularem non esse, cuius occasione Abbas ocei sus esset eo inuito, & prohibente, quia ex facto alieno quidem tenetur, qui sciuit & prohibere potuit, nec prohibuit. *l. scientiam. ff. ad l. Aquil. l. II. de noxalib. act.* Senec. II. de benef. cap. X. *Indignum si eripere latronibus potero, clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit omittere.* Nihilque est quod imputetur huic, qui intercessit ne Abbas occideretur, nec potuit impedire.

CAPITVLVM XVIII.

IDEM ABBATI S. TRINITATIS DE MELDEMBERG.

SIGNIFICASTI nobis, quòd cùm quidam maleficus ingressus Ecclesiam, Eucharistiam cum altarium ornamentis, & libris Ecclesiasticis extra Ecclesiam asportasset: L. Presbyter Ecclesiæ Canonicus regularis præfatum iniquitatis filium fossorio arrepto percussit: sed si ad mortem fuit ictus huiusmodi, tu & ipse penitus ignoratis: quem parœciani Ecclesiæ videntes ornamenta Ecclesiæ asportantem, abreptis gladiis & fustibus in eodem loco protinus occiderunt: .·.·.·.·. Nos in præmisso casu credimus distinguendum, vtrùm constare possit quòd præfatus Sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minimè interiisset, & si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio vel mandato processerint alij con-

tra illum. Et quidem si hoc ita se habet (quod forsan ex eo posset ostendi, si certa adparuisset percussio ab eodem inflicta tam modica, & tam leuis, in ea parte corporis, in qua quis de leui percuti non solet ad mortem, vt peritorum iudicio medicorum talis percussio adsereretur non fuisse lethalis) cùm de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur vel denunciatur ab aliquo, sed per seipsum consilium adpetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam iniunctam, in sacerdotali poterit officio ministrare, maximè religionis accedente fauore, cùm sit Canonicus regularis, & sine omni scandalo possit sacerdotale officium celebrare. Quòd si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos: & si fortè homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet: cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur: .·.·.·. Si verò (quemadmodum perhibetur) Sacerdos iste priùs ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit: quamuis vim vi repellere omnes leges & omnia iura permittant: quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam: non videtur idem Sacerdos à pœna homicidij penitus excusari: tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cùm graue sit, non solet leuem plagam inferre: tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet lædi.

HVIVS cap. species hæc est: L. Presbyter idémque Canooicus Regularis latrunculum deprehensum in furto sacræ supellectilis Ecclesiæ, zelo succensus percussit, mox parœciani manu coactâ gladiis & fustibus eundem trucidarunt. Idem an de commisso noxius esset dubius, supplex adiit Pontificem, aditus Pontifex rescripsit, si constaret præfatum Presbyterum, lethaliter hominem non percussisse, & percussorem non habuisse animum occidendi, neque illius studio, consilio vel mandato hominem à parœcianis percussum; quod ex eo colligi posset, si vulnus esset ita modicum & leue, & in ea parte corporis in qua vulnus non esset lethale, vt medicorum iudicio vulnus assereretur non esse lethale, de quo peritis in arte credendum erat, vt *hic, & l. semel. C. de re militar.* ac de cætero credendum esset illi qui vltrò non denunciatus vel accusatus, quod gestum esset fateretur, remedij quærendi caussâ, nemo enim præsumitur immemor salutis, vt *hic & l. vlt. C. ad l. Iul. repetund.* emensâ ad cautelam pœnitentiâ in Sacerdotis officio posse ministrare, maximè fauore religionis, cùm esset Canonicus regularis, & sine scandalo posset Sacerdotio defungi. Pœna remittitur Clericis vt parcatur eorum pudori, & propter Ecclesiæ opprobrium, & insultationem hæreticorum. *can. rursus.* xi. *qu.* iii. Quòd si sciri non posset cuius ictu percussus interiisset, in dubio Presbyterum tamquam homicidam haberi debere, & licèt fortè homicida non esset, à Sacerdotali officio abstinere debere, cùm tutius esset abstinere, quàm temerè celebrare. Quòd si Sacerdos priùs percussus à latrone, mox eum ligone in capite feriisset, etsi vim vi repellere liceat, quia hoc debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ. *l.* iii. *ff. de iust. & iur. l. scientiam. §. pen. ff. ad l. Aquil. l.* i. *C. vnde vi. l.* ii. *& dd. seqq. C. ad l. Cornel. de sicar.* non videri Presbyterum expertem culpæ, tum si spectes instrumentum quo percussit, quod cùm esset graue, nimis noxium erat, tum si spectes partem corporis, in qua vel leue vulnus solet esse lethale. Animus occidendi arguitur ex instrumento, quo vulnus illatum est, putà ferro vel lapide, vel ex parte corporis vulnerata *l.* i. *C. eod. tit. l.* i. *§. Diuus Adrianus. ff. eod.* Si plures hominem percusserint, si quidem appareat cuius ictu perierit, is solus tenetur de occiso: quòd si non apparet, omnes tenentur in solidum. *l. item Mela. §. sed si plures. ff. ad l. Aquil.*

CAPITVLVM XIX.

TVA nos duxit fraternitas consulendos: .·.·.·.·. Quæsiuisti quid sit de quodam Monacho sentiendum, qui credens se quandam mulierem à gutturis tumore curare, vt Chirurgicus cum ferro tumorem illum aperuit, & cùm tumor aliquantulum resedisset, ipse mulieri præcepit ne se vento exponeret vllo modo, ne fortè ventus subintrans gutturis apertionem, sibi causam mortis inferret: sed mulier (eius mandato contempto) dum messes colligeret, vento se exposuit incautè, & sic per apertionem gutturis sanguis multus effluxit, & mulier diem vltimum sic finiuit: vtrùm videlicet eùm prædictus Monachus sit Sacerdos, liceat ei sacerdotale officium exercere? Nos igitur fraternitati tuæ respondemus, quòd licèt ipse Monachus multum deliquerit officium alienum vsurpando, quod sibi minimè

congruebat : si tamen causâ pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnémque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeò reprobandus, quòd non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare : alioquin interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore.

CLERICI vel Monachi Physicorum, id est Medicorum artem exercere prohibentur: vt *hic*, *& cap* III. *cap. sententiam. suprà. ne Cleric. vel Monach.* Quòd si Monachus mulieri, quæ laborabat tumore gutturis, quod vitium vocant Gutteriam *la Gouttre.* Baldric. Nouiomens. lib. I. cap. XVI. *Si fœmina vitio, quod vulgò dicimus Gutteriam, non careret.* Si Monachus, inquam, mulieri huiusmodi tumorem curandi causâ ferro aperuerit, eâdem monitâ ne vento se daret, & mulier contempto mandato messis colligendæ causâ vento se exposuerit, & inde mors eius secuta sit, ex eo de iure irregularis efficitur, & à sacerdotali officio debet abstinere, quia deliquit alieno & incongruo officio se immiscendo. Sed non adeò graue est eius delictum, quin post satisfactionem, id est condignam pœnitentiam, cum eo misericorditer agi, id est dispensari possit, quo sacro restituatur officio; quia non quæstus, sed pietatis causâ, operam adhibuit, nec casus huiusmodi contigit eius culpâ & imperitiâ. Medicus præstat artis imperitiam; sed ei imputandus non est euentus, id est casus mortalitatis. *l. illicitas. §. sicuti medico. ff. de offic. præsid.* Multò minùs est quòd ei imputetur casus qui contigit culpâ & stultitiâ mulieris, ob contemptum consilium medici, vt proponitur *hic*, *& can. sæpè.* L. *dist.*

AD vltimum fuit ex parte tua propositum, quòd quidam scholaris metuens, ne latrones in hospitio suo essent, de strato consurgens, reperit ibi furem, qui non solùm ipsum scholarem prostrauit ad terram, sed penè ad mortem vulnerauit eundem: .·.·.·.·.·. Mane itaque scholares latronem quæsiuerunt eundem, quem vulneratum inuentum, Potestati Vincentiæ tradiderunt : coram quo constanter negauit quòd præmissa minimè perpetrauit. Vnde præfata Potestas ad eundem scholarem nuntios destinauit, vt exponeret si qua sciret de fure prædicto, vel traderet intersignia: qui cultrum, quem ipsi latroni abstulerat, & sotulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat, ne pedum strepitus audiretur, nuntiis tradidit memoratis, super eodem facto se nihil ampliùs intromittens. Potestas igitur receptis talibus intersigniis, latronem ipsum adparitoribus suis tradidit puniendum: qui sibi amputauerunt virilia, & oculos eruerunt : latro verò ira & dolore commotus, nec potum sum sit, nec cibum : & sic de medio est sublatus. Vnde per nostrum oraculum postulas edoceri, vtrùm præfatus scholaris ad sacros valeat ordines promoueri? Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si præfatus scholaris dignis meritis adiuuatur, propter præscriptum euentum, à susceptione sacrorum ordinum, nullatenus est arcendus.

SCHOLARIS qui dedit intersignia furis, qui postea à iudicis apparitoribus, luminibus, & virilibus multatus indignatione commotus, inediâ se consumpsit, non est irregularis, neque arcetur à sacris ordinibus, quia non dedit causam morti, quæ est summa *huius* §. Nec obstat quòd promouendus abstinere debet ab omni eo per quod peruenire possit ad sanguinis effusionem *can. Clericum qui.* L. *dist.* & Clericus testis esse non potest in causa sanguinis. *can. testimonium.* XI. *qu.* I. Quia scholaris hic non fuit testis vel accusator, sed rogatus à iudice simpliciter dedit intersignia furis, nec latro damnatus est sententiâ iudicis; sed ab eius apparitoribus per lasciuiam oculis & virilibus multatus est : nec idem à scholari, sed à seipso extremam vim passus est.

CAPITVLVM XX.

IDEM PRIORI ET FRATRIBVS CARTVSIENS.

SICVT ex literarum vestrarum tenore accepimus, cùm quidam Presbyter vestri Ordinis, qui priùs fuerat niger Monachus, quandam mulierem prægnantem, cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, & quæ adserebat se concepisse ex eo, per zonam adripuerit quasi ludens, ipsa per hoc sic se adseruit esse læsam, quòd occasione huiusmodi abortiuit : propter quod idem Presbyter proborum virorum vsus consilio, seipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum : .·.·.·.·.·.·. Nos verò deuotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus,

mus, quòd si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterit: alioquin debet ab altaris officio abstinere.

HVIVS cap. species hæc est: Quidam Monachus Carthusianus, qui olim fuerat è nigris Monachis, id est Benedictini Ordinis, ludens cum quadam muliere, quacum turpis ei erat consuetudo, & quæ ex eo se prægnantem asserebat, per zonam, id est cingulum eam abripuit, ex quo mulier offensa aborsum fecit. Hoc casu perculsus Monachus, altaris ministerio vltro abstinuit, & à Pontifice supplex petiit, vt cum eo dispensaretur. Aditus Pontifex rescripsit, abortioni causam dantem esse homicidam, & per consequens esse irregularem, si partus esset animatus: aliàs secùs. Homicida non est, qui aborsum procurat priusquam partus esset animatus, cùm homicidium non committatur in non animatis. *can. quod verò. can. Moyses.* XXXII. *qu.* II. Homicida est qui aborsui causam dedit, si partus esset animatus. *can. consuluisti.* II. *qu* V. Tertull. Apologetic. cap. IX. *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet, homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. homo est & qui est futurus, & fructus omnis iam in semine est.* Iure ciuili si mulier libera percussa aborsum fecerit, percussor tenetur lege Cornelia. *l. si mulierem. ff ad l. Cornel. de sicar. l. si quis aliquid. §. qui abortionis. ff. de pœn.* si ancilla, locus est actioni legis Aquiliæ. *l. si seruum. §. si mulier. ff. ad l. Aquil.*

CAPITVLVM XXI.

IDEM S. EPISCOPO.

POSTVLASTI :.:.:.:. Quæsiuisti præterea, vtrùm contra quosdam contemptâ excommunicationis sententiâ debitas Ecclesiis decimas subtrahentes, tibi regiam implorare liceat potestatem, cùm ad solutionem ipsarum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari? Ad quod respondemus, quòd si te huiusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex (cui ad bonorum laudem, vindictam verò malorum, gladius est commissus) in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiæ aut malitiæ imputandum.

EPISCOPIS vel Clericis per querelam agentibus de decimis apud Principem vel Iudicem sæcularem aduersus laïcos non soluentes decimas. Dixi per querelam, id est extra ordinem implorato officio iudicis sæcularis, cognitio enim de decimis pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum. *can. statuimus.* XVI. *qu.* I. His non imputatur quo irregulares fiant, si iudex in laïcos distringat vindictam, seu pœnam sanguinis, vt ostenditur in *hoc cap. & can. Maximianus.* XXIII. *qu.* V. Quia Episcopus aut Clericus non persequitur vindictam, seu pœnam sanguinis, sed simpliciter petit decimas sibi solui. Saltem Episcopi vel Clerici non contrahunt irregularitatem, hoc casu protestatione factâ quòd vindictam, seu pœnam sanguinis non persequantur. *cap.* II *h. tit. in* VI. Imprimis in Gallia Clericus agens criminaliter in quempiam non incidit in irregularitatem, quia actor priuatus non persequitur vindictam sanguinis, seu damna & interesse, ex quo vocant partem ciuilem; proprium verò Procuratoris fisci est in criminalibus persequi pœnam. Ita remoto Ithacio Episcopo, Priscilliani accusatore, à Maximo Tyranno subiectus est accusator Aduocatus Fisci. Sulpit. Seuer. II. hist. sacr. *& tum per Maximum accusator apponitur, Patricius quidam fisci Patronus.*

TIT. XV. *De sagittariis.*

CAPITVLVM I.

ARTEM illam mortiferam & odibilem ballistariorum & sagittariorum aduersus Christianos, & Catholicos exerceri decætero sub anathemate prohibemus.

BALLISTARIORVM & sagittariorum ars mortifera, & odibilis aduersus Christianos & Catholicos vetatur sub anathemate in *hoc cap.* Ballistam, quod est genus instrumenti bellici, adinuenit Richardus I. Rex Anglorum, sed infeliciter, hoc enim genere teli percussus occidit, cùm obsideret castrum Calucij apud Lemouices, Gu. Brito lib. V. Philippid.

Porrige Guidoni Balistam, qui tenet arcum,
Vt sua quæ misit Richardo missa remittat:
Hac volo non alia Richardum morte perire,
Vt qui Francigenis Ballistæ primitus vsum
Tradidit, ipse sui rem primitus experiatur,
Quámque alios docuit in se iam sentiat artes.

Hinc in Anglorum militia frequens vsus Balliſtariorum, Matth. Paris ad ann. MCCXIII. *Seruientes & liberos homines cum Balliſtariis & ſagittariis.* Temporibus Philippi A. Balliſtæ vſum vix Francis notum fuiſſe refert idem Guillel. Brito lib. II.

Francigenis noſtris illis ignota diebus
Res erat omnino, quòd Baliſtarius arcus,
Quid Baliſta foret, nec habebat in agmine toto
Rex quemquam, armis qui ſciret talibus vti.

Anathemate exploditur hic ars Balliſtariorum, quòd eſſet inſtrumentum maximè noxium & mortiferum, & inſidiis comparandis aptiſſimum, quo ſolerent vti Ruptarij, quod erat factionis genus, quibus excommunicationis diræ inflictæ in Concilio generali Lateranenſi. *cap. ſententiam. ſupra. ne Cleric. vel Monach.* Vnde Ruptarios & Balliſtarios coniungit Conc. in eod. cap.

TIT. XVI. *De adulteriis, & ſtupro.*

CAPITVLVM VI.

INNOCENTIVS III. TVLLENSI EPISCOPO.

INTELLEXIMVS, quòd cùm S. laïcus H. vxorem ſuam à maritali conſortio depuliſſet, diœceſanus eorum audiens eandem cum quodam adultero fornicari, eam & illum vinculo excommunicationis adſtrinxit: quæ tandem adulterum abiurans, abſolutione receptâ, coram Epiſcopo memorato prædictum virum ſibi reſtitui poſtulauit: at ille obiiciens ei adulterium, & quòd ab ipſo non expulſa, ſed ſpontanea receſſiſſet, reſtitutionem ſui propoſuit minimè faciendam: quod mulier inficians, replicauit in ipſum, quòd fuerat fornicatus: .·.·.·. Quocirca mandamus, quatenus (niſi tibi conſtiterit, vel per euidentiam rei vel per confeſſionem legitimam mulieris, quòd adulterata ſponte fuiſſet) adulterij etiam quod vir dicitur commiſiſſe, probatione ceſſante, ipſum recipere compellas eandem. Quòd ſi prædicto modo de mulieris fornicatione conſtiterit, (niſi teſtes, per quos viri adulterium eſt probatum, fuerint reprobati, cùm matrimonij ius in vtroque læſum conſiſtat, & paria delicta mutuâ compenſatione tollantur) nihilominus eum cogas, vt eam recipiat, & maritali affectione pertractet: alioquin mulieri ſilentium imponere non poſtponas.

HVIVS cap. ſpecies hæc eſt: Mulier à viro abiecta, cum alio adulterium commiſit, quâ de cauſâ à diœceſano Epiſcopo excommunicata, tandem eiurato adultero, & abſolutione excommunicationis receptâ ſe viro & matrimonio reddi poſtulauit. At ille mulieri duo obiiciebat, adulterium, & vltroneam diſceſſionem, ac ideo intendebat ſe non eſſe cogendum mulierem recipere, cùm in ea cauſa eſſet propter quam poſſet dimitti. Mulier adulterium negans replicauit virum adulterij reum eſſe. Partibus vtrinque ad probandum admiſſis, teſtes hinc inde recepti, Re per appellationem delatâ ad Sedem Apoſtolicam, Pontifex reſcripſit virum compellendum vxorem recipere, niſi conſtaret per euidentiam rei, id eſt per teſtes, vel legitimam confeſſionem mulieris, id eſt confeſſionem factam in iudicio, mulierem ſponte, id eſt non vi adulteratam, ceſſante etiam probatione adulterij de quo vir incuſabatur. Ob adulterium matrimonium non ſoluitur, ſed datur tori ſeparatio. *cap. ſignificaſti. ſuprà. de diuort.* Auguſtin. quæſt. vtriuſque teſtam. CXV. *Hic enim in vrbe Roma, & finibus eius, quæ ſacratiſſima appellatur, licet mulieribus viros ſuos dimittere, cùm cautum ſit in lege diuina, vt ne viri quidem hac poteſtate vterentur, exceptâ fornicationis cauſâ.* & idem in Ioann. cap. IX. *Propterea in cauſa fornicationis licet vxorem dimittere, quia ipſa eſſe vxor prior noluit, quæ fidem coniugalem marito non ſeruauit.* Quòd ſi vtrumque coniugem adulterio nuptias fœdaſſe probetur, virum cogendum vxorem recipere, cùm matrimonij ius in vtroque læſum ſit, & paria delicta mutuâ compenſatione tollantur. Mulieri non poteſt vir adulterium obiicere, qui & ipſe adulterium commiſit, quia paria delicta mutuâ compenſatione tolluntur. *l. viro. ff. ſoluto matrimonio. cap. vlt. infrà. h. tit. & d. cap. ſignificaſti.* & periniquum eſt vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipſe non exhibeat. *l. ſi vxor. §. iudex. ff. ad l. Iul. de adulter.* & hoc verum eſt ſi agatur ciuiliter de adulterio, quoad tori ſeparationem: quòd ſi agatur criminaliter, non fit compenſatio mutui criminis. *d. §. iudex*, id eſt mulier non poteſt adulterij crimen retorquere in virum per accuſationem, quia lege Iuliâ mulier non habet accuſationem adulterij aduerſus virum. *l. 1. C. eod. tit.*

lucio reseruata est Summo Pontifici, vel illi qui ab eo speciale mandatum habuerit, nisi in articulo mortis. In casibus reseruatis Pontifici casus mortis semper excipitur, ob periculum animarum. *can. si quis suadente, XVII. qu. IV. cap. à nobis. infrà. de sentent. excommunic. cap. pastoralis. §. præterea. suprà. de offic. ordinar.*

CAPITVLVM V.

IDEM ARCHIEPISCOPO ET CANONICIS MEDIOLANENS.

LICET ad regimen: . . . . Vt autem varietates falsitatis circa nostras literas deprehendere valearis, eas vobis præsentibus literis duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, vt falsa bulla falsis literis adponatur. Secunda, vt filum de vera bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum falsis literis inseratur. Tertia, vt filum ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera bulla falsis literis immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis canabis restauratum. Quarta, cùm à superiori parte bullæ, altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum. Quinta, cùm literis bullatis & redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta, cùm scriptura literarum, quibus fuerat adposita vera bulla, cum aquâ vel vino vniuersaliter abolita seu deleta, eadem charta cum calce & aliis iuxta consuetum artificium dealbata de nouo rescribitur. Septima, cùm chartæ, cui fuerat adposita vera bulla, totaliter abolitæ vel abrasæ, alia subtilissima charta eiusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino coniungitur. Eos etiam à crimine falsitatis non reputamus immunes, qui contra constitutionem nostram scienter literas non de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad bullam falsas literas cautè proiiciunt, vt de vera bulla cum aliis sigillentur. Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facilè comprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In cæteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adiunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione vel obtusione, præsertim si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alicubi magis depressa.

FALSVM committitur variis modis. I. Si falsa bulla falsis literis apponatur. Bulla est sigillum, quod apponitur diplomatis Pontificum & Principum, sine quo non valent. *Clem. Ro. ani. in fin. de iureiur ind.* de quo dictum est alio loco. II. Si filum de verâ bullâ extractum falsis literis inseratur. III. Si filum ab ea parte in quâ charta plicatur incisum, cum vera bulla falsis literis immittatur, sub eâdem plicaturâ cum filo similis canabis restauratum. Chartam plicari dixit, id est flecti, vt librum plicare. Augustin. de consens. Euangelist. lib. II. cap. XLII. *Et cùm: plicasset librum, reddidit ministro, & sedit.* Retia plicare, id est colligere, Ambrosi. in Psalm. CXVIII serm. II. *Vidit Dominum Iesum cùm plicaret retia sua.* IV. Cùm à superiori parte bullæ, altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum. V. Cùm literis bullatis & traditis, in eis aliquid per rasuram, id est lituram tenuem immutatur: instrumentum falsum dicitur, si sit rasum, vel mutatum in loco suspecto. *cap. ex literis. cap. inter dilectos. suprà. de fid. instrum. cap. cùm venerabilis. de religios. dom. cap. cùm olim. infrà. de privileg.* VI. Cùm charta cui apposita fuerat vna bulla, aquâ vel vino abolita, seu deleta, & calce vel aliis artibus dealbata de nouo rescribitur. VII. Cùm chartæ cui fuerat apposita vera bulla, in totum abolitæ, vel abrasæ alia subtilis charta eiusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino coniungitur. Criminis falsi non expertes sunt qui scientes contra Constit. Innocentij III. quæ edita est, *cap. prox. suprà. h. tit.* literas Pontificias alia de manu quàm Pontificis, vel Bullatoris recipiunt, & qui accedentes ad Bullam, id est ad locum, vbi bullæ & literæ expediuntur, falsas literas cautè proiiciunt, vt verà bullâ cum aliis obsignentur; sed hæ duæ species falsi non facilè possunt conuinci, nisi vel in modo dictaminis, id est charactere styli, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas arguatur: vt in rescriptis idoneum falsi argumentum est, si insit vitium Latinitatis. *cap. ad audientiam. infrà. suprà. de rescript.* In aliis verò falsitas probatur, vel ex adiunctione filorum, vel collatione bullæ, vel motione, vel obtusione, maximè si bulla non sit æqualis, sed alibi magis tumida, alibi magis depressa. Hæc est summa h. decretal. quæ integra est apud Innocent III. *lib. I. epist.* CCCXLIV.

CAPITVLVM. VI.

IDEM ATTINACENSI EPISCOPO.

QVAM graui pœnæ ſubiaceat: .·.·.·.·. Nos verò literas, quæ tibi ſub noſtro nomine præſentatæ fuerunt, diligentiùs intuentes, in eis tam in continentia quàm in dictamine deprehendimus falſitatem, ac in hoc fuimus admirati, quia tu tales literas, à nobis crediderаs emanaſſe: Cùm ſcire debeas Apoſtolicam Sedem conſuetudinem in ſuis literis hanc tenere, vt Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, fratres: cæteros autem Reges, Principes, vel alios cuiuſcunque ordinis, filios in noſtris literis adpellemus. Et cùm vni tantùm perſonæ noſtræ literæ diriguntur, numquam ei loquimur in plurali, vt vos ſiue veſter, & his ſimilia in ipſis literis adponamus. In falſis autem literis tibi præſentatis in ſalutatione, dilecto in Chriſto filio, vocabaris: cùm in literis, quas aliquando tibi tranſmittimus, te videre potueris à nobis fratrem venerabilem adpellatum. Propter quod ſic literas Apoſtolicas ſtudeas intueri, tam in bulla, filo & charta, quàm in ſtylo, quòd veras pro falſis, vel falſas pro veris literis modo aliquo non admittas.

HVIVS decretalis, quæ ſanior & integrior extat *in* III. *Collect.* ſpecies huiuſmodi eſt: Cùm Dominicus quondam Suarenſis Epiſcopus coram S. Capellano Sedis Apoſtolicæ, & Legato in Dalmatia & Dioclia, quæ tum parebat Regi Wulcano nomine, vt patet ex integra decretali, & Innocent. III. *lib.* I. *epiſt.* XXXI. *& ſeq.* Dalmatiæ Ducatum à Gregorio VIII. in Regnum euectum probat Baron. *ad ann.* MLXXVI. n. LXV. Cùm Dominicus, inquam, de homicidio reus poſtulatus, in Conc. apud Antibarum, quæ eſt Metropolis regionis, Epiſcopatui renuntiaſſet, ab vrbe rediens quaſdam literas Antibarenſi Epiſcopo (ſic enim reſtituenda eſt inſcriptio *h. cap.*) præſentauit, quibus ſeſe Epiſcopatui reſtitutum aſſerebat; Antibarenſis huiuſmodi literis nimium credulus eum reſtituit, amoto G. qui in eius locum iam electus & conſecratus erat. Wlcanus autem Rex Dalmatiæ cautior vtrumque ad Sedem Apoſtolicam accedere præcepit; vnde ius peterent. Inſpectis literis Pontifex falſas pronuntiauit his argumentis: I. quòd in his literis Pontifex Archiepiſcopum appellatione filij dehoneſtaret, cùm conſuetudo Sedis Apoſtolicæ ſit, ſuis in literis Epiſcopos fratres, inferiores cuiuſcunque ordinis filios appellare. Epiſcopi fratres ſunt Summi Pontificis, quia vices tenent Apoſtolorum. *can. quorum vices.* LXVIII. *diſt.* Ambroſ. epiſt. LXXXI. ad Syricium Papam: *Laudamus hoc, Domine frater nobis dilectiſſime, & toto concelebramus affectu.* II. Quòd in eiſdem literis Pontifex Archiepiſcopum in plurali appellaret, cùm Pontifex vni perſonæ loquens non ſoleat vti plurali: & in *fine h. cap.* ſubiungit idem Pontifex falſitatis virium ſpectari ex bulla, filo, charta & ſtylo, quia reſcripta Apoſtolica proprio ſtylo concipi ſolent, & certis verbis ſolemnibus.

CAPITVLVM VII.

AD falſatiorum confundendam malitiam: .·.·.·.·.·. De communi fratrum noſtrorum conſilio duximus ſtatuendum, vt qui literis noſtris vti voluerint, eas primò diligenter examinent: quoniam ſi falſis literis ſe vſos dixerint ignoranter, eorum ſera pœnitentia euitare nequibit pœnas inferiùs adnotatas. Nos enim omnes falſarios literarum noſtrarum, qui per ſe vel alios vitium falſitatis exercent, cum fautoribus & defenſoribus ſuis, anathematis vinculo decernimus innodatos: ſtatuentes vt Clerici, qui falſarij fuerint deprehenſi, omnibus officiis & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuò ſint priuati: ita quòd qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, poſtquam per Eccleſiaſticum iudicem fuerint degradati, ſæculari poteſtati tradantur, ſecundùm conſtitutiones legitimas puniendi: per quam & laïci, qui fuerint de falſitate conuicti, legitimè puniantur. Qui verò ſub nomine noſtro literis falſis vtuntur, ſi Clerici fuerint, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis ſpolientur; ſi laïci, tamdiu maneant excommunicationi ſubiecti, donec ſatisfaciant competenter: ita tamen, vt in iſtis & in illis malitia grauiùs, quàm negligentia puniatur. quod & de his, qui falſas literas impetrant, ſtatuimus obſeruandum.

CAPITVLVM VIII.

ACCEDENS: .·.·.·.·. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus ſi literæ Apoſtolicæ, in quibus falſitas fuerit deprehenſa, de ſimplici iuſtitia formam habeant

(cum

(cùm præsumi non debeat, quòd pro talibus literis, quæ possunt facilè obtineri, fraudem quis commiserit falsitatis) nec literis vsus est, postquam eas falsas esse cognouit, tu ei officium beneficiúmque restituens, ipsum super hoc vlteriùs non molestes.

LEGE Corneliâ pœna falsi est deportatio, & omnium bonorum publicatio in libero homine, in seruo vltimum supplicium. *l.* 1. §. *vlt. ff. h. tit.* Constitut. Constantini pœna falsi est capitis, si id exigat magnitudo, seu atrocitas commissi, vel deportatio, *l. vlt. C. h. tit.* Ex decreto Innocent. III. in *hoc cap.* falsatius literarum Apostolicarum, qui falsas literas per se, vel per alium confinxit, si est Clericus, ipso iure priuatur officio & beneficio Ecclesiastico: beneficium ipso iure vacat ob falsitatem literarum Apostolicarum. *can. si Episcopus,* L. *dist.* Et qui vitium falsitatis per se exercet, post degradationem traditur Curiæ sæculari puniendus legitimâ pœnâ falsi, quâ plectuntur laïci. Qui verò falsis literis vtitur, mitiùs punitur: si est Clericus, officio, & beneficio priuatur, si laïcus, excommunicatur. Iure Cæsareo, qui falso rescripto deceptus vtitur, excusatur, si innocentiam suam probet, & eum à quo accepit exhibeat. *l. maiorem. C. h. tit.* Sed hoc iure ignorantia non excusat eum qui falsis literis vtitur, quia priùs eas debet examinare, vt proponitur *init. h. cap.* In Synodo Rhemensi Sigilbodus Clericus Hugonis Comitis delator falsarum literarum à Diaconatu submotus & in exilium damnatus, Frodoard. *in Chron. ad ann.* MCCCCXLVIII. Adulterantes bullas Pontificis, vel sigilla Episcoporum excommunicatos denuntiari iubet Richardus Archiepiscopus Cantuariens. apud Petrum Blesens. epist. LIII. *Prouidentiæ vestræ districtè præcipimus, quatenus solemniter denuntiari facias excommunicatos, singulis festiuis diebus eos, qui Domini Papæ bullam, vel nostra & vestra sigilla falsare præsumunt, eisque consentientes, &c.* Qui verò literas simplicis iustitiæ impetrauit, si falsi arguuntur, nec eis vsus est ex quo comperit falsas esse, non priuatur officio & beneficio: quia non præsumitur falsum commisisse in literis, quæ facilè impetrantur. quæ est summa *cap. accedens.* quod integrum legitur *lib.* 1. *registr. epist.* CCCCLII.

CAPITVLVM IX.

EX conscientia :·.·.·.·.·. Verùm literas ipsas, quæ redargutæ fuerant falsitatis, diligentiùs intuentes, nullum in eis falsitatis signum, vel suspicionis inuenimus, nisi paucarum literarum rasuras, quæ nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt: vnde si vobis constiterit prædictum R. obligasse se sub periculo causæ, quòd literas illas falsas esse probaret (cùm quilibet ad renuntiandum iuri suo liberam habeat facultatem) ipsi R. super dicta Ecclesia silentium imponatis.

HVIVS cap. quod integrum est apud Innocentium III. *lib.* 1. *epist.* CCCC. species hæc est: Cùm inter Philippum & Robertum, Clericos Anglicos, sententia promulgata esset, super quadam Ecclesia, per duos iudices datos ex rescripto Apostolico, quorum vnus erat Abbas S. Crucis de Valtham, id nomen Monasterio in quo conditus Haroldus Rex Anglorum eiusdem fundator, Continuat. Bedæ, *lib.* III. *cap.* XIII. & Matth. Paris *in Willelmo I.* Robertus falsi impugnauit literas Apostolicas, & si in probatione deficeret, periculo causæ se subiecit. Visis literis falsas non esse Pontifex iudicauit, quòd nihil in eis vitij subesset præter rasuram paucarum literarum, quæ nequaquam sapientis animum in suspicionem falsi deducere debet: rasura paucarum literarum maximè in loco non suspecto, non viriat instrumentum. *cap. ex literis. cap. inter dilectos. suprà. de fid. instrum.* Ex quo cùm Robertus se subiecisset damno causæ, nisi falsum probaret, ipsi super dicta Ecclesia silentium imposuit, non iniuriâ: potest enim quis se obligare sub periculo causæ. *cap. cùm dilectus. suprà. de elect.* & sub pœna ordinis & beneficij. *can. quoties.* I. *qu.* VII.

TIT. XXVII. *De Clerico excomm. deposito, vel interd. ministrante.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. HERBIPOLENSI CAPITVLO.

ILLVD Dominus in beato Petro :·.·.·.·.·. Venerabilis frater noster quondam Hildesemensis Episcopus, licentiâ non solùm non obtentâ, sed nec etiam postulatâ (Ecclesiâ Hildesemensi relictâ) Herbipolensem Ecclesiam occupauit :·.·.·. Vnde Magdeburgensi Episcopo dedimus in mandatis, vt (cùm factum ipsum non posset in partibus illis non esse notorium) nisi dictus Episcopus intra xx. dies ab Herbipolensis Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum publicè

nuntiaret. Quod idem Magdeburgensis studuit adimplere :·.·.·.·.·. Ipse verò Episcopus, in nostra postmodum præsentia constitutus, etsi suum recognosceret & confiteretur excessum, & non iudicium, sed misericordiam postularet: hoc tamen inter alia in sua excusatione proposuit, quòd cùm dictus Magdeburgensis non esset ordinarius iudex eius, non crediderat, quòd monitione non præmissa auctoritate delegatâ posset procedere contra ipsum, aut sententiam in eum aliquam promulgare. Vnde cùm nec ante factum monitorias, nec pòst literas ab eo aliquas accepisset, peccare non credidit, si diuina officia quantumcunque solemniter celebrauit, præsertim cùm ei non nisi per famam de sententia contra eum prolata constaret:·.·.·.·.·. Licèt autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare. Illud autem quòd sub spe veniæ diuina sibi fecit (postquam se à nobis excommunicatum nouerat) celebrari, & communioni fidelium ingessit se, potiùs contra eum facere credimus, quàm pro eo, cùm sub fiducia pœnitentiæ non debuerit deliquisse, & excommunicato non vitare, multo magis, quàm non vitari periculosum existat. non vitare siquidem, cùm in eo sit, excommunicatus sine delicto non potest: sed cùm ex aliis pendeat, sine suo delicto poterit non vitari ·.·.·.·. Cum eo misericordiam facientes, pœnam, quam canon minatur his, qui post excommunicationem diuina præsumpserint officia celebrare, vel se celebrationi ingesserint diuinorum, ei non duximus infligendam.

CAPITVLVM VI.

IDEM BISVNTINENSI ARCHIEPISCOPO.

FRATERNITATI tuæ:·.·.·.·.·. Presbyteros autem & alios Clericos, qui pro suis excessibus, à te nexibus anathematis canonicè innodati præsumpserunt vel præsumunt officia celebrare diuina, rationabiliter poteris omnibus beneficiis Ecclesiasticis spoliare.

HVIVS cap. quod coniungendum est cum *cap. quanto. & cap. licèt. suprà. de translat.* species hæc est: Vacante Herbipolensi Ecclesia, quæ & Virzburgensis, Conradus Hildesemensis Episcopus postulatus in Herbipolensem Episcopum, licentiâ nedum obtentâ, sed nec postulatâ, Herbipolensem Ecclesiam occupauit. Quâ de re à Magdeburgensi Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato, ob contumaciam excommunicatus, tamen non desiit celebrare, suasus se non teneri sententiâ excommunicationis, quòd lata esset à iudice non suo, non ordinario, sed delegato, non præmissâ monitione, nec ei intimata esset, vel aliter ad eius notitiam peruenisset quàm per famam, & ex quo notam habuit sententiam excommunicationis, non in contemptum Sedis Apostolicæ, sed sub spe veniæ, id est, vt mox subiungitur, fiduciâ pœnitentiæ celebrauit. Licèt verò non omnino culpandus esset, quòd non paruisset sententiæ excommunicationis, de qua certus non esset, & quæ ei intimata non esset. Sententia vim non habet priusquam partibus edita sit. *l. ab eo. C. quomod. & quand. iudex. l.* I. & II. *C. de sentent. ex peric. recit.* Tamen cùm dubitaret an excommunicatus esset, à sacris eum abstinere oportuit, quia in dubiis tutior sententia est eligenda, vt præter hunc locum ostenditur in *cap significasti. suprà. de homicid.* Nec excusandus esset, quòd celebrarit sub spe veniæ: nefarium est enim si quis peccet sub spe veniæ *can. quando quis. de consecr. dist.* IV. Pontifex ex speciali gratia, & dispensatione ei remisit pœnam, quæ à canone infligitur excommunicatis celebrantibus, id est irregularitatem, & priuationem beneficij. Excommunicatus celebrans fit irregularis, & beneficiis priuandus est. *vtroque h. cap.* nisi ignorans celebrarit, dummodo ignorantia non sit crassa & supina. *cap. Apostolicæ. infrà. h. tit.* Et si per contemptum seu contumaciam excommunicatus celebret, coërcendus est per iudicem sæcularem. *cap.* II. *h. tit.* Cum Hildesemensi Episcopo, eo faciliùs dispensatum, quòd præterquam dubitans an esset excommunicatus celebrarat, non publicè nec diebus solemnibus, sed diebus profestis in angulo Ecclesiæ celebrarat, vt additur in integra decretali. Suspensus vel excommunicatus, nec publicè nec priuatim celebrare debet, vel alia sacramenta ministrare. *can. Presbyterum.* XXVIII. *dist.* sed alia officia præter missas potest priuatim recitare, non officiando. *can. si quis Episcopus damnatur, & seq* XI. *qu.* III. *cap. quod in te. infrà. de pœnit. & remiss.* Vt dispensaret Pontifex, fortè etiam motus notâ pietate, & virtute Hildesemensis Episcopi, quam memoriâ celebrat Thomas Cantiprat. Apum lib. I. cap. IV. *Qua in hora venerabilis Conradus Deo dignus Hildemensis Episcopus, ad matutinas intempestæ noctis silentio surrexerat, illisque dictis resedit ad studium facturus in die sermonem.* & id. lib. II. cap. LIII. *Verè dignus Conradus*

[illegible]

TIT. XXXI. De sacrificiis Prælatorum, & subditorum.

CAPITVLVM IX.

[illegible] ARCHIPRESBYTERO [illegible]

Q [illegible] in Clerico [illegible] malefecerunt [illegible] quod cum R. Dolerem [illegible] pulsavit, quod in [illegible] excommunicationis [illegible] Ideoque mandamus [illegible] officium exhibere mandato.

H [illegible]

CAPITVLVM X.

IOAN. EPISCOPO [illegible] DE [illegible]

[illegible]

EX literis vestræ accepimus, quod cum ad Albiganensem Ecclesiam [illegible] Archiepiscopum nunc Episcopum Vercellensem [illegible] Albiganensis Episcopus [illegible] quæ proposita fuerant [illegible] quod cum quidam [illegible] Et ut suspensio [illegible] Episcopis [illegible] quid super hoc [illegible] Episcopus [illegible] accepisset [illegible] quid sibi super hoc [illegible] Qui respondit [illegible] Audito [illegible] Episcopus & [illegible] prædictis [illegible] Apostolicam [illegible] Quoniam [illegible] Archiepiscopi [illegible] Apostolicam [illegible]

centoria factum esse dignoscitur, propter indignitatem & vilitatem ipsius duximus irritandum: cùm personis vilibus & indignis portæ dignitatis patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones. Præterea contra præfatum B. fuit manifestè per testes probatum, quòd de conscientia iudicum vltima clausula inserta non fuerat in literis eorumdem, sicut in ipsorum depositionibus exprimitur euidenter. ∴∴∴. Vnde pars altera proponebat, quòd cùm prædictus B. scienter vsus fuerit literis sic falsatis, debeat tanquam falsarius omnino repelli. Verùm nos attendentes, quòd etsi constaret, quòd dicta clausula literis illis fuisset adposita, præter conscientiam iudicum prædictorum, quia tamen fides facta nobis non fuit, quòd dictus B. illam clausulam adposuerit, vel procurauerit, vt ab alio poneretur: vel etiam, quod scienter vsus fuerit literis sic falsatis, ab huiusmodi falsitatis obiectu eundem duximus absoluendum, maximè cùm postquam sibi hoc obiectum fuit, prætermiserit vti eis ∴∴∴. Cùm igitur per depositiones duorum testium nobis constiterit, quòd concessio P. facta præcesserit, quanquam propter indignitatem eiusdem meruerit reprobari, concessionem postmodum B. factam irritam decernimus & inanem. Quia verò Cantor adeò inhonestum se habuit in hoc facto, vt primâ donatione non reprobatâ, secundam facere attentauerit, & dignum sit, vt in eo quis puniatur, in quo visus est deliquisse, in hoc eius duximus varietatis inconstantiam puniendam, vt concedendi Succentoriam ipsam hac vice nullam habeat facultatem: præsentium vobis auctoritate mandantes, concedimus, quatenus eandem auctoritate nostra suffulti, personæ idoneæ adsignetis.

HVIVS cap. species hæc est: Vacante Succentoriâ, quæ est dignitas Ecclesiæ Pictauiensis, Cantor eiusdem Ecclesiæ, ad quem de consuetudine donatio, seu collatio Succentoriæ spectabat, vt de consuetudine Ecclesiæ Eduensis Cantor habet ius præsentandi Succentorem Capitulo, vnum tamen è Canonicis. Oldrad. *consil.* CXLVI. contulit eam Petro Canonico Pictauiensi, & postmodum collatione non cassatâ contulit eandem Bernardo etiam Canonico Pictauiensi. Re in iudicium deductâ, testibus hinc inde receptis probatum est, Petrum esse aleonem, & vsurarium manifestum: quocirca collatio beneficij Petro facta tamquam indigno & famuso videbatur nulla & irrita, cùm famusis & indignis portæ dignitatum non pateant. *l. 11. C. de dignit. lib.* XII. Nec excusabat consuetudo Gallicana, ex qua Clerici solebant in alea mutuos dare nummos, & pro vndecim decem & duos recipere, quia dicenda erat magis corruptela quàm consuetudo. Contra præfatum B. fuit propositum, quòd de conscientia iudicum vltima clausula fuerat omissa in literis eorum, id est literis citatoriis, quibus cùm idem B. vsus fuisset sic falsatis, tamquam falsarius repellendus erat. Verùm quia etsi constaret, quòd dicta clausula literis fuisset apposita præter conscientiam iudicum, non constabat, quòd dictus B. illam clausulam apposuerit, vel ab alio apponi curauerit, vel etiam quòd sciens vsus fuerit literis sic falsatis: Pontifex eum absoluit à crimine falsitatis. De cætero idem Pontifex vtramque collationem irritam pronontiauit, nempe collationem factam Petro, quòd facta esset indigno, putà aleatori vel vsurario, & collationem factam Bernardo, quòd facta esset non cassatâ priori, quæ facta erat Petro. Prior collatio etiam nulla impedit secundam, & secunda collatio non potest fieri ab eadem persona, nisi priore reuocatâ, *vt hîc, & cap. post electionem. §. quoniam. de concess. prebend.* Idémque iuris est in electione. *cap. considerantes. suprà. de elect.* Ob variationem, quæ exosa est in personis Ecclesiasticis. *Clem. vn. de renunciat.* Neque obstat *cap bonæ memoriæ. suprà. de elect.* vbi electio scienter facta de indigno, non præstat impedimentum secundæ: quia ibi diuersæ electiones factæ erant à diuersis partibus, hîc verò vtraque electio facta est ab vna & eadem persona, quæ variare, & secum pugnare non potuit. Et secunda collatio nulla est & irrita, quia vitio stellionatus non caret. Quia verò Collator primâ collatione non cassatâ secundam facere non dubitauit, Pontifex eum priuauit potestate conferendi, pro hac vice, vt in quo deliquit puniatur, & certis iudicibus demandauit, vt idoneæ personæ Succentoriam conferrent.

CAPITVLVM XII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

ACCEDENTIBVS ad nos de diuersis mundi partibus, Episcoporum querelis, intelleximus graues & grandes quorumdam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt: de causis matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum literas, & similia præsumendo: vnde contingit interdum, quòd vilescit Episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his &c.

Episcoporum dignitati, & Abbatum prouidere saluti, præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi forsan quisquam eorum speciali concessione, vel aliâ legitimâ causâ, super huiusmodi valeat se tueri.

EX Concilio generali Lateranensi habito sub Innocent. III. Abbates prohibentur manum extendere, ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis, seu iurisdictionis, vt cognoscere de causis matrimonialibus, iniungere publicas pœnitentias, concedere literas indulgentiarum, & similia: nisi ex speciali concessione, id est ex priuilegio Pontificio, vel alia legitima causa, id est præscriptione valeant se tueri, quæ est summa *h. cap.* Abbatibus non licet cognoscere de causis matrimonialibus nisi ex priuilegio vel consuetudine præscripta, vt *hîc, & cap. literas. de restit. spoliat. cap. auditis de præscript. cap. I. de consang. & affinit.* Cognitio enim causarum matrimonialium propriè pertinet ad Episcopum. *can. multorum.* XXXV. *qu.* VI. Abbatibus etiam fas non est iniungere publicas pœnitentias, vel concedere indulgentias, quia pœnitentiæ publicæ iniunctio pertinet ad Episcopum, non ad Presbyteros, nisi de mandato Episcopi. *can. si iubet. can. Presbyter inconsult. & pass.* XXVI. *qu.* VI. Episcopi etiam est concedere indulgentias, *vt hîc, & cap. cum ex eo. infrà. de pœnitent.* Ea quæ sunt Episcopalis dignitatis, vel iurisdictionis, per inferiores præscribi nihil vetat; quæ sunt ordinis præscribi nullo tempore possunt per inferiores. *cap. aquâ. de consecr. Eccles. vel altar.* sed nec speciali priuilegio facilè conceduntur. Vt Abbates ex speciali priuilegio possunt conferre tonsuram, & alios minores ordines intra septa sui Monasterij. *can.* I. & II. LXIX *dist. cap. cum contingat. de ætat. & qualit. & ord. præfic. cap. Abbates. de priuileg. in* VI. Item ex priuilegio Abbates mitrâ & aliis insignibus Episcopalibus vtuntur. *cap. vt Apostolica. eod.* Et Cardinales ex singulari priuilegio in suis titulis habent iura Episcopalia. *cap. his. quæ. de maior. & obed.*

TIT. XXXII. *De noui operis nuntiatione.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. CANTVARIENSI ARCHIEPISCOPO

CVM ex iniuncto :.·.·.·.·. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus quicquid ædificatum est in Ecclesiâ de Lamech, post noui operis nuntiationem, expensis tuis facias penitus demoliri, eo non obstante si etiam absens extiteris: cùm cautum sit legitimâ sanctione, vt si is, cui opus nouum fuerat nuntiatum, ante remissionem ædificauerit, deinde agere cœperit ius sibi esse ita ædificatum habere, sibi debeat actio denegari, reducens prorsus in irritum, quicquid de instituendis ibi Canonicis & aliis, ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, à te vel prædecessore tuo cognoscitur ordinatum, eorum reditibus ad statum pristinum reuocatis, quos ab obligatione præstiti iuramenti, pro eo quòd ibidem instituti fuerunt, auctoritate nostra per te denuntiari præcipimus absolutos: cùm enim amodò non teneat principale, quicquid ex eo, vel ob id secutum est, sub præmissa districtione decernimus irritandum: .·.·.·.·. Super eo quoque non sufficimus admirari, quòd cùm viri religiosi Monachi Cantuarienses, qui omnia dimiserunt pro Christo, tot laboribus & periculis personas, & res non dubitauerunt frequenter exponere (quod non fecissent, nisi cognoscerent præmissa respicere in graue Cantuariensis Ecclesiæ detrimentum) tu saltem pro vitando tam graui scandalo proximorum, ab huiusmodi etiam tibi prohibitis non cessasti: cùm sacræ Scripturæ testimonio debueras didicisse, quòd licèt opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt: ab his tamen, quæ sine mortali peccato committi possunt pariter & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum. Vnde Apostolus: Si scandalizatur frater, non comedam carnes in æternum. Et Dominus in Euangelio contra eos, qui scandali præstant materiam: Væ, inquit, homini illi, per quem scandalum venit, &c. Et licèt maiorum scandalum sit vitandum, vitandum est etiam scandalum pusillorum, iuxta testimonium veritatis: Qui scandalizauerit, inquit, vnum de pusillis istis, qui in me credunt, &c. Finis ergo his taliter à te imponatur, quòd prætentitæ contradictionis rebellio per virtutem sequentis obedientiæ valeat expiari.

Hoc

[illegible]

TIT. XXXIII. *De privilegiis, & excessibus privilegiatorum.*

CAPITVLVM XX.

[illegible]

[illegible]

CAPITVLVM XX.

[illegible]

[illegible]

Ctoritas euanescit, cùm asserant se forum non habere, nisi Romanum, vel Hierosolymitanum. quod repetit idem Policrat. *lib.* VII. *cap.* XXI. Notantur hîc Hospitalarij quòd non seruarent generale interdictum: qua de re eosdem perstringit Gu. Tyrius loco modò laudato. *Ob enormia verò commissa si quando silentium Ecclesiis vniuersis, vel alicuius ciuitatis vel cuiuslibet municipij imponebatur; hi primùm & campanarum pulsatione, & vociferatione solito maiore interdictos populos ad diuina vocabant, vt oblationes & ceteras obuentiones matricibus Ecclesiis debitas ipsi haberent, & aliis lugentibus soli ipsi latarentur.* & Io. Saresber. Policrat. lib. VII. cap. XXII. *Licèt omnino iniquum sit, quod amore pecuniæ illecti, Ecclesias quas Episcopi clauserunt aperiunt, diuina suspensis celebrant, sepeliunt mortuos quos reiicit Ecclesia.* Hospitalarij tenentur seruare generale interdictum, semel tamen in anno si venerint ad alienam Ecclesiam interdictam, his permittitur in ea celebrare. *d. cap. cùm & plantare. §. quod & Templarij. cap. vt priuilegia. §. illud. infrà h. tit.* & hoc est quod innuit Saresberiens. loco mox laudato. *Et semel in anno faciunt, vt & toto anno erroneus populus, ad vocem Ecclesiæ obsurdescat.* Quin & in generali interdicto etiam exemptis licet diuina celebrare clausis ianuis voce submissa, non pulsatis campanis. *cap. quod te. infrà. de pœnit. & rem. ss. cap. cùm in partibus. infrà. de V. S.* Misso verò generali interdicto propter delictum Templariorum & Hospitalariorum, eisdem non seruantibus interdictum, Clerus & plebs non tenentur idem seruare, ne alieno de luctu rideant. *ex hoc cap. pœnult.* Damnantur & hoc loco Hospitalarij, quòd eleemosynas colligerent per homines laïcos, quibus assuebant falsò crucis signum, & si per Clericos aut laïcos falsò cruce signatos eleemosynas colligant, eis tollitur ius prædicandi. Puniuntur laïci qui falsò schemate Monachi vtuntur. *Nou.* CXXIII. *cap. vlt.* Maximè si quæstus causa falsò religionis habitum gesteot. *cap. cùm ex eo. infrà. de pœnitent.* Solebant Hospitalarij, vel missi eorum legendo eleemosynas passim prædicare, & inscitiâ nouum Euangelium obtrudebant. Saresberiens. eod. loc. *Circumeunt Ecclesias, collectorum suorum merita præconantur, abolitiones criminum portant, & interdum prædicant Euangelium nouum, adulterantes verbum Dei, &c.*

CAPITVLVM XII.

IDEM ABBATI ET CONVENTVI S. PETRI EVGVB.

CVM olim essemus apud Perusium constituti, & tu fili Abbas priuilegium Lucij Papæ nobis præsentans postulaueris innouari, propter contradictionem Eugubini Episcopi adserentis hoc in suum præiudicium redundare, non fuit effectui mancipatum :.:.:.:.:. Te igitur & præfati Episcopi procuratoribus, in nostra præsentia constitutis, B. basilicæ duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali dedimus in mandatis, vt super amissione ac tenore priuilegiorum testes reciperet; quos duceres producendos, qui fideliter redegit in scriptis depositiones x. testium iuratorum: quorum depositionibus publicatis, dicti procuratores ad producendos testes, per quos inductos à parte aduersa repellerent, inducias postularunt: quas sub eo tenore illis duximus concedendas, vt apud Sedem Apostolicam probarent, quæ vellent, vbi onus probationis pars altera subiisset :.:.:.:. Nos verò tam per depositiones testium, quàm adsertiones quorumdam fratrum nostrorum liquidò cognoscentes, talem dicti priuilegij fuisse tenorem, quòd videlicet cœnobium vestrum nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertineret, & quòd non liceret alicui Episcopo eidem Monasterio & eius Ecclesiis excommunicationem indicere, vt fratres illic Domino seruientes, ab omni potestate liberi, Romanæ Ecclesiæ libertatis gratia potirentur, & quòd nulla in eis mentio diœcesani Episcopi habebatur: illud etiam attendentes, quòd cùm tu, fili Abbas, tempore Celestini prædecessoris nostri ad ipsius præsentiam accessisses, ipse inspectis Ecclesiæ tuæ priuilegiis, te (licèt excommunicatus ab Eugubino Episcopo diceteris) tanquam non ligatum admisit ad osculum (quod præsumitur non fecisse, nisi Monasterium vestrum cognouisset ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere) decernimus priuilegium illud Lucij Papæ, quod sine reprehensione bullæ, chartæ vel literæ adparebat, quando fuit nobis ostensum, illius fuisse tenoris, cuius per depositiones testium & adsertiones fratrum noscitur extitisse.

HÆc decretalis integra extat apud Innocent. III. *lib.* II. *epist.* LXXV & CCLXXIV. Eius species hæc est: Cùm Abbas S. Petri Eugubini Lucij II. priuilegium de exemptione Monasterij sui Innocentio III. præsentasset, idque instaurari seu innouari postulasset. Re ex voto non securâ propter intercessionem, seu oppositionem Eugubini Episcopi, qui priuilegium in fraudem sui spectare adserebat. Postea priuilegij tabulis casu amissis, Pontifex Cardinali in hanc rem iudici dato dedit in mandatis, vt super amissione, & tenore instrumenti testes reciperet: Amissio & tenor instrumenti, si fortè casu amissum sit, probari potest per testes, vt *hic, & cap. sicut vobis. suprà. de re iudic. l. testium. C. de testib.* Receptis testibus, & eorum testimoniis publicatis, Pon-

tifex re cognitâ per depositiones testium, quibus accedebant assertiones quorumdam fratrum, id est Cardinalium, huiusmodi fuisse tenorem instrumenti, vt cœnobium S. Petri Eugubini immediatè ad Sedem Apostolicam pertineret, nec liceret diœcesano Episcopo eidem Monasterio, & eius Ecclesiis, id est personis excommunicationem, vel locis interdictum, quod est genus excommunicationis, indicere. Attendens etiam quòd cùm tempore Celestini III. idem Abbas Pontificem adiisset, ille inspectis priuilegiis, licèt Abbas excommunicatus diceretur ab Eugubino Episcopo, tamquam non ligatum sententiâ Ordinarij, à non suo iudice latâ admisit ad osculum: quod præsumebatur non facturus, nisi ei constitisset Monasterium immediatè pertinere ad Sedem Apostolicam. Abbates exempti tamquam filij Rom. Pontificis admittuntur ad osculum, Goffridus Abbas Vindocinensis lib. 1. epist. VIII. *Et sic Lateranense habuimus, & intrauimus palatium, vbi ego primus osculatus sum Domini Papæ pedem, in sede videlicet Apostolica.* Alexandrum II. legitimum Pontificem paratus ad osculum pedum agnouit Petrus Damiani adhuc Abbas Auellanensis, lib. III. cap. IV. *Manus do, plantas osculor, & non modò iam Apostolicum, sed etiam Apostolum si iubeis appello.* Etiam Theodosio Patriarchæ CP. obuiam processit Andradus, eiúsque pedes exosculatus est. Nicetas in Alexin Comneno Porphyrog. τὸ ἴχνος τῶν ποδῶν μετὰ σχήματος τῷ πάπᾳ. Canonicos Cathedrales vt fratres ad osculum admittit Episcopus. *cap. dilecto. suprà. de præbend.* Ex his decreuit Pontifex priuilegium illud, quod sine reprehensione, id est vitio bullæ, chartæ, vel literæ apparebat, cùm ei fuit ostensum eius fuisse tenoris, cuius per depositiones testium, & assertiones fratrum, seu Cardinalium probabatur. Vbi instrumentum casu amissum, non sufficit amissionem & tenorem instrumenti probari per testes, sed etiam omni vitio caruisse. *l. III. C. de edict. D. Adrian. toll. l. apud eos. C. de testib.*

Capitvlvm XIII.

IDEM CATHALENSI ELECTO, ET ABBATI TRIVM FONTIVM.

EX parte Abbatissæ ac sororum Iotrensis Ecclesiæ extitit intimatum, quòd Meldensis Episcopus commissionis occasione cuiusdam per literas ad iudices delegatos obtentæ (in qua nulla mentio habebatur de ipsarum priuilegiis, quæ illas & earum Ecclesias, clerum & populum Iotrensem ad Apostolicam Sedem, nullo mediante spectare declarant, quorum ipse non erat ignarus) eas incœperit grauiter molestare, obedientiam ab ipsis, ac à clero & populo Iotrensi subiectionem omnimodam requirendo: .·.·.·.·. Verùm cùm iudices ipsas valdè grauarent, ad appellationis beneficium conuolarunt: .·.·.·. Sed iudices appellationi non deferentes, nec fragilitati sexus compatientes earum, in Abbatissam excommunicationis, & in clerum & in populum Iotrensem interdicti sententias protulerunt. Sanè cùm iam nuntij Iotren. Ecclesiæ prædicta & alia in nostra præsentia retulissent, priuilegium nobis Apostolicum ostenderunt, per quod Ecclesiam Iotrensem constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eosdem nuntios propter appellationem prædictam diutiùs detinentes, quia tandem nullus adparuit idoneus responsalis, qui partem defensaret aduersam, priuilegium Apostolicæ Sedis Ecclesiæ Iotren. concessum duximus innouandum: ita tamen, vt per innouationem ipsius eidem Ecclesiæ non plus iuris accrescat, quàm per priuilegia prædecessorum nostrorum obtinuit: cùm per hoc non nouum ei concedere, sed antiquum ius conseruare velimus.

HVivs cap. species hæc est: Meldensis Episcopus per obreptionem quasdam literas impetrauit aduersus Abbatissam Monasterij Iotrensis, id est in diœcesi Meldensi ab Adone B. Audoëni fratre fundatum, Aimoin. *lib.* IV. *cap.* XLI. quod memoratur in *cap. ven. suprà. de arbitr. & cap. tanta. de exc. ss. Prælat.* nostris *Iouare* Ex erant literæ commissionis ad quosdam iudices, in quibus nulla fiebat mentio de priuilegiis Monasterij Iotrensis, ex quorum fide Monasterium & Ecclesiæ, quæ pendent à Monasterio, Clerus & populus Iotrensis immediatè pertinent ad Sedem Apostolicam, quod ipsum non latebat, vtpote diœcesanum. Abbatissa Iotrensis habet suum clerum & plebem, cùm sit caput & patrona ipsius Ecclesiæ. *d. cap. dilecta.* Ex huiusmodi literis Meldensis Episcopus coram datis iudicibus petebat obedientiæ obsequium ab Abbatissa & Monialibus, & subiectionem à Clero & plebe Iotrensi. Verùm Abbatissa cùm grauaretur à iudicibus datis appellauit ad Sedem Apostolicam: sed iudices appellationi haudquaquam deferentes, in Abbatissam excommunicationis sententiam protulere, & interdicti in clerum & plebem Iotrensem. Re cognitâ, & in medium producto Pontificio priuilegio, ex quo constabat Monasterium immediatè ad Sedem Apostolicam pertinere, cùm nullus appareret, qui Meldensem Episcopum defenderet, Pontifex priuilegium ipsius Monasterij instaurauit, ita vt per innouationem plus iuris non sortiretur, quàm ab initio obtineret. Innouatio priuilegij ius nouum non tribuit, sed

antiquum declarat, vt *hic, & cap. quia intentionis. infrà. h. tit. cap. cum dilecto. suprà. de confirm. vtil.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM COLVBRIENSI EPISCOPO.

CVM olim propter quæstiones, quas aduersus Priorem & Canonicos Monasterij sanctæ Crucis habebas, pro quibus ad audientiam nostram fuerat adpellatum, moram feceris longiorem: quia pro parte altera nullus comparuit responsalis, eisdem certum terminum duximus præfigendum, in quo venirent vel mitterent, super priuilegiis omnibus & libertatibus, quæ à Romano Pontifice, vel ab M. quondam Colubriensi Episcopo se habere dicebant, & super aliis quæstionibus aduersus eos à Colubriensi Ecclesia intentatis definitiuam sententiam recepturi:.·.·.·. Interim autem vtrique parti liceret coram dilectis filiis tuis de Alcobatia, & de Sarra Abbatibus, & F. Monacho Alcobatiæ, quibus causa priùs fuerat delegata, proponere ac probare, si quid aliud proponendum duceret ac probandum:.·.·.·.·. Iudices autem sufficienter actum esse de causa credentes, Monasterium sanctæ Crucis in expensis, quas per quadriennium occasione huiusmodi negotij iuraueras te fecisse, damnarunt, infirmantes suâ sententiâ libertatem, quam dictus M. Colubriensis Episcopus contulerat Monasterio sanctæ Crucis, Canonicorum adsensu per portarium regis extorto. Prætcrea, quia idem M. prædecessor tuus fuerat Canonicus regularis, & duo millia marabatinorum, quæ acquisierat, in Episcopum iam promotus monasterio dederat memorato: ipsum ad restitutionem eorum iudices condemnarunt. Insuper Ecclesias omnes, quas Monasterium præter Episcopi Colubriensis adsensum propria auctoritate fundarat (quia pars sanctæ Crucis, nec præscriptione, nec defensione aliâ, probationibus contra se factis obstiterat) iudicarunt in ius Colubriensis Ecclesiæ, cum fructibus medij temporis reuocari:.·.·.·.·. Tandem procurator Monasterij proposuit sententiam non valere nec tenere. Quòd si aliàs etiam sententia memorata teneret, quia tamen non Monasterium fuit indefensum, nec exhibita fuerant coram eis priuilegia libertatis (ne delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundaret) debebat ad exhibitionem priuilegiorum suorum admitti: quod sibi concedi de solita benignitate Sedis Apostolicæ postulauit. Nos igitur adtendentes, quòd eadem priuilegia non solùm modò pro libertate Monasterij faciebant, sed etiam exprimebant ius nostrum, & Ecclesiæ Romanæ iustitiam tuebantur: ne in nos Monasterij læsio redundaret, ad priuilegia exhibenda, partem eius de gratia duximus admittendam .·.·.·.·. Distinguentes itaque inter libertatem per prædictum Episcopum Ecclesiæ ipsi concessam, & libertatem, quam ei longè ante tempus ipsius Episcopi Apostolica Sedes indulsit, quia nobis constitit extortum fuisse in Episcopi concessione Canonicorum adsensum, & concessionis paginam in aliquot lineis habuisse rasuras, & subscriptiones singulas fuisse singulis subscribentium manibus adnotatas: scriptum autem, quod nobis exhibitum fuerat, nec rasuram prætendere, nec esse variis subscriptionum manibus variatum, sed à primo ad vltimum eadem manu conscriptum, libertatem ab ipso Episcopo concessam per extorsionem irritam decernimus & inanem: super hoc sententiam delegatorum iudicum confirmantes. Quia verò euidenter agnouimus ex priuilegiis antedictos prædecessores nostros Ecclesiæ sanctæ Crucis libertatis priuilegium indulsisse, & quòd in ea possessione tamdiu fuerat libertatis, quòd aliis etiam cessantibus præscripsisset: libertatem ei à prædecessoribus nostris indultam, auctoritate Apostolica confirmamus, tibi super hoc silentium imponentes. Super hoc autem in nullo sententiæ delegatorum iudicum derogamus, cùm ipsi de hac non cognouerint libertate:.·.·.·. Cúmque libertatem à prædecessoribus nostris indultam Monasterio confirmemus, ad ius professionis (quod est contrarium libertati) Monasterium decernimus non teneri: non derogantes iudicibus delegatis, quibus libertatis priuilegia non fuerant præsentata: in cæteris autem latam à prædictis iudicibus sententiam pro Colubriensi Ecclesia confirmamus.

HVIVS cap. quod illustrant plures epistolæ Innocent. III. nempe cccxxvii. *& vlt. lib.* I. cciii. & cciv. *libr.* II. huiusmodi est species. Lis seu quæstio erat inter Colimbriensem, seu Coimbriensem Episcopum, & Priorem & Canonicos Regulares Monasterij S. Crucis, quod ab Alphonso I Rege Portugalliæ fundatum & dotatum apud Coïmbriam, Roderic. Tolet. *lib.* VII. *cap.* VI. Lis, inquam, erat de subiectione ipsius Monasterij, Episcopo contendente Monasterium ad se lege diœcesanâ spectare, econtrà Priore & Canonicis Monasterium esse exemptum duplici titulo, nempe ex beneficio Rom. Pontificis, & Michaëlis olim Colimbriensis Episcopi. Hac de re dati iudices Abbas de Alcobacia, & de Seixa, sic lege pro de Serta, & quidam Monachus Alcobaciensis Monasterij. A Sede Apostolica causa potest mandari etiam simplici Monacho, vt *hic*, *& ex inscriptione cap. conquestus. suprà. de foro compet.* Quod ius immutatum *cap. statutum. de rescript. in* VI. Coram datis iudicibus Episcopus Colimbriensis petebat subiectionem & obedientiam Monasterij, & duo millia Marabatinorum, quod erat genus nummi aurei, sibi restitui, quæ præfatus M. Colimbriensis Episcopus, è Canonico regulari Monasterij S. Crucis factus, post Episcopatum quæsita dederat eidem Monasterio. Insuper petebat quasdam Ecclesias, quæ à Monachis extructæ erant, sine assensu Colimbriensis Episcopi eidem reddi cum fructibus medij temporis. A iudicibus ad Sedem Apostolicam appellatum, per Priorem Monasterij S. Crucis, quo cessante in prosequenda appellatione, Pontifex partibus diem præfixit, quem intra definitiuâ sententiâ lis terminaretur: nihilominus idem edicit, vt interim vtrique parti liceret, coram priùs datis iudicibus, à quibus appellatum erat, proponere, & probare quod vellent: quia cùm appellans cessasset in prosequenda appellatione intra diem præfixum appellationi renuntiasse videbatur. *cap. personas. cap. reprehensibilis. cap. adanres. suprà. de appellat.* Re vtrinque disceptatâ iudices Monasterium S. Crucis in expensas litis condemnatunt, quanti actor iurauerit. Nam si is qui appellauit cessauerit in prosequenda appellatione, appellato tenetur in expensas litis à tempore appellationis. *cap. sæpè. cap. Nicolao. eod. tit.* Idémque pronuntiarunt nullam & irritam esse exemptionem, quæ ab Episcopo Colimbriensi concessa erat Monasterio S Crucis, Canonicorum assensu per portarium Regis extorto. Episcopus non potest eximere Ecclesiam, vel Monasterium à sua iurisdictione sine consensu Capituli, multo magis sine consensû Rom. Pontificis. *cap. constitutus. de religios. domib. cap. cùm venerabilis. de censib.* Item iidem iudices condemnarunt Monasterium S. Crucis, vt restitueret Episcopo Colimbriensi duo millia Marabatinorum, quia Episcopus è Monacho factus, quicquid post Episcopatum acquirit, id acquirit Ecclesiæ, non Monasterio. *can. de Monachis.* XVI. *qu.* I. *can. statutum.* XVIII. *qu.* I. Denique iidem iudices statuerunt, vt omnes Ecclesiæ quæ à Monasterio S. Crucis sine assensu Colimbriensis Episcopi fundatæ erant, in ius eius reuocarentur, quia omnes Ecclesiæ sunt in potestate Episcopi. *can. omnes basilicæ. can. nullus.* XVI. *qu.* VII. Post sententiam Procurator Monasterij petiit se restitui aduersus sententiam, quòd lata esset aduersus Monasterium non defensum, nec in iure exhibitis Pontificiis priuilegiis, ne culpa personæ noceret Ecclesiæ. *can. si Episcopum. eod. caus. qu.* VII. Re cognitâ Pontifex attendens, quòd exemptiò non modò respiceret Monasterium, sed etiam Ecclesiam Romanam, Monasterium restituit ad exhibenda priuilegia. Iure communi sententia non retractatur prætextu instrumenti de nouò reperti. *cap. inter Monasterium. cap. suborta. de re iudicat. l. Imperatores. ff. eod.* Sed hoc casu Monasterium restituitur aduersus sententiam ex nouis instrumentis, quòd interesset Ecclesiæ Romanæ, quæ iure minoris vtitur. *cap.* I. *suprà. de in integr. restit.* Sententia lata aduersus minorem indefensum, ipso iure nulla est. *l. acta.* §. I. *ff. eod. l. si Præses. C. quom. & quand. iudex.* In summâ Pontifex sententiam iudicum pro parte confirmauit, pro parte rescidit, nempe exemptionem concessam ab Episcopo irritam pronuntiauit, quia facta erat de consensu Canonicorum per vim elicito, & tabulæ exemptionis in aliquot lineis erant rasæ, seu deletæ, & subscriptiones Canonicorum eadem manu erant exaratæ, quod erat idoneum argumentum falsi: econtrà exemptio Pontificis confirmata est, quia nitebatur authentico instrumento, & præscriptione longissimi temporis, quæ sola sufficiebat ad acquirendam exemptionem, quia habebat vim tituli. *l. pen. ff. de aqu. & aqu. pluu. arc. l.* III. §. *ductus aquæ. ff. de aqu. quot. & æstiu.* Ac denique iudicatum Priorem Monasterij S. Crucis non teneri professionem præstare Episcopo Colimbriensi, quæ est argumentum subiectionis & obedientiæ. *cap. ne Dei Ecclesiam. suprà. de simon.*

CAPITVLVM XV.

IDEM EPISCOPO, ET MAGISTRO G. LEMOVICEN.

ACCEDENTIBVS ad præsentiam nostram Abbatis, & Conuentus Naugiacensis, ex vna parte, & Templariorum de Tocen. ex altera procuratoribus: procurator Monachorum proposuit, quòd cùm decimas terrarum de Sarcole diu quietè possederint, antequam ad Templariorum dominium peruenissent, & postquam Templarij terras adquisiere prædictas, decimas earumdem per XL. annos & ampliùs pacificè possedissent, nunc eis ipsas subtrahere non verentur ∴∴∴. Dis-

[illegible]

exemptio Mooasterij non porrigitur ad Ecclesias, seu Capellas eiusdem, vt prænotatum est suprà *prox. cap.*

CAPITVLVM XVIII.

IDEM AVSONENSI EPISCOPO.

EX parte tua fuit quæsitum, vtrùm Clerici & laïci, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, à iurisdictione Episcopi diœcesani sint exempti. Nos autem respondemus tibi, quòd per literas huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahuntur.

ALIÆ sunt literæ protectionis, aliæ exemptioois. Clerici & laïci, qui literas protectionis obtinuere, quibus personæ cum omnibus rebus sub Apostolica protectione collocantur, non ideo à iurisdictione Ordinarij sunt exempti, ex *hoc cap.* quia protectio spectat ad securitatem impetrantis, non in fraudem & detrimentum Episcopi diœcesani. Solebant huiusmodi literæ tuitionis, quas Mundeburdij vocant, Ecclesiis & Mooasteriis concedi etiam à Principe. Quarum formula extat apud Marculf. *lib. 1. cap.* xxIV. De his Synod. Meldens. can. xII. *Prouidendum est Regia Maiestati, vt Monasteria quæ ab hominibus Deum timentibus, in sua proprietate constructa, prædecessores illius causa defensionis & Mundeburdi susceperunt, vt libera libertate remota spe hæreditaria de illorum propinquitate ibidem religio obseruaretur, & nunc in allodium sunt data,* & Synod. Confluentin. *Volumus vt Ecclesia & casa Dei, & Episcopi, & Dei homines, Clerici & Monachi, & Nonnæ talem Mundeburdem & honorem habeant, sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt.* Non omnes Ecclesiæ, etiam quæ suot censuales Ecclesiæ Romanæ, sunt liberæ & exemptæ. Iospicienda sunt priuilegia & teoor ipsorum, si enim Ecclesia quæ censum pensitat, specialiter B. Petri iuris existit, & in argumentum perceptæ libertatis census annuus confertur, tunc Ecclesiæ censentur exemptæ à iurisdictiooe Ordioarij: si verò census persoluitur in signum perceptæ protectionis, nihil ex hoc iuri diœcesani Episcopi videtur subreptum. *cap. recepimus. suprà. h. tit.* Exemptio indiget speciali beoeficio, quia est odiosa, & pugnans cootra ios commune. Princeps non censetur remittere obseruationem iuris communis, nisi specialiter id actum sit. *l. si quando. C. de inoff. testam.*

CAPITVLVM XIX.

IDEM ELIDENSI EPISCOPO.

PASTORALIS officij :·.·.·.·.·. Interrogasti vtrùm viris religiosis, quibus à Sede Apostolica est indultum, vt Ecclesias suas in proprios vsus possint conuertere decedentibus personis earum, liceat auctoritate propria possessionem earumdem intrare, vel per diœcesanum Episcopum in ipsa sint potiùs inducendi. Ad quod respond. quòd nisi fortè in indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum, suo Episcopo inconsulto, in possessionem ipsarum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non credimus derogari.

RELIGIOSI quibus à Sede Apostolica indultum est, vt Ecclesias Monasterio subiectas possint in proprios vsus conuertere decedentibus personis, id est titularibus earum, non possunt propriâ auctoritate earumdem iogredi possessiooem; sed per diœcesanum Episcopum in eam potiùs sunt inducendi, nisi in rescripto Pontificis id specialiter actum sit, quia per priuilegium Pootificis Episcopali iuri derogatum non creditur, ex *hoc cap.* Priuilegium Principis semper coocessum iotelligitur saluo iure tertij. Priuilegium Principis io alterius iniuriam porrigi non oportet. *l. impuberi. ff. de adm. tut. l. sed cùm ab hærede. ad Trebell. l. nec anni. C. de emancipat. cap. ex tuarum. de vsu pall. cap. licet. de offic. ordinar.* Vode si Ecclesia voiatur alteri Ecclesiæ vel Monasterio, vnio fit sine præiudicio Rectoris, nec effectum sortitur superstite Rectore: ex quo fit vt eius consensus non desideretur io vnione facienda. *cap. consultationibus. de donat. Clem. II. de reb. Eccles. alien.* Religiosi non possunt per se ingredi possessionem Ecclesiarum, quæ eis conceduntur à Pontifice, vniendæ Mooasterio, quia oemo suâ auctoritate rem suam accipere debet. *l. si ex stipulatione. ff. de acqu. possess. l. improba possessio. C. eod. l. si quis in tantam. C. vnde vi.* Habens titulum beneficij non potest quoque propriâ auctoritate capere possessionem, alioquin prædo est & intrusus. *cap. cum qui. de præbend. in VI. & d. l. si ex stipulatione*, & missio in possessionem beneficij de iore spectat ad Archidiaconum. *cap. ad hæc. de offic. Archid.* Neque obstat *cap. cùm venisset. de restit. spoliat.* quia ibi possessio de nouo non quæritur.

CAPITVLVM XXI.

QVONIAM per confessionem constat partis aduersæ, quòd Nephesinus Episcopus ius Episcopale percipit in Ecclesia sancti Basilij de Flagen. credimus, quòd non obstante illo capitulo priuilegij, quod Monasterio est indultum, vt nullus Episcopus Ecclesias vtroque iure illi subiectas interdicto supponere, vel Monachum seu Clericum eiusdem Monasterij synodare vel excommunicare præsumat, præfatus Episcopus possit interdicere dictam Ecclesiam, & excommunicare Monachum, seu Clericum vestrum ad eius regimen deputatum, cùm alterutrum de iure fuerit faciendum: quoniam illud capitulum esse intelligendum videtur de Monachis aut Clericis in ipso Monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis vtroque iure sibi subiectas.

VBI priuilegium conceditur Monasterio & Ecclesiis vtroque, id est pleno iure illi subiectis, vt nullus Episcopus Ecclesias, vtroque iure illi subiectas interdicto supponat, vel Monachum seu clericum eiusdem Monasterij synodare, id est vocare ad Synodum, vel excommunicare præsumat. Priuilegium intelligitur de Monachis, aut Clericis in ipso Monasterio permanentibus, vel destinatis ad Ecclesias vtroque iure sibi subiectas, ex *hoc cap.* Similis est interpretatio *cap. Abbati. infrà. de V. S.* Ita priuilegium decimarum, quod concessum est Cisterciensibus, non modò competit Monasteriis, quæ ab initio fundationis Cisterciensi Ordini dicata sunt, sed eis etiam quæ per adgregationem accesserunt eidem Ordini. *cap. cùm ordinem. suprà de rescript.*

CAPITVLVM XXII.

IDEM LONDONENSI ARCHIEPISCOPO APOST. SED. LEGATO.

QVIA circa:.:.:.:.:. Quæsiuisti, vtrùm Monachi omnium Sanctorum priuilegium prædecessoris tui super Episcopalibus decimis retinendis indultum, extendere valeant ad possessiones adquisitas, & postmodum adquirendas? Super quo tale damus responsum, quòd si decimarum illarum remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones, prædecessor tuus indefinitè decimas Episcopales Monasterio remittendo (cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat vna eadémque substantia diuerso iure censeri) intellexisse videtur, non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri.

HVIVS cap. species hæc est: Lundensis Archiepiscopus in Dacia, seu Dania Monasterio omnium Sanctorum Episcopales decimas remisit: quæsitum est vtrùm remissio decimarum pertineat ad quæsita dumtaxat prædia, vel etiam ad acquirenda. Consultus hac de re Pontifex rescripsit, quòd si remissio decimarum facta sit secundùm canonicas sanctiones, id est de consensu Capituli, vt par erat. *cap. pastoralis. de his quæ si à Prælat. sine consens. Capitul.* *cap. pastoralis. de donat.* ex iusta causa, & non in euersionem Ecclesiæ, indefinitè & sine vlla exceptione, generali remissione remissas videri decimas prædiorum præsentis temporis, & futuri; quia in beneficiis plenissima interpretatio est facienda, ex *hoc cap.* Beneficium plenissimè interpretandum contra concedentem. *d. cap. pastoralis. de donat. l. Papinianus. ff. de minorib.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

ANTIQVA Patriarchalium sedium priuilegia renouantes sancta vniuersali synodo approbante, sancimus, vt post Romanam Ecclesiam (quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium & magistra) Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat: Seruatâ cuilibet propriâ dignitate: ita quòd postquam antistites earum à Romano Pontifice receperint pallium (quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne) præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicæ verò Crucis vexil-

lum ante se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicumque Summus Pontifex præsens extiterit, aut eius Legatus vtens insigniis Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouinciis eorumdem iurisdictioni subiectis ad eos (cùm necesse fuerit) prouocetur: Saluis adpellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

TRES Sedes Patriarchales primùm fuère, Romana, Alexandrina, Antiochena, Conc. Nicæn. *can.* VI. *&* VII. *can. mox antiquus. can. quoniam* LXV. *dist.* Hierosolymitana Patriarchalis erat nomine non re, vacuo & inani honore, non potestate, quod satis colligitur ex *d. can.* VII. *Nicæn.* vbi decernitur, vt Episcopus Æliæ, id est Hierosolymæ honoretur, saluo iure Metropolitani, id est Cæsariensis Archiepiscopi. Tandem Patriarchatus honorem non fictum accepit Hierosolymitanus Episcopus, Conc. Calched. *act.* VII. vel quòd Ecclesia Hierosolymitana esset mater aliarum omnium Ecclesiarum, Theodorit. *lib.* V. *cap.* IX. [illegible] vel ob dominicum sepulchrum, si credimus Otthoni Frisingensi III. *Chron. cap.* II. Perperam Patriarcham Hierosolymitanum in Synodo Constantinopolitana habita tempore Iustiniani, & Vigilij Papæ credidit Gu. Tyr. *lib* XIV. cap. XII. Constantinopolitanus verò Episcopus creatus est primus Patriarcha post Roman. Pontificem, Syn. Constantinopol. I. *can.* III. idque ob Imperij sedem, Socrat. *lib.* V. *cap.* VIII. [illegible] *Eodem tempore decretum fuit, vt Episcopus Constantinopolitanus primas obtineret post Episcopum Romanum, quòd illa ciuitas noua Roma esset.* Patriarcharum iura sunt primùm ordinare Episcopos & Metropolitanos totius sui Patriarchatus, Conc. Calched. *can.* XXVIII. *l. decernimus. C. de SS. Eccles. l. sancimus.* 1. §. *vlt. C. de Episc. aud.* Hoc iure vsus Sisinnius Patriarcha CP. Proclum Cyzici Episcopum ordinauit, quo præuento Cyzicenos Dalmatium Episcopum elegisse, contemptâ lege quæ vetabat ne quis Episcopus ordinaretur [illegible], refert Socrat. *lib.* V. *cap.* VIII. Post electionem Episcopi assensum Patriarchæ requiri non verat Celestin. III. *in cap. cum terra supra de elect.* Secundom est, quòd à Patriarcharum sententia non appellatur. *d. l. sancimus.* Hinc decreta Sedis Patriarchicæ Alexandrinæ vim legis habere prædicat Synes. epist. LXVII. [illegible] *Ego & volo & necessitas mihi est diuina legem existimare omne, quòd illa Sedes decreuerit.* Tertium est, quòd omisso Primate potest à Metropolitano prouocari ad Patriarcham, Syn. Calched. *can.* IX. *&* XVII. & ex epist. Victor. *can. si quis putauerit.* II. *qu.* VI. Hieronym. ad Pammach. adu. errores Ioannis Hierosolymit. *Palæstina Metropolis Cæsarea, & totius Orientis Antiochia, aut igitur ad Cæsariensem Episcopum referre debueras, aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ.* Quartum est, vt Patriarcha suscipiat alienos clericos sine consensu proprij Episcopi, de quo Balsamo in *can.* XVII. *Synod VI. in Trull.* Quintum est, quòd pauperibus laïcis, & Episcopis, qui sedes suas amiserunt clade barbarica, portiones seu [illegible] à Patriarcha locupletioribus in Monasteriis assignantur, ex Nou. Alexij Comneni, quam refert Balsamo in *can.* XIX. *Syn. VI.* & *lib.* VII. *resp. de priuileg. Patriarch.* Sextum addo, quòd si Ecclesiarum Prælati idoneis personis beneficia non conferant, post trinam monitionem à beneficiorum collatione suspenduntur, & suspensio non ab alio soluitur, quàm à Summo Pontifice, vel Patriarchis, vt in hoc Patriarchales Sedes honorentur. *cap. graue nimis supra. de præbend.* Septimum est, quòd Patriarchæ habent ius pallij, quod à Sede Apostolica accipere debent, vt caoetur hoc loco. A Celestino I. [illegible] seu pallium accepit Cyrillos Patriarcha Alexandrinus, Ephesinæ Synodo vice sacra præfuturus, & ab eo tempore eodem pallio vsi sunt eius successores, testatur Balsamo in Nomocan. Phot. *tit.* VIII. *cap.* I. Æquè & Constantinopolitani Patriarchæ à Sede Apostolica pallium acceperunt, donec insano ambitu Romanus Imp. Theophylacto filio Patriarcha ordinato, à Ioanne II. priuilegium extorsit, vt Theophylacto, eiusque in perpetuum successoribus ius esset vtendi pallio absque speciali permissu Rom. Pontificis, ex quo inoleuit, vt non modò Patriarchæ pallio vterentur, sed etiam passim Episcopis sibi subiectis id concederent, Luitprand. de legat. ad Nicephorum Phocam. *Scimus, imò videmus Constantinopolitanum Episcopum pallio non vti, nisi sanctis Patris nostri permissu, verùm cùm impiissimus Albericus Romanam ciuitatem sibi vsurparet, Dominumque Apostolicum, quasi seruum proprium in Conclaui teneret, Romanus Imperator filium suum Theophylactum Eunuchum Patriarcham constituit, cùmque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis effecit; vt ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ literæ mitterentur; quâ auctoritate tum ipse, tum successores eius, absque Paparum permissu palliis vterentur: ex quo turpi commercio vituperandus mos inoleuit, vt non solùm Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis vtantur: quod quàm absurdum sit censere opus non est.* Octauum est, quòd Patriarchæ habent ius crucis præferendæ per vniuersam diœcesim, vt patet ex *hoc cap.* Eodem iure vtuntur Legati Sedis Apostolicæ, quod satis insinuat Hugo Dunelmensis Episcopus in epist. quadam apud Roger. Houeden. & Matth. Paris in Richard. I. vbi Willelmum Eliensem Episcopum Legatum Sedis Apostolicæ in Anglia crucem legationis apud Cantuariam deposuisse refert, in quam non inficetè ludit his verbis: *Omnes enim Ecclesias Angliæ crux illa redemit, id est ad redemptionem coëgit, nec fuit aliquis immunis, qui crucis illius stigmata non sentiret.* Stephano I. Regi Hungarorum à Benedicto Rom. Pontif. in perpetuum

Pontificiæ legationis insigne concessum, vt ei posterisque Regibus ius esset præferendæ crucis. Bonfin. *decad.* II. *lib.* I. *Rer. Hungar.* Præter hos ius crucis præferendæ habent Primates. Hoc nomine Archiepiscopus Eboracensis, de primatu Angliæ certans cum Archiepiscopo Cantuariensi ius præferendæ crucis sibi asserit per vniuersam Angliam: de quo variis temporibus recidiua controuersia recruduit inter Cantuariensem & Eboracensem, de qua in *cap.* I. *vt lit. pendent.* & apud Houeden *in Henrico ad ann.* MCLXXV. *& in Richard. I. ad ann.* MCXCII. Archiepiscopis etiam competitius præferendæ crucis intra prouinciam. *d. cap.* I. etiam in locis exemptis saltem in transitu, *Clem. vlt. h. tit.* Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia in Concilio generali Lateranensi instaurauit Innocent. III. in *hoc cap.* lege datâ vt post Romanam Ecclesiam, quæ super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater & magistra omnium Ecclesiarum, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat. Seruatâ cuilibet propriâ dignitate, secundùm ordinis scilicet prærogatiuam Patriarchæ habent ius προεδρείας post Summum Pontificem, in Concilio & Consistorio, ante Cardinales, vt sentiunt Panormit. *hic* & Felin. *in rubr. de maior. & obed.* Hostiensi Episcopo primas ante Patriarchas tribuit Hostiensis, hîc, quòd consecret Pontificem, & inungat Imperatorem: Imò & Cardinales Episcopi præcedunt Patriarchas, si credimus Petro Damian. lib. I. epist. XIX. *Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogatiuis, non modò quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum atque Primatum iura transcendunt.* Ita vt postquam Patriarchæ à Rom. Pontifice pallium receperint, quod est plenitudinis Pontificalis officij insigne, liceret & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur. Patriarchæ iubentur accipere pallium à Sede Apostolica, vt coërceretur præsumptio Constantinopolitani Patriarchæ, qui pallium propriâ auctoritate sibi assumebat: & accepto pallio à Sede Apostolica Patriarchis conceditur ius largiendi pallij Archiepiscopis sibi subiectis, vt commune esset cæteris, quod specialiter sibi vindicabat Constantinopolitanus Patriarcha. Eisdem Patriarchis datum in hoc Concilio, vt ius habeant crucem vbique præferendi nisi in vrbe Romana. Patriarchæ in vrbe priuatorum loco habentur, vt Proconsul vrbem ingressus deponit fasces & imperium. *l.* I. *& vlt. ff. de offic. Proconsul.* vel vbicumque Summus Pontifex præsens extiterit. Curia est vbi Pontifex, vel Princeps præsens existit. Herodian. lib. I. ἐκεῖ τε ἡ Ῥώμη, ὅπου ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ᾖ. *Roma est vbi Imperator.* Petrus Cluniac. lib. I. epist. I. ad Innocent. II. *Vbicumque occurrerit habitatio, manebit vbique vobiscum obedientia, & deuotio nostra, quoniam & secundùm Poëtam Veios habitante Camillo illic Roma fuit, &c.* Potestas Magistratus suspenditur præsente Principe. *cap. volentes. de offic. legat. can. denique* XXI. *dist. can. præcipimus.* XCIII. *dist. can. Presbyter.* XCV. *dist.* Ottho Frising. II. *de gest. Frideric. cap.* XIII. *Alia itidem ex antiqua consuetudine manasse traditur iustitia, vt Principe Italiam intrante, cuncta vacare debeant dignitates ac Magistratus, ac ad ipsius nutum secundùm scita legum, iurisque peritorum iudicium vniuersa tractari, aut vbi adfuerit Legatus Pontificis, vtens insignis Apostolica dignitatis*, id est veste purpurea, palefrido albo, fræno & calcaribus deauratis, vt subnotat hîc Hostiensis. Eâdem ratione quòd potestas inferioris suspenditur præsente superiore. *d. cap. volentes.* Eodem Concilio sancitum, vt à Metropolitanis omisso Primate appelletur ad Patriarchas: quod congruit cum *can. prouincia.* XCIX. *dist.* & aliis antiquis Canonibus suprà laudatis. Sequitur mox, saluis appellationibus ad Rom. Pontificem, quibus est ab omnibus deferendum, quia ab omnibus rectà, id est omisso medio, potest appellari ad Sedem Apostolicam. *can. ad Romanam.* II. *qu.* VI. quod tamen non seruatur in Gallia. Non omittendum, in hoc Concilio Romanum Pontificem declaratum Ordinarium Ordinariorum: à quo tempore vsuuenit, vt Pontifex concurrat cum omnibus Ordinariis, & per præuentionem conferat beneficia, vbique vacantia. *cap. si Papa. h. tit. in* VI. *cap.* II. *de prabend. eod.*

CAPITVLVM XXIV.

IDEM IN EODEM.

VT priuilegia, quæ quibusdam Religiosis Romana concessit Ecclesia, permaneant inconcussa, quædam in eisdem duximus declaranda, ne minùs sanè intellecta pertrahantur ad abusum, propter quem possint meritò reuocari; quia priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Sanè quibusdam regularibus Apostolica Sedes indulsit, vt his, qui fraternitatem eorum adsumpserint, si forsitan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à diuinis officiis fuerint interdictæ, ipsósque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Suos quoque confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, vel qui adhuc manentes in sæculo, eorum Ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari: vel eis, qui bona sua

dederant inter viuos, retento sibi (quamdiu in hoc sæculo vixerint) vsufructu: qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam: ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem adsumentibus fuerit intellectum, pro duobus aut tribus denariis annuatim sibi collatis, dissoluatur pariter & vilescat Ecclesiastica disciplina: certam tamen & ipsi remissionem obtineant ab Apostolica sibi Sede concessam. Illud etiam, quod huiusmodi regularibus est indultum, vt si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates siue collectas, in quamlibet ciuitatem, castellum, vel vicum aduenerint, si fortè locus ille à diuinis officiis sit interdictus, in eorum iucundo aduentu semel in anno aperiantur Ecclesiæ, vt exclusis excommunicatis, diuina ibidem officia celebrentur: sic intelligi volumus, quòd in eadem ciuitate, aut castro, aut villa vna tantùm Ecclesia eiusdem Ordinis fratribus semel (vt dictum est) aperiatur in anno: quia licèt pluraliter dictum sit, quòd in eorum iucundo aduentu Ecclesiæ aperiantur, non tamen ad Ecclesias eiusdem loci diuisim, sed prædictorum locorum coniunctim sano referendum est intellectu: ne si hoc modo singulas eiusdem loci visitarent Ecclesias, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quicquam sibi vsurpare præsumpserint, graui subiaceant vltioni.

PRIVILEGIVM regularibus indultum, vt confratribus eorum tempore interdicti non negetur Ecclesiastica sepultura, nisi sint excommunicati, vel nominatim interdicti, intelligendum est de illis, qui adhuc versantes in sæculo, eorum Ordini sunt oblati mutata veste sæculari, vel de his qui res suas donarunt inter viuos, retento vsufructu quoad vixerint. Priuilegio regularium vtuntur oblati, qui se & sua offerunt Monasterio veste mutata, vt quod Hospitalarij quartam præstant funeris eorum qui apud eos eligunt sepulturam, intelligitur nisi sint oblati, seu conuersi eorum. *cap. in nostra. suprà. de sepultur.* Ne si intelligas de quibuslibet in eorum fraternitatem receptis, duobus aut tribus denariis annuatim collatis, dissoluatur, & vilescat Ecclesiastica disciplina. Confratres cuiusque fraternitatis duo vel tria minuta æra quotannis conferunt nomine fraternitatis; vnde collectas ipsas vocant fraternitates, vt *in hoc cap.* Quod etiam regularibus indultum est, vt si qui fratrum vel oblatorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates siue collectas, in quamlibet ciuitatem, vel vicum peruenerint ad colligendas fraternitates siue collectas, si fortè locus ille sit interdictus, interdictum soluatur semel in anno pro iucundo eorum aduentu, & aperiantur Ecclesiæ & ibidem sacra celebrentur, sic intelligitur, vt in eadem ciuitate vel vico vna tantùm Ecclesia fratribus eiusdem Ordinis semel in anno aperiatur. Cui interpretationi adstipulatur *cap. cùm & plantare. §. quòd si Templarij. suprà. h. tit.* Quia licèt dictum sit in plurali, vt pro eorum iucundo aduentu Ecclesiæ aperiantur, tamen hoc ciuiliter accipiendum de vnica Ecclesia cuiusque loci, ne si de pluribus eiusdem ciuitatis vel loci Ecclesiis interpreteris, inanis fiat sententia interdicti, & disciplina Ecclesiastica corruat: & hæc est sententia *h. cap.* Ex priuilegio Pontificis Hospitalarij habent ius colligendi eleemosynas in vsum pauperum Hierosolymitanorum, vt patet ex *hoc cap. & cap. tua nos. suprà. h. tit.* Huiusmodi collectæ eleemosynarum fieri non possunt sine literis Summi Pontificis, vel diœcesani Episcopi. *cap. cùm ex eo. infrà. de pœnitent.*

CAPITVLVM XXV.

IDEM IN EODEM.

QVOD nonnullis est Religiosis indultum, in fauorem Pontificalis officij ad Episcopos extendentes concedimus, vt cùm commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque ianuis clausis subpressa voce, & non pulsatis campanis diuina celebrare officia: nisi & hoc ipsum eis expressè fuerit interdictum. Verùm hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quicquam doli vel fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes.

QVOD regularibus indultum est, vt tempore interdicti, possint diuina celebrare ianuis clausis, submissa voce, & non pulsatis signis sacra celebrare, de quo & in *cap. cùm in partibus. infrà. de V. S.* porrigitur ad Episcopos, nisi hoc eis expressè fuerit interdictum, vel causam præbuerint interdicto, ex *hoc cap.* Episcopi in interdicto gaudent priuilegio regularium, quia Episcopalis status, est status perfectionis, qui continet omnes ordines vitæ perfectioris, per ordinationem enim sanctificatur Episcopus. *can. non nos. XL. dist. can. statutum. XVIII. qu. I.*

TIT. XXXIV. *De purgatione canonica.*

CAPITVLVM X.

INNOCENTIVS III. SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

INTER solicitudines nostras illa debet esse præcipua, vt capiamus vulpeculas: ·.·.·.·.·.·. Licèt (ergo) Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantùm vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos: quia tamen eum etiam à beneficio propter immanitatem criminis suspendisti, nolumus improbare: Nec illud etiam improbamus, quòd licèt contra eum nullus accusator legitimus adpareret, ex officio tuo tamen (famâ publicâ deferente) voluisti pleniùs inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, graue scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quæ contra Decanum facere videbantur, cùm propter eorum quodlibet ei esset purgatio indicenda, & seruantes iustitiam, & mollientes rigorem, purgationem ei quartædecimæ manus sui ordinis duximus indicendam. Ipsum igitur ad te remittentes, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus: mandamus, quatenus accitis tecum Niuernensi & Parisiensi Episcopis, indictam ei purgationem accipias: ita tamen, vt qui ad eius purgationem processerint comprobandam, sint fide Catholici, & vita probati, qui conuersationem & vitam ipsius non tam moderno tempore nouerint, quàm transacto. Purgatione verò receptâ, beneficium ei restituere non postponas. In pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur: ita tamen vt publicè familiaritatem hæreticorum abiuret. Præcipias insuper ei districtè, vt in prædicta & aliis villis circumpositis profiteatur, & prædicet fidem Catholicam, ac confundat & detestetur hæreticam prauitatem: sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, vt infamia conuertatur in bonam famam, & omne scandalum & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quòd si forsan in purgatione defecerit: eum Ecclesiasticæ disciplinæ mucrone percellas, & ab officio & beneficio depositum, ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudere non omittas.

CAPITVLVM XI.

IDEM ABBATI S. DIONYSII, ET PRESBYTERO S. MARTINI.

CVM dilectus ·.·.·.·.·. Illud autem vos adtendere volumus, & mandamus, vt tales ad purgationem admittantur personæ, quæ vicinæ sint & honestæ.

CAPITVLVM XIII.

IDEM TYRONENSI ARCHIEPISCOPO.

DE testibus: ·.·.·.·.·. Illi verò, qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur, id solùm tenentur iuramento firmare, quòd veritatem credunt eum dicere, qui purgatur.

HÆc decretalis integra extat apud Innocentium III. *lib.* 11. *epist.* LIX. eius species hæc est: Cùm Decanus Niuernensis esset publicè infamatus de crimine hæresis, licèt nullus aduersus eum accusator appareret, Arch. Senonensis, coniunctus cum tribus Episcopis Altissiodorensi, Meldensi & Niuernensi, in villâ, seu oppido, quæ dicitur Caritas, Altissiodorensis diœcesis, insignis Prioratu, vno è principibus Ordinis Cluniacensis, de quo in *cap. sacrosancta. suprà de elect.* & apud Petrum Cluniacens. *lib.* 11. *epist.* XXXIX. propter infamiam & scandalum, ab officio & beneficio ipsum suspendit. Re delatâ ad Sedem Apostolicam, licèt ex canone, infamati de crimine, deficiente accusatore, ad canonicam vsque purgationem, ab officio duntaxat suspendantur. *can. Presbyter.* 11. *qu.* v. quia ab vtroque, id est officio & beneficio suspensus erat propter atrocitatem criminis videlicet de hæresi; sententiam non improbauit Pontifex, nec illud etiam, quòd licèt deficeret accusator, ex officio tamen Senonensis ob publicam diffamiam de rei veritate pleniùs voluit inquirere. Contra infamatum de crimine Episcopus ex officio potest inquirere sine ac-

cusatore. *cap. qualiter. suprà. de accusat.* Attendens autem Pontifex publicam infamiam, graue scandalum, & vehementem suspicionem, purgationem quartæ & decimæ manus sui ordinis, ei duxit indicendam. Regulariter in criminibus actore non probante reus absoluitur; sed in Clericis, quia eorum fama integrior esse debet, ita vt non modò vacent crimine, sed etiam suspicione, & opinio eorum in nullo vacillet. *can. laicis.* XXXIII. *dist.* Si clericus infamatus sit de crimine, maximè de hæresi, etiam deficiente accusatore, non absoluitur, priusquam canonicam purgationem subierit, quæ pro modo delicti indicitur, tertia, quarta, septima, vel in grauioribus criminibus quarta decima manu per testes iuratos, qui dicuntur compurgatores, in *hoc cap. & cap. quoties. cap. vlt. h. tit.* sacramentales & coniuratores in lege Alemann. & Baioar. qui deponant de credulitate, id est se credere illum esse expertem criminis, quo de accusatur, vt *hic & d. cap. quoties. & cap. vlt. & cap. de testibus. h. tit. cap. tam litteris. de testib. can. Mennam. & seqq.* II. *qu.* V. Purgatio indicitur pro modo delicti & qualitate personarum, tertia, quarta, septima, vel ad summum quarta decima manu. *d. can. Mennam. can. si legitimi. can. quoties. ead. caus. & qu.* Iuo Carnot. epist. LIV. *Habito inter nos consilio accepimus, tam ab eo quàm ab illis qui cum illo erant meliores, districta sacramenta vsque ad septem, quæ cum quantum in conspectu hominum purgari poterat, purgauerunt de inuasione & simonia.* & idem epist. CCVI. *Posuerunt autem hæc in discretione Episcoporum, vt secundùm quod audiunt malam famam Presbyterorum crebescere, & ingrauescere, exigant purgatoria sacramenta à Presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem collegis.* Aliquando purgatio fiebat vnica manu, vt purgatio filiæ sacramento patris tanquam testis vitæ & conuersationis natæ, Gregor. Tur. lib. V. cap. XXX. *Eleuatisque pater manibus super altarium iurauit filiam non esse culpabilem.* Purgatio canonica indicitur hîc coram Senonensi Arch. qui erat Metropolitanus, adhibitis duobus suffraganeis Niuernensi, & Parisiensi, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus. Sic inquisitio de vita & moribus electi ibi facienda est, vbi electus natus est, vel diutius versatus. *cap. scriptum. suprà. de elect. cap. cùm dilecto. de confirm. vtil.* Purgatio canonica indicenda est ab Episcopo, & debet fieri ante matrem, id est Episcopalem Ecclesiam. Argumento est quòd id cautum de purgatione, seu iudicio ferri Synod. Calerens. apud Orderic. Vitalem lib. V. *Si ferri iudicium fuerit iudicatum ante matrem Ecclesiam terminetur.* Purgatio fieri debet per eiusdem ordinis viros fide Catholicos & bonæ existimationis, qui vitam & conuersationem non modò præsentem, sed & anteactam nouerint eius qui purgatur, putà per vicinos, vt *hic, & cap. cùm dilectus. h. tit. & d. can. si legitimi. & can. quoties.* Purgatione verò admissa beneficium ei restituitur, sed in pœnam familiaritatis, quam sciens habuit cum hæreticis, ab officio manet suspensus donec scandalum sopiatur, ita vt publicè hæreticorum familiaritatem eiuret, propter periculum contagij. Semel infamatus de hæresi, vt purget famam debet eiurare familiaritatem hæreticorum: nec licet clericis vel laicis εὐλογίας seu benedictiones ab hæreticis accipere. *can. non oportet. can. non liceat.* I. *qu.* I. & si resipiscant hæretici debent publicè hæresim eiurare. *can. ego Berengarius. de consecr. dist.* II. Quòd si infamatus deficiat, in purgatione, pro conuicto habetur, & ab officio & beneficio deponitur, vt *hic, & cap. cum P. cap. cum dilectis. h. tit. cap. de hoc. cap. insinuatum. suprà. de simon.* & quod pœnæ additamentum est, hic depositus pœnitentiæ causâ in arctum Monasterium detruditur. Depositionem aliquando sequebatur detrusio in Monasterium pœnitentiæ causâ, vt *hîc, & cap. sicut dignum. in fin. suprà. de homicid. can. si Episcopus.* L. *dist. can. vlt.* LV. *dist. can. dictum. can. si quis clericus.* LXXXI. *dist. can. de lapsis* XVI. *qu.* VI. *can. clerici.* XXIII. *qu.* VIII. *can. si qua Monacharum.* XXVII. *qu.* I. Sed hoc pœnæ genus ab vsu recessit, ob repugnantiam Monachorum, qui ægrè admittebant damnatos, vt apertè innuit *d. cap. sicut dignum.* vbi cauetur vt clerici depositi in districtum Monasterium, si fieri potest, recludantur. Verùm hac de re fusiùs in Asceticis Deo præstolante. Aliàs depositionem sequebatur redactio ad communionem laïcam, vt in *can. Tengualdum.* XI. *qu.* III.

CAPITVLVM XII.

CVM in iuuentute sua ∴∴∴∴. Quia verò pater filium, quem diligit, corripit: nos Quinqueecclesiensi Episcopo per literas nostras ad maiorem cautelam iniunximus, vt ab illius familiaritate cessando taliter se haberet, quòd sinistra de ipso suspicio non possit haberi: sed inimicus homo rescriptum literarum subripiens, apud Regem & regni magnates ipsum nequiter publicauit, vt sic deberet ampliùs infamari. Vnde nos tantam æmulorum nequitiam attendentes, licèt pulsati fuerimus multoties contra eum, nunquam tamen aduersus ipsum potuimus commoueri, scientes quòd dictum vnius facilè sequitur multitudo. Vbi verò idem Episcopus ad Strigoniensem metropolim extitit postulatus, quidam, qui super ipsa postulatione aduersabantur eidem, vt promotionem ipsius faciliùs impedirent, illius criminationis carbones reaccendere sunt moliti. Vnde quidam procurator ipsius de consilio amicorum suorum, qui super hoc bonum zelum habebant, sed non secundùm scientiam, cœpit cum instantia postulare, quatenus eidem Episcopo purgationem ca-

nonicam faceremus indici, vt suam innocentiam demonstraret. Nos autem postulationem huiusmodi minùs prouidam reputantes, procuratorem ipsum ab ea semper voluimus reuocare : ·.·.·.·.·. Cæterùm quia procurator instabat, compulsi fuimus (non iuris necessitate, sed importunitate petentis) vt per vos ei purgationem canonicam cum duobus Abbatibus mandaremus indici : quamuis fuerimus protestati, quòd ex alia causa talis peritio minùs prouidè tunc fiebat, quia Strigon. Ecclesiæ suffraganei vix eo tempore purgarent eundem, quia in facto postulationis contradicebant eidem : & suffraganei Colocensis Ecclesiæ ipsum minimè tunc purgarent, quia inter eum & Colocensem Archiepiscopum de Strigoniensi metropoli contentio vertebatur : vnde cùm non sint alij Pontifices in Hungaria, meritò videbatur, quòd per Episcopos regni sui non posset in illo articulo se purgare.

HOc cap. est pars *cap. cùm in iuuentute. suprà. de præsumpt.* cuius species hæc est : Cùm Quinqueeclesiensis Episcopus de incestu cum nepte esset insimulatus, Pontifex non facilè admisit huiusmodi accusationem, quòd necessitudo arceret omnem suspicionem. *l. eum qui. C. de Episc. & cleric.* & quòd sæpius iniquior fama decoloret probos & honestos viros. Cùm verò idem postulatus esset in Archiepiscopum Strigoniensem, aduersarij vt eius promotionem impedirent, criminationem repetiere. Sed cùm in probatione deficerent, procurator Quinqueecclesiensis cœpit instare, vt canonica ei indiceretur purgatio : sed votis non annuit Pontifex, tum quia Episcopus non videbatur infamatus apud bonos & graues viros de illo crimine, imò comprouinciales Episcopi honesto eum testimonio commendarant, & crimen ipsa atrocitate fidem superabat, cùm anteacta eius vita suspicione, & probro careret, ita vt meruisset pallium à Sede Apostolica. de quo in *d. cap. iuuentute. de præsump.* Innocentiæ argumentum rectè ducitur ab anteactæ vitæ probitate. Hoc argumento suspicionem criminis à se amouet mulier rea adulterij apud Quintilian. declamar. ccc. *Nihil mihi*, inquit, *obiectum est in ætate prima, nulla fabula ante partum secuta est, ream fecit annum, & iuuenis matrem.* Eodem argumento idem auctor declam. cccLXXX. *Crux scripta est, quare quid commisit, anteactam vitam scrutemur.* Cæterùm Pontifex victus importunis precibus procuratoris canonicam ei purgationem indixit cum duobus Abbatibus : etsi enim purgatio facienda sit per sui ordinis viros, vt scriptum est *cap. proximo.* in hac specie non erat locus purgationi faciendæ per Episcopos suffraganeos Metropolis Strigoniensis, quia eos aduersarios & infensos experiebatur in negotio postulationis ; nec æquiores ei futuri erant suffraganei Colocensis, quia inter eum, & Colocensem Archiepiscopum de sede Strigoniensi lis pendebat sub iudice, de qua in *cap. bona memoria. II. suprà. de postulat. Prælat.* Vnde cùm non alij essent Episcopi in Hungaria, non erat quòd purgatio indiceretur per Episcopos, qui erant nimis suspecti ; & quandoque etiam purgatio Episcopi fiebat per sui ordinis homines, & simul per Abbates. *can. quoties. II. qu. I.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM FLORENTIN. EPISCOPO.

ACCEDENS ad præsentiam nostram T. Diaconus humili nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm à suis æmulis diceretur, quòd esset filius Sacerdotis, tu eum nec promouere voluisti, nec permisisti ab alio promoueri. Quocirca mandamus, quatenus si publicè fuerit nota respersus, & de ipsa tibi legitimè constare non poterit, purgatione ab ipso receptâ, ipsum non differas propter hoc ad Sacerdotis officium promouere : quia etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectus impedientis ad sacros ordines promouendum.

INFAMATVS de natalium defectu, de quo constare non potest, non est promouendus ad ordines priusquam purgatio ab ipso recepta sit, *ex hoc cap.* Ratio dubitandi erat, quòd canonica purgatio videtur tantùm indicenda propter criminis diffamiam : at defectus natalium non est culpa, sed casus & infelicitas eorum qui nascuntur. *can. nasci.* LVI. *dist.* Verùm purgatio requiritur in ordinando si suspectus sit de vitio natalium, quia etsi defectus natalium non sit nota delicti, est tamen nota defectus impedientis ad sacros ordines promouendum, vt additur in *hoc cap.* Defecti natalibus laborant vitio parentum. *l. vlt. C. de naturalib. liber.* & quasi criminis labe non carent, quòd nati sunt. Gregor. Nyss. in orat. in natal. Christ. *ἓν ἔγκλημα ἔχοντες μόνον τὸ γεννηθῆναι, καὶ εἰς φῶς ἐλθεῖν. Crimen vnum dumtaxat habent, quòd nati sunt, & in lucem editi.* Irregularitas contrahitur ex delicto, vel ex defectu, putà ex defectu corporis, vel defectu natalium. In infamatis de defectu natalium purgatio requiritur, quò idonei fiant ad suscipiendos ordines,

idque

idque per testes qui dicent se credere illum esse filium Petri ex illa, quæ pro vxore eius habebatur, quia filiatio præcisè probari non potest. *l. Lucius. ff. de condit. & demonstr.*

CAPITVLVM XV.

IDEM EVGENIO ABBATI, ET SCHOLASTICO MVTINENSI.

CVM dilectis filiis H. Presbytero, & G. procuratori O. Clerici, T. Capellanum nostrum concesserimus auditorem, idem procurator proposuit, quòd cùm dictus Presbyter super incestus crimine fuisset publicè infamatus, Constantiensis Episcopus ordinarius iudex ei purgationem indixit: qui cùm se purgare nequiuisset, ab ipso fuit suis Ecclesiis sententialiter destitutus: quas ipse nihilominus detinuit per violentiam occupatas. Cúmque idem Presbyter cuiusdam consanguinei sui vxorem publicè detineret, ad petitionem plebani de Ponte, & quorumdam aliorum clericorum Constant. diœces. iudicibus diximur literas destinasse, vt si dictus Presbyter super crimine adulterij, & incestus coram ipsis se purgare non posset, ipsum pœnâ debitâ castigarent: qui cùm constitisset eisdem, quòd idem Presbyter pro eo, quòd in purgatione defecerat, ab Episcopo memorato fuerat condemnatus, ipsum vtpote contumacem prædictis Ecclesiis per sententiam priuauerunt, maximè cùm de incestu & adulterij crimine, tanquam de notorio liqueret eisd m, Abbati Sancti Galli (ad quem illarum Ecclesiarum donatio pertinebat) potestatem liberam concedentes Ecclesias illas personis aliis conferendi: qui eas postea supradicto O. clerico assignauit:........ Dictus verò Presbyter inter cætera respondit, quòd processus iudicum prædictorum debebat meritò retractari, cùm lite non contestatâ procedere præsumpserunt contra eum: adiiciens, quòd purgationem indictam ab electo Constant. curauerit exhibere:........ His igitur, & aliis pleniùs intellectis, licèt literæ illæ, quæ ad prædictos iudices impetratæ dicuntur, vel ipsarum transcriptum ostensum non fuerit coram nobis, quia tamen ex tenore relationis ipsorum, quam dictus procurator exhibuit, ac si literæ ipsæ ostensæ fuissent, nobis constitit euidenter iudices ipsos prætermisso iuris ordine processisse: tam processum eorum, quàm concessionem Ecclesiarum à prædicto Abbate de mandato ipsorum factam, auctoritate Apostolica retractamus, præsertim cùm relationis ipsius series repugnantia contineat, & aduersa. Dicitur enim quòd crimen eiusdem Presbyteri vsque adeò publicum fuerat & notorium, quòd nullus infìciationi locus penitus existebat, vtpote cuius vniuersæ viciniæ populus testis erat: & tamen ibidem præmittitur, quòd eidem Presbytero terminum peremptorium præfixerunt, in quo (si posset) super infamia prædictorum criminum canonicè se purgaret: cùm nimirum, si crimen notorium existebat, non erat illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda:........ Si verò nullus apparuerit legitimus accusator, & ipsum inueneritis apud bonos & graues super prædictis criminibus, vel ipsorum altero infamatum, purgationem ei canonicam indicatis, non obstante, quòd coram prædicto electo dicitur se purgasse: cùm iudicio pendente coram iudicibus delegatis, non debuerit Ordinarius purgationem indicere Infamato.

HVIVS cap. species hæc est: Cùm quidam Presbyter Constantiensis diœcesis in Germania publicè infamatus esset de incestu, Constantiensis Episcopus iudex ordinarius in plena Synodo ei purgationem indixit, pendente scilicet, quod supplendum est ex calce *h. cap.* iudicio coram iudicibus delegatis super eadem re, eúmque defecisset in purgatione, à beneficiis per ipsum depositus est. Qui enim deficit in purgatione, quasi conuictus ab officio & beneficio deponitur. *cap. inter. supra. h. tit.* Cúmque idem postea infamatus esset super crimine adulterij, & iudicibus à Pontifice datis compertum esset ipsum Presbyterum ab Episcopo Constantiensi depositum, quòd defecisset in purgatione, ipsi tanquam contumacem, id est, non parentem sententiæ Ordinarij beneficiis priuatum, id est priuatum declararunt, maximè quòd de crimine incestus & adulterij tanquam notorio eisdem liqueret. Et Abbati S. Galli, as est apud Heluetios, ad quem beneficiorum collatio spectabat, potestatem dederunt ea conferendi tanquam vacantia, qui eadem contulisse dicitur Odoni clerico. Dictus verò Presbyter sententiam datorum iudicum retractari postulauit, quòd lite non contestatâ contra eum processissent, contra reg. iur. *ut lite non contestata, &c.* & quòd iudices dati litem sententiâ definitiuâ terminatam instaurare non potuissent, Res

iudicata instaurari non potest, alioquin nullus esset exitus litium. *l. 1. & n. l. sub specie. C. de re iudic.* Receptâ purgatione indictâ per electum Constantiensem, qui primùm purè & simpliciter Episcopus dictus est, nunc electus, quòd fortè electus esset nondum consecratus. Electus non dicitur Episcopus ante consecrationem. Re cognitâ, quia ex relatione ipsorum iudicum datorum constitit, illos prætermisso iuris ordine processisse, Pontifex sententiam iudicum, & collationem beneficiorum ab Abbate factam retractauit, præsertim cùm relationis ipsius series inuicem pugnantia contineret, quatenus dicebatur crimen eiusdem Presbyteri ita notorium, vt inficiationi locus non esset, vtpote quod vniuersam viciniam testem haberet; & tamen ibidem præmittebatur eidem Presbytero diem præfixum, intra quem de infamia incestus, & adulterij se purgaret, quæ erant apertè pugnantia; si enim crimen esset notorium, non erat indicenda purgatio, sed ad sententiam properandum. In notoriis non indicitur purgatio, quæ locum non habet nisi in rebus dubiis, deficientibus accusatoribus, & testibus. *cap. quoties. suprà. h. tit.* Si verò nullus appareret accusator, & ipse Presbyter de prædictis criminibus publicè infamatus esset apud bonos & graues viros, iubet Pontifex, vt ei canonica purgatio indicatur, non habitâ ratione purgationis præstitæ coram Ordinario, cùm nulla & irrita esset, vt potestate facta coram Ordinario pendente iudicio apud iudices datos. Potestas Ordinarij suspenditur in qua causa sunt iudices dati specialiter à Summo Pontifice. Iudicium soluitur vetante iudicare eo qui maius imperium in ea iurisdictione habet. *l. iudicium soluitur. ff. de iudic.* Augustin. de verb Domini serm. vi. *Timendo potestatem ipsos humanarum rerum gradus aduertite, si aliquid iusserit curator nonne faciendum est, tamen si contrà Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire, nec hinc debet minor irasci, si maior prælata est.*

CAPITVLVM XVI.

ACCEPIMVS literas, quibus nobis intimare curastis: quòd Apostolico mandato super indicenda purgatione Archiepiscopo Bisuntinensi recepto, ipsum citastis, vt decuit: qui ad diem præfixum comparuit coram vobis, iuramentum purgationis offerens sub hac forma, videlicet quòd immunis erat ab illis criminibus, super quibus se purgare debebat :.:.:.:.:. Ipse verò ad præsentiam nostram accedens, humiliter supplicauit, vt saltem super purgatione incontinentiæ dignaremur temperare rigorem, quia non deberet adserere, quòd à natiuitate sua nunquam passus fuerit lapsum carnis. Porrò cùm ab eo non credatur exactum fuisse huiusmodi iuramentum, potiùs fortè præsumimus, quòd alia de causa volebat sub præscripta forma iurare: videlicet quòd immunis erat ab illis criminibus de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per pœnitentiam iam esset immunis ab illis: sed hoc iurare, non paruæ temeritatis existeret: cùm beatus Iob dicat. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea :.:.:.:.:. Ideóque præscriptam purgationis formam, secundùm quam idem Archiepiscopus obtulit se purgare, reprobamus, vtpote indiscretam, temerariam, & ineptam: iniungentes eidem, vt si voluerit & potuerit secundùm hanc formam se purgare, secundùm sanum intellectum, quem ei duximus exprimendum, videlicet quòd illa crimina grauiora, id est, simoniam, venditionem iustitiæ, atque incontinentiam, de quibus infamatus extitit, iuret se minimè commisisse, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem, & compurgatores sic iurent, quòd credunt eum verum iurasse: quo facto vos illum dimittatis in pace, alioquin, &c.

HVIVS cap. species hæc est. Cùm Archiepiscopus Bisuntinus publicè infamatus esset variis de criminibus, putà de simonia, venditione iustitiæ, id est turpi quæstu iudicinæ, & incontinentia: Pontifex iudices dedit super indicenda ei purgatione, de qua in *cap. licet. suprà. de accusat.* Apud quos citatus, cùm ad diem iudicio adfuisset, paratam purgationem exhibere se paratum contestatus est, sub hac forma videlicet, quòd expers esset criminum, super quibus erat purgandus. Purgatione huiusmodi non admissâ per iudices, ipse ad Sedem Apostolicam accedens supplicauit purgationis de incontinentia rigorem sibi remitti, ne teneretur se purgare, quòd nunquam lapsum carnis passus esset. Pontifex haud credens ab Archiepiscopo exactam purgarionem sub hac forma, videlicet quòd immunis esset ab illis criminibus, tanquam dimissis per pœnitentiam, præscriptam purgationis formam reprobauit, tanquam indiscretam, temerariam, & ineptam; nemo enim scire potest an gratiæ sit compos. Eidémque iniunxit Pontifex, vt si vellet se purgare sub hac formâ, secundùm sanum intellectum videlicet, quòd non commisisset crimina de quibus infamatus erat à die promotionis, & compurgatores sic iurent se credere illum pro veritate iurasse, hoc facto dimittatur in pace. Episcopus infamatus de certis criminibus non tenetur iurare se illa crimina penitus non commisisse, sed tenetur iurare se illa crimina non com-

misisse à die promotionis; quia cætera, quæ commissa sunt ante promotionem, expiata sunt per consecrationem. *can. statutum.* XVIII. *qu.* I. Compurgatores non iurant præcisè de innocentia eius qui purgatur, quia nemo iurare cogitur de facto alieno. *l. generaliter. C. de reb. cred. & iureiur. l. videamus. ff. de in lit. iur.* Sed iurant de credulitate, id est se credere illum esse expertem criminis de quo accusatur, *vt hic, & cap. quoties. h. tit. cap. quoties. de testib.*

TIT. XXXV. *De purgatione vulgari.*

CAPITVLVM II.

INNOCENTIVS III. PRIORI S. SERGII SPOLETANI.

SIGNIFICANTIBVS V. laïco, & fratribus eius ad nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo coacti sunt inire duellum in quo aliis peccatis suis præpedientibus ceciderunt: propter quod per Consules Spoletanos bonis fuerint propriis spoliati: nunc verò furtum apud alios est inuentum, & quòd ipsi fuerint innocentes, est (faciente Domino) reuelatum. Vnde Consulibus ipsis dedimus in mandatis, vt ablata restituant vniuersa.

ALIA est purgatio canonica, quæ fit quarta vel septima manu, id est per testes iuratos, qui dicuntur compurgatores, de qua modò dictum est. Alia est purgatio vulgaris, quæ fit per duellum seu monomachiam, per aquam feruentem vel frigidam, per ferrum candens seu ignitum, & legibus sacris reprobatur, quoniam Deus per eam tentari videtur. *cap.* I. *& vlt. h. tit. can. Mennam. can. monomachiam. can. consuluisti.* II. *qu.* v. Purgationem tamen ferri candentis in vsu fuisse notum est. Iuo Carnot. epist. CCXXXII. *Audiui enim quòd vir ille de quo agitur, de obiecto crimine examinatione igniti ferri se purgauerit, & à læsione ignis illæsus repertus sit: quod si ita est, & hoc in sacramento purgationis suæ posuit, quòd numquam cum matre vxoris suæ vna caro fuerit, contra diuinum testimonium, nullum vlterius inuestigandum intelligo esse iudicium.* & idem epist. CCXLIX. *Cogenda est mulier, vt ad arbitrium præsidentium, de obiecto crimine probatarum personarum testimonio se expurget. & si id facere non poterit, candentis ferri examinatione innocentiam suam comprobet.* Et iudicium ferri ante matrem Ecclesiam celebrari voluit Synodus Calerens. apud Orderic. Vitalem lib. v. *Si ferri iudicium fuerit iudicatum, ante matrem Ecclesiam terminetur.* Probatio per duellum ingenuis tantùm indici solebat, aquæ feruentis, vel ferri igniti seruis. *can. nobilis.* II. *qu.* v. & in LL. Longobard. *tit.* IX *cap. vlt.* Probatio per duellum recepta de consuetudine Francorum, Gu. Tyr. lib. XIV. cap. XVI. *His ita se habentibus verbis de consuetudine Francorum decernitur inter eos pugna singularis, & ad exequendam pugnam dies competens designatur.* Ac Principis erat decernere duellum. Guntrannus Boso ad Guntranum Regem apud Gregor. Tur. lib. VII. cap. XIV. *Tu, ô Rex piissime, ponas hoc in Dei iudicio, vt ille discernat, cùm nos in vnius campi planitie viderit iudicare.* Idem iuris fuit Comitum qui suum forum & tribunal habuere, non iudicis Ecclesiastici, Iuo Carnotens. epist. CXLVIII. *Quæ altercatio cùm aliquandiu durasset, præcepimus iudicium fieri, iudicatúmque est, quia hæc causa sine monomachia terminari non poterat, & iudicium sanguinis nobis agitare non licebat, vt vtraque pars irent in Curiam Comitissæ*, Carnotensis, *ad quam talia iudicia pertinebant, & de cuius feudo ista tenebant.* Nec in causis Ecclesiasticis admittebatur probatio per duellum. *cap.* I. *h. tit.* Hinc causas Ecclesiasticas non lege salica; sed Romana disceptari in vsu fuit. Adrevald. Floriac. de Miracul S. Benedict. lib. I. cap. XXV. *Sed cùm litem in eo placito finire nequirent, eo quòd salica legis iudices Ecclesiasticas res sub Romana constitutas lege discernere perfectè non possent, & cùm in eadem lite post longas concertationes placuisset, vt testes vtriusque partis sacramento præstito scutis & baculis decertarent.* Ex euentu certaminis lite terminanda, consilio cuiusdam saniori lis composita est, diuisis mancipiis de quibus agebatur, & omisso duelli discrimine, vtpote non ferendo in rebus Ecclesiasticis, vt subiungit Adreualdus eodem loco: *Iudicium protulit non esse rectum, vt bello propter res Ecclesiasticas testes decernerent, imò magis inter se mancipia Aduocati partirentur.* Imò purgatio per duellum penitus vetita est hoc iure. Hinc quæ est species *h. cap.* Willelmus laïcus & fratres eius furti accusati à quodam coacti sunt (subaudi decernentibus Consulibus Spoletinis, qui erant iudices ordinarij, vt intelligitur ex serie *h. cap*) cum eo duello certare, in quo cùm cecidissent per Consules Spoletinos bonis multati: victus scilicet in duello pro conuicto habetur tamquàm Dei iudicio, & capite vel bonis multatur. Bernard. epist. XXXIX. ad Comitem Theobaldum: *In manu Barrensis præpositi facto duello, qui victus fuit statim ex vestra iussione oculos amisit.* & Guill. Brito. lib. VIII. Philippid. vbi agitur de Normannia ab Anglis recepta, & composita per Philippum A.

Constituit pugiles, vt in omni talio pugna
Sanguinis in causis ad pœnas exigat æquas,

Victus, vt appellans, siue appellatus eadem
Lege ligaretur mutilari, aut perdere vitam.

Posteà cùm furtum, id est res furtiua apud aliom fuisset inuenta, ac inde eorum innocentia patuisset, Consulibus imperatum, vt adempta eis bona restituerentur, quia sententia ipso iure nulla, potà lata contra canones quibus vetita est purgatio per duellum, ipso iure, & sine appellatione rescinditur. *l. 1. & pass. C. quand. prouoc. non est necess.*

TIT. XXXVII. *De pœnis.*

CAPITVLVM V.

INNOCENTIVS III. NIDROSIENSI ARCHIEPISCOPO.

QVOD in dubiis: .·.·.·.·. Qui verò tam Sacerdotes, quia gubernant naues ad pugnam, quàm qui personaliter exercent conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant: de rigore canonico eos credimus deponendos.

CLERICI qui militant sunt irregulares, & incapaces beneficiorum. *can.* I. II. *&* IV. LII. *dist.* Galliarum Episcopos, quòd cum Vassis Regiis certarent contra prædones maritimos, id est Normannos, qui hac ætate oram maritimam valde infestam habebant, arguit Nicolaus I. *epist.* XXVII. *can. reprehensibile.* XXIII. *qu.* VIII. Incruentæ debent esse manus Sacerdotum, quæ sacrum conficiunt corpus Domini. Aduersus Gothos non aliis armis, quàm lacrymis & precibus vsus est Ambrosius; testis ipse de se in orat. contra Auxent. de Basilicis: *Aduersus milites Gothos quoque lachrymæ meæ, mea arma sunt, talia enim sunt munimenta Sacerdotis. can. conuenior. ead. caus. & qu.* In Longobardos armis abstinuit Gregorius I. *Si in morte Longobardorum*, inquit, *ipse me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet. can. si in morte. ead. caus. & qu.* Hinc Clerici qui gubernant nauem ad pugnam, vel qui bello decertant, vel alios incitant ad pugnandum, sunt deponendi ex *hoc cap.*

CAPITVLVM VI.

IDEM LONDONENSI EPISCOPO.

TVÆ discretionis prudentiam: .·.·.·.·. Ad illud, quod à nobis tertiò requisisti, qualiter clerici in latrociniis, vel aliis magnis sceleribus deprehensi puniri debeant. Respondemus, quòd à suis ordinibus degradati, detrudi debeant in arctis Monasteriis, ad pœnitentiam peragendam.

CLERICI deprehensi in latrocinio, vel alio graui crimine degradantur, & in Monasterium retruduntur pœnitentiæ causâ, ex *hoc cap.* Gregor. Tur. lib. v. cap. XVIII. *Episcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehensus à Sacerdotio diuellatur.* In eandem sententiam Iuo Carnot. epist. CLXII. *De Presbytero qui in statua fœminea Sacramenta Ecclesiastica profanauit, breuiter respondeo, quia vt sacrilegus & idololatra iudicandus est, quem si tractare vultis secundùm censuram canonicam, oportet vt adhibitis vobis aliis quinque Episcopis, publicè detractis Sacerdotalibus indumentis, per singulos eum gradus deponatis, & depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.*

CAPITVLVM VII.

IDEM ABBATI, ET FRATRIB. CRYPTÆ FERRATÆ.

CONSTITVTVS in præsentia nostra: .·.·.·.·. Licèt autem in instrumento Episcopi Lauitani expressa fuerit certa pœna, quam pars contractum non seruans, solueret obseruanti: cùm tamen vtraque pars venisse contra illum, ex confessione propria conuincatur, cùm & pars vestra subtraxerit Episcopo pensionem, & Episcopus procurationem exegerit ab eadem Ecclesia, sicut œconomus proposuit memoratus, vtramque partem ab ea reddimus absolutam.

HOC cap. est pars *cap. constitutus. de Religios. dom.* eius species hæc est: Lauicanus Episcopus cùm olim esset Albanensis Episcopus remisit omnia iura Episcopalia in Ecclesiis sitis in Albanensi diœcesi, quæ adnexæ erant Monasterio Cryptæ Ferratæ, retentâ modicâ pensione, adiectâ

pœnâ quam solueret is qui non staret contractui. Ex confessis contigit vt vterque contractus fidem infringeret, cùm & Monachi non soluerint pensionem, & Episcopus procurationem exegerit ab ipsis Ecclesiis: quare vtramque partem à pœna absoluit Pontifex. Non potest quis agere ex contractu, quem priùs ex parte sua non impleuerit. *l. Iulianus §. offerri. ff de act. empt.* Vbi verò vterque contrahentium est in mora implendi contractus, vtrinque non committitur pœna adiecta contractui. Quia mutua delicta compensatione tolluntur. *l. viro. l. cùm mulier. ff. solut. matrimon.*

CAPITVLVM VIII.

IDEM PRIORI S. FRIDIAN. ET MAGISTRO B. CAN. PISANO.

SVPER his, de quibus nos consulere voluistis: . . . . . . Clericus autem, qui pro eo quòd variauerat & vacillauerat coram vobis, de mandato vestro captus est & detentus, infamiam non incurrit.

TESTIS qui variè testimonium dixit, à iudice competenter punitur, id est arbitrio iudicis. *l. qui falsò. ff. de testib.* quasi falsum fecerit, nimirum falsi tenetur. *l. eos qui. ff. ad l. Cornel. de fals.* & si captus sit & detentus ob id quod variauit, non contrahit infamiam, ex *hoc cap.* Incarceratio non irrogat infamiam, si sententia non præcedat. *l. 1. l. nullam. C. ex quib. caus. infam. irroget.*

CAPITVLVM IX.

IDEM SPOLETANO EPISCOPO.

SVAM ad nos Rectores clericorum sancti Fortunati querimoniam transmiserunt, quòd cùm tibi essent in XL. libris, per quoddam arbitrium condemnati, essétque pœna XXX. librarum adposita, nisi ea soluerent in termino constituto, tandem XXXIII. libris in termino persolutis, occasione septem residuarum, per quasdam nostras literas veritate tacitâ impetratas, obtinuisti eos in præfatis XXX. libris tibi per delegatum iudicem condemnari. Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modestiæ obliuisci, vt inhonestis quæstibus anhelando desideres cum aliena iactura ditari: mandamus, quatenus septem librarum solutione contentus, super pœna XXX. librarum, memoratos Rectores de cætero non molestes.

HVIVS cap. species hæc est: Clerici S. Fortunati conquesti sunt, quòd per quoddam arbitrium, id est sententiam arbitrorum, XL. libris damnati essent in Spoletanum Episcopum, appositâ pœnâ XXX. librarum, si sors principalis non solueretur ad diem. Sorte ex parte solutâ, id est vsque ad XXXIII. libras, Episcopus rescripto per obreptionem impetrato coram iudicibus datis petiit pœnam XXX. librarum, vtpote commissam ob non solutas VII. libras residuas. Consultus Pontifex rescripsit Episcopo, ne super pœna XXX. librarum clericis molestiam faceret, septem librarum quæ deerant solutione contentus. Ratio dubitandi erat quòd pœna, quæ erat in condemnatione, veniebat ex compromisso, quod astringitur vinculo pœnæ, id est pœnâ mutuâ compromissâ, si quis arbitri sententiæ non steterit. *l. litigatores. § quod ait. ff. de recept. arbitr.* Tum etiam quòd centum promissis ad diem adiecta pœna, pœna in totum committitur, licèt ad diem ex parte satisfactum sit. *l. hæredes. §. in illa. ff. famil. ercisc. l. stipulationum. §. si sortem. l. in executione. §. item si ita. ff. de V. O.* Ergo in executione sententiæ arbitri, etiam parte sortis solutâ videbatur rectè pœna committi in totum: sed ex æquitate canonica parte sortis in solutum acceptâ pœna remittitur, hac ratione quòd nemo debet ex alieno damno locupletari. *l. nam hoc. ff. de condict. indebit.* vel potiùs, quia creditor accipiendo partem satis tacitè remisisse pœnam videtur. *l. 11. inst. ff. si quis caut. iudic. sist. l. vlt. de eo quod cert. loc. l. post diem. de leg. commiss.* Iure ciuili valent stipulationes pœnales, in his quæ in dando vel faciendo consistunt, potâ si non soluatur, vel si non fuerit factum, pœnæ nomine tot dari Hoc iure Candidus Sergiopolis Episcopus redemptis à Cosroë Rege Persarum decem & duobus millibus captiuorum CC. aureis, fide habitâ de pretio cauit se pretium redemptionis soluturum intra annum, iureiurando pœnâ dupli, si non solueret, promissâ, & priuationis Sacerdotij, vt scriptum reliquit Procop. *lib. 11. de bell. Persic.* Sed ex æquitate canonica huiusmodi pœnæ reiiciuntur, & moribus nostris congruenter pœnæ conuentionales non valent; sed rediguntur ad id quod interest.

CAPITVLVM X.

AD aures nostri Apostolatus peruenit, quòd cùm quidam parœciani tui ausu diabolico bonæ memoriæ I. Vicentinum Episcopum, prædecessorem tuum

nequiter peremissent, feuda & beneficia, quæ illi à Viceprina Ecclesia obtinebant, ipsis per sententiam fuerant cum multa delibetatione sublata. Quia igitur maiori sunt animaduetsione plectendi, nos tam tibi quàm successoribus tuis, auctoritate Apostol. prohibemus, ne ipsis, aut hæredibus eorum beneficia prædicta restituantur, seu de nouo eis alia quælibet confetantur.

CAPITVLVM XII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

IN quibusdam prouinciis Ecclesiarum Patroni & Aduocati, seu Vicedomini se in tantam insolentiam erexerunt, quòd non solùm cùm vacantibus debet Ecclesiis de pastoribus idoneis prouideri, difficultates ingerunt & malitias, verumetiam de possessionibus, aliisque bonis Ecclesiasticis, pro sua voluntate ordinare præsumunt: & (quod horrendum est dicere) in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur, quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri: prohibemus expresse, ne Patroni vel Aduocati, seu Vicedomini, super præmissis decætero plus vsurpent, quàm repetiatur in iure permissum: & si contrà præsumpserint, per seueritatem canonicam districtissimè compescantur. Sacri nihilominus Concilij adprobatione statuimus, quatenus si Patroni, vel Aduocati, aut feudatarij, seu Vicedomini, aut alij beneficiati alicuius Ecclesiæ, Rectorem vel clericum alium ipsius Ecclesiæ, per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint: Patroni ius Patronatus, Aduocati Aduocatiam, feudatarij feudum, Vicedomini Vicedominatum, & beneficiati beneficium prorsus amittant. Et ne minùs vindictæ quàm excessus memoria prorogetur, non solùm de præmissis nihil perueniat ad hæredes, sed etiam vsque ad quartam generationem posteritates talium in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicuius prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

HVIVS cap. prioris, quod integrum extat apud Innocent. III. *lib. 1. epist.* LVII. species hæc est: Cùm quidam parœciani seu diœcesani Ioannem Vicentinum Episcopum nefario scelere trucidassent: feudis & beneficiis, quæ à Vicentina obtinebant Ecclesia, per sententiam priuati sunt: sed quia minor erat pœna, Pontifex vetuit ne ipsis aut hæredibus eorum adempta feuda vel beneficia restituerentur, vel alia de nouo conferrentur. Percussores Episcopi in perpetuum priuantur feudis, & beneficiis, quæ obtinent ab Ecclesia, vt & percussores Cardinalium. *cap. felicis. h. tit. in* VI. Eâdem pœnâ plectuntur qui statuta condunt contra libertatem Ecclesiæ. *cap. grauem. infrà. de sentent. excommunicat.* Vel qui impediunt liberam electionem Summi Pontificis. *cap. vbi periculum. de elect. in* VI. Ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. Patroni, Aduocati, Vicedomini, & feudatarij Ecclesiæ, si sint authores, vel conscij cædis Episcopi, amittunt ius Patronatus, Aduocatiæ, & alia iura, quæ obtinent ab Ecclesia, tam ipsi quàm hæredes eorum & descendentes eorum arcentur à sacris ordinibus in tertiam vsque generationem, nisi cum eis fuerit dispensatum. *ex cap. in quibusdam.* Cùm Maracharius Engolismensis Episcopus res vniuersas testamento reliquisset Ecclesiæ, Nantinus Comes eius nepos, donata ad se reuocauit, quòd defuncti beneficio indignam duceret Ecclesiam, cuius à clericis eum sublatum esse dicebat. Gregor. Turonens. *lib.* V. *cap.* XXXVI. Aimoin. *lib.* V. *cap.* XXXI. Vbi Episcopus occisus est, ne impune derelinquatur scelus, non priùs ei successor dandus est, quàm rei cædis comperti sint, & pœnas dederint. ex epist. Nicolai I. Iuo *decret. part.* X. *cap.* XIX. Etiam ipsa ciuitas, quæ in necem vsque sæuiit in Episcopum, in perpetuum multatur Sede Episcopali; quod genus pœnæ passa est Scyllacenorum ciuitas, quæ est in ora Calabriæ. *can. ita nos.* XXV. *qu.* V. Eadem pœna indicitur ciuitati, quæ impedit liberam electionem Summi Pontificis. *d. cap. vbi periculum.*

CAPITVLVM XI.

DILECTVS filius electus sancti P. ad montes :.·.·.·.·. Ne iudicialis euanescat auctoritas, cùm de litigatoris improbitate constiterit, aduersus adsertionem iudicis temerè prorumpentis, iuxta superioris arbitrium digna poterit animaduersione puniri.

PRORVMPENS contra aſſertionem iudicis, puniſtur arbitrio ſuperioris, ne iudicialis euaneſcat anctoritas ex *hoc cap.* vt qui appellat iudici conuitium facere non debet, aliàs infamiâ notatur. *l. iudici. ff. de iniur. l. illud ſciendum. de appellat.* Si magiſtratus ſeruum honorem ornamentáque, id eſt inſignia dignitatis petulanter attemptantem verberauerit, impune ei eſt. *l. item apud Labeonem. §. unde quærit. eod. tit. de iniur.* Prætori licet contemptam dignitatem vindicare: quòd ſi iniuriam diſſimulauerit tenetur imminuti magiſtratus. Aſcon. Verr. III. *Qui poteſtatem ſuam in adminiſtrando non defenderit, imminuti magiſtratus, veluti maieſtatis læſa reus eſt.*

TIT. XXXVIII. *De pœnitentiis, & remiſsionibus.*

CAPITVLVM VIII.

INNOCENTIVS III. LIVONIENSI EPISCOPO, ET EIS qui cum ipſo ſunt fratribus.

DEVS qui Eccleſiam ſuam: .·.·.·. Cæterùm cùm pœnitentia non tam ſecundùm quantitatem exceſſus, quàm pœnitentis contritionem, per diſcreti Sacerdotis arbitrium ſit moderanda, penſata qualitate perſonarum, ſuper fornicatione, adulterio, homicidio, periurio, & aliis criminibus, conſideratis circunſtantiis omnibus, & præſertim nouitate Liuonienſis Eccleſiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire. Apoſtoli autem veſtigiis inhærentes, dicentis, Lac vobis potum dedi, non eſcam: paulatim eos inſtruatis in fide, confeſſionis formam, orationem dominicam, & ſymbolum illos ſollicitè edocentes. Interim tamen Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum tenatis fonte baptiſmatis conſuetis feſtiuitatibus, & in mortis articulo tribuatis.

TEMPORIBVS Innocentij III. eiúſque ſtudio Liuonia Chriſti fidem ſuſcepit, vt intelligimus ex *hoc cap. & cap. Deus qui. de vit. & honeſt. cleric.* Religione illuceſcente in his partibus Liuonienſis Epiſcopus ſuper variis in quibus fortè hærebat, conſuluit Pontificem, & inter cætera ſuper modo pœnitentiæ. Conſultus Pontifex reſcripſit pœnitentiam imponendam Sacerdotis arbitrio, non tam pro modo delicti, quàm pro pœnitentis contritione, penſatis omnibus circunſtantiis, ac præſertim, nouitate, ſeu ortu Liuonienſis Eccleſiæ; populares paulatim inſtruendos in fide, interim baptizatis Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini conſuetis feſtiuitatibus, & in mortis articulo tribuendum. Pœnitentia imponi debet Sacerdotis arbitrio, pro modo delicti vel pœnitentis contritione. *can. menſuram. de pœnit. diſt.* I. nec non pro circunſtantiis peccati, vt *hic, & cap. omnis vtriuſque. infrà. h. tit. cap. ſicut dignum. init. ſuprà. de homicid.* Circunſtantiæ aggrauant peccatum, putà qualitas & conditio perſonarum, tempus & locus in quo committitur. *d. cap. ſicut. can. homo.* XL. *diſt. can. occidit.* XXIII. *qu.* VIII. *can. t. de pœnit. diſt.* V. *l.* VII. *§. vlt. cum l. ſeq. ff. de iniur.* Et in iuredicundo iudex debet informare animi ſui motum ex circunſtantiis, & variis cauſarum figuris. *l. in fundo. ff. de rei vindicat. l. ob carmen. §. vlt. de teſtib. l. vlt. de oblig. & act.* Spectanda eſt nouitas Eccleſiæ: cum recens conuerſis diſpenſatur, quòd cum eis mitiùs agendum ſit, ne reuocentur à religione in qua nondum radices egerint. *can. quondam.* XXXV. *qu.* II. *&* III. *& cap. Deus qui. de diuort.* Liuonienſibus Euchariſtia dari præſcribitur conſuetis feſtiuitatibus, id eſt in Natali Domini, Paſcha & Pentecoſte, iuxta *can. etſi non. & can. ſeculares. de conſecr. diſt.* III. Nondum enim res redacta erat ad vnicam communionem in anno, nempe in feſto Paſchæ, quod poſtea Innocentius III. edixit in Concilio Lateranenſi. *cap. omnis vtriuſque. infrà. h. tit.* & in mortis articulo. Morientibus ſacra Euchariſtia datur, vt viaticum *ὡς τελειον ἐφόδιον.* Concilium Nicæn. *can.* XII. Arauſic. *can.* III. *can. qui recedunt. can. de his.* XXVI. *qu.* VI.

CAPITVLVM IX.

IDEM S. LAVR. IN LVCINA PRESBYTERO CARD. APO. SED. LEG.

OFFICII: .·.·.·.·. Significaſti quandam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam, quòd timens ne viri poſſeſſio deuolueretur ad alios, quarumdam herbarum ſuccum potauit, & ſic venter eius intumuit, & inde grauidam ſe oſtendens, ſibi partum ſubpoſuit alienum: timénſque maritum, non vult facinus ipſi detegere, qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, vtrùm ei hac fraude durante ſit pœnitentia iniungenda: re-

spondemus, quòd sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamuis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari, maximè si per alios intelligas alienos, ad quos timeat possessionem viri deuolui: sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet iniungi.

HVIVS cap. species hæc est: Mulier quædam ne viri possessio, id est hæreditas deuolueretur ad alios, hausto poculo intumescente vtero partum sibi subiecit, & timens iram mariti, de suppositione partus siluit: quæsitum est an fraude durante, ei pœnitentia sit iniungenda. Consultus Pontifex respondit, non esse illi denegandam pœnitentiam, vt nec mulieri quæ inscio marito prole susceptâ ex adulterio, id viro non sustinet confiteri. Mulier non tenetur reuelare suppositionem partus viro, sicut nec puerperium ex adulterio, quia mulier non compellitur famam euertere: pudori fœminei sexus consulitur. *l. maritus. C. de Procurat. l. optimam. C. de contrah. & commit. stipulat.* vt Presbyteris non imponitur publica pœnitentia. *can. confirmandum. & seqq.* L. *dist. can. Presbyter.* LXXXII. *dist.* propter scandalum. *can. rursus.* XI. *qu.* III. Et mulier non tenetur famæ periculo confessionem criminis facere quo non prodesset, quia non creditur matri confitenti vnum è liberis susceptum ex adulterio: matris professio non nocet liberis. *l. Imperatores. ff. de probat.* Et mulier non tenetur edere crimen suppositi partus, propter periculum vitæ, quod imminet ex ira vel furore mariti, vel ex pœna criminis, nempe crimen suppositi partus est capitale. *l. s. C. cùm suppositi. C. ad l. Cornel. de fals.* nec vllo præscribitur tempore. *l. qui falsam. ff. eod.* id est non minori tempore quàm spatio XX. annorum. *l. querelam. C. eod. tit.* Sed competens satisfactio mulieri debet per discretum, id est cautum Sacerdotem iniungi, vt additur in fin. *h. cap.* putà vt hæredibus qui successuri erant, damnum hæreditatis de suo resarciat, si rerum copiam habeat: Vel vt inducat suppositum, vel adulterinum ingredi religionem, quò hæreditas redeat ad legitimos hæredes: vel his deficientibus, adhibendum est aliud genus pœnitentiæ.

CAPITVLVM X.

IDEM VALENT. ET BVRGEN. EPISCOPIS, ET ABBATI de N. Cisterciensis Ordinis.

NOVA quædam nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt, & legentes Euangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit, pariter & absurdum: mandamus, quatenus ne id decætero fiat, curetis firmiter inhibere: quia licèt beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cælorum commisit.

ABBATISSÆ prohibentur moniales proprias benedicere, ipsarum confessiones audire, & legentes Euangelium publicè prædicare, cùm id absonum sit & indecorum, licèt enim B. Virgo Maria dignior, & præstantior esset Apostolis; non tamen illi, sed istis traditæ sunt claues regni cælorum, quæ est summa *h. cap.* quod integr. extat regist. Innoc. XIII. *epist.* CLXXXIV. Vetatur ne Abbatissæ moniales proprias benedicant; id est benedictionem fundant super eas, quia Episcopi vel Presbyteri est benedicere. *can. ministrare.* XXVI. *qu.* VI. vel ne monialibus velum imponant, Episcopi est consecrare, seu velare virgines. *can.* 1. *& seqq. ead. caus. & qu.* Abbatissæ non licet Euangelium prædicare: mulier quamuis docta & sancta, non debet in Ecclesia docere. *can. mulier.* XXIII. *dist. can. mulierem.* XXXIII. *qu.* V. Quod probatur exemplo Mariæ Virginis, quæ nullas sacerdotij partes affectauit. Neque aduersatur, quòd Abbatissa Iotrensis memoratur caput & patrona Clericorum Iotrensis Ecclesiæ. *cap. dilecta. suprà. de excess. Prælat.* quia hoc spectat ad iurisdictionem, non ad ordinem: Abbatissa iurisdictionem Ecclesiasticam habere non vetatur, ex consuetudine vel priuilegio. *cap. dilecta, de maior. & obed.* Neque mouet, quòd olim erant Diaconissæ, quas Græci πρεσβύτιδας, quæ fungebantur propriis officiis in Ecclesia. *can. mulieres.* XXXII. *dist. can. Diaconissam.* XXVII. *qu.* I. quia id erat nomen ætatis, non ordinis, & huiusmodi mulieres habebant nudum ministerium, non ordinem, vt rectè docet Epiphan. *hæres.* LXXIX. *& in exposit. fidei Catholic. art.* XXI. Pepuzianorum propria hæresis fuit, vt fœminæ admitterentur ad sacerdotium: Augustin. de hæres. ad Quodvultdeum: *Pepuziani tantum dantes mulieribus principatum, vt Sacerdotio quoque apud eos honorentur.*

CAPITVLVM XI.

QVOD in te &c. In illo verbo per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus,

mus, vt nec ipſum decedentibus denegetur. Licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus, tam vnctio, quàm Eccleſiaſtica ſepultura, concedimus tamen ex gratia, vt Clerici decedentes, qui tamen ſeruauerint interdictum, in cœmeterio Eccleſiæ ſine campanarum pulſatione ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus cum ſilentio tumulentur. Et in conuentualibus Eccleſiis bini & bini, vel ſimul tres, horas canonicas valeant legere, non cantare, ianuis clauſis, interdictis & excommunicatis excluſis, & voce ita remiſſâ, quòd exteriùs audiri non poſſit: cùm & regularibus ſecundùm priuilegium Sedis Apoſtolicæ ſit indultum, vt cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis ianuis clauſis excommunicaris & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce celebrare diuina. Recipientibus autem ſignum crucis non negamus, quominus eis ob reuerentiam Crucifixi pœnitentia, cùm poſtulauerint, iniungatur: quod & aliis peregrinis poreſt miſericorditer indulgeri.

QVOD in generali interdicto morientibus pœnitentia non negatur, nec viaticum denegari intelligendum eſt ex *hoc cap.* id eſt SS. Euchariſtiam, quæ morientibus datur, vt viaticum, Conc. Nicæn. *can.* XII. *can. de his.* XXVI. *qu.* VI. Etiam morte damnatis. *can. quæſitum.* XIII. *qu.* II. *Clem.* 1. *h. tit.* Gregor. Tur. lib. V. cap. XXV. *Ille quoque cùm vinctus detineretur, & cerneret ſe penitus non euaſurum, à Preſbytero, Rege neſciente, pœnitentiam petiit, quâ acceptâ interfectus eſt.* In interdicto generali ſemper excipitur baptiſmus paruulorum, confirmatio baptizatorum, & pœnitentia morientium, & viaticum. *cap. reſponſo. cap. permittimus. de ſentent. excommunic. cap. quoniam. eod. in* VI. *cap. non eſt. de ſponſalib.* & hoc iuris ſeruatum in generali interdicto Angliæ tempore Ioannis Regis, Matth. Paris ad ann. MCCVIII *Ceſſauerunt itaque in Anglia omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, præter ſolummodo confeſſionem & viaticum in vltima neceſſitate, & baptiſma paruulorum.* Etiam in interdicto generali omnibus denegatur tam vnctio quàm Eccleſiaſtica ſepultura, vt ſubiungitur hic, & Matth. Paris loco modò laudato, *Corpora quoque defunctorum de ciuitatibus & villis efferebantur, & more canum in biuiis & foſſatis, ſine orationibus & Sacerdotum miniſterio ſepeliebantur.* Ex gratia tamen ſpeciali Clerici, qui ſeruauerint interdictum, ſi moriantur tempore interdicti, conduntur in cœmeterio ſine pompa & ſolemnitate, & pulſatione campanarum, Etiam in conuentualibus Eccleſiis tempore interdicti bini & bini, vel ſimul tres, horas canonicas poſſunt recitare, non decantare, nimirum clauſis foribus, remotis excommunicatis & interdictis, & voce ita demiſſâ vt foris non audiantur; quod & à Sede Apoſtolica ſpecialiter conceſſum eſt regularibus, vt *hic, & cap. quòd nonnullis. ſuprà de priuileg.* In Eccleſiis conuentualibus Clericis licet alternis recitare horas canonicas vt colligitur ex *hoc cap.* quod primùm in Eccleſia Antiochena à Flauiano Patriarcha inſtitutum ſcimus, ex Socrate *lib.* VI. *cap.* VIII. Similiter & cruce ſignatis, & peregrinis pœnitentia conceditur tempore interdicti, vt additur in calce *h. cap.* Fauore ſacræ militiæ, & peregrinationis multa remittuntur de iure. Iure nouo tempore interdicti pœnitentia conceditur non modò morientibus, ſed & ſanis & validis. *cap. alma Mater. de ſent. excomm. in* VI.

CAPITVLVM XII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

OMNIS vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur: & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis adſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti medici ſuperfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circunſtantias, & peccati: ex quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Caueat autem omnino ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem, ſed ſi

prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſſione perſonæ, cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verumetiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.

PRIORIBVS Eccleſiæ ſæculis fideles ſingulis diebus accedebant ad ſacram communionem. Cyprian. de orat. Dominic. *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, à Chriſti corpore ſeparemur.* Perdurauit pia conſuetudo Romæ & in Hiſpania ad Hieronymi ætatem vſque, teſtis ipſe in epiſt. ad Lucinium Bæticum: *De ſabbatho quod quæris vtrum ieiunandum ſit, & de Euchariſtia an accipienda quotidie, quod Romana Eccleſia, & Hiſpania obſeruare perhibentur.* & idem lib. III. aduerſ. Iouinian. *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo.* & idem lib. II. in epiſt. ad Galat. *Sicut nobis licet vel ieiunare ſemper, vel ſemper orare, & diem Dominicam accepto Domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus.* Et in Mediolanenſi Eccleſia vſque ad Ambroſ. teſtis ipſe lib. v. de Sacrament. cap. IV. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt: accipe quod tibi proſit, ſic viue vt quotidie merearis accipere.* In Africa vſque ad Auguſtini ætatem, vt patet ex ipſo Auguſtino *de Eccleſ. dogmatib. cap.* XXIII. *& epiſt.* CXVIII. quos locos voà contexuit Gratian. in *can. quotidie. de conſecr. diſt.* I. Iam antè in Oriente deſierat ea conſuetudo, & ſemel in anno communicatum, religione, an tepore, & remiſſione? Præter Ambroſ. loc. laudato teſtatur Auguſtin. de verb. Dom. ſerm. XXVIII. iiſdem ferè verbis. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas, quem iam modum Græci in Oriente facere conſueuerunt: accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit, ſic viue vt quotidie merearis accipere.* Et Chryſoſtom. in I. ad Timoth. Homil. v. καὶ πῶς φησιν ὅταν ἅπαξ δι' ὅλου τοῦ ἐνιαυτοῦ μετέχωμεν; *Et quomodo inquies iſtud, quum ſemel tantùm per annum ea ſacramenta ſumimus?* Et idem Homil. XXXI. ad Antiochenos, οὐ γὰρ δὴ τὸ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ προσελθεῖν ἀπαλλάττει τῶν ἐγκλημάτων ἡμᾶς, ἂν ἀναξίως προσίωμεν. *Neque enim ſemel in anno accedere liberat nos à peccatis, ſi indignè acceſſerimus.* Tandem verò labente per vniuerſum orbem Chriſtianâ religione, ita refrixit vſus ſacræ communionis, vt non frequentior eſſet, quàm ſemel in anno tempore Paſchæ. Paulin. in Euchariſt.

Poſt autem exacta iam trieteride quinta,
Rite recurrente ſtatuto tempore Paſchæ,
Ad tua, Chriſte Deus, altaria ſacra reuerſus,
Te miſerante tua gaudens Sacramenta recepi.

& Domnizo libr. I. cap. XV. de geſt. Bonifacij Comitis & Mathildis.

Propria peccata generoſus hic, atque piacla,
Cum ſtudio magno pandebat fratribus anno
Omni, pompeſè Chriſte famulantibus ore
Cum proprio.

Hinc collapſæ diſciplinæ reſtituendæ cauſâ, placuit ſacram Euchariſtiam repeti ſaltem ter in anno, in Natali Domini, Paſcha & Pentecoſtes. *can. etſi non: can. ſæculares. de conſecr. diſt.* II. & frequentiorem vſum diſciplinæ reſtituere enixè ſtuduit Synod. Cabillonenſis II. *can.* XLVI. Vt verò omnia ſemper in peius ruunt, cùm ſacræ communionis participium vix ſemel in anno libari conſueuiſſet, Concilio generali Lateranenſi ſtatutum, vt omnes fideles vtriuſque ſexus, poſtquam peruenerint ad annos diſcretionis, id eſt exceſſerint infantiam, omnia ſua peccata ſoli, id eſt ſecretò ſaltem ſemel in anno fideliter confiteantur proprio ſacerdoti, id eſt parocho: qoa ſignificatione proprius Sacerdos accipitur, & in *can. relatio.* XXI. *qu.* I. *& can. præcipimus. ead. cauſ. qu.* II. & iniunctam pœnitentiam adimpleant, ac reuerenter ſaltem in Paſcha Euchariſtiam accipiant, quod in hunc diem inde ſeruatum, Thomas Cantiprat. Apum lib. II. cap. XL. *Quibus Sacerdos dixit, ſanctiſſimus dies eſt Paſcha, & locus eſt hic Reſurrectionis Dominicæ, audiatis priùs miſſam, & Euchariſtiam ſumite, poſteà recedemus.* Sequitur exceptio, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ad tempus à perceptione Euchariſtiæ duxerint abſtinendum, aliàs & ſuperſtites arceantur à limine Eccleſiæ, & mortui Eccleſiaſtica careant ſepultura. Ad communionem non admittuntur pueri, antequam ad diſcretionis annos peruenerint, id eſt infantiam exceſſerint, ex Concilio generali Lateranenſi. Cantiprat. lib. II. cap. XXVIII. *Appropinquans ergo morti confeſſus Sacerdoti, Sacramentum corporis Chriſti poſtulauit, ſed cùm hoc propter Concilij generalis vetitum, ne in ætate tali puero conferretur, ſacerdos facere non auderet.* Olim etiam pueri Euchariſtiæ participes fuiſſe liquet ex *can. eos. de conſecr. diſt.* IV. Nimirum pueri reliquias ſynaxeos conſumebant: quæ conſuetudo ſeruata Conſtantinopoli, Euagr. *lib.* IV. *cap.* XXXV. & in Gallia, Conc. Matiſconenſ. II. *can.* VI. & pueri ante cancellos altaris primi poſt clericos communicabant, Io. Moſchus in Limonar. *cap.* CXCVI. καὶ ἡ συνήθεια ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεδέχετο, ὥστε τοὺς παῖδας ἐμμένειν τοῦ ἁγίου ἱερατείου ἱστάμενοι ἐν ταῖς ἁγίαις συνάξεσι, καὶ πρῶτοι μετὰ τοὺς κληρικοὺς τῶν ἁγίων μεταλαμβάνειν μυστηρίων. *Conſuetudo fuit in Eccleſia, vt pueri in miſſis ante ſacrarium aſſiſterent, primique poſt clericos communicarent.* Communionem præcedere debet confeſſio omnium peccatorum, mortalium ſcilicet; de venialibus noo eſt neceſſe, quia illa tolluntur per orationem, eleemoſynam, vel aquam benedictam. *can. de quoti-*

dianis. de pœnit. dist. III. *can. qui vult. eod. dist.* VI. Coofessio fieri debet proprio Sacerdoti, id est parocho, vt modò dictum est: ab alio non licet pœnitentiam suscipere, sine eius consensu. *can. placuit. ead. dist.* id est peritâ licentiâ & obtentâ à proprio parocho, vt cauetur hîc, quia à non suo iudice nemo potest ligari vel absolui, vt subiuogitur *hîc, & cap. quod autem. suprà. e. tit. can.* I. IX *qu.* II. Etiam regulares qui gaudent priuilegio alienos parochianos admittendi ad confessionem, non possunt eo vti sine licentia proprij parochi, vt docet gloss. *h. loco.* Communio facienda est saltem semel in anno tempore Paschæ, nisi consilio medici, id est Sacerdotis ad tempus quis abstineat. In susceptione Eucharistiæ standum est consilio Sacerdotis, Auctor serm. ad fratr. in erem. serm. LXIV. *Et exinde vos sæculares post pœnitentiam & reconciliationem actam, secundùm Sacerdotis consilium communicate, temporibus præcipuè ad hæc ab Ecclesia ordinatis.* Sacerdos, quod sequitur in *hoc cap.* debet esse cautus & discretus, diligenter inquirere circumstantias peccati, & cauere omnino, ne verbo, aut signo peccata reuelet, sed si alterius consilio egeat, illud absque vlla designatione personæ cautè requirat. Reuelaos peccata, in pœnitentiali iudicio, id est in confessione sibi detecta deponendus est, & perpetuæ pœnitentiæ causâ in arctum Mooasterium detrudendus. Olim depositioni accedebat alia pœna, nempe perpetua peregrinatio. *can. Sacerdos. de pœnit. dist.* VI.

CAPITVLVM XIII.

IDEM IN EODEM.

CVM infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: Præsenti decreto statuimus, & districtè præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, vt medicos aduocent animarum: vt postquàm fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cùm causa cessante, cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quòd quidam in ægritudinis lecto iacentes, cùm eis à medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde faciliùs mortis periculum incurrunt. Si quis autem medicorum huius nostræ constitutionis, postquàm per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Cæterùm cùm anima sic multo pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

MEDICVS vocatus ad infirmum medendi causâ, ante omnia debet eum monere & inducere, vt aduocet medicum animarum, alioquin arcetur à limine Ecclesiæ donec satisfecerit, ex Concilio generali Lateranensi: quo etiam cauetur sub anathematis pœna, nè quis medicus pro salute corporis, ægro quid suadeat, quod vergat in periculum animarum, putà ne medelæ causâ ægroto suadeat vsum illicitæ veneris. Laudatur Thomas Eboracensis Episcopus, quòd vitæ salutem contempsit, proponentibus medicis quòd non conualesceret, nisi per coitum: de quo Roger. Houeden *in Henric. I. ad ann.* MCVIII. & Gu. Neubric. *lib.* I. *cap.* III. Nimirum coïtus prodest in quibusdam morbis. Ambros. epist. LXVI. *Misceri mulieri quibusdam voluptas est, Medicorum etiam pueri corporibus vtile ferunt.* Damnantur incantationes & phylacteria in curatione morborum, Conc. Tur. III. *can.* XLII. quem falsò Gratianus laudat ex Augustino incerto loco. *can. admoneant.* XXV. *qu.* VI. *can. non oportet. can. non mirum. ead. caus. qu.* V. Synod. VI. in Trull. *can.* LXI. Quæ medicorum quoque disciplina condemnat, ex Augustino in *can. illud. ead. caus. qu.* II. Aliàs non sine peccato reiicitur ab ægrotis consilium medici, si non pugnet contra legem diuinam & bonos mores. Thomas Cantiprat. Apum lib. II cap. I. *Et mox prior auerso vultu cùm renueret, dixit ei, non te competit, sine periculo anima tua, id est peccati mortalis contradicere Physico, dummodo præcipiat, quod potest fieri licitè cum iure scripto* Sed nequaquam audiendus medicus, si pro curanda valetudine, quid suadeat in dispendium animæ, quia anima est pretiosior corpore, vt proponitur in *hoc cap.* quod sumptum est ex *l. sancimus. C. de SS. Eccles.*

CAPITVLVM XIV.

IDEM IN EODEM.

CVM ex eo: . . . . . Eleemosynarum quoque quæstores, quorum quidam se alios mentiendo, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti

HHhh ij

(nisi Apostolicas vel diœcesani Episcopi literas veras exhibeant) prohibemus: & tunc præter id, quod in ipsis continebitur literis, nihil populo proponere permittantur. Formam verò, quam communiter talibus Apostolica Sedes indulget duximus exprimendam, vt secundùm eam diœcesani Episcopi suas literas moderentur. Ea siquidem talis est: Quoniam (vt ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus siue bonum fuerit, siue malùm: oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddenre Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis, firmam spem, fiduciámque rectam tenentes: quoniam qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ non suppetant facultates, vniuersitatem vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis pias eleemosynas, & grata eis caritatis subsidia erogetis: vt per subuentionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia peruenire. Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis aut in aliis locis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant aut sumptuosas expensas, cauentes omnino ne falsæ religionis habitum gestent. Adhæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur: decernimus, vt cùm dedicatur basilica, non extendatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniuersario dedicationis tempore XL. dies de iniunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat: .·.·.·.·. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur: cùm Rom. Pontif. qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare.

ELEEMOSVNARVM quæstores, intellige fratrum & pauperum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, de quibus memoratur *infrà. h. cap. & in cap. tuarum. suprà. de priuileg.* non admittuntur sine Apostolicis, vel diœcesani Episcopi literis, & in prædicatione nihil aliud plebi debent proponere, quàm quod continetur literis, id est indulgentias, quæ conceduntur largitoribus eleemosynæ. Vetus est huiusmodi consuetudo Ecclesiæ, ne collectæ stipium fiant sine literis Pontificis, vel Episcopi diœcesani. Cuidam egeno stipium legendarum causa literas dedisse Nicetium Lugdunensem Episcopum, obseruat Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. VIII. apud Sur. II. April. *Quidam verò pauper veniens Sancto, literas ab eo elicuit, manu eius subscriptas, quibus sibi per deuotorum eleemosynam flagitaret.* Quod sequitur in *hoc cap.* huiusmodi quæstores debent esse discreti & modesti, non debent hospitari in tabernis seu cauponis, nec incongruis locis, & vetatur ne falsæ religionis habitum assumant, id est ne mentiantur se quæstores Hierosolymitanos falsò sibi assuta cruce, & veste Ordinis. Præter S. Pontificem Episcopi possunt concedere indulgentias, sed limitatas. *ex hoc cap.* & Archiepiscopi intra prouinciam. *cap. pen. infrà. h. tit.* In dedicatione basilicæ indulgentiæ non conceduntur ab Episcopis vltra annum, siue ab vno siue à pluribus Episcopis dedicetur. In anniuersario die dedicationis indulgentia, seu remissio non debet excedere XL. dies de iniunctis pœnitentiis, id est non potest remittere ex asse pœnitentiam iniunctam, sed ex parte tantùm, nec potest relaxare vltra XL. dies de pœnitentiis iniunctis à confessario. Indulgentiæ conceduntur in anniuersario die dedicationis Ecclesiæ. Anniuersarium diem dedicationis Ecclesiæ celebrari prisci moris fuit. *can. solemnitatibus. de consecr. dist.* I. Augustin. de tempore serm. CCLV. *Sicut optime nouit sanctitas vestra, fratres, consecrationem altaris hodie celebramus, & iustè ac meritò gaudentes celebramus festiuitatem, in qua benedictus vel vnctus est lapis, in quo vobis diuina sacrificia consecrantur.* Indulgentia verò concessa ab Episcopo vltra modum Concilij Lateranensis ipso iure nulla est. *Clem.* II. *h. tit.* De indulgentiis vnà & de quæstoribus eleemosynarum coniunctim agitur in *hoc cap.* quia huiusmodi quæstoribus stipium conceduntur indulgentiæ, ad demerendas eleemosynas à plebe. Th. Walsingam. in Richardo II. *Cunctorum quæstorum Regni, qui cum indulgentiis circuire solent, &c.* Denique Episcopi non possunt concedere indulgentias nisi ad tempus, cùm & ipse Summus Pontifex qui habet plenitudinem potestatis tali moderamine vtatur, vt traditur in fin. *h. cap.* quo iure enim Episcopi laxiores indulgentias concedere præsumant, qui vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

TIT. XXXIX. *De sententia excommunicationis.*

CAPITVLVM XXVII.

INNOCENTIVS III. ARCHIEPISCOPO, DECANO, & Praecentori Lugdunensi.

CVM pro causa, quæ inter G. & F. Cabilonensis Ecclesiæ Archidiaconos vertebatur, eis concesserimus auditorem, procurator G. allegauit, quòd cùm F. Archidiaconus in Succentorem in communi dormitorio manus iniecisset temerè violentas, & eum traxisset verberando per claustrum, tu frater Archiepiscope eum ob violentam manuum iniectionem, & violationem immunitatis Ecclesiæ, fecisti excommunicatum publicè nunciari: .·.·.·.·. Discretioni vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit dictum F. Archidiac. ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm alteram in literis, quas super absolutione sua impetrauit: ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa cogatis.

CAPITVLVM XLII.

IDEM C. S. LAVRENTII IN LVCINA PRESBYTERO Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

OFFICII: .·.·.·. Postremò quæsiuisti vtrùm is, qui propter plures excessus à pluribus Prælatis ius in ipsum habentibus excommunicationis est vinculo innodatus, & vni Prælatorum de vno tantùm satisfacere vult excessu, ab eo sit absoluendus, de quo satisfacere vult eidem: & cùm de alio non satisfecerit alij, absolutus valeat nuntiari: .·.·.·.·. Super hoc articulo respondemus, quòd supprimenti veritatem absolutio subrepta non prodest: & veritatem intelligens, absolutionem huiusmodi exhibere non debet.

PRIORIS huiusce cap. quod integrum extat apud Innocentium III *lib. 1 epist.* cccxv. species hæc est. Falco Cabillonensis Ecclesiæ Archidiaconus in Succentorem in communi dormitorio, manus violentas iniecit, & verberibus eæsom traxit per claustrum. Archiepiscopus Lugdunensis, Metropolitanus idémque Primas eum ob violentam manuum iniectionem in Clericum, & violationem immunitatis Ecclesiæ, excommunicatum publicè nuntiauit: Archidiaconus verò à Sede Apostolica literas absolutionis impetrauit, pro manuum iniectione in Clericum, suppressa violatione immunitatis Ecclesiæ. Quæsitum est an absolutio valeret. Consultus Pontifex rescripsit, si constaret Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum, alteram tantùm causam excommunicationis expressisse in absolutionis literis quas impetrauit, ex altera causa excommonicatum permanere, quia absolutio per subreptionem elicita non prodest, ex *hoc cap. officy. & cap. ex parte. suprà de offic. ordinar.* ex quo excommunicatus à pluribus Prælatis in quorum potestate est, diuerso respectu, ex pluribus causis, & per diuersas sententias, non potest ab vno absolui priusquam aliis satisfecerit. *d. cap. offi. y.*

CAPITVLVM XXVIII.

IDEM ABBATI S. ANDREÆ.

ANobis est sæpè quæsitum, vtrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quo minùs reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus? & vtrùm pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum? .·.·.·.·. Nos igitur consultationi tuæ breuiter respondemus quòd iudicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur, semper innititur: iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quàm & fallere sæpè contingit, & falli: propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione

dissoluitur? illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cùm sententia remittitur, relaxatur: quod in suscitatione Lazari sermo Euangelicus manifestat, quem priùs Dominus suscitauit, & Apostolis præcepit postmodum soluere suscitatum. Vnde quantumcunque se quis iuramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit: quantacunque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi atque soluendi homines super terram, tanquam non possit soluere & ligare sub terra sepultos: & quod legitur, non communicetur mortuo, cui non est communicatum & viuo: cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impediuit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos & soluisse. Vt autem in vno pariter & eodem negotio, & seruemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus vt illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui cùm viueret, ab ea fuerat absoluendus: aliorum autem absolutionem ex præmissa causa cæteris indulgemus, à quibus dum viuerent, fuerant absoluendi. Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia consueta. Hæredes quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si monitione præmissa noluerint, per districtionem Ecclesiasticam compellantur.

CAPITVLVM XXXVIII.

IDEM STRIGONENSI ARCHIEPISCOPO.

SACRIS est canonibus institutum: ..... Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicauerat, qui cum omnibus fautoribus & participibus suis excommunicationis sententia sunt adstricti, ad cor rediens de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos priùs fouerat expugnaret, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit habendus est absolutus: nec si occumbat in huiusmodi bello, sunt absolutiones vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cùm de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, & iuxta cuiusdam constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.

PRIORIS *h. cap.* quod integrum extat apud Innocentium III. *lib.* II. *epist.* XVIII. species hæc est: Excommunicatus ob iniectas violentas manus in Clericum, præstito iureiurando, de parendo iudicio Ecclesiæ ex mandato instituit iter ad Sedem Apostolicam, vt absolueretur, & in itinere ab æmulis peremptus Ecclesiastica caruit sepultura: quæsitum est an post mortem absolui possit. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* excommunicatum post mortem absolui posse, si de viuentis pœnitentia, per euidentia signa constiterit, & pro eo recipiendas esse eleemosynas & à fidelibus orandum. Ratio est, quia absolutionis beneficium non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impediuit, cùm interfectus sit in itinere ad Sedem Apostolicam, & præstito iam sacramento apud Episcopum de parendo iuri. Sacramentum non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludit. *can. baptismi. de consecr. dist.* IV. Neque obstat quòd videtur mortuos non posse absolui, cùm ampliùs non sint fori Ecclesiæ, quòd Ecclesia habet potestatem ligandi & soluendi homines super terram, Matth. XVIII. tamquam nequeat ligare & soluere etiam mortuos, qui iudicio Dei reseruati sunt. *can. quodcumque.* XXIV. *qu.* I. Iuo Carnot. *epist.* XCVII. Nec est communicandum mortuis, quibus viuis non communicauimus. *can.* I. & II. XXIV. *qu.* II. *cap. sacris. de sepultur.* In multis enim casibus quos denotant Canones ligasse legitur Ecclesia mortuos & soluisse, vt de Gregorio I. legitur Monachum quendam post mortem excommunicasse, & sepultura inter fratres priuasse, quòd pecunia apud eum fuisset inuenta. *cap. cùm ad Monasterium. suprà. de stat. Monach.* Quod desumptum est ex ipsius dialog. IV. *cap* IV. Vt autem in eodem negotio rigor & indulgentia coniongatur, statuitur, vt mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui, cùm viueret ab ea fuit absoluendus: aliorum autem absolutio ex præmissa causa cæteris tribuitur, à quibus dum viuerent fuerant absoluendi. Absolutionis autem forma seruatur, vt fiat cum Psalmo pœnitentiali, scilicet, *Miserere mei*, & oratione Dominica, & alia consueta, ea scilicet, *Deus cui proprium est misereri, &c.* Hæredes quo-

que defuncti tenentur pro ipso satisfacere, *vt hic, & cap. vlt. suprà. de sepultur. cap. in literis. de raptor.* Alia est forma absolutionis viuorum, nimirum hæc: Excommunicatus vbi absoluendus est ab Episcopo, adstantibus XII. Presbyteris humi prostratus ante fores Ecclesiæ veniam postulat, & iuratus promittit se pariturum Ecclesiæ; tunc Episcopus dextrâ apprehensum in Ecclesiam introducit, & Christianæ communioni restituit, & septem Psalmi pœnitentiales occinuntur cum istis precibus, Kyrie eleison. Pater noster. Saluum fac seruum tuum. *can. cùm aliquis.* XI. *qu.* III. Hoc ritu ab excommunicatione absolutum Ioannem Regem Anglorum narrat Matth. Paris *ad ann.* MCCXIII. *Videntes ergo Archiepiscopus & Episcopi tantam Regis humilitatem cum lacrymis, illum de terra leuauerunt ducentes à dextris & à sinistris ad ostium Ecclesiæ cathedralis, vbi cum psalmo quinquagesimo videntibus magnatibus cunctis, & vbertim præ gaudio flentibus, sicut mos est Ecclesiæ, illum absoluerunt.* Sic & qui vltrò excommunicatis excommunicauit, licèt pœnitens de mandato Ecclesiæ, quos priùs fouerat excommunicatos expugnauerit, non habetur pro absoluto, priusquam perceperit beneficium absolutionis; nec oblationes pro eo recipiendæ, vel orationum suffragia offerenda, nisi cùm de viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, & iuxta tenorem constitutionis *cap. à nobis.* Absolutionis beneficium impendatur, ex *hoc cap. sacris.* Pro fidelibus defunctis Missas celebrari, & eleemosynas expendi obseruat Petrus Cluniacensis lib. II. epist. XVI. *Orat ergo, & per filium mater, & pro matre filius, vt tricenarius missarum ei, per loca vbi possibile fuerit persoluatur, & XII. pauperes reficiantur.* & Bertold. Constantiensf. in Chronic. de Rodulfo Rege: *In cuius anima commendationem Saxones innumerabiles eleemosynas fecerant.*

CAPITVLVM XXIX.

IDEM VVRATISLAVIENSI EPISCOPO.

NVPER à nobis tua discretio requisiuit, quid de illis laïcis sit faciendum, qui clericos (sine læsione tamen) in custodia detinent publica vel priuata, vel etiam detrudunt in vincula? Et vtrùm, qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolui ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote, vel Episcopi seu Archiepiscopi sit ab eis absolutio expetenda? Nos igitur inquisitioni tuæ ex ordine respondemus, quòd in primo consultationis articulo non credimus laïcos pœnam excommunicationis euadere, quamuis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel fauorem: aut aliàs in oratione vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnauit: ab eo vel eius superiore, merito delicti, tunc erit absolutio requirenda: cùm facientem & consentientem par pœna constringat. In secundo verò casu à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamuis enim & tunc non iudicis, sed iuris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Is autem, qui iuxta primum modum excommunicato communicat, cum iuramento debet absolui: qui verò iuxta secundum modum, reconciliari poterit sine iuratoria cautione. Verùm si difficile sit ex aliqua iusta causa, quòd ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgendo vt, præstitâ iuxta formam Ecclesiæ cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.

VRATISLAVIENSIS Episcopus, is est in Silesia, consuluit Pontificem, quid faciendum esset de laïcis, qui clericos sine læsione detinent in custodia publica, vel priuata, vel in vinculis; & vtrùm qui excommunicatis scientes communicant possint absolui à simplici Presbytero, vel requiratur absolutio ab Episcopo. Consultus Pontifex respondit ad vtrumque: ad primum scilicet, laïcos qui clericos detinent in custodia, etiam sine læsione, id est offensa corporali, non effugere excommunicationem. Ratio dubitandi erat, quòd excommunicatio non contrahitur, nisi ob violentam manuum iniectionem in clericos. *can. si quis suadente.* XVII. *qu.* IV. at videbatur à nuda detentione abesse violentia: tamen verius est excommunicationem contrahi per huiusmodi detentionem clericorum, quia violentia committitur in clericos per nudam detentionem

in custodia, etiam absque læsione, vt *hic, & cap. contingit. infrà. h. tit.* Ad secundum visus est hac distinctione, qui excommunicatis communicant, aut scientes in crimine excommunicatis communicant, ore, consilio vel gratia, aut aliàs in oratione osculo, id est salutatione, vel in mensa: in primo casu qui excommunicato in crimine communicant eandem excommunicationem incurrunt, nec ab alio absoluendi sunt, quàm ab eo qui primum excommunicauit, quia per participationem in crimine, videntur in eum delinquere qui damnauit, vt *hic, & cap. significauit. cap. si concubina. h. tit.* Excommunicato communicantes in crimine tenentur eodem vinculo excommunicationis, quia tenentur ex facto damnato, & sententia excommunicationis transit in eos propter participationem, vt rectè notat gloss. *h. loco.* Qui verò excommunicatis simpliciter communicant, in oratione, osculo, cibo vel potu, minorem excommunicationem incurrunt, & absolui possunt à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote, id est parocho, vt *hic & can. si cut. & can. excommunicatos. & seqq.* xi. *qu.* iii. Quamuis enim communicantes simpliciter excommunicato non iudicis, sed iuris excommunicationem incurrant, quia conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso videtur aliis concessisse potestatem absoluendi, & reliquisse rem dispositioni iuris communis. Ex quo Episcopus habet potestatem ligandi & soluendi, cùm habeat plenissimam iurisdictionem in sua diœcesi in non prohibitis. *cap. cùm apud. de sponsalib. can. sunt nonnulli.* xvi *qu.* i. Excommunicato communicans in crimine debet absolui cum iuramento, cùm teneatur eodem vinculo excommunicationis absoluendus est eâdem cum solemnitate, quâ excommunicatus: excommunicatus cùm absoluitur, tenetur iurare de parendo mandato Ecclesiæ. *cap. cùm desideres. h. tit.* Excommunicato simpliciter communicans in colloquio, vel in mensa, absoluitur absque iuramento; quia excommunicato simpliciter communicans minorem excommunicationem incurrit. *cap. vlt de cleric. excommunicat. ministr.* dummodò non communicet in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, contumacia enim cumulat pœnam. *l. relegati. ff. de pœn. cap. quoniam §. in aliis. suprà. vt lit. non contestat.* Hæc decretalis integra extat apud Innocentium III. *lib.* II. *epist.* LXIII.

CAPITVLVM XXX.

IDEM STRIGONENSI ARCHIEPISCOPO.

QVOD in dubiis: . . . . Respondemus, quòd excommunicato, licèt quòd sstet mandato Ecclesiæ iuramento firmauerit, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus, alioquin post iuramentum non esset absolutio necessaria. Nullus autem scienter nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregor. Papæ capitulum, Quoniam multos, specialiter excusantur. Illi autem, qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas à dicto canone adnotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, excommunicationis vinculo sunt innodandi: secùs autem si scienter communicant ei, qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus, tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurrunt.

SCIENTER communicantes cum excommunicatis, tenentur eodem vinculo excommunicationis, quamuis sacramento cauerint de stando mandato Ecclesiæ, quia iuramentum non habet vim absolutionis, alioquin post iuramentum non esset necessaria absolutio. Excipiuntur personæ necessariæ, putà vxor, liberi, serui, vt probatur *hic. ex can quoniam.* qui est Gregor. VII. *lib.* v. *epist.* XIV. à Gratiano relatus in *can. quoniam.* XI. *qu.* III. ex Concilio Romæ habito, de quo meminit Bertold. Constantiens. Presbyter in Chronic. ad ann. MLXXVIII. *Inde Gregorius Papa. facto Concilio mense Martio, in quo Concilio facta est exceptio quarumdam personarum de Heinriciana excommunicatione, & hoc vtique ad tempus, id est vxorum, filiorum, seruorum, & reliquorum, qui non scienter, vel saltem non libenter excommunicatis sociantur, idoneos legatos destinauit.* Excipiuntur personæ necessariæ, vt liberi, vxor, & serui: ne vxores auellantur à viris, liberi à parentibus, neve concordans matrimonium turbetur. *l. 1. ff. de liber. exhib.* neve dominis tollatur omne seruitium & obsequium seruorum. Narratur de Roberto Rege, quod cùm excommunicatus esset ab Episcopis Galliarum, quòd Bertam commatrem & per hoc affinem vxorem duxisset, tantâ religione ab excommunicato omnes recessere, vt pæne fuerit destitutus à suis, nec plures quàm duo seruuli apud eum remanserint, qui & omnia vasa quibus in cibo & potu vtebatur, quasi eius vsu polluta in ignem mitterent. Petrus Damian. *opuscul.* XXXIV. *cap.* VI. Præter personas necessarias & coniunctas communicantes cum excommunicatis præsumptuosè, id est in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, eandem excommunicationem incurrunt. *d. can. quoniam.* Item scientes communicantes excommunicato per sententiam cum participibus maiorem excommunicationem incurrunt, quia eâdem sententiâ excommunicationis tenentur, & hæc est summa *h. cap.*

CAPITVLVM XXXI.

IDEM DOCTORIBVS DECRETORVM BONON.

INTER alia, quæ Strigon. Archiepiscopus proponi fecit, nos recolimus respondisse, quòd nullus nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorij Papæ cap. Quoniam multos, specialiter excusantur. Verùm ex hac responsione orta est occasio disputandi, aliis concedentibus, quòd excommunicato communicare tenentur personæ in prædicto cap. nominatæ. præsertim quæ priùs ad communionem eorum ex debito tenebantur: aliis asserentibus eos communicare licitè posse si velint: non tamen ad hoc ex necessitate teneri. Vt igitur vnde ius prodiit, interpretatio quoque procedat, ambiguitatem huiusmodi taliter duximus absoluendam, quòd cùm quædam personæ in præmisso capitulo denotatæ, illis, in quos lata fuerit excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur (cùm adhuc debitum duret) beneficio canonis id agente, à priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium: & ita per consequens ad communionem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Illud autem non ad omnes personas capituli credimus referendum: vt videlicet obnoxietati huiusmodi sint subiectæ, cùm viatores, peregrini, & mercatores à communione talium personarum (nisi articulus necessitatis immineat) debeant abstinere: vt in fine colligitur manifestè, sed ad illas duntaxat, quæ talibus arctiori tenentur obnoxietate constrictæ: quibus tamen in his, pro quibus sunt excommunicatione notatæ, vt in criminibus, communicare non debent, sed ab eis penitus abstinere.

EIVSDEM argumenti est *hoc cap.* quod proximum: Communicantes scienter excommunicatis tenentur eâdem sententiâ excommunicationis. Excipiuntur certæ personæ, putà vxor, liberi, serui, & seruientes, id est famuli. Inde orta est controuersia; aliis asserentibus communicantes excommunicatis teneri vinculo excommunicationis, nisi sint personæ exceptæ, quæ ante sententiam excommunicationis ad communionem eorum ex debito tenebantur; aliis concedentibus eos impunè communicare cum excommunicatis si velint. Vt igitur vnde ius prodiit, interpretatio quoque procedat, eius enim est legem interpretari, cuius & condere. *l. vlt. C. de legib.* Pontifex controuersiam huiusmodi ita duxit soluendam in *hoc cap.* communicantes excommunicatis non contrahere excommunicationem, si sint de personis necessariis, quæ essent obnoxiæ ante excommunicationis sententiam: communio contracta ante excommunicationem faciliùs toleratur, quàm ea, quæ contracta est post excommunicationem Quis enim ferat liberos à parentibus, coniuges à viris segregari. *l. possessionem, C. comm. vtriusque iudic.* Senec. IX. controuers. III. *In auctione fratres quamuis hostilis hasta non diuidit.* Oratores, peregrini, viatores, mercatores debent abstinere communione cum excommunicatis, nisi in articulo necessitatis, id est in his quæ pertinent ad victum, vt *hic, & in can. quoniam.* XI *qu.* III. Oratores dicuntur *vtroque hoc loco, & in can paternarum. & can. illi qui.* XXIV. *qu.* III. qui limina Apostolorum, vel alia Sanctorum loca orationis causâ adeunt. Hoc cap. inscribitur Doctoribus decretorum Bononiæ, quæ est ciuitas ditionis Ecclesiæ Romanæ, scholâ legum insignis. *cap. 1. suprà. de locat.* Gunter. Ligur. lib. IX.

Fœnósque Bononia iuris
Ingreditur studiosa tuos.

Stephanus Tornacens. epist. LXXXII *Togatorum aduocationes, mercimonia, litigantium conflictus, cæcorum pugnam. Bononiensium auditoria fabriles diximus officinas.* Huius scholæ principes fuère Martinus & Bulgarus, & alij de quibus Raderic. de gest. Frideric. *lib.* II. *cap.* V. *& in cap. per tuas. suprà. de arbitr.* Quanti essent Scholæ Bononiensibus, intelliges ex eo, quòd Innocentius III. vt discederent à fœdere Othonis IV. eos hortatus est sub pœnâ translationis scholarum. *registr.* XIV. *epist.* LXXXIX.

CAPITVLVM XXXII.

CVM illorum absolutio, qui pro violenta manuum iniectione in Clericos labem excommunicationis incurrunt (quibusdam casibus à prædecessore nostro exceptis) Sedi duntaxat Apostolicæ reseruetur, nonnulli Ecclesiasticam sententiam

negligentes, in excommunicatione positi, Ecclesiasticos ordines accipere non formidant. Quid autem de his fieri debeat, Apostolicum sæpius oraculum imploratur. Circa quos credimus distinguendum, quòd tales vel sciunt excommunicationis se vinculo irretitos, vel non recolunt factum, pro quo in latæ sententiæ canonem inciderunt, vel factum quidem scientes, iuris ignari nesciunt exinde se teneri. Primò si fuerint sæculares clerici, à susceptis ordinibus censemus in perpetuum deponendos: in reliquis casibus tam Archiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sedis Apostolicæ speciali dispensandi facultatem se nouerint non habere, quibus etiam est absolutio talium interdicta: cùm maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Poterunt tamen huiusmodi Romani Pontificis auribus intimari, vt ab eo secundùm rigorem vel æquitatem responsum prodeat, prout discretio sua viderit faciendum. Qui si claustrales huiusmodi fuerint, licèt ab Alexandro Papa fuerit constitutum, quòd Monachi & Canonici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundùm prouidentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur, & si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, prouidentia est diœcesani Episcopi adhibenda: & alibi dicatur quòd de sæculo fugientes, qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, propter quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Romani Pontificis Abbas non potest nec debet eos absoluere, quamuis præsumptionem delinquentium debitâ possit animaduersione punire. Nos tamen in religionis fauorem, & vt euagandi materia subtrahatur, maiorem eis gratiam exhibere volentes, eorum Prælatis quòd etiam talibus absolutionibus beneficium impertiri valeant indulgemus: nisi excessus ipsorum extiterit difficilis & enormis, vtpote si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus iniecta, cùm excessus tales & similes nequeant sine scandalo prateriri. Si verò claustralis aliquis in religiosam personam alterius claustri manus iniecerit violentas, per Abbatem proprium & eius, qui passus est iniuriam, absoluatur. Quòd si clericum percusserit sæcularem, non nisi per Apostolicam Sedem (vt scandalum euitetur) absolutionis gratiam poterit promereri. Si autem hos ad ordines promoueri contingat, iuxta præmissam distinctionem, qui scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti ordinis, & officij decernimus manere suspensos. Circa reliquos verò facti memoriam, vel iuris peritiam non habentes Monasteriorum vtilitate pensata, post iniunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi graue fuerit, & notabile factum: aut is, qui fecit, adultus fuerit & discretus, vt violenter contra obliuionem vel ignorantiam præsumatur. Præcipimus autem Abbatibus, vt formam istam diligenter obseruent, ne priuilegium mereatur amittere, qui sibi permissa abutitur potestate.

ABSOLVTIO excommunicationis ob iniectas violentas manus in Clericos vel Monachos reseruatur Sedi Apostolicæ, nec potest tribui ab Episcopo, nisi in mortis articulo. *can. si quis suadente.* XVII. *qu.* IV. vel aliis casibus exceptis *cap. de Monachis. h. tit.* Excommunicatus ob iniectionem manuum in Clericos interim non potest suscipere ordines. *cap. si celebrat. de cleric. excommunicat. ministr.* Et si excommunicatus suscipiat ordines, quid fiet? Pontifex hic ait distinguendum esse: aut excommunicatus, non ignarus iuris, sed facti haud memor: vel facti memor iuris ignarus suscepit ordines. Primo casu si fuerit Clericus sæcularis, à susceptis ordinibus in perpetuum deponitur; si regularis, ab executione ordinis est suspensus. Secundo casu solus Papa cum eo dispensat, nec Episcopus dispensandi cum eo habet facultatem, sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, cùm absolutio talium sit ei interdicta. *d. can. si quis suadente.* Maius prohibitum intelligitur, cui & minus. *l. qui indignus. ff. de senat. can. gesta.* LXXIV. *dist. can. illud.* XCV. *dist.* Si est regularis, Abbas potest ei absolutionis beneficium impertiri, quod specialiter introductum est fauore religiosis. *cap. ex literarum. de Apostat. cap. significasti. de homicid. can. rursus.* XI. *qu.* III. Excipitur, nisi delictum sit graue & enorme, vt *hic, & cap. canonica. infrà. h. tit.* putà si importet mutilationem membri, vel effusionem sanguinis, aut in Episcopum, vel Abbatem manus iniectæ sint. Abbas potest dispensare circa ordines in casibus expressis, vt *hic, & cap.* II. *de eo qui ord. furtiu. suscep.* Vel nisi reus fuerit adultus & discretus, ita vt in eo vix possit præ-

sumi ignorantia iuris, vel obliuio proprij facti, quæ non præsumitur nisi ex lapsu decennij. *l. sancimus. C. de testament. l. peregrè. ff. de acquir. possess.*

CAPITVLVM XXXIII.

IDEM PISTORIENSI EPISCOPO.

DE Monialibus tua à nobis fraternitas requisiuit, per quem eis sit beneficium absolutionis impendendum, si vel in se inuicem, vel Conuersos, vel Conuersas suas, aut Clericos etiam manus iniecerint temerè violentas? Super hoc igitur tuæ consultationi taliter respondemus, vt per Episcopum, in cuius diœcesi Monasteria fuerint, absoluantur.

ABSOLVTIO excommunicationis ob violentam manuum iniectionem in Clericos reseruatur Sedi Apostolicæ, nisi in casibus exceptis, putà in mortis articulo. *can. si quis suadente.* XVII. *qu.* IV. vel in regularibus, putà si Monachi, vel Canonici regulares inuicem se percosserint, ab Abbate vel Priore absoluendi sunt. *cap. Monachi. cap. canonica. h. tit.* ne eis detur materia euagandi. *cap. prox. suprà. h. tit.* Eàdem ratione Moniales si se inuicem aut Conuersas, vel Clericos sæculares percusserint, absolui possunt ab Episcopo diœcesano, ex *hoc cap.* Abbatissa enim Moniales excommunicare vel absoluere non potest. *cap. dilecta. suprà. de maior. & obedient. cap. noua. de pœnitent.* Idem iuris est in mulieribus & aliis personis, quæ non sunt sui iuris. *cap. mulieres h. tit.* Nec in canonem incidit puella, quæ pudoris tuendi causâ Clericum percussit. Hinc Thomas Cantipratanus Apum *lib.* II. *cap.* XXX. ridet Bruxellensem puellam, quæ cùm percussisset Clericum, qui eam opprimere volebat, ex quo sanguis per nares effluxisset, eiulans venit ad Cantipratense cœnobium, *Pro quo*, inquit, *vt mihi dicitur à Clericis, Romam me adire modis omni- . . oportebit.*

CAPITVLVM XXXIV.

IDEM VNIVERSIS CRVCE SIGNATIS.

SI verò:........ Quòd si Veneti fortè nec satisfacere voluerint, nec absolui, vobis permittimus vt cum ipsis in terram Sarracenorum vel prouinciam (iuxta quod inter vos conuenit & ipsos, vel honestè conuenerit) nauigio transeatis, quantò minùs poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cùm enim iam à vobis maiorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci, aut etiam coarctari: si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi verò præmium ex contumacia reportare: cùm ad hoc debitum exoluendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi possit & recipi, quod debetur. Est autem cautum in iure, quòd si quisquam per terram hæreticorum aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessaria emere ac recipere poterit ab eisdem. Præterea si paterfamiliâs domus excommunicationis sententiâ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur. Licèt ergo Dux Venetorum dominus nauium tanquam paterfamiliâs domus in excommunicatione persistat, vos tamen tanquam ipsius familiam dum in nauibus eius fueritis, ipsius excommunicatio non continget: & excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum nauibus existentes, cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ communicaueritis ipsis, in quibus eorum communicationem non poteritis euitare.

HVIVS cap. species hæc est: Indicta ab Innocent III. sacra expeditione in Sarracenos, Cruce signati ad transuehendas copias in Syriam naues conduxere à Venetis qui classe præstabant, & ex parte naulum conuentum præstitere; sed quia Veneti cum Petro Ziano Duce per id temporis à Sede Apostolica ex communicati erant ob excessus commissos in Ladertinos, de quo apud Innocent. *regist.* XVI. *epist.* XCI. & in supplemento Guillel. Tyrij *lib.* II. *cap. ult.* Cruce signati religione ducti, ne excommunicationem contraherent communicando cum excommunicatis, si Venetorum opera & nauibus vterentur in transuectione copiarum, consuluere Pontificem quid fieri oporteret. Consultus Pontifex *hoc cap.* permisit Cruce signatis Venetorum nauibus in Syriam transnauigare, si hi nec satisfacere velint, id est naulum acceptum restituere, nec absolui, id est beneficium absolutionis accipere, ne Cruce signati damnum ex pœnitentia, excommunicatis præmium ex contumacia obueniat; & nihil vetat à Venetis licèt excommunicatis exigi conductas operas operarum, cùm ab excommunicatis quod debetur exigi & recipi possit. Excommunicatus non potest agere, sed conueniri potest. *cap. cùm inter. suprà. de except.* Præ-

terca fauore sacræ militiæ non incongruum erat Cruce signatos excommunicatorum nauibus vti cùm aliunde non haberent, & per terram hæreticorum & excommunicatorum transire, ab eisdem necessaria emere, ac recipere fas sit. *can. quoniam.* XI. *qu.* III. nec personæ necessariæ, putà vxor, liberi, communicando cum excommunicatis incurrant excommunicationem, vt *hic*, *& cap. cùm desideres. cap. quòd in dubiis. h. tit.* Sed ne scrupulus communicandi cum excommunicatis sacram expeditionem moueret, hortatur Cruce signatos vt Venetis se iungant, cum dolore & amaritudine cordis, & sub spe veniæ, id est fiducia indulti Apostolici; quia reuera non erat veniæ locus cùm id fieret ex indulgentia S. Pontificis, & ex necessitate ac vtilitate sacræ expeditionis. qui per vim & metum cum excommunicatis communicat, excommunicationem non incurrit. *cap. sacris. de his quæ vi metusv. caus.*

CAPITVLVM XXXV.

IDEM LONDONENSI EPISCOPO.

VT famæ tuæ: .·.·.·.·. Sanè consuluisti nos, vtrùm Clerici grauiter excedentes, qui turè non possunt Monasteriis ad agendum pœnitentiam deputari, quoniam cùm non pœniteant de commissis, opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent claustri, & prioribus se scelestiùs immiscerent: à te vel aliis Prælatis suis arctæ possint custodiæ mancipari: .·.·.·. Respondemus, quòd cùm Prælati excessus corrigere debeant subditorum, & publicè vtilitatis intersit, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores: non solùm possunt, sed debent etiam Clericos postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub arcta custodia detinere. Qui cùm sint incorrigibiles, nec Monasteriis valeant custodiri, ad similia vel peiora facilè laberentur. Laïci verò citra excommunicationis sententiam capere Clericos, & ad iudicium trahere possunt, si oporteat etiam violenter, dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt iurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere criminosos: cùm hoc non ipsi, sed illi quorum auctoritate id faciunt, facere videantur: dum tamen non ampliùs eorum violentia se extendat, quàm defensio vel rebellio exigit Clericorum.

CLERICI vbi fuerint de crimine damnati, si incorrigibiles sint, à Prælatis sub arcta custodia detineri possunt, & debent ex *hoc cap.* Canonica pœna est inclusio, ergastulum. *can. contra.* XXVI. *qu.* V. *can. impudicas. can. si quis sacro vel.* XXVII. *qu.* I. seu perpetuum ergastulum. *can. his à quibus.* XXIII. *qu.* VIII. & perpetua custodia. Iuo Carnotens. epist. CLXII. *Et depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exilium detrudatis.* Muralis reclusio, Chronic. Altissiodor. ad ann. MCCXII. *Et iudicati hæretici exponuntur publica potestati, ex quibus decem traduntur incendio, reliqui quatuor murali reclusione damnantur.* Retrusio in turre Episcopi, Chronic. Normann. ad ann MCXLVII. *Mira miranda Eudonis pseudo-propheta & hæretici patrata sunt, qui in Concilio Rhemis damnatus, & in turre Archiepiscopi retrusus, vt malè cœpit ita deperiit.* Olim & Romæ perpetuus carcer pœnæ genus erat, M. Tull. IV. in Catilinam, *Vincula verò & ea sempiterna, certè ad singularem pœnam nefarij sceleris inuenta sunt.* Sed huiusmodi pœna explosa est, carcer enim ad custodiam, non ad pœnam haberi debet. *l. aut damnum. §. solent. ff. de pœn* Clerici, inquam, damnati debent sub arcta custodia detineri, cùm turò non possint in Monasteriis pœnitentiæ causâ contineri, vt subiungitur hîc, vel etiam Monachi ægrè admitterent damnatos in Monasterium pœnitentiæ causâ. *cap. sicut dignum. §. vlt. suprà de homicid.* Laïci citra excommunicationem Clericos capere & ad iudicem trahere possunt, etiam adhibita manu militari si necesse sit, dummodo id fiat de mandato iudicis, cùm hoc non ipsi, sed illi quorum auctoritate id faciunt, facere videantur, nisi modum excedant, quæ est secunda pars *h. cap.* Nihil iniuriâ facit, qui exequitur mandatum iudicis. Iuris executio non habet iniuriam. *l. iniuriarum. §. 1. ff. de iniur.* nihil est quod imputetur carnifici qui exequitur sententiam iudicis. *can. quæsitum. can. illud.* XXIII. *qu.* IV. Gregor. Nazianz. epist. CLXXXI. *οὐδὲν δεινὸν ποιοῦσιν οἱ δήμιοι, ὑπὸ τῷ ὑπηρετοῦντι νόμου. Nihil graue agunt carnifices, legibus enim inseruiunt.*

CAPITVLVM XXXVI.

IDEM BRACHARENSI EPISCOPO.

CONTINGIT interdum, quòd Clerici si quem offendant, & satisfacere velint offenso: secundùm morem patriæ, quem inter se laïci obseruant, cot-

pora sua sponte supponunt xxx. seu pluribus aut paucioribus percussionibus fustium :.·.·.·.·. Nos autem fraternitati tuæ super hoc respondemus, quòd huiusmodi manus iniectio etsi non violenta, tamen iniuriosa videtur : cùm ille canon non tam in fauorem Clerici ordinati, quàm in fauorem ordinis clericalis fuerit promulgatus : ideo & volumus & mandamus, vt id decætero prohibeas adtentari. Si quis autem Clericus post prohibitionem huiusmodi sponte se subiecerit, excommunicetur : prouiso vt Clericus iniuriam passo sine iniuria clericali satisfaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari.

HVIVS cap. species hæc est : In Hispania Clerici si cui iniuriam facerent, offenso satisfacere parati, solebant ex more regionis, quem laici inter se colebant, se submittere xxx. aut pluribus, aut paucioribus plagis fustium, quæsitum est à Bracharensi Archiepiscopo an ipsi inciderent in excommunicationem latæ sententiæ. Ratio dubitandi erat, quòd huiusmodi percussio non erat violenta, cùm fieret de consensu eius qui patiebatur. volenta non fit iniuria. *l.* 1. §. *adeo. ff. de iniur.* Consultus Pontifex rescripsit percussores huiusmodi esse excommunicatos, quia huiusmodi manuum iniectio, etsi non violenta iniuriosa videtur, & percussores incidunt in canonem ob manuum iniectionem in Clericos, etiam consentientes, nec enim Clerici possunt remittere iniuriam sibi factam; quia canon, *Si quis suadente.* non tam in gratiam Clericorum, quàm ordinis est promulgatus, vt se habet de priuilegio fori Ecclesiastici. *cap. si diligenti. cap. significasti. de foro competent.* Sic Episcopus non potest remittere iniuriam factam ordini & Ecclesiæ. *can. inter querelas, & seqq.* XXIII. *qu.* IV. Gregor. Tur. lib. VIII. cap. XL. *Quod factum cùm comperissem, eum à communione suspendi, non quasi vltor iniuriæ meæ, sed vt faciliùs eum ab hac insania redderem emendatum.* Et Clericus si post monitionem se huiusmodi pœnæ subiecerit excommunicatur, ita vt competenter satisfaciat iniuriam passo, sine iniuria ordinis, vt subiungitur in fine *h. cap.* Hinc & Clericus pro mutuo non potest se obligare ad corpus. *l. ob æs. C. de oblig. & act.* ne iniuriam faciat ordini.

CAPITVLVM XXXVII.

IDEM LVGDVNENSI ARCHIEPISCOPO.

RELATVM est nobis, quòd cùm aliqui serui propter iniectionem manuum in Clericum violentam, in canonem incidunt sententiæ promulgatæ : allegantibus dominis eorumdem, quòd carere mancipiis suis nolunt, venire ad Sedem Apostolicam absoluendi non curant, per occasionem huiusmodi eludentes Ecclesiasticam disciplinam. Quocirca mandamus, quatenus eos venire compellas ad Sedem Apostolicam absoluendos : cùm plus sit Deo, quàm homini deferendum : nisi fecerint hoc in fraudem, vt subtrahant se obsequio dominorum, aut ipsi domini propter hoc sine culpa sua graue damnum incurrant. Tunc enim in vtrolibet casu poteris eos ex indulgentia nostræ prouisionis absoluere, cùm nimis sint ab Apostolica Sede remoti : sed in compensationem laboris, quem in itinere sustinerent, alia eis satisfactio iniungatur : dummodo non sit tam grauis & enormis excessus, vt propter vitandum scandalum & tollendum exemplum, huiusmodi serui ad seruum seruorum Dei venire debeant absoluendi.

SERVI, id est mancipia, adhuc enim ea ætate erant serui, vt alio loco à nobis obseruatum est, ob violentam manuum iniectionem in Clericos, ad Sedem Apostolicam accedere compelluntur absolutionis obtinendæ caussâ : neque obstat exceptio dominorum suis mancipiis se carere non posse, etsi enim dominus non teneatur ex facto vel dolo serui, iuxta Rubr. *C. ne filius pro patre, vel seruus pro domino*, tamen hoc casu dominus tenetur dimittere seruum vt Romam pergat absolutionis gratiâ, quia plus Deo, quàm hominibus deferendum. *can. quisquis metu.* XI. *qu.* III. Excipitur, nisi serui dolo hoc fecerint, vt se subtrahant dominorum obsequio, vel ipsi domini propter hoc sine culpa sua graue damnum sustineant. Tunc licet Episcopo ex indulgentia Sedis Apostolicæ, id est tanquam delegato Sedis Apostolicæ, eos absoluere, sed pro redemptione, seu compensatione laboris itineris, iniungenda est illis alia satisfactio : dummodo delictum non sit ita enorme, vt vitandi scandali, & tollendi exempli caussâ huiusmodi serui venire debeant ad seruum seruorum Dei, id est vt difficultas absolutionis seruos contineat, ne manus iniiciant in Clericos. Sicut absolutio excommunicationis ob manuum iniectionem in Clericos reseruatur Sedi Apostolicæ, ita & commutatio laboris itineris in aliam pœnitentiam. *cap. magnæ. cap. quòd super his. suprà de voto.* vt pœnæ damnatorum post sententiam commutari non possunt, sine auctoritate Principis. *l. moris est. §. istæ fere. ff. de pœn. l. acta. §. 1. de re indicat.*

CAPITVLVM XXXIX.

IDEM ASSVNTINENSI EPISCOPO.

SICVT nobis: .·.·.·. Fraternitati tuæ respondemus, quòd nisi excommunicati à te, super absolutione sua literas nostras, vel illius, cui vices nostras in hac parte commisimus reportauerint, aut alio modo legitimè de illorum absolutione tibi constiterit, tu ipsos pro excommunicatis vt priùs habeas & facias euitari.

EXCOMMVNICATO qui dicit se absolutum à Pontifice, non creditur, nisi doceat de absolutione per literas Apostolicas, vel eius cui vices Pontificiæ in hac parte creditæ sunt, vel alio legitimo modo, ex *hoc cap.* quod integrum extat *lib.* II. *epist.* CLVII. Sicut excommunicatio in scriptis fieri debet. *cap.* 1. *h. tit. in* VI. ita & absolutio, de vtroque probat *can. legum.* 11. *qu.* 1. *Qui etiam ab Ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libelli inscriptione aut recipitur, aut eiicitur.*

CAPITVLVM XL.

IDEM SENONENSI ARCHIEPISCOPO.

PER tuas literas: .·.·.·.·. Videtur aliquibus, quòd cùm ad Metropolitanum per appellationem quæstio non defertur, excommunicatus autem vocem non habeat appellandi, vtpote ab Ecclesia separatus, siue appellauerit siue non, Metropolitanus ei non debet absolutionis beneficium exhibere. Verùm ex verbis cuiusdam epistolæ, quam Scholastici ab Alexandro Papa emanasse proponunt, habetur quòd si ante appellationem in aliquem excommunicationis sententia fuit promulgata, Metropolitanus ante litis ingressum ab eo iuramento recepto secundùm Ecclesiæ consuetudinem, debet ipsum absoluere, nisi voluerit Episcopo diœcesano deferre, ipsúmque ad eum remittere absoluendum: vbi etiam consequenter infertur, quòd nec excommunicati sunt audiendi priùs, quàm fuerint absoluti, nec sunt ad illos, à quibus appellauerant, remittendi. In Sardicensi autem Concilio reperitur, vt is, qui ab Episcopo est abiectus, finitimos Episcopos interpellet, & causa eius audiatur, & diligentiùs pertractetur: Episcopus autem, qui iustè vel iniustè abiecit eundem, patienter accipiat vt discutiatur negotium, quatenus vel probetur eius à pluribus sententia, vel etiam emendetur. Priùs tamen quàm omnia diligenter examinata fuerint, nullus ante causæ cognitionem communioni eum sociare præsumat, qui fuerat communione priuatus. Nos igitur credimus distinguendum, vtrùm quis proponat se post appellationem legitimam interpositam excommunicatione fuisse notatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum: in quibus casibus ad probationem eorum etiamsi absolutionem non petat, debet admitti: sed donec de ipsis constiterit, in aliis euitari debet, quanquam Apostolica Sedes etiam talem consueuerit absoluere ad cautelam. Verùm in aliis, nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur, & per hoc ampliùs ex suo contemptu ligetur. Quòd si absolutionis beneficium humiliter postulauerit, Metropolitanus eum debet absoluere, nisi suo duxerit suffraganeo deferendum: cui tamen si suffraganeus absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ noluerit exhibere, ipse nihilominus illum absoluat, cautione receptâ, quòd suo debeat parere mandato, ac deinde causam audiat, & quod canonicum fuerit (iustitiâ mediante) decernat. Quòd si forsan Episcopus subditum suum, propter manifestum excommunicasset excessum, Metropolitanus non debet ipsum absoluere, nisi suffraganeus requisitus malitiosè sibi absolutionis beneficium denegaret.

HVIVS cap. species hæc est: Episcopus Altissiodorensis excommunicauit Archipresbyterum suum, qui adito Archiepiscopo Senonensi petiit ab eo se absolui oblatâ cautione de iuri stando: Archiepiscopus deferre volens Episcopo, sæpius eum admonuit, vt hunc absolueret, & cessante Episcopo ipsum absoluit: interim Episcopus pro absoluto eum minimè habebat, ratus absolutionem non spectare ad Archiepiscopum. In dubio Archiepiscopus consuluit Pontificem,

qui rem variè disceptauit apud se: primùm proponit quibusdam visum, quòd cùm ad Metropolitanum quæstio per appellationem non deferror, excommunicatus autem non habeat ius appellandi, siue appellauerit, siue non, Metropolitanus non debet eum absoluere. Verùm reiectâ huiusmodi opinione Pontifex ostendit ex quadam decretali Alexandri III. Archiepiscopum hunc absoluere posse. Summa huius decretalis hæc est, quòd si ante appellationem Episcopus aliquem excommunicauerit, Metropolitanus ante litis ingressum, id est ante litem contestatam solemni ab eo recepto iuramento de stando mandato Ecclesiæ, ipsum debet absoluere, vel remittere eum absoluendum ad Episcopum à quo appellauit. In contrarium Pontifex obiicit Synodi Sardicens. *can.* XVIII. qui refertur *in can. si Episcopus quis forte.* XI. *qu.* III. in quo dicitur: si quis ab Episcopo fuerit excommunicatus, & paratus sit probare se iniustè excommunicatum, vicinos Episcopos adeat, vt causa eius repetatur; à nemine autem communioni reddatur ante sententiam. His præmissis Pontifex pronuntiat distinguendum esse, si excommunicatus proponat se post appellationem excommunicatum esse, vel sententiam excommunicationis per intolerabilem, id est crassum, & supinum errorem latam fuisse, his casibus excommunicatum audiri etiam ante absolutionem: sententia suspensionis vel excommunicationis post appellationem lata ipso iure nulla est, & reuocatur per viam attentati. *cap.* I. *dilecti filij. suprà. de appellat.* In aliis excommunicatum non audiri ante absolutionem. Quòd si excommunicatus absolutionis beneficium postulauerit, Metropolitanum debere eum absoluere, vel remittere absoluendum ad Episcopum; sed cessante Episcopo, ipsum posse eum absoluere ad cautelam, receptâ cautione de parendo mandato Ecclesiæ. Si excommunicatus appellauerit, interim ob periculum moræ absoluitur ad cautelam. *cap. sacro. infrà. h. tit. cap. venerabilibus.* §. *porro.* §. *sanè. h. tit. in* VI. Quod genus absolutionis manasse ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ insinuat Pontifex his verbis *h. cap. Quamquam Apostolica Sedes tales consueuerit absoluere ad cautelam.* Eiusdem verò vsus antiquissimus probatur *Act.* X. *Conc. Calchedonens. inter acta Conc. Berytens. & Conc. Agath. can.* III. *can. Episcopi.* XI. *qu.* III. Quòd si Episcopus subditum excommunicauerit pro notorio delicto, Metropolitanum non debere ipsum absoluere, nisi cessante Episcopo post requisitionem. Quod præter hunc locum docetur in *cap. ad reprimendam. de off. ordinar.* vbi dixi.

CAPITVLVM XLI.

SI aliquando fortè contigerit, quòd eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subiecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio destinentur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata: Cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam subreptionem contingat huiusmodi literas impetrari.

EXCOMMVNICATVS à Sede Apostolica, non censetur absolutus, si literæ ei à Pontifice dirigantur cum salutationis alloquio. Plerumque huiusmodi literæ per ignorantiam, negligentiam, nimiam occupationem, vel per subreptionem impetrantur, ex *hoc cap.* Subreptionis argumentum est, quòd Pontifex excommunicatis & interdictis solet scribere sine salutatione, vt sine salutatione legitur epistola ab ipso Innocentio III. scripta Taruisinis qui erant interdicti. *lib.* II. *epist.* XXVII. Neque obstat quòd excommunicatione absolutus præsumitur, quem Pontifex tamquam non ligatum admisit ad osculum. *cap. cùm olim. suprà. de priuileg.* vel qui Episcopo communicauit in mensa & Ecclesia. *cap. proposuit. de cleric. excom. ministr.* vt ab excommunicatione absoluti censentur, qui cum Rege in gratiam redierint, vel regiæ mensæ participes facti sint. Conc Toler. XII. *can.* III. Capitul. *lib.* V. *cap.* CCCXXXXIII. & apud Iuonem Carnot. *epist.* LXII. *&* CLXXI. Quia hæc iura loquuntur de excommunicato, quem Pontifex sciens admisit ad osculum, vel cui Episcopus sciens in mensa, vel in Ecclesia communicauit, vel Rex mensæ adhibuit sciens. At hic Pontifex insciens literas direxit excommunicato cum salutatione, vt rectè notat glossa. Ex quo nuda salutatio per errorem facta vim absolutionis habere non potest, imò etsi facta sit scienter non est habenda pro absolutione; quia certa tradita est forma absolutionis, extra quam absolutus non videtur excommunicatus. *cap. cùm desideres. cap. quod in dubiis. cap sacris. h. tit.* & hodie si Summus Pontifex etiam sciens excommunicato participet literis, verbo, vel osculo, seu alio quouis modo, per hoc ipsum absoluere non censetur nisi expressè hoc actum sit. *Clem. vlt. h. tit.*

CAPITVLVM XLIII.

IDEM FERRARIENSI EPISCOPO.

RESPONSO nostro postulas edoceri, an cùm Ferrarienses ciues excommunicationis & interdicti sententiis sint ligati, liceat sibi viros & mulieres semel in hebdomada vel in mense apud aliquam Ecclesiam conuocare, quibus prædices verbum Dei, & eosdem ad correctionem inducas. Super quo respondemus, quòd sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris, cùm videris expedire: dummodo contra

formam interdicti nullum eis diuinum officium celebretur. Præterea quæsiuisti cùm Ferratiensis ciuitas sit interdicto supposita, & ideo sint ibidem (præter baptisma paruulorum, & pœnitentias morientium) vniuersa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo respondemus, quòd sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus à te possunt sacro chrismate deliniti.

HVIVS cap. species hæc est: Ferrariensi ciuitate interdictâ, fortè qoòd Othonis partes fueret aduersus Sedem Apostolicam, Ferrariensis Episcopns consoluit Pontificem an sibi liceret ciuibus interdictis semel in hebdomada, vel in mense qoapiam in Ecclesia verbum Dei prædicare, & eos ad correctiooem hortari. Ratio dubitandi erat, qnòd cum excommunicatis & interdictis non est communicandum, & sicot interdicti arcentur à diuinis officiis, videbatur etiam eis denegandum beoeficium verbi Dei, seu prædicationis. Coosultus Pontifex respondit hîc oon prohiberi Episcopum, verbum Dei prædicare excommuoicatis & interdictis, dummodo nullum contra formam interdicti diuinum officium eis celebretor. Non prohibetor sermo seu colloquium cum excommunicatis in his quæ pertinent ad excommunicatiooem & salutem animæ, vt resipiscant. *cap. cum voluntate. infrà. h. tit. can. cum excommunicato.* XI. *qu.* III. Tempore eiusdem interdicti, idem Episcopus qoæsiuit an permitteretur consignatio, seu confirmatio baptizatorum. Ratio dubitandi erat, quòd in generali interdicto omnia Sacramenta Ecclesiastica interdicuntur, præter baptismum paruulorum, & pœniteotiam morientiom, vt patet ex *hoc cap. & cap. quod in te. suprà. prox. tit. & cap non est. de sponsalib.* & ipsius Innocent. III. *epist.* CCCLII. *libr.* I. Sed hîc responsum confirmationem baptizatorum permitti. Ratio optima est, quòd confirmatio est quasi accessio & absolutio baptismi. *can.* I. *& passim. de consecr. dist.* V.

CAPITVLVM XLIV.

INQVISITIONI tuæ respondentes, credimus distinguendum, vtrùm alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugij, propter quod sine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamuis illud apud Ecclesiam probare non possit: an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo, distinguimus vtrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate leui & temeraria, an probabili & discreta, & quidem ad sui pastoris consilium (conscientiâ leuis & temerariæ credulitatis explosâ) licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum coniugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum, ex credulitate probabili & discreta, quamuis non euidenti & manifesta: debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.

ALTER coniugum certò sciens impedimentum matrimonij, quamuis illud coram Ecclesia probare non possit, noo potest reddere debitum; & si excommuoicetur debet potiùs subire excommunicationem, quàm rem ouptialem facere, quod ooo licet sine peccato mortali, *vt hic & cap literas. suprà. de restit. spoliat.* Sciens impedimentum ex credulitate, seo opinione leui & temeraria, consilio sui pastoris explosâ huiusmodi credulitate, licitè potest reddere & exigere debitum: qui verò credit impedimeotum ex credulitate probabili & discreta, potest reddere, non petere debitum. Hæc est breuis & facilis seotentia *h. cap.*

CAPITVLVM XLV.

CONTINOIT interdum: .:.:.:.:. Sanè sicut accepimus insinuante Comite Flandrensi in diœcesi tua quidam existunt, qui nec in modo tonsuræ, nec in vestimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de clericatu quicquam ostendunt, ad pœnæ subterfugium se Clericos exhibentes. Cùm enim super excessibus, quos sæculari luxu committunt, ad publica iudicia pertrahuntur, circuncisis crinibus, vt possint circumuenire vindictam, se pro Clericis repræsentant, clericalis fori priuilegium labiis allegantes, qui factis paulò antè negauerant clericatum: .:.:.:.:. Verùm, quia priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, ac frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem: volumus

lumus & mandamus, vt tales si tertiò à te commoniti seipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis exortes, quæ pro clericorum tutela, & laicorum violentia coërcenda dignoscitur instituta.

CLERICVS qui post trinam monitionem non gestat tonsuram & habitum clericalem, priuilegium clericale amittit, vt definitur *hic, & cap. in audientia. suprà. h tit.* vt si deprehensus sit in maleficio, non amictus veste clericali, non vtitur priuilegio fori. *cap. ex parte. de cleric. coniugat. cap. ex parte. de priuileg.* & si quis ignorans percusserit Clericum, in habitu laïci, non incidit in excommunicationem. *can. si quis suadente, cap. cùm non ab homine. cap. perpendimus. h. tit.*

CAPITVLVM XLVI.

IN præsentia dilecti filij: .·.·.·. Nec Canonici suo Decano excommunicationem possunt obiicere. Cùm super hoc nec commonitus, nec impetitus fuerit: ne ipsi propter hoc eum duxerint euitandum, sed Episcopus in mensa, & Canonici communicauerint ei etiam in diuinis.

CAPITVLVM XLVIII.

IDEM IN CONCILIO GENERALI.

SACRO approbante Concilio, prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat: quòd si contrà præsumpserit, etiam si iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum, aliâ nihilominus pœnâ mulctandus, si visum fuerit expedire. Caueat etiam diligenter ne ad excommunicationem cuiusquam absque manifesta, & rationabili causa procedat: ad quam si taliter fortè processerit, & requisitus humiliter processum huiusmodi non curauerit absque grauamine reuocare, grauatus apud superiorem deponat de iniusta excommunicatione querelam: qui (si absque periculo moræ potest) ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, infra competentem terminum absoluendum: alioquin ipse per se vel per alium (prout viderit expedire) sufficienti cautione receptâ munus ei absolutionis impendat. Cùmque aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur ad interesse excommunicato, aliàs nihilominus (si culpæ qualitas postulauerit) superioris arbitrio puniendus: cùm non leuis sit culpa tantam infligere pœnam insonti: nisi forsitan errauerit excausa probabili, maximè si laudabilis opinionis existat. Verùm si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem super iusta excommunicationis molestia, per pœnam ad interesse, vel aliàs secundùm superioris arbitrium condemnetur: nisi forsan & ipsum probabilis error excuset: & super eo, pro quo fuerit iusta excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruandam. Si verò iudex suum recognoscens errorem, paratus sit talem reuocare sententiam, & is, pro quo lata fuerat, ne absque satisfactione reuocet illam, appellet: appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo meritò debeat dubitari: & tunc sufficienti cautione receptâ quòd coram eo, ad quem appellatum extiterit, vel delegato ab ipso, iuri parebit, excommunicatum absoluat: sicque pœnæ præscriptæ minimè subiacebit: cauens omnino ne voluntate peruersa in alterius præiudicium mentiatur errorem: si districtionis canonicæ vult effugere vltionem.

EX Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. Episcopus vel alius Prælatus non potest excommunicationis sententiam promulgare in aliquem, nisi præmissa competenti monitione coram personis idoneis, per quas si necesse sit monitio probari possit, vt ostenditur *init. h. cap.* Monitio competens debet præcedere excommunicationem, vt *hoc cap. sacro.*

& cap. reprehensibilis. suprà. de appellat. cap. statuimus. cap. Romana. h. tit. in vi. id est trina monitio facta cum idoneo intervallo. *cap. contingit. ii supra. h. tit. cap. constitutionem. h. tit. in* vi. illa enim dicitur canonica. *can. de Presbyterorum* xvii *qu.* iv. *cap. nouit. supra. de iudic.* Vnde exceptio excommunicationis non potest obiici, si lata sit sine præuia monitione. *cap. in præsentia. & cap. à nobis. supra. de except.* Trina monitio, inquam, debet præcedere excommunicationem, nisi in notoriis. *cap. illud. de cleric. excommuni. ministr.* quo pacto Paulus Apostolus incestuosum Corinthium absentem & irrequisitum excommunicauit. 1. *Cor.* v. quòd crimen esset notorium, & ex eo scandalum publicum. *cap. cum sit Romana.* § *ult. de appellat.* Nec etiam vbi excommunicatio infertur à canone. *cap. reprehensibilis. eod. tit.* Quòd si sententia excommunicationis lata sit absque canonica monitione, etiamsi iusta fuerit causa excommunicationis, excommunicator per mensem prohibetur ab ingressu Ecclesiæ, vt subditur in *hoc cap.* Interdictio per mensem ab ingressu Ecclesiæ est pœna canonica alia ab excommunicatione vel suspensione. *cap.* 1. *h. tit. in* vi. Ex eodem Concilio excommunicatio non est infligenda absque manifesta & rationabili causa, id est non ex leui causa, nec nisi pro mortali peccato. *can nemo.* 11. *& seqq.* xi. *qu.* iii. Augustin. de fide & operib. cap. xix. *Qui autem opinantur & cætera eleemosynis facilè compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant, excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium.* Quòd si iudex excommunicauerit, absque iusta causa, & requisitus non curauerit, absque grauamine, id est absque sumptu, processum reuocare, grauatus potest appellare ad superiorem. A sententia excommunicationis appellari potest, sed appellatio non suspendit executionem sententiæ, quia excommunicatio trahit secum executionem. *cap. pastoralis. de appellat.* Excommunicatus inquam, à sententia excommunicationis potest appellare ad superiorem, qui si absit periculum moræ, ad excommunicatorem illum remittet absoluendum, alioquin ipse per se, vel per alium potest eum absoluere, idoneâ cautione receptâ. Id est potest eum absoluere ad cautelam, ob periculum moræ, id est ne quis in excommunicatione decedat. Pendente appellatione ante causæ cognitionem datur absolutio ad cautelam, vt probatur *hic; & cap. qua fronte. suprà de appellat. cap. ex parte. infrà. de V. S. cap. venerabilibus.* § *porrò.* §. *potest. h. tit. in* vi. aliàs absolutio non conceditur nisi causâ cognitâ. Gregor. Tur. lib. v. cap. xiv. *Clamare cœpit & dicere quòd non rectè eum à communione sine fratrum conuenientia suspenderemus, ille autem hæc dicente eum consensu fratres, qui præsens erat contestata causa canonica eulogias accepit.* Quòd si in iudicio appellationis de iniusta causa excommunicationis constiterit excommunicator excommunicato damnatur ad interesse, id est non modò in expensas litis, sed etiam in id omne quod interest, nec non coërcetur arbitrio superioris, pro modo delicti, cùm non leuis sit culpa tantam infligere pœnam insonti: excommunicatione nulla est maior pœna in Ecclesia. *cap. cùm non ab homine. de iudic. can. non offeramus.* xxiv. *qu.* v. Augustin. libr. de correpr. & gratiæ, cap. xv. *Quia & ipsa, quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudicium, quâ pœnâ in Ecclesiâ, nulla maior est.* Vnde sumptus est *can. corripiantur. eod. caus. qu.* iii. Si iniusta sit excommunicationis sententia, iudex excommunicato condemnatur ad interesse, nisi forte erraverit ex probabili causa, id est habuerit probabilem causam excommunicandi. Non damnatur in sumptus litis, qui habuerit probabilem causam litigandi. *l. qui solidum.* § *etiam. de legat.* ii. ne propter metum huius periculi temerè in defensum ius suum relinquat. *l. illud. init. ff de hæred. petit.* maximè si bonæ opinionis, seu existimationis existat. Quòd si excommunicatus nihil idoneum allegauerit, vel probauerit, excommunicatori condemnatur ad interesse, vel aliàs superioris arbitrio, nisi fortè & ipsum probabilis error excuset, & super eo pro quo fuit excommunicatus per cautionem receptam satisfacere compellitur, vel redigitur in pristinam excommunicationem, post absolutum ad cautelam donec satisfecerit. Si verò iudex agnoscens errorem paratus sit reuocare sententiam excommunicationis, & excommunicatus ne ea retractetur absque satisfactione appellet, appellationi non deferet, nisi talis sit error, de quo meritò dubitetur, & tunc receptâ idoneâ cautione de stando iuri, coram iudice appellationis, vel eius delegato absoluet excommunicatum. & hæc est sententia *h. cap.*

CAPITVLVM XLVII.

QVANTÆ præsumptionis & temeritatis existat in rectores Ecclesiæ manus inicere violentas:...... Ne autem solos violentiæ huiusmodi auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes & consentientes pari pœnâ plectendos catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare.

EXCOMMVNICATIONIS vinculo tenetur, qui inicit violentas manus in Clericum *can. si quis suadente.* xvii. *qu.* iv. vel etiam qui fert Clericum percuti, id est verberari vel vulnerari, & cùm prohibere posset, non prohibuit, *ex hoc cap* quod sanius est intelligi non solum de eo qui ratione potestatis potuit prohibere, de quo glossa tantùm voluit intelligi. *ex can. forti. &*

can. duo ista. XXIII. *qu.* IV. sed etiam de priuato, qui potuit prohibere; ex facto enim alieno tenetur qui sciuit & prohibere potuit, & non prohibuit. *l. scientiam. ff ad l. Aquil l.* II. *de noxalib. act. l.* 1. §. *is autem. si famil. furt. fecisse dic.*

TIT. XL. De verborum significatione.

CAPITVLVM XVI.

INNOCENTIVS III. PATRIARCHÆ GRANDENSI.

OLIM tibi scripsisse recolimus, vt si Canonici Paduani, magistro G. Canonico Paduano, præbendam, quæ tantùm residentibus de communi non confertur, sicut vni ex aliis de communibus prouentibus, & manualia beneficia non conferrent, tu eos ad id Apostolicâ censurâ compellere procurares. Quia verò quidam mandatum nostrum interpretari aliter, quàm deceat moliuntur, (cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè) nostrum aperiendum duximus intellectum, videlicet, quòd præbendam, quæ tantùm residentibus in victu & vestitu de communi confertur, ipsi magistro G. plenè sicut vni ex aliis residentibus iniunximus conferendam.

INNOCENTIVS III. olim rescripsit Patriarchæ Gradensi, cui *hoc cap.* inscribitur, vt si Canonici Paduani M. G. Canonico Paduano fortè absenti, quod recte suppleuit gloss. præbendam quæ tantùm residentibus de communi confertur, sicut vni ex aliis residentibus de communi mensa, & manualia beneficia non conferrent, id est distributiones quotidianas, vt interpretatur Bonifac. VIII. in *cap. vn. de Cleric. non resid. in* VI. ipse eos ad hoc appellatione submotâ compelleret. Quia verò nonnulli è Canonicis Pontificium mandatum iniquiùs interpretabantur, contendentes præfato G. Canonico non deberi ea quæ in victu & vestitu consistebant: Canonicis ea ætate in commune viuentibus erogabantur victualia, id est panes quotidiani qui dicuntur Canonici, de quibus Iuo Carnot. *epist.* CCXIX. & auctor vitæ S. Rigoberti apud Sur. & vestes, de Canonicis Perusinis Innoc. III. *lib.* 1. *epist.* XL. *Cappas nigras singuli de Mantellario habeant.* nimirum quòd de victu & vestitu non fieret mentio in rescripto Pontificio; Pontifex rursus Gradensi rescripsit, prædicto Canonico præbendam integram deberi, sicut vni ex aliis actu residentibus, quia beneficium Principis latissimè interpretandum est, vt *hic, & cap. cùm dilecti. de donat. l. Papinianus. ff. de minorib.* Neque obstat quòd absens studiorum causâ, vel qui est in obsequio Pontificis vel Episcopi, non lucratur distributiones quotidianas. *cap. de cætero. cap. cùm dilectus. cap ad audientiam. suprà. de cleric. non resid. cap. vn. eod. tit. in* VI. *cap. licet. de præbend.* Quia hîc absenti datur præbenda, id est omne emolumentum præbendæ ex speciali beneficio Pontificis, quod latissimam recipit interpretationem.

CAPITVLVM XVII.

IDEM COLVBRIENSI, ET ALIIS EPISCOPIS IN REGNO *Portugalliæ constitutis.*

CVM in partibus vestris sæpè contingat diuersa loca interdicto supponi, quando generale, vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium reuocari, cùm illi, qui ab Ecclesia Romana decorari priuilegio meruerunt, videlicet, vt cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis ianuis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce diuina officia celebrare: interdicto particulari se adserant non arctari, dicentes interdictum generale dumtaxat, cùm regnum vel saltem prouincia tota subiicitur interdicto :.:.:.:.:. Cùm (autem) in priuilegiis de regno, vel prouincia nil expressè dicatur, nomine terræ non solùm regnum, vel prouinciam intelligi volumus, verumetiam villam, & castrum, vt & in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto.

CVM in partibus Portugalliæ sæpius contingeret diuersa loca interdicto supponi, in quæstionem deductum est, quodnam diceudum generale, vel particulare seu locale interdictum, cùm exempti, qui hoc priuilegium habent, vt generali in interdicto terræ liceat eis sacra celebrare ianuis clausis, &c. contenderent se particulari interdicto non teneri, dicentes generale interdictum intelligi, cùm regnum vel vniuersa prouincia subiicitur interdicto. Hac de re consultus

Pontifex respondit, interdictum generale censeri, non solùm cùm regnum, vel vniuersa prouincia interdicitur, sed etiam cùm villa, vel castrum, quia terræ appellatione intelligitur non solum regnum, vel prouincia, verùm etiam villa vel castrum, ex *hoc cap.* quod integrum extat Innocent. III. *lib.* I. *epist.* DXLVII. Hoc sensu terra Regis dicitur pro regno Francorum, vel pro terra propria Regis, id est quæ iure dominij ad eum spectat. *cap.* I. *suprà. de postulat. Prælat.* Vnde & conterraneus dicitur, qui eodem natus est loco, Plin. in prolog *Vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum.*

CAPITVLVM XVIII.

IDEM ALTISSIODORENSI EPISCOPO.

CVM tibi de benignitate Sedis Apostolicæ sit indultum, quòd ordinariò rerum Clericorum ab intestato decedentium, in tua dispositione permaneat: nos consulere voluisti, an appellatio vocabuli Clericorum, tam ad Canonicos, quàm ad non Canonicos extendatur:.:.:.:.:. Consul. tuæ t. respondemus quòd appellatio Clericorum, non solùm alios, sed etiam Canonicos comprehendit.

EX consuetudine Franciæ Clerici testari possunt etiam de quæsitis è fructibus Ecclesiæ, & si fortè decedant intestati, proximiores hæredes habent ab intestato, vt obseruat Abbas *hic & gloss. in pragm. tit. de annat.* §. *item quod si Ecclesia. verb. acquisitos.* Contra huiusmodi consuetudinem priuilegio Sedis Apostolicæ Episcopo Carnotensi indultum memoratur initio *h. cap.* vt res Clericorum decedentium ab intestato in eius dispositione permaneant: qua de causa & in *cap. cùm tibi. suprà. de testam.* quod est pars *h. cap.* quæritur an intestatus decedat qui confert dispositionem suam in arbitrium alterius; nempe vt sciatur an Episcopo locus sit succedendi, & Clerici Carnotensis diœcesis liberi & soluti sunt ab omnibus taliis & exactionibus: nec Episcopo fas fuit vlla occasione occupare res clericorum, nisi fortè decederent intestati, vt patet ex ipso Innocent. III. *libr.* I. *epist.* XLV. LXXXVI. *&* LXXXVII. Pari prærogatiua insignitus fuit Parisiensis Episcopus: Thom. Cantiprat. Apum lib. II. cap. LV. *Audiuimus de venerabili Guillelmo, huic Aluernia Parisiensi Episcopo, quòd cùm nuntiaretur ei quendam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de iure Canonico in tribus millibus marcharum succedere deberet, eidem complosis manibus respondit, absit hoc à me, sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem.* Eodem iure vsus est Thomas Arch. Eboracensis ex priuilegio Alexandri III. Matt. Paris ad ann. MCLXXXI. *Eodem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus, diem clausit supremum* XII. *Kalendas Decembris, qui adhuc viuens à Papa Alexandro priuilegium impetrauerat, vt si Clericus suæ iurisdictioni suppositus, agens in extremis testamentum non conficeret, & propriis manibus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem iniiciendi manus in bona defuncti.* Etiam in Anglia Innocentius IV. successionem Clericorum decedentium ab intestato sibi vindicare voluit, quod non sine iniuria Principis & legum tentatum, tanta acerbitate, vt si infirmus imbecillitate præpeditus, vnum ex amicis pro se testari caueret, tale testamentum nullum & irritum esse vellet. Sed idem paulò pòst hoc institutum renocauit, de quo Matth. Paris, & Matth. Westmonasteriensis *ad ann.* MCCXLVI. Hoc indulto de successione intestatorum Canonici Carnotenses se non teneri contendebant, quòd loqueretur de Clericis tantùm, & Clericorum appellatione simplices Clericos, & plebem Clericorum, non Canonicos contineri crederent, cùm Canonici sint fratres Episcopi, & vnum corpus cum eo. *cap. nouit. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.* & ipsi sint Senatus Ecclesiæ. *can. Ecclesia.* XVI. *qu.* I. Hac de re consultus Pontifex rescripsit in *hoc cap.* nomine Clericorum intelligi omnes Clericos diœcesanos etiam Canonicos. Appellatione Clericorum veniunt etiam maiores Clerici. *can. de persona.* XI. *qu.* I. *cap. clericos. de offic. Vicar.* vt appellatione beneficiorum maiora & minora intelliguntur. *cap. pen. infrà. h. tit.*

CAPITVLVM XIX.

IDEM PRÆPOSITO, ET CAPIT. PLACENT.

CVM Clerici Placentini iuramentum præstant sub hac forma verborum: Ego talis ab hac hora in antea fidelis ero & obediens Placentinæ Ecclesiæ, & domino meo Episcopo Placentino: nos consulere voluistis, vtrùm intelligi debeat clerus totius diœcesis, an Capitulum tantùm Ecclesiæ cathedralis? Nos igitur taliter respondemus, quòd per Ecclesiæ Placentinæ vocabulum in forma iuramenti præscripti non debeat intelligi totius diœcesis clerus: etsi Capitulum intelligatur Ecclesiæ cathedralis, is tamen, qui præstat huiusmodi iuramentum, Episcopo tanquam capiti principaliter obligatur.

CLERICI cùm ordinantur, Episcopo præstant sacramentum obedientiæ, & reuerentiæ, *can. quamquam* XXIII. *dist.* A Clericis non præstatur Episcopo sacramentum fidelitatis, nisi quibus credita est dispensatio rerum Ecclesiasticarum. *cap. nullus de iureiur. cap. ex diligenti. de simon. cap ult. de R. I. can nullus.* XXII. *qu.* V. vt ab Archidiacono qui præest sacro ærario. *cap. grauem. de excess. Prælat.* Hinc Lysiardi Archidiaconi Senonensis suum in Archiepiscopum conspiratione factâ insurgentis crimen exaggerans Fulbert. epist. XXIV. *Quid*, inquit, *dicemus de iuramento fidelitatis, quod ita contaminat, vt Episcopo suo non corde, nec verbo, nec opere fidelis existat.* Forma huiusmodi iuramenti fidelitatis & obedientiæ hæc est, quod illud præstans iurat Ecclesiæ & Episcopo, vt intelligitur in *hoc cap.* ex forma iuramenti fidelitatis & obedientiæ præstiti Ecclesiæ & Episcopo Placentino. Inde quæstio suborta est vtrùm sacramento præstito Ecclesiæ, & Episcopo, Clerici obligentur clero totius diœcesis, an Capitulo tantùm Ecclesiæ cathedralis. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* in formula iuramenti huiusmodi, non intelligi clerum totius diœcesis, sed Capitulum cathedrale, vt *hic, & in can. obeuntibus.* XXIII. *dist.* & eum qui præstat huiusmodi sacramentum, etsi Capitulo obligetur, tamen Episcopo tanquam capiti principaliter obligari, Episcopus est caput, Canonici membra Ecclesiæ, qui vnum cum Episcopo corpus sunt. *cap. noui. de his quæ fi. à Prælat. sine consens. Capitul.*

CAPITVLVM XX.

IDEM PRIORI S. FRIDIANI LVCANEN.

QVÆRENTI quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cùm huiusmodi clausulam in nostris literis apponimus: respondemus, quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valet intelligi, nisi iudex discretus (rerum & personarum circumstantiis indagatis) ferat, quam magis viderit expedire.

PER censuras Ecclesiasticas in literis intelliguntur excommunicatio, suspensio, interdictum, nisi iudex discretus ex rebus, vel personis ferat quam magis expedire visum sit. *ex hoc cap.* verba enim accipienda sunt secundùm vsum communem, nisi aliud suadeat *cap. ad audientiam. de decim.* Excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua quis remouetur à participatione sacramentorum, & communione fidelium. *can. omnes.* XI. *qu.* III. Duplex enim est excommunicatio, maior & minor; maior quæ anathema dicta est, ea est quæ à communione fidelium seu à corpore Christi, quod est Ecclesia, abscindit; minor, quæ à participatione, id est perceptione Sacramentorum separat. *cap. pen. suprà. de sent. excomm. cap. à nobis. de except. cap. si celebrat. de cleric. excomm. ministr. can. Engeltrudam.* III *qu.* IV. Excommunicatio maior fit solemniter ab Episcopo ob graues causas, accensis & extinctis facibus & pedibus protritis. *can. debent.* XI. *qu.* III. Hoc pacto in Concilio Lemouicensi habito anno Christi MCXXXIV. sententiam excommunicationis in milites qui deliquerant in Iordanum Lemouicensem Episcopum, accensis & extinctis candelis latam constat: & in violatores libertatum Ecclesiæ sententiam excommunicationis per Episcopos Angliæ promulgatam ipso Rege Henrico III. candelam tenente, & extinguente, refert Matth. Paris *ad ann.* MCCXL. Excommunicatio, inquam, maior fit ab Episcopo, vnde Mucro Episcopi dicta est. *can. visis.* XVI. *qu.* II. *& Clem.* I. *de excess. Prælat.* & Bannus Episcopalis, Synod. Tribur. *can.* VIII. *Neque contemnat, neque transgrediatur bannum ab Episcopis superpositum.* Excommunicatio minor est minùs solemnis. & infligitur etiam ab inferiori, putà à plebano. *cap. cùm ab Ecclesiarum. de offic. ordinar.* vel ab Abbate, vel Priore, *cap. cùm in Ecclesiis. de maior. & obed.* Laïcorum pœna est excommunicatio ἀφορισμὸς, Clericorum degradatio καθαίρεσις, Syn. Calched. *can.* II. *can. si quis Episcopus.* I. *qu.* V Syn. VI in Trull. *can.* LXII. Augustin. in Enchir. cap. LXXX. *Sic nostris temporibus ita multa etsi non talia, in apertam consuetudinem iam venerunt, vt pro his non solùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, sed nec clericum degradare.* Suspensio est censura, qua quis suspenditur ad tempus, vel in perpetuum ab executione ordinis, officij, vel beneficij Ecclesiastici. *cap. cùm dilectus. de consuetud. d. cap. si celebrat.* Interdictum est censura, quâ ob publicum crimen vel scandalum, putà ob cædem Episcopi, inuasionem rerum Ecclesiæ, vel ob dissidium Patronorum interdicitur vsus diuinorum & Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura. *cap. non est. de sponsalib. cap.* I. *&* II. *de iur. patron. cap. quod in te. de pœnitent. cap. alma mater. de sentent. excomm. in* VI. Id genus censuræ recentius & ab Alduino Lemouicensi Episcopo institutum sub annum DCCCCXCIV. credidit Ademarus nuper editus in Chronico Aquitanico, quod olim propria manu exscripsi ex codice Thuano beneficio V. C. Petri Puteani. *Sæpe idem Alduinus*, inquit, *pro nequitia populi nouam observantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare à diuino cultu, & sancto sacrificio, & populum quasi paganum à diuinis laudibus cessare, & hanc obseruantiam excommunicationem censebat.* Sed quàm supinè deceptus sit scriptor alioqui non contemnendus, liquidò probant varia interdicti vestigia, quæ prioribus sæculis extant: vt interdictum ciuitatis Rothomagensis ob nefariam necem Prætextati Rothomagensis Episcopi: de quo

Gregor. Tur. *lib.* VIII. *cap.* XXXI. *Post hac Londonaldus Episcopus epistolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio Ecclesias Rothomagenses clausit, vt in his populus solemnia diuina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur.* & interdictum Ecclesiæ S. Petri missum à Ioanne VIII. Pontifice ob violentam in se manuum iniectionem per Landbertum & Albertum milites, de quo annal. Franc. ad ann. DCCCLXXVIII. *Landbertus Witonis filius, & Albertus Bonifacij filius, Romam cum manu valida ingressi sunt, & Ioanne Romano Pontifice sub custodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno sacramento firmare coegerunt: quibus inde discedentibus, idem Pontifex domum sancti Petri ingressus, omnes thesauros quos ibi reperit ad Lateranis transtulit, & altaria sancti Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia eiusdem Ecclesiæ clausit, nullùmque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est, &c.* & hac de re Ioannes ipse epist. LXXXIV. *Nam ipsis diebus nec vestis fuit super altare S. Petri, nec aliquod ibi nocturnum, vel diurnum officium ex more celebratum.* Necnon interdictum missum ab Eligio Nouiomensi Episcopo: Andoënus in eius vita lib. II. cap. XX. apud Sur. Dec. I. *Cùm autem aliquando visitaret diœcesim suam, vt solent Episcopi, quadam ex causa interdixit ne cursus, id est preces Canonica & sacrificium celebrarentur in basilica quadam, donec ipse iuberet, &c.* Antiquiorem etiam interdicti vsum colligo ex eo quòd interdictum à Sacerdotibus mitti ob causam cuiuslibet doloris, vel amaritudinis, id est ob vindictam proprij doloris, & priuatæ iniuriæ vetat *can.* VII. Conc. Tolet. XIII. quod habitum est anno Christi DCLXXXIII. His omnibus censuris hoc iuris commune est, quòd excommunicatus, suspensus vel interdictus celebrans fit irregularis & incapax officij & beneficij Ecclesiastici, & ab irregulari absolui non potest per alium quàm Summum Pontificem. *d. cap. si celebrat. cap. 1. de re iudic. in VI. cap. 1. de sent. excomm. eod.*

CAPITVLVM XXI.

IDEM CÆSARAVG. EPISCOPO.

QVID per nouale vocabulum intelligi debeat, tua fraternitas requisiuit. Licèt autem quidam dixerint, quòd nouale sit terra præcisa, quæ anno cessat, aliis asserentibus, quòd ex sylua, quæ arboribus extirpatis ad cultum redigitur, fieri nouale dicatur: quorum vtraque interpretatio ex ciuilibus legibus colligitur. Nos igitur inquisitioni tuæ respondemus, quòd eam credimus prædecessorum nostrorum intentionem fuisse, cùm piis locis indulgentiam de noualibus concesserunt, vt nouale intellexerint agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset. Sed nec de quolibet tali nuuali credimus eis indulgentiam fore concessam, nisi de illo duntaxat, cuius decimam religiosus potest conuentus absque graui detrimento parœcialis Ecclesiæ detinere, cùm talis sit sæpè locus incultus, de quo parœcialis Ecclesia magnos percipit decimarum ratione prouentus.

CONSTITVTIONE Hadriani IV. Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis indultum est priuilegium de decimis laborum suorum, aliis verò religiosis de noualibus tantùm. *cap. ex parte. infrà. de decim.* Inde Cisterciensibus mota est quæstio quòd priuilegium de decimis laborum pertineret tantùm ad nouala, sed definiit Pontifex priuilegium de decimis laborum pertinere non modò ad noualia, sed etiam ad omnem agrorum culturam. *cap. ad audientiam. eod. tit.* In priuilegio decimarum Noualium etiam dubitatum est, quidnam esset nouale: dubitandi ansam dedere ipsi auctores Iuris Ciuilis, qui hac in re inter se non consensisse videntur, vt innuit Pontifex in *hoc cap.* Cùm aliis nouale sit terra proscissa, quæ anno vacauit. *l. sylua cædua. ff. h. tit.* aliis nouale sit quod ex sylua ad culturam redactum. *l. vlt ff de term mot.* Consultos Pontifex respondit in *hoc ipso cap.* in priuilegio de noualium decimis nouale intelligi agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset, & hanc interpretationem secutus est Hieronym. in *cap.* 1. *h. tit.* & vtramque etsi proposuerit, in hanc vltimam propensior fuisse videtur. Seru. in Eclog. 1. *Nonalia, id est noua rura, qua per singulos annos nouantur per semina, vel etiam nonalia dicuntur, vnde sylua tollitur.* Et nouale est hoc quod sequior ætas *Aprisionem* dixit quasi apertitionem, vel apertionem, vt in præcepto Lodouici P. concesso Hispanis ad se migrantibus: *In portione sua quam Aprisionem vocant*, vel rupturam à rumpendo, id est proscindendo terram. Ordericus Vital. lib. v. *Concesserunt terram quoque tam in mansuris, quàm in rupturis, totius parochia, hominibus ibidem hospitatis excolendam, reseruato sibi tantummodo campartu.* Vnde Ruptarij dicti coloni, qui agrum squalidum & incultum excolendum suscipiunt sub certo censu, nostris *Roturt, Roturiers.* vel etiam culturas, Baldric. Nouiomens. lib. II. cap. 1. *Mansos LX. culturas XI* id est agros de nouo cultos. Subiungit Pontifex in *hoc cap.* priuilegio locum non esse, in quolibet nouali, sed in eo tantùm in quo Monachi possunt decimam non soluere, sine graui detrimento parœcialis Ec-

clesiæ, cùm sæpiùs talis sit locus incultus, de quo parœcialis Ecclesia pinguiores decimas percipiebat, vt si sit ager pascuus, ex quo percipiuntur decimæ de fœtibus & lana pecoris. Tunc de huiusmodi nouali, de quo ante pingues percipiebantur decimæ, debentur etiam postquam ad culturam redactum est, ne priuilegium sit nimis damnosum parœciali Ecclesiæ: priuilegium tollitur ex quo incipit nimis esse damnosum. *cap. suggestum. de decim. cap. quantò. de decim.* Aliàs quod de nouo ad culturam redactum est, perpetuo noualis iure censetur, quoad priuilegium de non soluendis decimis: aliàs priuilegium esset magis noxium, quàm vtile. *cap. vlt. suprà. de priuileg.*

CAPITVLVM XXII.

IDEM ABBATI F. ET P. MONACHIS ALCOBATIÆ.

VENERABILI fratre nostro Colubriensi Episcopo didicimus conquerente, quòd cùm fratres sanctæ Crucis Monasterium de Argariis sub protectione sua nuper receperint, quod suis prædecessoribus Episcopalia iura consueuerat ab antiquis temporibus exhibere; nunc quodam de Canonicis suis sine suo consensu ibi facto Priore, occasione cuiusdam priuilegij à C. Papa veritate tacità impetrati, eidem Episcopo obedientiam denegat exhibere, inde sumptâ occasione, quòd per matricem Ecclesiam non cathedralem intelligit, sed Romanam: .·.·.·., Idcóque mandamus, quatenus, si aliud vobis non occurrerit, propter quod dictus Prior non debeat diœcesano Episcopo respondere, vos eum ad eam præstandam eidem sicut prædecessores sui prædecessoribus Episcopi consueuerunt vel præstiterunt, per censuram Ecclesiasticam compellatis, non obstante priuilegio in præiudicium Colubriensis Ecclesiæ per subreptionem obtento: nos enim per matricem Ecclesiam, cathedralem intelligi volumus, non Romanam.

HÆc decretalis integra habetur apud Innocent. III. *lib.* 1. *epist.* ccxxi. Monasterium de Argatiis, vel si mauis de Argauil, vt legitur in integra, quòd ab antiquo solebat iura Episcopalia pensitare Colimbriensi Episcopo sese adgregauit Monasterio S. Crucis Canonicorum Regularium S. Augustini, quod ab Aldefonso I. Rege Portugalliæ conditum, & dotatum memoratur Roderic. Tolet. *lib* VII. *cap.* VI. Post adgregationem huiusmodi, vnus è Canonicis Colimbriensibus, absque consensu Episcopi electus in Priorem huiusce Monasterij adunati, eidem Episcopo obsequium, & obedientiam negabat, obtentu cuiusdam priuilegij a Clemente III. per subreptionem impetrati. inde sumptâ occasione, quòd per matricem Ecclesiam, non cathedralem intelligi vellet, sed Romanam: fortè in priuilegio apposita erat clausula, *Saluo iure matricis Ecclesia*, quod rectè supplet gloss. hîc. Aditus Pontifex respondit, nisi aliud obstet, dictum Priorem Episcopo Colimbriensi obedientiam & reuerentiam præstare teneri, non obstante priuilegio per subreptionem impetrato; cùm enim priuilegium conceptum cum clausula, *saluo iure matricis Ecclesia*. per matricem Ecclesiam intelligenda erat cathedralis, non Romana: nomine matricis intelligitur cathedralis Ecclesia. *can. videntes.* XII. *qu.* 1. *can. non habenti. ead. caus. qu.* II. Syn. Carthag. *can.* XXII. *apud Balsamo.* Eâdem analogiâ mater Ecclesia pro Episcopali, Synod. Caletens. apud Ordericum Vital. lib. v. *Ad matrem Ecclesiam veniant*, & Metropoles matrices vrbium, vt Ephesus Asiæ. *l. obseruare.* §. *ingressum. ff. de offic. Procons.* Seleucia mater vrbium: Ammian. *lib.* XIV. Roma mater prouinciarum Eumenio in Panegyr. Constantin. Etsi Monasterium de Argariis adunatum esset Monasterio sanctæ Crucis, quod erat exemptum teste ipso Innocent. III. *lib.* 1. *epist.* cccxxvii. minimè desierat esse in potestate Ordinarij, quia vnio seu adgregatio huiusmodi facta erat cum sua causa & onere & saluo iure matricis Ecclesiæ. *can. quoniam.* LXV. *dist.* vt erectio succursualis Ecclesiæ non aliter fit quàm saluo iure maioris Ecclesiæ. *cap. ad audientiam. de Eccles. ædificand.*

CAPITVLVM XXIII.

IDEM ABBATI SANCTÆ GENOVEFÆ, DECANO, & Cancellario Parisiensi.

EX parte in Christo dilectæ filiæ Comitissæ Blesensis: .·.·.·.·. Proposuerunt nuncij Comitissæ, quòd cùm ipsius Præpositus quendam latronem ceperit, & iustitia fuerit inde facta, latro fuit per Capitulum Carnotense post factam iustitiam requisitus, quia eum in terra sua captum fuisse dicebant: .·.·.·.·. Verùm cùm super hoc de parendo iuri Comitissa cautionem offerret, Canonici Carnotenses nihilominus terram eius fecerunt interdicto supponi: quod relaxare noluerunt,

nisi priùs solueretur emenda: dicebant enim in Carnotensis Ecclesiæ priuilegiis contineri, quòd nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis, pro Canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere :.·.·.·. Ad intelligendam autem clausulam priuilegij memorati credimus distinguendum, vtrùm in aliquem interdicti vel excommunicationis sententia sit prolata pro contumacia tantùm, quia scilicet citatus stare noluit iuri: vel etiam pro offensa, quia videlicet iussus noluit maleficium emendare. In primo casu credimus congruè satisfieri, vt sententia relaxetur, si priùs sufficiens standi iuri cautio tribuatur: in secundo verò si offensa est manifesta, non credimus satisfieri congruè, vt relaxetur sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda. Si verò dubia est offensa, sufficere credimus ad relaxandam eandem, si parendi mandato Ecclesiæ competens satisfactio præbeatur.

CAPITVLVM XXIV.

IDEM COMITISSÆ BLESENSI.

CVM olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam capitulum contra te fuit allegatum, quòd dicebant in Ecclesiæ suæ priuilegiis contineri, vt videlicet nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere :.·.·.·. Quia verò dum ansam soluimus, nodum dicimur ligauisse, propter hoc, quòd eisdem Canonicis (velut adseris) proponentibus illam offensam esse manifestam, non quæ iudici, nec quæ alij, sed quæ sibi tantummodo manifesta videtur: offensam illam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitimè nota fuerit, aut euidentia rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari.

DVo hæc capp. coniungenda duximus, pertinent enim ad eandem speciem. Prioris species hæc est: Cùm Præpositus Comitissæ Blesensis, eadem erat & Comitissa Carnotensis, quendam latronem captum suspendio puniisset, idem latro à Capitulo Carnotensi requisitus, seu vindicatus apud Carnotensem Episcopum, quòd in terra sua, id est in solo ditionis suæ captum dicerent: Econtrà Præpositus, seu Balliuus Comitissæ, contendebat eum captum fuisse intra fines iurisdictionis ipsius Comitissæ, & in loco quem ipsa possidebat antequam vir eius signum crucis assumeret. Hic fuit Ludouicus Comes Blesensis, qui cum Philippo Augusto in Sarracenicam expeditionem profectus est, auctore Rigordo *in vit. ipsius ad ann.* MCCL. Erat in possessione illius iuris capiendi & coërcendi delinquentes. Hoc priuilegio vtebantur Cruce signati ex constitutione Eugenij III. ne vis eis fieret in possessione rerum vel iurium quas possidebant ante militiam, Otho Frisingens. de Gest. Frideric. *lib.* I. *cap.* XXXV. & Iuo Carnot. *epist.* CLXVIII. *& seq.* Et cùm super hoc Comitissa offerret cautionem standi iuri, nihilominus Capitulum terram eius per Archidiaconum fecit interdicto supponi, nec priùs interdictum remittere sustinuit, quàm ei satisfieret, eius priuilegij fiduciâ, quòd sibi liceret iniuriam qui facerent rebus vel personis Ecclesiæ Carnotensis excommunicare vel interdicto supponere, & excommunicati vel interdicti non priùs absoluendi essent quàm eis præstaretur emenda, id est satisfactio damni, vel iniuriæ. Cùm igitur absolutio etiam ad cautelam denegaretur, Procurator Comitissæ appellauit ad Metropolitanum, id est ad Archiepiscopum Senonensem, à quo res remissa ad examen Sedis Apostolicæ. Re auditâ, Pontifex rescripsit, pro iusta interpretatione præfati priuilegij distinguendum esse, vtrùm sententia interdicti, vel excommunicationis lata sit ob contumaciam, putà quia citatus noluit in ius venire; vel ob offensam, quia iussus noluit delictum, seu noxam luere: & primo casu non esse denegandam absolutionem ad cautelam receptâ cautione de stando iuri; secùs secundo casu si offensa sit manifesta, absolutioni locum non esse, nisi priùs præstetur emenda; si dubia esset offensa dandam absolutionem ad cautelam, si competens satisfactio præbeatur de parendo iuri. Competens satisfactio est, quæ fit datis fideiussoribus, vel pignoribus. *l. vt res. ff. de contrah. empt. l. si rem alienam. §. omnis. de pigner. act.* vel si quis non inueniat fideiussorem propter inopiam, iuratoria cautio admittitur. *Auth. generaliter. C. de Epis. & Cleric.* Si excommunicationis sententia lata sit pro delicto notorio, absolutio non conceditur, priusquam realis satisfactio præstetur: quòd si offensa est dubia, datur absolutio ad cautelam, receptâ priùs cautione de parendo iuri, vt *hîc, & cap. qua fronte. de appellat. cap. venerabilibus. §. porrò. de sent. excomm. in* VI. Ex interpretatione huiusce priuilegij Carnotensis Ecclesiæ suborta est alia quæstio quæ tractatur in hoc posteriori capite, quænam esset offensa manifesta, Canonicis Carnotensibus volentibus illam offensam esse manifestam, non quæ iudici, vel alijs, sed quæ sibi manifesta

videretur

videretur. Consultus respondit Pontifex offensam illam manifestam intelligi, quæ per confessionem, vel probationem legitimam nota fuerit, aut per euidentiam rei, quæ nulla possit tergiuersatione celari. Manifestum est, quod cunctis est notorium. *can. de manifesta* 11. *qu.* 1. Ouid. xv. Metamorph. *Crimenque patens sine teste probatum?* Palam fieri dicitur, quod fit coram pluribus. *l. palam quæstum. l. vlt. ff. de rit. nupt. l. hæredes palam. ff. qui testam. l. sed si pupillus. de instit. act. l. palam. de R. I.*

CAPITVLVM XXV.

IDEM EPISCOPO, ET CANTORI ATREBATENSI.

ABBATE Sancti Siluani Alciatensis viam vniuersæ carnis ingresso, cùm eiusdem loci Monachi elegissent quendam de ipsius Ecclesiæ gremio in Abbatem, & confirmationem electionis à Morinensi Episcopo nequiuissent aliquatenus obtinere, eam à Sede Apostolica petierunt. Cæterùm procurator Monasterij sancti Bertini proposuit ex aduerso, quòd cùm secundùm approbatam consuetudinem & priuilegia Romanorum Pontificum Abbates Alciatenses debeant de Monasterio sancti Bertini semper adsumi, huiusmodi electio erat non immeritò reprobanda vt pote contra consuetudinem diuturnam, & contra priuilegia Sedis Apostolicæ adtentata, & Alciatenses Monachi debeant de iure compelli, vt de Monasterio sancti Bertini personam idoneam sibi eligerent in Abbatem: .·.·.·.·. Nos igitur depositionibus testium diligenter inspectis, inuenimus esse probatum, quòd à xl. annis : .·.·.·.·. Monachi Alciatenses Abbatem sibi de sancti Bertini Monasterio elegerunt :·.·.·.·. Et cùm quadam vice Guarinum Alciatensem Monachum elegissent, eius electio robur habere non potuit, donec apud Monasterium sancti Bertini professione factâ, post aliquantulum temporis, quando scilicet eiusdem loci Abbati, & conuentui placuit, in Alciatensem extitit Abbatem adsumptus. Ex priuilegiis quoque Romanorum Pontificum argui poterat Alciatensem Abbatem de sancti Bertini collegio eligendum: nam priuilegio Paschalis Papæ huiusmodi Capitulum adparet insertum : Subrogationem Abbatis penes Monasterium sancti Siluani apud Alciatenses Monachos, iuxta præteriti temporis morem, in vestra semper concedimus dispositione persistere. In priuilegio etiam Calixti huiusmodi Capitulum inuenitur. Porrò iuxta Paschalis Papæ decretum, Abbatis subrogationem penes Alciatenses, non aliunde, quàm de vestro Monasterio fieri Apostol. auctoritate decernimus. Ad hoc autem pars aduersa respondet, quòd si etiam probaretur, quòd infra prædicti temporis spatium de Monasterio sancti Bertini semper fuerit Abbas Alciatensis adsumptus : ex hoc dici non poterat, quòd consuetudo aliqua quasi contradicto iudicio fuerit introducta, cùm in memorati Guarini electione, pro bono pacis extra iudicium processum taliter dignoscatur :.·.·.·.·. Præterea cùm Paschalis Papa subrogationem Abbatis sancti Siluani Monasterio sancti Bertini iuxta morem præteriti temporis duxerit concedendam, nec de more præteriti temporis fiat fides, per eius priuilegium & similia, nullum super hoc Alciatensi Monasterio poterat præiudicium generari. Contra quod fuit ex aduerso responsum, quòd hæc determinatio secundùm præteriti temporis morem, & causalis, & conditionalis potest intelligi, & tam ad personale, quàm ad impersonale verbum referri. Si enim impersonale verbum determinet, conditionalis intelligitur, & est sensus, Concedimus subrogationem Abbatis sancti Siluani apud Alciatense Monasterium in vestra semper dispositione consistere, secundùm præteriti temporis morem: id est, si mos præteriti temporis talis fuerit. Si verò verbum determinet personale, causaliter debet intelligi, vt sit sensus, Concedimus secundùm præteriti temporis morem, id est, quia mos præteriti temporis sic obtinuit, subrogationem, &c. Hic autem sensus rectior esse videtur, quia cùm priuilegium sit lex priuata, & lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa & manifesta: nec esset priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret : profectò sic intelligenda sunt illa verba, vt res, de qua agitur, valere possit potiùs quàm perire, maximè cùm supradictus C. Papa qui eidem Paschali è vicino successit, ver-

bis æquioribus vsus, determinationem illam protsus amouerit, vt ambiguitas tolleretur: & quod dicebatur in concessione Paschalis, vt videlicet subrogatio Abbatis sancti Siluani apud Alciatenses in dispositione Abbatis, & fratrum sancti Bertini semper existeret, ipse mutauerit, decernens subrogationem ipsius Abbatis non aliunde, quàm de Monasterio sancti Bertini faciendam. H[illegible] igitur diligenter auditis, Monasterio sancti Bertini adiudicau[illegible]us huiusmodi dignitatem, vt quoties in Alciátensi Monasterio Abbatis el[illegible]ctio im[illegible]net faci[illegible]da, Al[illegible]iatens[illegible]s Monachi de cœnobio sancti Bertini personam idoneam sib[illegible] eligant in Abbate[illegible] ita videlicet, vt tamdiu Monasterium ipsum hac honoris debeat præt[illegible]at[illegible]a gaudere, donec ibidem viguerit obseruantia Regularis, vt idoneæ personæ inueniantur in illo, qui possint in Abbatem adsumi.

HVIVS cap. species huiusmodi est. Vacante Monasterio S. Siluani Alciatensis (lege Siluini Alciacensis) quod est apud Hesdinom Artesiæ oppidum, cùm Monachi Abbatem elegissent de gremio ipsius Monasterij, & non obtentâ à Morinensi Episcopo confirmatione electionis, cùm à Sede Apostolica expetiissent, Procurator Monasterij S. Bertini intercessit confirmationi electionis, intendens ex consuetudine præscripta, & priuilegio Sedis Apostolicæ Abbatem Alciacensem esse eligendum de Monasterio sancti Bertini, atque ita electionem eiusmodi nullam & irritam esse, vtpote factam contra consuetudinem, & priuilegium. Receptis testibus, & productis instrumentis partium, compertum est testibus probari, à XL. annis Abbatem Alciace[illegible]sem electum fuisse de Monast. Bertiniano, & cùm aliquando Guarinus Monachus Alc[illegible]censis in Abbatem esset electus, electionem non priùs robur & effectum sortitam quàm M[illegible]nachum professus esset in Monast. [illegible] Bertini, & in priuilegiis Paschalis II. & Callixti referebatur quidem priuilegium de adiu[illegible]endo Abbate Alciacensi, non aliunde quàm è Monast. sancti Bertini. Sed ad hæc Alciacenses respondebant consuetudinem non esse fitm[illegible] iam quasi contradictorio iudicio, ex eo quòd iam inde à XL. annis Abbates Alciacenses assumpti ess[illegible]nt de Monast. sancti Bertini, cùm in Go[illegible]tini electione extraiudicialiter hoc pacto processum ess[illegible] pro bono pacis: multa pro bono pacis admittuntur, quæ de iure non sunt fe[illegible]enda. *cap. nisi c[illegible] de prabend.* Et quod proponebatur in priuilegio Pa[illegible]h[illegible]s, subrog[illegible] Abbatis Alciaceosis de Monasterio Bertiniano faciendam e[illegible]e, secundùm mo[illegible]m p[illegible] temp[illegible]s, cùm esset nuda enunciatio, nunime fidem faciebat. Non creditur referenti, nisi [illegible] de t[illegible]to. *auth. si quis in aliquo. C. de edend.* Ex aduerso à Bertinianis responsum hæc verba, secundùm morem præteriti temporis, accipienda esse, vel conditionaliter, id est, si mos anteacti temp[illegible]s talis fuerit, vel causaliter, id est, quia mos præteriti temporis sic obtinuit, & hunc posteri[illegible]rem sensum verborum tanquam rectiorem Pontifex amplexus est, ne priuilegium esset vacuum [illegible] inane, si non aliquid iuris tribueret. Verba semper si[illegible] accipi debent, vt magis actus val[illegible] quàm pereat. *l. quoties. ff. de reb. dub.* Mouetur Pontifex eo quòd Ce[illegible]stinus III. qui è v[illegible]no, idest propiùs Paschali successit, atque ita idoneior interpres voluntatis de[illegible]essoris, a[illegible]guitatis tollendæ gratiâ purè & simpliciter pronuntiauit, subrogationem Abb[illegible]s Al[illegible]sis noo aliunde petendam, quàm è Monast. S. Bertini. Ex his igitur iudicauit Ponti[illegible]x, Al[illegible]sem Abbatem per Monachos loci eligendum de Monasterio sancti Bertini, donec ibi [illegible]t obseruantia regularis, donec idonea persona ibidem inueniatur. Iure communi el[illegible]o Abbatis pertinet ad Monachos, & facienda est de gremio ipsius Monaste[illegible]. *can. vl[illegible]. qu. VII. can. Abbatem. cast. quam sit necessarium.* XVIII *qu.* II. Verùm ex co[illegible] ud ne præscripta, vel priuilegio Pontificio fieri potest, vt Abbas el[illegible] debeat de al[illegible] Monasterio, vt in *hoc cap.* indicatur ex consuetudine præscripta, & priuilegio Abb[illegible]m [illegible]igendu[illegible] è Monachis Bertinianis. Quod introductum ea occasione quòd Alciacense Monasterium con[illegible]tum est per Monachos sancti Bertini, & Suitgerus Monachus eiusdem Monasterij p[illegible]s Abbas ibi fuit institutus, ex Ipetio in Chronic. Bertinian. *ad ann.* MLXXII & Mitæo in *C[illegible] Benedict. cap.* LXVI. Sic ex consuetudine Abbas sancti Audoëni Rothomag[illegible]sis volebat Abbatem S. Leufredi de cruce non aliunde eligendum quàm è Monasterio sancti Audoëni, de quo Innocentius III. *lib.* II. *epist.* LXXVIII quæ trunca & mutila iacet in *cap. cum Monasterium. supra. de re iudicat.* Nec alio iure Abbas Andrensis fuit eligendus è Mon[illegible]st. Carostensi. *cap. cùm dilectus. de consuetud.* Valet consuetudo vel priuilegium, vt Abbas [illegible]matur ex altero Monasterio, si modò idonea persona ibi inueniatur. Priuilegium ciuiliter ac[illegible]piendum est, ne ius electionis euertatur. Pontifex non præsumitur voluisse assumi in Abbatem non idoneum & capacem. In rescriptis de conferendo semper intelligitur clausula, si fuerit idoneus. *cap. cùm adeo. de rescript. cap. causam. qua de elect.* Priuilegium valet etiam donec ibi viguerit obseruanti[illegible] regularis, quia deficiente caus[illegible] deficit priuilegium. *cap. suggestum. de decim. can. generaliter.* XVI. *qu.* I.

CAPITVLVM XXVI.

IDEM COMITI TOLOSANO.

SVPER quibusdam mandatorum articulis: .·.·.·.·. Tua deuotio postulauit à nobis, qui sint dicendi hæretici manifesti. Super quo tibi duximus respondendum, illos intelligendos esse manifestos hæreticos, qui contra fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt eorum errorem, vel qui coram Prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica prauitate: quorum bona propria confiscantur, & ipsi iuxta sanctiones legitimas puniuntur. Præterea cùm pedagia, guidagia, salinaria tibi Legatus interdixerit memoratus auctoritate Apostolica, duximus declarandum illa esse pedagia, salinaria, guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta: .·.·.·.·. Cùm autem à Legato receperis in mandatis, vt de te conquerentibus, secundùm suum, vel alterius Legati, seu Iudicis ordinarij, vel delegati arbitrium, Iustitiam exhiberes: hoc taliter intelligendum esse censemus, vt in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerum quæ ad Ecclesiasticum forum pertinent, ac super vniuersis Capitulis, quæ pro pace seruanda sunt, per dictum Legatum statuta, vel auctoritate Apostolica statuenda, item viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus tenearis in iudicio Ecclesiastico respondere.

LABORANTE Narbonensi prouincia fœdissima hæresi Valdensium qui Albigenses dicti sunt, quòd in Synodo Albigensi damnati sint, Raimundus Comes Tolosanus, ob patrocinium hæreticorum, & indicta noua vectigalia, à Milone legato Sedis Apostolicæ excommunicatus, pœnitudinem simulans ab eodem absolutus apud S. Ægidij. Solemnem reconciliationis formam enarrat Petrus Vallissernensis *hist. Albig. cap.* XII. Absolutus, inquam, his conditionibus, ne hæreticos ampliùs foueret, & nouis vectigalibus abstineret. Sed promissi parum memor, rogauit à Rege noua pedagia obtinere, & repulsam passus accessit ad Innocent. III. à quo ei indicta est purgatio canonica super crimine hæresis, & nece fratris Petri de Castronouo. Interim idem Comes in Synodo Aueniononsi à Milone excommunicatus, si noua pedagia semel eiurata repeteret: idem Vallissernens. *cap.* XXXIII. *Comes etiam Tolosanus in prædicto Concilio excommunicatus fuit, sub conditione tamen si abiurata pedagia denuo accipere attemptaret.* Sed tiens igitur Comes agi de summa rerum, & periculum imminere, ne vniuersa eius ditio esset prædæ militi cruce signato, finxit se velle parere mandato Ecclesiæ, & quasi dubitaret super nonnullis capitibus mandatorum, quæ à Legato acceperat, pro conditionibus absolutionis consuluit Pontificem super his, quinam dicendi essent manifesti hæretici, quænam pedagia illi essent interdicta, & quæ esset obligatio mandati Legati, vt de se conquerentibus iustitiam exhiberet apud Legatum, vel Iudicem ordinarium, vel delegatum. Consultus Pontifex respondit in *hoc cap.* manifestos hæreticos dici illos qui publicè prædicant contra fidem Catholicam, aut profitentur, aut tuentur errorem, vel qui coram Episcopo conuicti, vel confessi de hæresi per sententiam damnati, publicatis proprijs bonis, & alijs pœnis inflictis secundùm sanctiones, vt *hic, & cap. excommunicamus. suprà. de hæretic.* Pedagia verò, guidagia & salinaria illa intelligi vetita, quæ non apparerent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Conc. largitione concessa, vel consuetudine immemoriali introducta. Vectigalia noua institui non possunt sine auctoritate Principis. *l.* II. *&* III. *C. noua vectigal. instit. non poss. cap. innouamus. suprà, de censib.* Pedagia, guidagia, salinaria, & similia sunt iura fiscalia, quæ non competunt alijs à Principe. *cap. vn. quæ sunt Regal. in libro feudor.* Gunter. Ligurin. lib. VIII.

Vectigal portus cudendæ iura monetæ,
Cùmque molendinis telonia flumina pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et capitolitium certo sub nomine censum,
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

Sed tamen hæc inferioribus acquiri possunt ex titulo, id est priuilegio speciali, & consuetudine præscripta, id est consuetudine immemoriali, vt probatur *hoc cap.* & vbi Ligures hæc iura remisere Friderico, excepti sunt qui niterentur titulo speciali, vt subdit Gunter.

Tanta tamen clari fuit indulgentia Regis,
Vt quicunque bona priscorum munere Regum
Hactenus ista fide possideat, idque probare

Legitimis poterat, vel demonstrare tabellis,
Principis assensu titulo gauisus eodem,
Nunc quoque possideat.

Idem Roderic. de gest. Frideric. lib. II. cap. V. *Hisque omnibus in fiscum adnumeratis tanta circa pristinos possessores vsus est liberalitate, vt quicunque donatione Regum, aliquid secum se possidere instrumentis legitimis edocere poterat, is etiam nunc Imperiali beneficio, & regni nomine id ipsum perpetuò possideret.* Quod verò scriptum est hîc inter licita vectigalia numerari, quæ Concilio Lateranensi instituta sunt, non eò pertinet vt dicamus ex Conc. Lateranensi, vel auctoritate Apostolica inferioribus vectigalia huiusmodi, quæ sunt regalia iura concedi potuisse, vel posse, sed eò vt rata sint vectigalia, quæ imponuntur Ecclesiis necessitatis publicæ leuandæ causa, vbi plebis facultates exhaustæ sunt, modò id fiat de consensu Episcopi; quæ est sententia Concilij Lateranensis habiti sub Alexand. III. *can.* XXII. Quod autem mandatum erat Comiti, vt de se conquerentibus rationem redderet apud Legatum, vel Ordinarium, vel delegatum, ita intelligendum censuit Pontifex, vt in omni causa, quæ ratione rerum, vel personarum ad forum Ecclesiasticum pertineret, & super vniuersis Capitulis, quæ pro pace tuenda essent statuta à Legato, vel auctoritate Apostolicâ statuenda, item viduis, pupillis, orphanis, & aliis personis miserabilibus teneretur in iudicio Ecclesiastico respondere. Causæ violatæ pacis, quæ Treuga dicta est, pertinebant ad iudicem Ecclesiasticum. *cap.* I. *de Treug. & pace. can. illi qui.* XXIV. *qu.* III. & Conc. Claromont. Vnde pax huiusmodi Treuga Domini dicta est. Glabro *lib.* V. *cap.* I. *Hoc insuper placuit vniuersis, veluti vulgò dicitur, vt Treugà Domini vocaretur.* Item causæ viduarum, pupillorum, & personarum miserabilium sunt fori Ecclesiastici, vt *hic, & cap. ex parte. de foro competent. cap. nouit. de iudic.*

Capitvlvm XXVII.

Idem Episcopo Parisiensi.

Novimvs expedire, vt verbum illud quod in antiquis canonibus, & in nostro decreto contra falsarios edito continetur, videlicet vt Clericus per Ecclesiasticum iudicem degradatus, sæculari tradatur Curiæ puniendus: apertiùs exponamus. Cùm enim quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diuersa responderint, & quorumdam sit opinio à pluribus approbata, vt Clericus qui propter hoc vel aliud flagitium graue, non solùm damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus priuilegio Clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur: cùm ab Ecclesiastico foro fuerit proiectus, eius est degradatio celebranda, sæculari potestate præsente, ac pronuntiandum eidem cùm fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat degradatum: & sic intelligitur tradi curiæ sæculari: pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur.

Pro illo verò falsario scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, vt in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum includas, pane doloris, & aqua angustiæ sustentandum, vt commissa defleat, & flenda vlteriùs non committat.

Ivre veteri Curiales, seu Decuriones Clerici fieri non vetabantur cessione factâ bonorum illi Curiæ à qua discesserant. *l. Curiales. C. Th. de Decur.* Sed hoc ius abrogatum est per *l. si quis Curialis. C. eod. tit.* Ex qua introductum est, vt Clerici ordinati velut manu iniectâ ad Curiam reuocarentur. de quo conquestus Basil. epist. CLXIV. in Præfectum quendam Valentis Imperat. ὁ δὲ πάντας μὲν μετὰ ... *quotquot Cæsarea erant Ecclesiastici ordinis, vno edicto tradidit Curiæ.* Et Ambrof. epist. XXIX. *Qui nunc, quia per* XXX. *& innumeros annos presbytery quidam gradu functi vel ministri Ecclesiæ retrahuntur à munere sacro, & Curia deputantur, grauiter gemunt.* Etiam ex priscis canonibus Clerici ob crimen depositi tradebantur Curiæ seruituri. *can. Clericus.* III. *qu.* IV. *can. si quis sacerdotum. can. statuimus.* XI. *qu.* III. id est, vt sustinerent onera municipalia, quæ erant valde grauia. *l. quemcumque. C. Th. de Episc. & Cleric.* Quod minùs assecutus, vel errorem quamplurium secutus Innocentius III. sic interpretatus est in *hoc cap.* & in decretali edita contra falsarios, quæ est in *cap. ad falsariorum. suprà. de crimin. fals.* vt Clerici degradati intelligantur Curiæ tradi, cùm ob graue crimen degradati Curiæ sæculari traduntur, corporali scilicet pœna puniendi. Cùm post depositionem Ecclesia non habeat vltra quid faciat. *cap. cùm non ab homine. de iudic.* Clericus degradatus intelligitur tradi Curiæ sæculari,

cùm degradatur præsente iudice sæculari. Solemnis Clerici degradatio fit detractione Clericalium insignium. *cap. degradatio. de pœn. in* VI. *can Episcopus.* XI. *qu.* III. & celebranda est præsente iudice sæculari, cui denunciandum vt degradatum in suum forum recipiat, pro quo tamen Ecclesia efficaciter, id est enixè intercedere debet, vt citra mortis periculum sententiæ modus imponatur. Episcopi solebant intercedere pro reis apud potestates sæculares. *l. præsenti. C. de his qui ad Eccles. confug. can. reum.* XVII. *qu.* IV. Ambr. in Psalm. CXVIII. serm VIII. *Eripe eum qui ducitur ad mortem, hoc est eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ.* & Augustin. epist. CLVIII. *Pœna sanctillorum quamuis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem commendandam.* Pro reis intercedere licet etiam Clericis & Monachis, sed ne damnatos ductósque ad supplicium per vim eripiant, quod solebant facere, vetatur. *l. addictos. C. de episc. aud.* ne scelera inulta remaneant, & peccandi licentia crescat impunitatis successu.

Laus Deo, & imperium in secula.





INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM.

A



BAS vel Prælatus est vna eadémque persona, vnum & idem corpus, cum Ecclesia vel collegio fratrum. 29

Abbas an possit conueniri in caussis Monasterii. ibid.

Abbatis nomen conuenit tam præpositis Canonicorum Regularium, quàm Monachorum. ibid.

Abbas non potest transiri ad aliud Monasteriũ sine consensu, vel Episcopi, si non est exemptus, vel Summi Pontificis, si sit exemptus. 47

Abbas exemptus non potest renunciare priuilegio exemptionis sine licentia Summi Pontificis, 48. Quòd si electus fuerit Episcopus, non potest transire ad Ecclesiam in qua electus est, sine licentia Summi Pontificis. ibid.

Abbas esse potest etiam qui in minoribus Ordinibus positus est, neque compelli potest vt ad sacros Ordines ascendat. 133

Abbas si fuerit Presbyter & benedictus, potest conferre Tonsuram & alios minores Ordines subditis Regularibus. 134

Abbas vt suspectus recusari non potest. 369

Abbates an possint dare litteras dimissorias ad Ordines. 155

Abbates exempti admittuntur ad osculum Summi Pontificis tanquam filii. 391. 588

Abbates non possunt cognoscere de his quæ sunt Episcopalis dignitatis. 584

Abbatissæ prohibentur Moniales proprias benedicere, vel Euangelium prædicare. 608

Abortui animati fœtûs qui dat causam, censetur homicida. 569

Absens an possit eligere per litteras. 103

Absenti an possit conferri beneficium. 39

Absolutio voti sacræ militiæ non ab alio impetratur quàm à Summo Pontifice, vel ab eo qui habet speciale mandatum Sedis Apostolicæ. 297

Absolutio excommunicationis ob iniectas manus violentas in Clericos, reseruatur Sedi Apostolicæ, nisi in casibus exceptis. 618

Abusus nullo tempore præscribitur. 44

Academia Parisiensis magis se Ecclesiasticam quàm sæcularem professa, & quid inde 17

ab Academia Parisiensi Ius Ciuile explosum. 18

Academia an & quæ possit condere statuta. ibid.

Acceptatio est actus personalis. 39

Acephali dicti Clerici ordinati sine titulo. 383

Actus sunt indiuidui Iure Ciuili, Iure Canonico non item. 14

Aduenæ, quos Albinos vocamus in Gallia, impotes sunt Beneficiorum Ecclesiasticorum vel officiorum sæcularium, nisi à Principe litteras naturalitatis impetrauerint 59

ob Adulterium an possit remitti iusiurandum de vxore non dimittenda. 312

Adulterio quam quis fœdauit an possit vxorem ducere. 514

Aduocatus Ecclesiæ primus, Carolus Magnus. 96

Aduocationis officio interdicitur Clericis & Monachis. 201

Aduocati Susceptores dicti; Clientes, Suscepti, iidem & Scholastici. ibid.

Æneas Parisiensis Episcopus electus fuit judicio Cleri & fratrum Cœnobiorum S. Dionysij, S. Germani, S. Genouefæ, Fossatensis, & aliorum. 245

Æs alienum defuncti luere an teneatur successor in Beneficio. 136

Ætas 30. annorum Episcopo necessaria. 68

Albergaria. *Vide* Comestiones.

Albini. *Vide* Aduenæ.

Alexius Comnenus quàm infelici auspicio inauguratus. 4

Almerici doctrina non tam hæretica quàm insana dicta fuit: qualis verò fuerit eius hæresis, non enunciatur. 6

Altaria vnctione Chrismatis consecrabantur. 142

Altaria non consecrabantur sine Reliquiis. 481. 497

Amicitiam parit societas. 575

Ammonius dextram aurem sibi abscidit, vt difformitate corporis effugeret Episcopatum. 147

Anastasius non priùs suscepit coronam à Patriarcha Constantinopolitano, quàm tradito chirographo iureiurando sancito de orthodoxa fide tuenda. 3

Anglorum Reges in capite uncti. 151

Appellare non licet nisi his quorum interest. 61

Appellare an liceat ab interlocuto, vel ab alio quocumque grauamine. 366

Appellare item an liceat ad Pontificem omisso medio. 367

Appellationis vim & effectum habet destinatio, seu missitatio nuncii ad Sedem Apostolicam. 116

Appellatio suspendit executionem rei iudicatæ, etiam priùs quàm recepta fuerit. 167
Appellationis causas ad Archiepiscopum delatas an ipse possit committere subditis Suffraganei sui à quo appellatum est, eosque inuitos ad eas suscipienda compellere. 174
per Appellationem an suspendatur excommunicationis sententia. 318
Appellatio an possit reuocari post oblationem libelli appellatoru. 360
Appellatio ad quem deuoluatur, & quibus in causis fiat. ibid.
Appellatio fit gradatim. 167
Apostolicas vices concedit Summus Pontifex, Pallium concedendo. 114
Arbitri à quibus datur appellatio ad Sedem Apostolicam. 19
Archidiaconis Ecclesiæ Romanæ vices suas potest committere Sedes Apostolica. 44
Archidiaconorum variã olim iurisdictio & potestas secundùm varia tempora & consuetudines Ecclesiarum. 153. 154
Archiepiscopus. *Vide* Appellatio.
Archiepiscopi habent ius præferendæ crucis intra prouinciam: an verò & in locis exemptis. 596
Ariani Ecclesias Orientis crebris mutationibus insolescentes, quomodo coërciti. 107
Azymitæ dicti olim à Græcis Latini. 488

B

BACVLVS signum dignitatis Episcopalis, & an eo vti possint Episcopus ante consecrationem, Abbas ante benedictionem. 142
an & eo vtatur Romanus Pontifex. ibid.
Ballistam genus instrumenti bellici adinuenit Richardus I. Rex Anglorum. 569
Ballistariorum ars anathemate explosa. ibid.
Banna promulctis, seu pœnis pecuniariis sumpta 125
Bannus vel Bannum, quid olim priscis Galliæ moribus. 421
de Bannis nuptialibus. 507
à Baptizandis an requiratur professio fidei. 3
Baptizare seipsum nemo potest. 491
Baptizati ab Hæreticis an sint rebaptizandi. *Vide* Symbolum.
in Baptismo paruulis an prosit fides parentum. 3
Baptismus Sacerdotium Laici. 142
Baptismus omnia soluit peccata. 491
Baptismus, signaculum in Domino. ibid.
in Baptismo requiruntur materia & forma. 493
Baptismus triplex. 494
Baptismus est fundamentum omnium Sacramentorum. 495
Basilius Præfectus Prætorio, regnante in Italia Odoacro. 15
Basilij statutum de non alienandis rebus Ecclesiæ. ibid.
Beccense Monasterium, vbi & à quo conditum. 22
Beneficia curam animarum habentia, impetrantes intra duos menses à die adeptæ possessionis ad fidei professionem adigunt. 4
Beneficia alia maiora, alia minora esse in eadem Ecclesia, non est incongruum. 7
Beneficium vnitum cur non possit resignari. 8
Beneficium suppressum à Capitulo, si posteà ab ipso Capitulo conferatur cuipiam, priuilegium hoc vnico actu amittitur. ibid.
Beneficium semel extinctum & suppressum non dicitur vacare. 11
Beneficij non vacantis collatio vel promissio an sit licita. 13
Beneficia Communionis seu Magistralia, quid-nam sint. 17
Beneficium Ecclesiasticum non tam alieno vitio, quàm proprio iure debet obtineri. 35
in Beneficij impetratione quid potissimum sit obseruandum. 37
Beneficium an possit conferri absenti, & quomodo debeat acceptari. 39
Beneficiorum plura & varia genera. 63
Beneficium regulare non potest conferri Monachis alterius Monasterij, licèt eiusdem generis. 81
Beneficium an & quomodo vacet per renunciationem. 125
Beneficium Clerici vxorem ducentis vacat ipso iure per nuptias. 179
duo Beneficia licèt simplicia, sed vniformia, an possint teneri in eadem Ecclesia & sub eodem tecto. 191. 407
Beneficia an possit conferre Vicarius Episcopi. 422
Beneficij appellatione [illegible] contineatur Episcopatus. ibid.
Beneficiorum permutatio [illegible] debeat fieri. 422
Bononiensem Diœcesim visitandi, Abbati S. Stephani Bononiensis demandatum officium. 35
Bugeres siue *Bougres* dicti quidam Hæretici, & vt tales damnati. 572. Hoc nomine dicti etiam vsurarij. ibid.

C

CAMPANÆ signum an sufficiat ad congregandum Capitulum. 87. 96
Canonia, seu Canonica differt à Præbenda. 385
Canonici Ecclesiarum Cathedralium, idonei mandatorum Apostolicorum executores. 31
Canonici Ecclesiarum Compostellanæ & Rauennatis, dicti Cardinales. 56
Canonici Regulares in eodem Monasterio, an possint esse pater & filius. 144
Canonicus an possit esse iudex vel testis in causa Concanonici. 175
Canonici Cathedralium tanquam fratres admittuntur ad osculum Episcopi. 391
Cantoria cur dicatur dignitas. 11
Cantoris munera & prærogatiuæ. ibid.
Capitulum quare & quomodo possit condere statuta. 8. 316
Capitulum non potest minuere numerum Præbendarum sine authoritate Summi Pontificis, vel consensu Patroni à quo dotata est Ecclesia. 10

Capitulum an possit mittere interdictum. 46
Cardinales sunt collaterales & fratres, imò pars corporis Summi Pontificis & in eorum personam committitur crimen læsæ Majestatis. 56
Cardinales in titulis suis residere astricti. ibid.
Cardinalis in Episcopum an possit postulari vel eligi. ibid.
Cardinales præter proprium titulum possunt habere alias Ecclesias, gubernationis seu commendæ nomine, quarum & dicuntur Gubernatores. 78
Cardinales in propriis titulis & Capellis eis subiectis habent iura Episcopalia. ibid.
ob Carmen famosum damnatus, famosus est. 347
Carolus Magnus electus primus S. Petri aduocatus. 96
Casalia, prædia rustica, vel suburbana. 421
Casamenta, feuda Ecclesiastica. 287. 420
Casati Ecclesiæ, milites qui tenent feuda ab Ecclesia. 287
Castellani ad quid olim instituti. 325
Causæ Ecclesiasticæ, vbi & quomodo terminandæ. 38
Causæ matrimoniales requirunt maiores judices, idoneos, & Canonum peritos. 4. 251
De iis an possit compromitti in arbitros. 210
Causæ matrimoniales sunt fauorabiles, & quo casu sententia super quæstione matrimonij lata non transeat in rem iudicatam. 210. 260
Causæ maiores Sedi Apostolicæ reseruatæ. 178. 366
Census animorum quis sit. 8
Census ex voto debetur. 478
Census solutio quomodo facienda. ibid.
Chorepiscopi an Confirmationis sacramentum olim administrauerint. 44
Chrismatis vnctio ad solum Christianum pertinet. 142
Christiani in Baptismo inunguntur, & fiunt compotes regni & sacerdotij. ibid.
Citatio quantum sit in lite necessaria. 16
Citatio trina ex qua contrahitur contumacia, habet vim litis contestationis. 25
Citatio in dubio non præsumitur omissa. 76
Citatio incompetens non valet. 98. 232
Clericatus non probatur nisi per litteras, vel per testes. 150
à Clericis cùm ordinantur fidei professio exigitur. 4
Clerici vno in Conclaui simul olim viuentes. 8
Clericorum numerus quomodo instituendus 10
Clerici quo titulo possideant res Ecclesiasticas. 14
in Clericos an adhibeantur testes Laïci. 16
Clerici olim non ordinari sine titulo vel beneficio. 23
Clericus sæcularis non potest habere Præbendam in Monasterio. 81
Clericus do qualibet Diœcesi potest ordinari à Summo Pontifice. 129 Semel autem ab eo ordinatus non potest sine illius mandato ab alio Antistite ordinari. 130
Clerici volentes semel initiari, etiam inuiti ad altiores Ordines possunt promoueri pro necessitate Ecclesiæ. 130
Clericis ordinatis tradebatur libellus Officialis, seu codex diuinorum Officiorum. 137
Clerici recentes ordinati quandoque ablegabantur in Monasterium Ecclesiasticæ disciplinæ discendæ causâ. 137
Clerici non debent de vna diœcesi ad aliam migrare sine litteris commendatitiis sui Episcopi. 11
Clerici girouagi sine commendatitiis litteris sui Episcopi, Trutani, Trudennes, vel Truan[illegible], vocati. 12
Clerici qui deseruiunt Capitulo, gaudent priuilegio fori Ecclesiastici, dicunturque Seru[illegible]tores, seu Seruientes, vel Assisij, quasi assidui. 231
Clerici an admittantur in testes. 284
Clerici olim omnes locales. 3[illegible]
Clericus pro Doctore vel litterarum Professore 304.
Clerici vetantur ludos equestres, & hastiludia facere, vulgò torneamenta. 37[illegible]
Clerici laruati ludebant in Ecclesiis die Natalis Christi. ibid.
Clerici castè & continenter debent viuere. 7[illegible]. Vetantur ad pinnas & in gilda bibere, nec non & negotiari. 375. Vetantur item ludis scenicis interesse, cauponam ingredi, nisi necessitatis causa; aleâ vel taxillis ludere imperantur vero clausa indumenta def[illegible] [illegible]. Iisdem non licet habere mulieres suouintroductas, seu ascititias. 378
Clericus non debet dictare sententiam sanguinis. 503
Clerici & Monachi artem Medica, item & militiam exercere prohibiti. 504. 568. 604
de Clericis militantibus & in latrocinio deprehensis. 604
Clerici testari possunt etiam de quæsitis & fructibus Ecclesiæ. 628
Collatio cur dicatur donatio. 10
Collatio Beneficij debet esse libera, ita vt etiam preces respuat. 11
in Collatione Præbendæ an possit imponi onus spirituale. 145
Comestiones, Albergariæ, seu Procurationes, onera Rusticorum, 325
Commendationis Ecclesiarum vsus postremis sæculis frequentissimus maximè in gratiam Principum. 69
in Commercio fœnus olim habuerunt Itali. 425
Commercium cum Christianis interdictum, Iudæorum pœna. 554
Commilitones amici præsumuntur. 175
Cōmunionis vitæ olim inter Clericos imago. 13
Comnenus. Vide Alexius.
Compromissum generaliter reuocari potest, re integrâ tantùm. 87
Compromitti potest in Laïcum de rebus temporalibus Ecclesiæ, non de spiritualibus. 218
Concionator cur à Græcis diceretur ἐκκλησιαστής. 191
vno in Conclaui conuiuebant olim Clerici. 8
Confessio proprio Sacerdoti, vel Parocho debet fieri. 611

Confirmatio

re in feudum factâ ante Concilium Lateranenſe. ibid.
Confirmatio in forma communi, *Confirmamus ſicut iuſtè poſſides*, modicum operatur, aut fermè nihil. 1
Confirmatio facta à Sede Apoſtolica vim legis habet. 13
Confirmationis Sacramentum à ſolis Epiſcopis adminiſtrandum. 43.44
Confirmatio non aliter fit quàm cauſa cognita, eiuſdemque eſt examinatio, cuius & Confirmatio 95.100.106.
Connauigantes. *Vide* Commilitones.
Conſecrare Eccleſiam tam diebus dominicis quàm priuatis poteſt Epiſcopus. 482
Conſecrare qui ſe fingit, & non conſecrat, grauiùs peccat quàm ſi in peccato mortali poſitus conſecraret. 489
Conſecratio Eccleſiarum pertinet ad Epiſcopum. 481. quàm olim pauperibus viles eiuſmodi conſecrationes. *ibidem* & 482. illarum memoria quotannis ſolemniter repetenda. 482
Conſilium in electione requirendum, non exquiſitum, an irritet electionem. 65
Conſilium an obliget eum cui datur. 217
Conſtitutionum nomine quid contineatur. 7
Conſuetudo magis in officiis ſpectatur Eccleſiaſticis, quàm ius commune. 12
Conſuetudo quæ eſt contra bonos mores, dicitur corruptela, & reprobatur. 42.43
Conſuetudo Romanæ Eccleſiæ ius facit. 35
Contumacia ad hæreſis vitium incurrendum quodammodo requiſita. 6
Contumacia facilè purgatur. 17.18.
contra Contumacem ſententia ius non facit, ſed eſt quaſi comminatio. 18
Corpore vitiati & notabiliter deformes à ſacris ordinibus arcentur. 147
Correctio Regularium pertinet ad Abbatem in iis quæ ſpectant ad Regulam; in aliis verò ad Epiſcopum. 181
à Correctione ſeu diſciplina non appellatur, niſi modum excedat. 181.187
Correctio Canonicorum pertinet ad Capitulum, & eo ceſſante deuoluitur ad Epiſcopum. 188
Curiæ contagio corruptus Ordo Clericorum & Monachorum Pariſienſium. 186
Curia eſt villa ſeu manerium cum manſu. 342

D

in DAcia ignotum penè ius Romanorum ciuile. 40
Damnatus ob contumaciam, an reſtituatur. 17.18
Decanus an poſſit mittere interdictum. 46
Decimæ Deo reſeruatæ in ſignum vniuerſalis dominij. 441
ad Decimarum præſtationem quilibet tenetur, niſi ſpecialiter probetur exemptus. ibid.
à Decimis eximere ſolus poteſt Summus Pontifex. ibid.
Decimas poſſidere non poſſunt Laici, niſi ex priuilegio Summi Pontificis, vel conceſſione in feudum factâ ante Concilium Lateranenſe. ibid.
Decimæ ſoluendæ ſunt ſine deductione ſeminentis & expenſarum. 442
Decimæ prædiales, perſonales, mixtæ. 433
Decimæ perſonales exploſæ conſtitutione Philippi Pulchri. ibid.
Decimæ de iure communi debentur Eccleſiæ Parochiali, vbi ſcilicet percipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta. 200
à Decurionum ordine remotus à quo poſſit reſtitui. 18
Dedicationis Eccleſiarum diem anniuerſarium celebrare priſci moris fuit. 612
Delegati eodem reſcripto plures, eandémque in ſolidum iuriſdictionem habentes, pro vno habentur. 19
Delegati diuerſis reſcriptis in vnam debent concordare ſententiam. 19
Delegatus in cauſa delegata maior eſt Ordinario. 31
Delegatus non poteſt ſubdelegare, niſi ſit delegatus à Principe. 166
Delegatus à ſummo Pontifice poteſt ſubdelegare vel totam cauſam, vel principium, vel medium, vel finem. 166
Delegatus à Pontifice, interpoſitâ appellatione remotâ, impunè poteſt procedere ad executionem ſententiæ, niſi appellatio recepta fuerit à Pontifice. 167
Delegatus à Principe vel à Summo Pontifice, poteſt mandare executionem ſuæ ſententiæ Ordinario cuilibet. 169.170
Den[illegible] S. Petri [illegible] in Ang[illegible] 41
Deuolutio non datur vbi non eſt vacatio 10
Deuolutio ſuâ naturâ fit gradatim, vt appellatio. 101
Dicta quid ſit & quid contineat. 37
Digami cur non ſint promouendi ad ſacros Ordines. 149
Dignitatum varia eſt dos pro modo dignitatis & oneris. 8
Dignitas quid ſit. 12
Dignitas perſonarum ſpectata quoad vim & efficaciam reſcriptorum Apoſtolicorum; in quibus adiecta eſt clauſula hæc generalis, *& quibuſdam aliis perſonis.* 21
Dignitatem nouam creare in ſua Eccleſia an poſſit Epiſcopus 46
Dignitatibus potioribus maiorum nomen plerumque attributum. 193
Dignitatis appellatione an contineatur Epiſcopatus. 409
Dignus præſumitur qui non probatur indignus. 112
Dilapidationis pœna eſt remotio ab adminiſtratione. 536
Diœceſana lex quid ſit. 197.327
Diſpenſare Religioſum non profeſſum, vt vel in Abbatem vel in Priorem poſſit eligi, ſolus Pontifex Summus poteſt. 82
Doctrina inſana. 6
Domicilium videtur habere in Eccleſia, qui in loco Eccleſiæ debet reſidere. 382
Domus Clericorum cur templis vicina. 8

Donationes tam inter viuos, quàm mortis causâ, apud Dacos receptæ. 40
Donatio iure veteri quomodo perficiebatur, quomodo & valeat iure Iustinianeo. *ibid.* *Vide* Traditio.
Donationes per quid olim perficiebantur. 40 41
in Donationibus poculi mero pleni propinatio fieri interdum solita. 41
in Donationibus variæ item & ceremoniæ adhiberi solitæ. *ibid.*
Donatus Grammatistes, Diui Hieronymi præceptor. 553
Donatus ab Episcopatu depositus, & quare. *ibid.*
in Dubio pœna irrogata censetur temporalis, non perpetua. 18

E

CONTRA Ecclesiæ libertatem Laïci condentes statuta, quâ pœnâ mulctentur. 9
Ecclesiæ res quo casu possint distrahi. 9
Ecclesia est in Republica. 15
Ecclesiæ viduatæ visitator à Summo Pontifice delegatus. 75
Ecclesiæ interest tueri pacem publicam. 222
Ecclesiæ ædificandæ quid necessariò adhibendum. 481
Ecclesia semel consecrata quomodo polluatur. 483
Ecclesiæ à Laicis non debent incastellari. 496
Ecclesiæ Gallicanæ mores secuta Ecclesia Romana. 507
Ecclesiasticæ causæ in Galliis apud quos iudices terminandæ. 38
Edilitij Iudices vndenam dicti. 20
Electio Abbatum ad quos pertineat. 49
Electio & postulatio si concurrant, quid agendum. 52. 155
Electionis decretum quomodo fieri debeat. 53
Electio à suspensis facta, omnino irrita. 63
Electione perfecta an possint variare Electores. 63. 72
ad Electionem quinam vocentur. 65
ad Electionem non vocato vocando, an fit irrita electio. *ibid.* & 84
Electio vbinam debeat fieri. 68. 84
Electio est actus legitimus & solemnis, in quo qui cadit à syllaba, cadit à toto. 87. 96
in Electione per compromissum an vox Electi computetur, vt ex ea fiat maior numerus. 92
Electio posterior an valeat, priore non irrita. 97
Electio per compromissum. 102. item perscrutinium & per inspirationem. 103
Electio vbi debeat confirmari. 104
Electiua beneficia quænam propriè dicantur. 73
Electus an possit post confirmationem exercere quæ sunt iurisdictionis & ordinis. 64
Eligendi jus an possit præscribi. 245
non Entis nullæ sunt qualitates. 11
Epileptico morbo laborans, inhabilis ad beneficia. 73
Episcopalis dignitatis q[illegible] reuerentia. 13
Episcopatus abdicandi [illegible] causæ. [illegible]
Episcopatus an contineatur appellatione dignitatis vel beneficij. 409
ab Episcopis cùm ordinantur, fidei professio exigitur. 4
in Episcopos an audiantur testes Laïci. 16
Episcopus an possit impendere suo reditus Episcopales in ædificationem Monasterij. 46
Episcopus an postulari possit vel eligi. 52
ad Episcopi electionem vocandi non sunt qui præsentes fuerunt tempore obitus prædecessoris 66
de Episcoporum electione & electionis confirmatione, alia quædam notanda. [illegible]
Episcopi prioribus seculis literas nescientes. [illegible]
Episcopi non pauci ob legum Romanarum & Canonum peritiam celebres. [illegible]
Episcopi suâ sede pulsi soliti in aliis vacantibus Ecclesiis incardinari, vel vicinorum Episcoporum ope sustentari. 117. nonnunquam illis Præbendæ alimentariæ in luculentioribus Monasteriis adhibebantur. 118
Episcopus Monachismum professus an possit iterum assurgere ad Episcopatum. 123
de Episcoporum vnctione, & in quo differat ab vnctione Principum. 141
Episcopo recusato, an eius Officialis possit recusari. 160
Episcopus dictus Præses verbi Dei. 191
Episcopi in Ecclesia thronus. 195
Episcopus quantum ad residentiam teneatur. 381
Eunuchi diuitias vt filiolos amplectuntur. 268
Eustathius in Concilio Antiocheno gradu depositus, non adiectâ causâ, ex more sacri fori. 6
Exceptio criminis an impediat collationem beneficij. 542
Excommunicatio. *Vide* Absolutio.
Excommunicationis pœnæ an liceat se subiicere. 90
Excommunicatio duplex, maior & minor, & quæ sit inter vtramque differentia. 98. 629
Excommunicatio, pacis infractæ pœna. 222
Excommunicatio in personas fertur, interdictum in vniuersitatem. 570
ab Excommunicato rescriptum impetratum an valeat. 36
Excommunicatus, mortuo à quo est excommunicatus, quàm difficulter possit absolui. 185
cum Excommunicato qui communicat, quali excommunicatione vinciatur. 318
cum Excommunicatis scienter communicantes, quam pœnam incurrant. 616
Exemptus an possit compromittere super sua exemptione. 215

F

FACTO an noceat protestatio contraria. 15
Falsum qui committit, beneficio [illegible] autem eo ipso beneficium adiudicetur aduersario. 35
Falsi pœna in Clericis, quænam sit. 277
Falsum variis modis committitur. 171

Feudum an possit dari in dotem. 9
Feudi inuito domino prohibita alienatio. *ibid.*
Feuda in Gallia merè patrimonialia. 9
de Feudis cùm agitur coram seculari domino conueniuntur Clerici. 42
Feudum rectum. 428
Fidei orthodoxæ Formula in Concilio Nicæno edita. 3
Fidei professio, census animorum. 3
Fidei publicam edere professionem qoando debeant Reges & Imperatores. *ibid.*
Fideiubere pro alijs prohibentur Episcopi, Clerici & Monachi. 427
Filius Presbyteri legitimus an possit immediatè post parentem illius Beneficium obtinere. 143. Idem de filio Episcopi. *ibid.*
Filius legitimus vel illegitimus Canonici an possit in eadem Ecclesia, aliam Præbendam obtinere. 144
Fiscum non habet Ecclesia. 189
Fœminis clarioribus iurisdictio in subditos tributa consuetudine Galliarum. 42
Fœnus, ars olim & negotiationis genus. 415
Forisfacta, forisfactiones, forisfacturæ. 385
ob Fornicationem præcedentem an remittatur iusiurandum de vxore non dimittenda. 312
Fratres Summi Pontificis quinam sint. 576
in Fraudem vel Ecclesiæ, vel priuatorum statuta facta non valent. 9
Fructus ob contumaciam sequestrantur. 14
in Fundatione an possit agere patronus contra ius commune. 49

G

per GLEBÆ oblationem traditio Ecclesiæ facta, dicta Scotratio. 40
in Germania Episcopi quomodo ab Imperatore electi & inuestiti. 66
Germanis nullum fuit multis sæculis testamentum. 40
Gothorum Reges vnctione inaugurati. 141
Græcus Latini Episcopi Vicarius vbi Latinis mixti sunt Græci. 190
Gratia à quo recipiat modum. 37
Guidagia sunt iura fiscalia. 635

H

de HÆRESI cognoscere, ad quos pertineat. 559
Hæretici etiam post mortem damnantur. 6
Hæretici omnes excommunicati. 559
Hæretici manifesti quinam dicantur. 635
Hesdinum Artesiæ oppidum. 634
Hierosolymitana Ecclesia, nomine olim Patriarchalis, non re. 595
Hispaniæ Reges ius eligendi Episcopos vsu proprium fecerunt. 67
Homicidium duplex. 565
Honestas vocatur congruens institutum vitæ Clericorum. 375
Honorem solus Episcopus dare potest, an etiam & solus auferre. 311
Honoraria pro concedendis gradibus. 17
Hostenditiæ, onus vasalli qood pendebat pro redemptione seruitij militaris. 413
Hostis pro exercitu apud medij temporis scriptores. 423
Humiliati, genus Monachorum à Lucio III. summo Pontifice condemnatum, à Clemente III. & Innocentio item III. probatum. 349

I

ILLEGITIMVS an ad beneficium possit postulari vel eligi. 70. *Vide* Filius.
Imperatores cùm inaugurantur fidei professionem facere soliti. 3
Imperatoris electio an irritetur non vocatis Electoribus vocandis. 65
Imperatoris electio ante Innocentium IV. penes omnes Principes Germaniæ. 94
de Imperatoris iterùm electione, sed & de inauguratione & coronatione. 95
Imperatoris ex iusta causa depositio & à Summo Pontifice & à secularibus Principibus vendicata. 96
Impetratio beneficij & Impetrationis odium. 32
in Impetratione beneficij quid exprimendum. 17
Incertis personis possunt dari Iudices, non item incerti Iudices. 20
Indulgentiæ in Ecclesiæ dedicationis die anniuersario concessæ. 612
Inopiæ causa feudum alienare an liceat. 9
Inopiæ hominis priuati an facilè sit habenda ratio. *ibid.*
Inquisitio non fit in leuibus criminibus, sed in grauioribus & publicis, necnon & contra infamatum. 537
Interdictum generale qoomodo à Monachis exemptis obseruandum. 46
ab Interlocutoria sententia an liceat appellare. 366
Interstitiis non seruatis an conferantur Ordines. 150
Instrumenta publica sine die & Consule non valent. 295
Inuestitura inferiorum dignitatum & beneficiorum quomodo olim fiebat. 335. 363
Ioachimi Abbatis de vnitate, seu essentia sanctissimæ Trinitatis libellus, post illius mortem damnatus. 5. & 6
Ioannes XXII. seipsum nominauit Summum Pontificem. 92
Iosias Rex quantum in Pseodosacerdotes & functos & superstites seuerus. 6
Irnerios iuris Romani restitutor. 8
Irregularitas quæ contrahitur per bigamiam, à quibus possit probari. 177
Italiæ ciuitates legibus Romanis vsæ. 8
Iudæorum Regum vnctio propria & singularis. 141
Iudæis vetitum seruis vel nutricibus Christianis vti. 554
Iudæi à Christianis quomodo debeant distingui. 555

Iudæorum conuerſio valde ſuſpecta. 564
Iudicis electio debere eſſe certa. 20
Iudices à Summo Pontifice quinam poſſint delegari. 31
Iudex obuius & fortuitò oblatus Pictauienſi conſuetudine ſine delectu admiſſus. 41
Iudex an poſſit recuſari poſt litem conteſtatam. 156
Iudex delegatus quamdiu habeat executionem ſententiæ. 161
Iudices ordinarij ſemper diſtincti à delegatis. 163
Iudicum delegatorum poteſtas quid dicatur. *ibid.*
Iudex ordinarius ſecus in criminalibus ac in ciuilibus cauſis poteſt agere. 163
Iudex delegatus à Pontifice an poſſit & quamcumque cauſam ſubdelegare. *ibid.* & 164
à Iudice appellatur, non ab executore, niſi modum excedat. 164
Iudicis incompetentis Iuriſdictio, an prorogetur conſenſu litigatorum. 172
Iudices ordinarij quinam ſint. 187
Iudices dati de conſenſu partium vel procuratorum vtriuſque partis, an poſſint recuſari. 548
Iudicati actio quamdiu duret. 161
Iudicium vbi cœptum, ibi & finiendum. 22
in Iudicium extra ſuam diœceſim vltra duas dietas an quis poſſit trahi. 37
Iudicium peregrinum vetitum. 38
Iudicium olim vocatum inquiſitio. 535
Iuriſdictio an ſit ſua, poteſt cognoſcere & ordinarius & delegatus Iudex. 19
Iuriſdictio Archidiaconorum olim varia. 153. 154
Iuriſdictiones in Gallia patrimoniales & priuatorum pactis tolli non poſſunt. 172
Iuriſdictio Epiſcopalis in quibus potiſſimum conſiſtat. 197
Iuriſiurandi gratiam ſolus facere poteſt Summus Pontifex. 10
Iuriſperitia an ſit laus ab Epiſcopis aliena. 91
Iure eodem debet quis vti quod in alterum ſtatuerit. 7
Ius Romanum labente Imperio neglectum. 9
Iura incorporalia an probentur per vnicum actum. 78

L

LAicis etiam piis & fidelibus non licet decernere de perſonis, vel rebus Eccleſiaſticis. 15. 16
Laïcorum poteſtas Eccleſiæ ſuſpecta. 16
Laïci an poſſint eſſe teſtes in Clericos. 16
Laïcus an ad beneficium poſſit poſtulari vel eligi. 52
Laruarum monſtra olim vetita. 374
Latinitatis vitium, idoneum in Reſcriptis falſi argumentum. 575
Legati à latere ob graues duntaxat cauſas mittuntur à Pontifice. 577
Legati minores, Epiſcopi vel Archiepiſcopi, qui vices Apoſtolicas ſuſcipiunt in certa quadam Prouincia. *ibid.*
Legati nati quinam ſint. 178
Legatus à latere an poſſit conferre beneficium inconſulto Patrono Eccleſiaſtico, vel Ordinario. 179. 180
Legatus in pluribus Prouinciis an poſſit in altera earum expedire quæ aliam ſpectant. 180
Legatis & nuntiis Apoſtolicæ Sedis, procurationes debentur. 475
pro Legitimis omnino haberi per ſubſequens matrimonium legitimati. 71
Lex qualis eſſe debeat, & cui potiſſimum inſeruire. 7
Leges propriæ adeptæ libertatis inſignia. 9
Legum vim non habeant in rebus Eccleſiæ conſtitutiones Laïcorum. 9. 15
Legis nomine quandoque Iuriſdictio intelligitur. 198
Lex non debere eſſe obſcura vel captioſa. 633
Libanius Rhetor, eiúſque notanda liberalitas. 551
poſt Libelli appellatorij oblationem an poſſit reuocari appellatio. 560
Liberorum ſtatus quomodo poſſit probari. 271
Litis proceſſus parte non citata, nullus eſt. 16
Litis plura capita coram eodem Iudice debent agitari. 22
Lites quadam conſuetudine armis olim & ferro diremptæ. 43
Literæ monitoriæ, præceptoriæ, & executoriæ à S. Pontif. concinnatæ. 24
Literas inter iuſtitiæ, & literas gratiæ quid interſit. 37
Literæ protectionis & exemptionis, & in quo differant. 193
Loci inſignes quinam ſint. 39
Locus an poſſit vt ſuſpectus recuſari in iudiciis. 175. 551
Lotharius à Summo Pontifice coronatus Imperator, neglecto Conrado aliàs etiam electo. 96
Ludi theatrales qui fiebant in Eccleſiis, damnati. 373

M

MAgiſter nomen dignitatis. 100
Magiſtratus ciuilis olim inſignia. 114
Maior domus idem quod Præfectus Palatij, ſeu domus regiæ, item & Oeconomus Eccleſiæ. 193
Maiorum appellatione continentur Epiſcopi. 193
Maioritas Eccleſiaſtica, in quo conſiſtat. 193
Mandatum ſpeciale derogat generali. 20
Mandatorum vſus ab Alexandro III. magis in dies inualuit. 53
Marcellus Ancyranus Epiſcopus ſedi ſuæ reſtitutus à Synodo Sardicenſi. 6
Marrani dicti ſunt Iudæi conuerſi, & quid illud nomen ſignificet. 564

Matrimoniales causæ quantùm ponderandæ. 41
Matrimonium vt morte, ita & Religionis ingressu soluitur. 449
Matrimonium quomodo contrahatur apud Francos. 506
Matrimonium inter infideles non dissoluitur accedente Baptismo. 518
Matricis Ecclesiæ nomine quid sit intelligendum. 631
Mauricius seipsum Episcopum Parisiensem elegit. 92
Medicorum artem exercere prohibentur Clerici & Monachi. 504. 568
Medicis vti vetitum Iudæis. 514
Medicus ægrotum inuisens quid primum debeat curare & consulere. 611
in Medio sedens, vsurpatum pro iudice. 539
Meliorationes à Clericis factæ in rebus Ecclesiasticis, Ecclesiæ cedunt. 14
Mensa communis. 13
Metropolitanus. *Vide* Suffraganeus.
Metum an arguat reuerentia Principis. 205
Metus an excuset à peccato mortali. 206
Metus excommunicationis vel interdicti an sit metus qui cadat in constantem virum. 257
Minor 25. annis in beneficialibus & aliis spiritualibus pro maiori habetur. 253
Miserabilium personarum causæ sunt fori Ecclesiastici. 636
Missa olim matutina & vespertina. 484
Modoïcum oppidum Regni Italiei sedes. 24
ad Monachismum an admittantur illegitimi. 144
Monachi exempti an ad interdictum generale teneantur. 46
Monachus an possit suo nutu ad Ordinem strictiorem transire. 47
Monachi nigri & albi. 128
Monacho an liceat transire ad laxiorem Religionem. *ibid.*
Monachi in Clerum allecti. 133
Monachi in eodem Monasterio, an possint esse pater & filius. 144
Monachi professi an cogi possint ad reformationem & suæ Regulæ obseruantiam. 107
Monachi an admittantur in testes, & an possint testificari in Clericos. 284
Monachus factus Episcopus an absoluatur à voto Monachi. 377
Monachi an possint per se exercere curam animarum in Ecclesiis Parœcialibus, quæ suis Monasteriis sunt concessæ. 397
Monachi ab Anglis in Cathedralibus Ecclesiis instituti. 411
Monasterij nomen Monachis & Canonicis Regularibus commune. 29
in Monasterij ædificatione quantum possit impendere Episcopus. 46
Monasteriis insignioribus, tùm etiam & minoribus concessa eligendi Abbatis potestas à Regibus Galliarum. 49
Monasterium ingrediendi causâ an Episcopus possit Episcopatum abdicare. 122
Monasterium non debet reformari in alio Ordine. 464
Monetæ cudendæ ius cuinam competat. 635
Monitio ter repetita excommunicationem præcedere debet, nisi in notorius. 616
Moribus bonis quicquid aduersatur, dicendum potiùs corruptela, quàm consuetudo. 42
Municipales leges vnde sic dictæ. 9

N

NEGOTIATORES quantum absint à perfectione Euangelica. 376
Neophytus an ad beneficium possit postulari vel eligi. 52
Nicænum Concilium à posterioribus Conciliis obseruatum. 3
Nobiles quandoque eligendi in Episcopos vel Abbates, qui valeant tueri res Ecclesiæ. 82
Nominatio nuda & simplex potest variari. 84
Notarij Sedis Apostolicæ non impares ad defungendas vices Apostolicas. 100
Notarij septem à Clemente instituti. *ibid.*
Notarij subscriptio est de substantia instrumenti publici. 296
Noualia quid sint. 630
Nundinatores Rescriptorum puniti tanquam falsarij. 39
Nuptiæ olim inferioribus Clericis permissæ, superioribus interdictæ. 375
de Nuptiis plura. 509. 510
Nuptiis qui calumniosè obiicit impedimentum, quomodo puniatur. 51

O

OBEDIENTIÆ sacramentum quo ritu iurare debeant Clerici. 199
de Obedientia iurare potest cogi Regularis suspectus de inobedientia. 190
Obedientia manualis quid sit. 249
Obreptere quid sit in iure. 28
Obreptio quid sit, & quo casu rescriptum dicatur per obreptionem impetratum. 27. 28
Offensa manifesta quænam sit. 632. 633
Officialis. *Vide* Episcopus.
Officium quid sit. 11
ab Officio suspensus neque potest eligere, neque eligi. 50
Oleo cœlesti Francorum Reges inunguntur. 141
Oppositio non admittitur nisi priùs causâ summariè cognitâ. 284
Ordinandorum nomina publicè olim proponi solita. 151
ad Ordinarium quo iure spectet collatio beneficiorum. 25
Ordinationes nullæ quæ fiunt interueniente pretio, vel prece, vel obsequio. 13
Ordinationis sacramentum an possit conferri à Presbyteris ex dispensatione Sedis Apostolicæ. 44
Ordinationes quâ cautelâ olim fiebant. 151

Ordinatio sine vnctioue celebrata, omnino nulla & irrita. 141
Ordinatio alieni Cleri sine litteris dimissoriis vetita. 150
Ordinationes per saltum vetitæ. 580
Ordinatus à non suo Episcopo habet quidem characterem, sed non habet executionem Ordinis. 119
Ordine quò quis est maior, eò potior in portione percipienda. 7
Ordines quo tempore conferantur in Ecclesia Latina, & in Græca. 129
Ordines omnes eodem die & extra tempora solus potest conferre Summus Pontifex. 141
ad Ordines promoueri an possint digami. 149
Origenes ducentis annis post mortem hæresis damnatur. 5

P

PALAM fieri quid dicatur. 633
per Pallium Archiepiscopalis nominis appellatio, & Pontificalis officij plenitudo confertur. 114
Pallium Archiepiscopale ex qua materia contextum, & quid denotet. 114. de pallio item plura. *ibid. & seq.*
Pallium insigne Archiepiscoporum, an possit concedi Episcopis. 303
Palmarij dicti Peregrini Hierosolymitani. 151
Parochi testimonium Ordinando necessarium. 133
Parochus an sit idoneus executor rescripti Apostolici. 169
Parœcia quæ plebem habet, plebis omnione significata. 332
Pars maior Vniuersitatis vel Curiæ, quam habeat in decernendo potestatem. 19
Partus suppositionem an viro mulier teneatur reuelare. 608
Paruulis sensu carentibus, cùm baptizantur, an prosit parentum fides & professio. 3
Patriarchales olim tres sedes. 595
Patriarcharum iura. *ibid.*
Patricius Senatoribus superadditus. 36
ius Patronatus quomodo acquiratur. 78. 186
ius Patronatus quo tempore fuerit introductum. 469. in quo consistat. 470
Patronorum in legibus fundationi imponendis, quàm sit lata potestas. 49
Patronus Ecclesiasticus an possit variare. 71
Patroni si inter se dissentiant, libera ad Episcopum collatio deuoluitur. 96
Patrono Laïco & Ecclesiastico quantum temporis ad præsentandum concedatur. 115
Patrono quasnam operas debeant serui manumissi & ordinari. 145
D. Paulus ad quos Epistolas scripserit. 31
Pacis effractæ querela ad quod forum pertineat. 212. quænam sit eiusdem pœna. *ibid.*
pro Pacis bono multa admittuntur, quæ de iure non sunt ferenda. 634
Pecuniariam pœnam an possint imponere Prælati Ecclesiastici. 189
Pedagia sunt iura fiscalia. 635
Pensio quot casibus possit imponi beneficio. 387. quis possit imponere. *ibid.*
Pensio non constituitur vltra tertiam partem fructuum. 388
Pensio est onus reale, & an transeat in successorem beneficij, cui onus impositum est. *ibid.*
Peregrinatio Hierosolymitana quàm frequens prioribus sæculis. 151
Persecutionis tempore translationes Episcoporum liberæ. 427
Personatus quid sit. 11
à Philippo Augusto Iudæi Galliæ finibus pulsi. 554
Plebanus. *Vide* Parochus.
Pœna semel irrogata an possit remitti à Iudice. 48
in Pœnis Canonicis diuersa ratio Clericorum & Laïcorum. 21
Pœnam an liceat stipulari iure Canonico. 90
Pœnæ conuentionales locum non habent, sed honesta interpretatione rediguntur ad damna & interesse. 91
Pœnitentia sacerdotis arbitrio debet imponi. 607
Pœnitentiarij officium in singulis Cathedralibus Ecclesiis nouissimè restitutum. 192
Pontificum Romanorum commendationes de pauperibus Clericis ad beneficia & monia Ecclesiastica promouendis, in præcepta & mandata obligatoria commutatæ. 23
S. Pontificis electio sit à Cardinalibus constitutione Nicolai II. 56
Pontifex Romanus an possit derogare statutis Ecclesiarum, ex quibus arceantur illegitimi. 144
Summus Pontifex de plenitudine potestatis potest ordinare Clericos de quacumque diœcesi. 196
ad Pontificem an liceat appellare omisso medio. 3'7
Portio Presbyteris amplior quàm cæteris Clericis olim distributa. 7
Portiones Monachales non sunt beneficia, sed alimenta. 144
Possessionem vel quasi possessionem pariunt duo vel tres actus. 245
Postulatio quid sit propriè. 51
Postulatio & electio an possint coniungi. 53
Postulationis decretum quomodo fieri debeat. *ibid.*
Postulationi quando sit locus. 54
Postulatio an possit reuocari. 59
Postulatio est de gratia & contra ius commune. 100
Postulatur qui non potest eligi propter canonicum aliquod impedimentum. 51
Præbendæ Canonicæ an & cur debeant esse æquales. 7
Præbendarum sectio vetita. 11. de iisiterum. 14
Præbendarum fructus an lucrentur qui absunt causâ studiorum. 98
Præbendæ pro Laïcis an possint in Ecclesiis institui. 380

Prædiorum fiscalium curatores. 193
Præmonstratum Monasterium, & in qua situm diœcesi. 25
Præscriptio an currat contra Ecclesiam vacantem. 209
Præscriptionis centum annorum origo. 326. de eadem plura, vt & de præscriptione 40. annorum ibid.
Præscriptio iurium Episcopalium præscribitur per solemnem processionem. 328
Præsentandi ius an possit præscribi. 245
Precator mendax impetratis debet carere. 28
Preces primariæ in Germania. 60
Presbyter. Vide Ordinatio.
Presbyteri an per consuetudinem possint conferre sacramentum Confirmationis. 44
Primiceriatus quare dicatur dignitas. 11. an & fit. 12
Primicerius quo gradu & quo fine adsit in choro. 11. quod illius officium. ibidem
Principis præsentia & occursus liberat damnatos. 80. supplet defectum testium & aliorum solemnium in testamentis. ibid.
Principis nomen non est trahendum ad inuidiam. 205
Prioratus, vt & alia officia regularia, ad nutum Abbatis amouibiles. 62
Prioratus Regularis an possit aliis conferri quàm expressè professis. 82
Priuilegium non perimitur nisi legitimâ præscriptione. 11
Priuilegia Ecclesiis concessa à Principibus Laïcis, quoad spiritualia non valent, nisi à Pontificibus approbata. 209
de Priuilegiis Sedis Apostolicæ solus Pontifex potest cognoscere. 219
Priuilegium quomodo amittatur. 586
Priuilegium Principis semper concessum intelligitur saluo iure tertij. 593
Priuilegium Cruce signatorum. 631
Priuilegium est lex priuata. 631
Processio est argumentum iurisdictionis. 328
Processio in die Pentecostes, vetus institutum Ecclesiæ. ibid.
Processus contra formam rescripti, nullus & irritus. 30
Procurationes. Vide Comestiones.
Procuratio vel ratione visitationis, vel lege fundationis, vel priuilegio debita, an præscribatur. 323. 329
Procurationes debentur legatis & nunciis Sedis Apostolicæ. 475
Procurationes in fœno & herba recipit Episcopus. 479
per Procuratorem agere non licebat olim in Gallia sine diplomate Principis. 204. nec per Aduocatos. 213
Procuratorem noluit olim instituere Academia Parisiensis sine venia Pontificis. 204
Professio Monastica habiles reddit illegitimos ad Ordines & minora beneficia. 1 44
per Promotionem ad Episcopatum vacant cætera beneficia, quæ Promotus obtinebat. 403
de Proprietate priusquam agatur, spoliatus est restituendus. 256
Protestatio conseruat ius. 275
Prouisiones ex causa permutationis in fauorem, quandiu porrigantur. 32
Prouisio canonica triplex. 55
Prumia Monasterium in diœcesi Treuirensi, celebre Lotharij Imperatoris ibidem Monachum professi abdicatione & obitu. 25
Pudicitiæ vbi imminet periculum an liceat virgini propriâ manu se conficere. 489
Puerperium ex adulterio mulier an teneatur viro reuelare. 608
Pupillorum causæ sunt fori Ecclesiastici. 636
Purgationis multiplex ritus. 603

Q

QVALITAS personarum in Rescriptis exprimenda. 21

R

RAIMVNDVS Comes Tolosanus anathemate percussus, & pœnitentiam simulans absolutus. 635
Ratihabitione an conualescat rescriptum post reuocationem Procuratoris impetratum. 39
Recusationis ordinarij Iudicis, vel à Summo Pontifice delegati causa, coram quibus agenda. 164
Reddere & recredere, in quo differant. 361
Regalium iure quantum olim abutebantur Principes & Comites. 171
Reges cùm inaugurantur fidei professionem facere soliti. 5
Regni iura an Rex possit alienare. 315
per Regressus viam an possit redire ad beneficium qui semel renunciauit beneficio. 125
ad Religionem strictiorem, an & quomodo transire possit Monachus. 47
Religioni qui semel se dicauit nõ potest accipere Episcopatum, priusquam votum soluat 459
Religiosus non professus an possit eligi in Abbatem vel Priorem. 82
in Reipublicæ perniciem quicquid fit gratiosè, nullius est momenti. 7
Remissio. Vide Pœna.
Renouari an possit Compromissum. 87
in Renuntiatione in spiritualibus an adhibeatur modus vel conditio. 62
Renuntiatio an possit renocari. 125
Renuntiatio beneficij spontanea, & semel admissa, an possit reuocari. 205
Rescriptorum nundinatores quomodo coërciti. 5
Rescriptũ posterius quo casu deroget priori. 19
Rescriptum generale quatenus per speciale reuocetur. 19. 20
in Rescriptis quæ sint exprimenda. 21
Rescriptum posterius an valeat sine mentione prioris. 22
Rescriptum per obreptionem vel per subreptionem impetratum, iure ciuili nullũ est. 27
Rescripta quo casu redigantur ad ius commune. 28
Rescripti prioris quomodo facienda mentio in posteriori. 31
Rescripta Pontificia ad quos exequenda diriguntur. 31. 39
Rescripta alia sunt iustitiæ, alia gratiæ. 31. 37

Rescripta omnia in Galliis annalia. 32
Rescriptum quomodo probetur. 33
Rescriptorum variæ & plures formæ. 37
Rescriptorum executio quos velit iudices. 39
Rescriptum ad lites impetratum quomodo valeat. 39
ob nonResidentiam vbi debeat fieri citatio. 382
Resignare etiam à putioris æui scriptoribus vsurpatum pro *reddere*. 30
Restitui an possit qui electioni de se factæ inuitus renuntiauit. 63
Restitutionis passiuæ an sit capax prædo vel iniustus possessor. 15
de Retractu gentilitio Paronensis municipii consuetudo. 42
Reus an possit conueniri vltra duas dietas. 38
pro Reis intercedere an liceat Clericis & Monachis. 637
Rex Francorum cur à Matth. Paris Rex Regum nuncupetur. 141. *Vide* Reges.
Romescot, census Anglicanus. 41
Rupellanæ consuetudinis damnanda duo capita. 42
Ruptarii excolendos agros conducentes, Gallicè *Roturiers*. 630

S

SACERDOTVM Paganorum vbi sitæ domus. 8
de Sacerdotum vnctione, & in quo differat ab vnctione Principum. 141
Sacramentum corporale quid sit, & cur sic dicatur. 199
qui Sacrificat sine aqua, sine igne, & in fermentato, ab officio & beneficio suspenditur. 488
Salinaria sunt iura fiscalia. 635
sine Salutatione excommunicatis Pontifex solet scribere. 623
Sarraceni hostes Christianorum, Iudæi seruorum loco habentur. 556
Sarracenis qui arma, ferrum & lignamina subministrant, excommunicantur. *ibid.*
Satisfactione nudâ reuocatur sequestratio fructuum facta ob contumaciam. 35
Satisfactio competens quænam sit. 632
Scotatio, vel donatio Ecclesiæ facta per traditionem glebæ. 40
Scottum, vectigal, aut tributum. 41
Scrutinium consensus contrahentium in nuptiis. 102
Scrutinium olim in ordinatione Episcoporum & Clericorum. *ibid.*
Scrutinium item & olim solemne in Baptismo. *ibid.*
Senator vrbis olim iuridicus vrbis Romæ. 25
Senatoris vrbis potestas suspecta Pontificibus. 26
Senatorum varius per tempora numerus. *ibid.*
à Senatu remotus à quo possit restitui. 18
Seneschallus maior quomodo vocetur à Græcis. 193
Sententia lata parte non citatâ, nulla est. 16
Sententia à non suo iudice lata, nullius momenti. 42
Sententia quo temporis interuallo transeat in rem iudicatam. 91
Sententiæ executionem non habet per se Iudex Ecclesiasticus, nisi inuocato brachio sæculari. 191
vt Sententia valeat quæ requirantur. 273
Sententiæ amissæ tenor quomodo possit probari. 340
Sepulturæ electio olim non fuit libera. 459
Serui Ecclesiæ quandoque manumissi vt ad Ordines promouerentur. 145
Siculi extra suam Prouinciam non litigabant. 38
Sigillis Cardinalium vel Episcoporum an semper credendum. 297
Sigillum Capituli est authenticum, & fidem facit sine testium descriptione. 353
Signiacum Monasterium diœcesis Remensis, Ordinis Cisterciensis, vulgò *Signy*. 34
Simonia quomodo committatur. 81
Simonia quantum odiosa. 266
Simonia an sit hæresis. 546
Simonia an committatur in Officiis Ecclesiasticis. 550
Sotularibus consutitiis aut rostratis vti vetantur Clerici. 577
Spado quo casu arceatur à sacris Ordinibus. 146
de Sponsæ subarrhatione, & quomodo fieret. 509
Stallum, vel Stallus quid sit, & quàm varia significet. 390. 391
Statuta an & quare possit condere Capitulum. 8. quid in iis obseruandum. *ibid.*
Statuta contra Ecclesiæ libertatem rescissa. 9
ex Stipulatu an debeantur pœnæ iure Ciuili. 90
Stoïci vnde dicti erciscundi. 161
Studiorum causâ absentes pro præsentibus habiti. 98
Stylus Curiæ ius facit. 17
de Suffraganeorum causis quomodo possit cognoscere Metropolitanus. 182
Subreptio vitiat gratiam in totum, etiamsi consistat in reticentia facti alieni. 27
Subreptitium quidnam dicatur. 28
Subscriptio vnde dicatur Manufirmatio. 296
in Suecia ignotum penèius Romanorum ciuile. 40
Surannationis litteræ. 161
Suspensi ab officio, vel à beneficio, an possint eligere. 77
Symbolum fidei memoriter tenendum baptizandis traditum. 3
Syndicus eligendus Monasterio vel cuilibet Vniuersitati, vt per eum vel agat, vel conueniatur. 30

T

TALAMASCÆ, Gallicè *Masques*, olim vetitæ. 374
Templum apud Paganos, Sacerdotis domus. 8
Testamenta apud plerasq; gentes ignorata. 40

Testes laïci an possint adhiberi in Episcopos & Clericos. 16
Testes an audiantur ante litem contestatam 25 230. 261. 270
Testis nisi iuratus non auditur, etiamsi sit Religiosus. 274
Testes producti in vna causa, fidem faciunt in eadem causa inter easdem partes coram aliis Iudicibus. 275
Testes excommunicati quâ cautelâ non repelluntur à testimonio. 284
Testis quilibet in crimine Simoniæ, vt in crimine læsæ Maiestatis admittitur. 545
Theophili Alexandrini quòd libros Origenis legeret reprehensi, notanda responsio. 6
sine Titulo nulla olim fiebat Ordinatio. 383
de Tonsura & Tonsuratis. 134
absque Traditione rei in Gallia quæ moribus geritur, donatio nulla. 40
Translatio Episcoporum quomodo olim fiebat. 107. 108
Translatio debet fieri de minori ad maiorem Ecclesiam. 108
Transmarini quâ cautelâ promonendi ad Ordines. 150
Torpitudinis Patronus dicitur qui celat nomen vxoris. 313

V

VACATIO beneficij vniri non debet. 11
Valdensium hæresis fœdissima. 635
Vallis-regiæ Monasterium, diœcesis Remensis, Ordinis Cistercienfis. 34
Vassalli Ecclesiæ Romanæ centenariæ præscriptionis beneficio, eiusdem Ecclesiæ exemplo perfruuntur. 326
Vectigalium onus non subit ager sterilis iam mox excultus. 14
ob Venandi licentiam quid olim præstitum Ecclesiæ. 479
Victorinus Rhetor antequàm baptizaretur publicè fidem professus. 3
Viduarum causæ sunt fori Ecclesiastici. 636
Villarum maiores. 595
Vim an arguat reuerentia Principis. 205
Viodicatio rei hereditariæ, quomodo olim fiebat iure ciuili. 41
Vineæ olim annexæ Præbendis Ecclesiæ Trecensis. 8
Visitator deputatus à Summo Pontifice, quâ polleat potestate. 35
Visitator an possit dari extra ordinem. ibid.
Vnctionem inter Sacerdotum, seu Episcoporum, & vnctionem Principum, differentiæ. 141. de vnctione plura. ibid.
Vnctio Christianorum duplex, ante & post Baptismum. 542
Voto an possit fieri vel dissolui vacante sede Episcopali. 415
Vniuersitatis Parisiensis Iudex olim Summus Pontifex. 53
Vniuersitatis iura. *Vide* Academia.
Votum. *Vide* Absolutio.
Votis in Imperatoris electione diuisis, quid in ea sibi tribuant Romani Pontifices. 96
Voti redemptio vel commutatio, an possit fieri ab Episcopo. 455
Vox electi an computetur in electione per scrutinium. 92
ad Vrbem Regiam accedere sine licentia Episcopi, Monachis olim vetitum. 587
Vsura iure naturali & diuino vetita. 571

FINIS.





SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM *est auctoritate Regis, nequis in regno eius aliisve locis eius ditioni subiectis, intra decem proximos annos librum qui sic inscribitur:* Innocentius III. Pontifex Maximus, seu Commentarius perpetuus in singulas Decretales huiusce Pontificis, quæ per libros V. Decretalium sparsæ sunt. Auctore ANTONIO DADINO ALTESERRA *Antecessore Tolosano, absque Petri Lamy Bibliopolæ Parisiensis permissu imprimat aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium: qui secùs fecerit, mulcta ei indicta, prout ampliùs in Diplomate regio continetur, dato Parisiis die vltima Iunij anni* M. DC. LIX. *& signato, ex mandato Regis*, BERAVD. *Quod & in acta Typographorum & Bibliopolarum Parisiensium relatum est die* 5. *Aprilis anni* 1666. *à* SIMEONE PIGET *Syndico.*

Prima editio absoluta fuit die
7. Aprilis anni 1666.